Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

SPECIMEN JURIS PUBLICI ROMANO-GERMANICI,

à

CONSVETA ORDINIS MATERIARUMQVE CONFUSIOIONE, VARIISQVE SCRIPTORUM PRÆJUDICIIS ADÆQVATA BREVITATE RESTITUTI

AC

Poſt primam Editionem, multis Rerum acceſſionibus, Vindiciis Vitriarii caſtigatis, Diſſertatione de Habitu Territoriorum Germanicorum & totius Reipublicæ forma, Summariis Capitum ac Rerum Indice

AUCTI.

AUTORE

D. GOTTLIEB GERH. TITIO.

EDITIO TERTIA.

LIPSIÆ,
Sumptibus Hæred. LANCKISIANORUM
Anno M DCC XVII.

B. R. NEAPOLIS

Digitized by Google

Digitized by Google

Lecturis Salutem!

DUm Speciminis hujus novam parat Editionem, Bibliopola ſolertiſſimum, nolui, ut antiquo plane habitu idem recuderetur, ſed, ut auctius, ac, in nonnullis, forte magis comtum prodiret, potius decrevi, de quo Lectores paucis admonere viſum eſt, Et primo quidem Ordinem totius Operis quod attinet, nondum quidem ejus me vel pudet, vel pœnitet, hoc

Digitized by Google

tamen, in ſecundis curis, deprehendi, utile non tantum, ſed &, ad doctrinæ ſoliditatem, neceſſarium eſſe, ſi, poſt prolegomena, de indole Diſciplinæ, Scriptoribusque eo pertinentibus, ea, quæ Germaniæ originem, habitum antiqvum & mutationes reſpiciunt, præmitterentur, ac tum præſens Reipublicæ ſtatus, cum ſuis juribus, exhiberetur, ſic factum eſt, ut nonnulla Capita, quæ, in prima Editione, ſecundus Liber complectebatur, ad Primum fuerint relata, atque, cæteris, quæ neceſſaria videbantur,

ad-

Digitized by Google

adjectis, integro Libro Specimen hoc adductum: In reliqua tractatione, priſtinus Ordo retentus eſt, niſi quod nonnulla Capita, prout ſeries magis naturalis fuit viſa, nonnunquam transpoſita ſint. Quoad rem ipſam, non exigua ſane, novæ huic Editioni, acceſſerunt incrementa; Nam, ut leviores emendationes & acceſſiones, quæ in ſingulis ferè Capitibus occurrunt, taceam, in Libro Primo, de indole Diſciplinæ noſtræ, ac Scriptoribus eò pertinentibus, plenius, quam antea factum erat, diſſerui: Ac-

ceſſit etiam novum Caput, de Habitu Reipublicæ germanicæ antiquo, ejusque mutatione in genere, cumque, triplicem Germaniæ mutationem accidiſſe, putem, dum ſcilicet ejus Proceres, ſunt facti Coimperantes, Jus Sacrorum, per Pontificem Romanum, ei ereptum, ac fines illius, per exemtionem, quam vocant, turbati hinc iis, quæ de origine Statuum imperii, & Jure finium, in prima Editione, jam dixeram, adjecta ſunt duo Capita de Papatu, in quibus politicum ejus habitum, ex genuinis princi-

piis,

piis, perſpicue repræſentare conatus ſum. Non eſt ſane Papatus Scriptoribus Proteſtantibus incognitus, ſed, data occaſione, in ejus iniquitatem animadvertere illi ſolent, hactenus tamen, quod ego ſciam, nemo illum, adæquate excultum, Scriptis Juris publici, loco proprio, inſeruit, & tamen non tantum totius Diſciplinæ contextus, iſtam tractationem requirit, ſed & multa alia Juris, tam Publici quam Eccleſiaſtici, Capita, eam, velut fundamentum præſupponunt, ut adeò de ejus utilitate & neceſſitate

dubitari non poſſit. De cætero ſicut, in explicatione Papatûs, quoad ea, quæ rationibus & conjecturis conſtant, autoritates vel teſtimonia fruſtra requiruntur, ita ea, quæ ad hiſtoriam pertinent, ex Scriptoribus propriis, operoſe repetere ſuperſedi, ſed compendium laboris facturus, Scriptores recentiores, ac ſæpe perſonati Gibellini Cæſareopapiam, eum in finem, allegavi, quæ admonitio eò pertinet, ne quis calumnietur, ac ſi Scriptoribus minus idoneis hic fuerim uſus, nam, quoad hiſtoriam Papatûs, res ab

aliis

aliis fere confecta, aut hæc minimùm ita certa eſt, ut illius iniquitas & turpitudo inde facile demonſtrari queat: Meo igitur inſtituto ſufficere exiſtimavi, ſi, in uſum lectionis prolixioris, Scriptorem quendam recentiorem allegarem, id quod eo facilius me facere poſſe credidi, quo minus prolixæ demonſtrationes hiſtoricæ, Scriptis Juris Publici elementaribus conveniunt, aut hæc ambitioſas plurium Scriptorum, ſæpe non viſorum aut evolutorum, allegationes requirunt, hinc, ut hoc adjiciam, in aliis etiam

partibus, quoad hiſtoriam, Scriptoribus recentioribus, qvi ex fontibus eam ſatis deduxerunt, ac facile haberi poſſunt, tantum uſus ſum. In Libro Secundo, indolem legum fundamentalium germanicarum expoſui, ubi inprimis conventionum religioſarum natura & moralitas plenius tradita, ac, inter alia, probatum eſt, Reſervatum Eccleſiaſticum, per pacem Weſtphalicam, neutiquam eſſe confirmatum, utut, magno conſenſu, Scriptores hoc aſſerere ſoleant. In Libro tertio, propriam meam hypotheſin, de Stati-

bus imperii, ut & de Matriculis, in prima Editione jam exhibitam, magis explanare & ad liqvidum deducere ſuſtinui. In Libro quarto, Succeſſionem, in immediata Germaniæ Territoria, quam parcè nimis, in prima Editione, tradideram, plenius, cum obligatione Succeſſoris illuſtris, exhibui, ac modos etiam amittendi & extingvendi Superioritatem territorialem, longe explicatius, quam antea factum erat, propoſui Conditionem Statuum imperii privatam, in prima Editione, ſaltem delineavi, jam vero

etiam

etiam jura privata adjeci atque ita, de his quoque diſſerendi materiam, ſuppeditavi, denique acceſſit peculiare Caput, de Statuum Imperii Legationibus & Bellis, cujus argumentum antea vel plane omiſſum, vel loco non ſatis congruo propoſitum erat. In Libro quinto Auguſtæ ſive Imperatrici peculiare Caput datum eſt, non, quod Eam ad Jus Publicum pertinere exiſtimem, ſed qvo, Illam vulgò non recte ad Illud referri, oſtenderem. In Libro ſexto, de Jure totius Imperii, novo Capite egi, ac nexum

Digitized by Google

totius Reipublicæ plenius apertiusque, quam antea feceram exhibui. Denique in Libro ſeptimo, poſt adducta principia generalia, quæ ſola olim propoſueram, de indole Superioritatis Territorialis, de habitu Territoriorum Germanicorum ac Forma totius Reipublicæ, diſerte & plene ſatis pronunciavi, atque ita calumniam Vindicis Vitriariani, qua, me vel neſcire, vel ad minimum non audere dicere, quæ ſit forma imperii noſtri, contendit in Vindic. Vitriar. caſtigat. §. 19. re ipſa diſcuſſi. Hiſce aliisique

in-

Digitized by Google

incrementis, acceſſere tandem Summaria, ſingulis Capitibus præmiſſa, hæc enim Legentibus inſignem afferre commoditatem, & res ipſa loquitur, & ipſe, proprio exemplo, ſatis didici, hinc, iis etiam novem hanc Editionem inſtruere, viſum eſt. Hæc igitur omnia ſi Lectores æqua mente expendant, non difficulter, ſpero, fatebuntur, mutationem factam, non eſſe jejunam, macilentam, coactam ac, lucelli cujusdam ſpe, solùm ſuſceptam, ſed, ex regulis artis, & jaciendis Juris Publici fundamentis, neceſ-

Digitized by Google

ſariam & utilem, atque adeo non tantum excuſandam, quam probandam. Cum porro nonnullas Controverſias, in Specimine hoc recuſo, occurrentes, Vindiciæ Vitriarii, annotationibus meis caſtigatæ, amplius illuſtrent, adeoque frequenter hæ, in illo, allegatæ ſint, ideo novo huic Editioni illas conjungi volui, quoque allegationi & evolutioni magis eſſent aptæ, non tantum eas, in certos paragraphos, digeſſi, ſed & allegationi, in iis, juxta primam Editionem factæ, ac nunc ſæpe, ſi non ſemper, fallenti,

novæ Editionis loca, eorumque numeros adſcripſi, atque ita omne evolvendi tædium ſuſtuli. Sunt aliàs Vindiciæ illæ, in me, valde acerbæ, dum Vindex ſæpe durioribus, & forte injurioſis verbis, quæ aliàs honeſtos non decent, fuit uſus, prout Ipſe in fine fatetur, ea tamen, ſed ratione minus idoneâ, excuſanda putat: Nec ego dixerim, reſponſiones meas ſemper valde eſſe moderatas, ſed, dum bonitati meæ cauſæ confido, pati poſſum, ut illa, cum conviтiis in me ſparſis, meisque reſponſionibus, quandam
animi

Digitized by

animi intemperiem, apud nonnullos, mihi forſitan impacturis, legantur. Sciant tamen illi, quibus Vitriarium durè nimis tractaſſe videor, me illum aliquando ſat liberaliter etiam laudaſſe, ut liberioris cenſuræ amaritudinem, elogiorum cumulatè collatorum dulcedine facile penſare queam, quale quid Vitriarius, temperandæ, quâ in me uſus eſt, acerbitati, allegare haut poterit, ut, veritate & humanitate, ipſum viciſſe fortaſſe dicendus ſim: Nimirum eodem tempore, quo ſub prelo erant Annotationes meæ in

Digitized by Google

Vitriarii Vindicias, recenſum quoque (liceat enim hoc memorare, cum nihil vetet) de Inſtitutionibus Vitriarii, cura Pfeffingeri auctis, ad Acta Eruditorum Lipſienſia, confeci, qui etiam, ſub menſe Auguſto, anni 1699. p. 361. continetur; in eo tot titulis encomiisque Vitriarium ipſiusque Inſtitutiones exornavi, ut nec ipſe plus requirere, nec alius, quem amiciſſimum ſibi putat, præſtare queat. Quod ſi adeo quis iniquiorem affectum, ob dictionem paulo acrem, mihi imputare velit, is, eodem argumen-

tandi

Digitized by Google

tandi genere, exiſtimare debet, me magna veneratione Vitriarium proſequi: Malim tamen, ut neutrum inde concludat, ego potius eodem, i.e. nullo in Perſonam directo, affectu Vitriariana laudo & reprehendo pro diverſa, quam ſuſtineo, διαθέσει. Sed valeat Vitriarius, qui, ſi ſapuiſſet, liberiorem meam Philoſophiam ſilentio transmittere, atque ita, minori cum Exiſtimationis ſuæ diſpendio, mecum tranſigere potuiſſet, ego poſthac Ejus non temere iterum faciam mentionem. Vindiciis Vitriarii adjunxi Diſſertatio-

nem, de Habitu Territoriorum Germanicorum & inde veniente totius Reipublicæ Forma, quæ, anno proxime elapſo, ſub meo moderamine habita eſt, quod conſilium, ſpero, harum literarum amantibus non diſplicebit. Tandem novæ huic Editioni acceſſit etiam Index rerum, in quo præcipua, quæ vel in ipſo Specimine, vel in Vindiciis aut Diſſertatione modo memorata occurrunt, conſignata reperiuntur. Scrib. Lipſiæ d. 26. Septembr. 1705.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO PRIMÆ EDITIONIS.

Lectori Benevolo S.

LIbellus hic genuina Juris Publici Romano-germanici principia, juſto ordine, ac ſine admixtis aliarum diſciplinarum placitis, breviter, adæquate tamen, ſtudii hujus cultoribus tradere, præcipue ſatagit. Non novus iſte ſcopus eſt, ſed is potius, quem omnes hujus generis libri, præ ſe ferunt, quem tamen vulgo haut eſſe obtentum, plane ha-

hactenus, citra veritatis tamen præjudicium, exiſtimo. Nihil nunc dicam de ſcriptoribus antiquioribus, nam uti horum doctrinam plerumque corrumpit, nimia Juris Juſtinianei veneratio, ac hiſtoriæ germanicæ ignorantia, ita tractandi ratio, doctrinæ ut plurimum conſentit, iis interim, velut primis autoribus, multa condonanda eſſe, nemo cordatus negaverit. Ex recentioribus, eximium quid præſtare potuiſſe videtur MONZAMBANO, niſi ſatyram potius, quam juris publici compendium, concinnare maluiſſet,

iſſet, nunc, ex inſtituti ſui hypotheſi, longius ſæpe excurrit, quam leges ſcipionis elementaris permittunt, ſicut, è contrario, in materiis, acrioris ſtili non adeo capacibus, non raro plane deficit, hinc licet, ob acre judicium, inſignemque parrheſiam, incomparabili facundia explicatam, merito cuivis, qui ultra vulgus ſapere heic capit, Scriptor hic debeat eſſe commendatiſſimus, jaciendis tamen fundamentis, non ſatis idoneus cenſeri poteſt, cum multis egeat ſupplementis, non, niſi magno tironum incom-

modo, inſerendis. In aliorum introductionib⁹ vel inſtitutionibus, quib⁹ hodie utimur, methodum diſciplinæ convenientem, merito fortaſſis deſiderare licet, ſicut etiam, limites hujus ſtudii, ſæpe & interdum ſatis enormiter turbari, probatu non adeo videtur difficile. Ordinem quod attinet, id quidem valde ineptum fuerit, ſi omnem negare velis, recte ſane pleriq; tractatus, à tractatione Jurisprudentiæ, legum publicarum, origine imperii german. incipiunt, ſed in diſtributione ſpecialiori imperii germanici civilis, jurium-

que

queImperatoriProceribusq; competentium, defectus boni ordinis ſatis comparet. Nempe vulgaris eſt velut hæreſis, omne imperium civile, in reſervatis & communicatis, ſeu juribus comitiorum, conſiſtere. Hæc igitur poſtqvam recenſuerunt Scriptores, reliqua Statuum jura, velut levem quandam appendicem, deinceps explicant, quæ certe tractandi ratio, objecto penitus repugnat, ceu præjudiciis vacui facile intelligunt. Ipſa porro jurium recenſio plerumq; juxta Statuum varietatem, inſtituitur, ita ut I. Electorum, de-

Digitized by Google

deinde Principium Eccleſiaſticorum & Seculorum, tandem reliquorum Procerum Jura conjunctim tradantur, quo fine etiam ſæpe ſchedæ B. B. quoad Jura Electorum, exſcribi ſolent. Enimvero ille ordo, valde eſt incongruus, nam tautologias, vel otioſas repetitiones cauſatur, quando enim, v. gr. inter Jura electorum, refertur poteſtas eligendi Cæſarem, ſtatim addi ſolet: actum eſſe ea de re circa electionem Cæſaream; aut quandò Jus Territoriale adducitur, hujus propria tractatio, alio loco inſtituenda, mox promittitur

tur. Quid igitur opus erat, alibi vel propoſita, vel proponenda, repetere aut occupare? Deinde etiam illa tractandi ratio, jura diverſæ indolis permiſcet, quæ, juxta objecta ſua diſtributa, lectoribus demum ſe, & vim ſuam, erant exhibitura, quo ipſo commentationes iſtæ, non abſimiles ſunt locis communibus, quos quis, juxta nomina Autorum, conficeret, quorum inconcinnitatem nemo non intelligit. Taceo nunc alias confuſiones, rebus tractandis vim facientes. v. gr. quando, occaſione reſervati Cæſarei,

uni-

univerſa judiciorum tractatio inſtituitur, cum tamen hæc, ad communem totius Reipublicæ contextum, pertineant, atque adeo aliam omnino ſedem poſtulent; aut quando, in explicatione Statuum imperii, de origine Electorum, disquiritur, cum tamen qualitas & munus Electorale, eſſe Status, non contingat, ſed unice electionem Cæſaream reſpiciat. Alii Jus publicum, methodo Tribonianea, tradendum eſſe exiſtimant, cujus etiam actu, ad ſtudium noſtrum, applicatæ, laudem ſibi tribuere voluit VITRIARIUS, in

In-

Inſtitutionum ſuarum præfatione, ſed mihi conſilium iſtud penitus inconſultum videtur. Nihil nunc dicam, quam ingloriam ſit Germanis, imitari Tribonian. quaſi ſcil. non antea intellexerint, quo contextu, Reipublicæ ſuæ diſciplina cohæreat, aut quo ordine eadem tradenda ſit, niſi poſtquam græculus ille Thraſo, hoc eos docuerit; ſicut nec id urgebo, methodum iſtam, in ſe, ſatis incongruam eſſe, cum nulla fere, in Inſtitutionibus Triboniancis, ſit connexio, niſi ex falſis conceptibus, quod alias oſtendi poteſt, id

ſolum

ſolum contendo, omnem methodum, objecto ſuo antiquiorem, ſeu priorem, eſſe ineptam, nam ſicut conceptus, ex rei conſideratione, oriuntur, ita illorum ordo, ex hujus quoque connexione, oriri debet, quod ſi autem, citra objecti conſiderationem, methodum aliquam fingas, eique deinceps objectum, & hinc ortas meditationes, attemperes, non poteſt non talis ordo, in quandam rei tractandæ torturam, degenerare. Atqui, illo præpoſteræ prioritatis vitio, laborat memoratum imitationis Tribonianeæ

neæ conſilium, nam juxta illud, non ordinem rei applicari, ſed rem potius, juxta præconceptam methodum torqueri, manifeſtum eſt! Sed eamus in rem præſentem, & perſpicuis aliquot ſpeciminibus, ex VITRIARII tractatu, deſumtis, oſtendamus, quam infeliciter methodi Tribonianeæ, ad jus publicum, applicatio cedere ſoleat. Primum incommodum non immerito illud habetur, quod materiæ, cognitu valde neceſſariæ, ſed quarum, illa trium vocabulorum methodus, capax non eſt, vel omnino omitti, vel

obiter ſaltem tractari ſoleant: v. gr. diſquiſitio, de imperii Romano-germanici origine, merito fundamentalis pars exiſtimatur, ſine qua, ſpecialior Imperatoris Germaniæque jurium tractatio, rite inſtitui nequit. Porro tractatio, de forma imperii Romano-Germanici, inter principales, jure ſuo refertur, nam in ea, velut in centro, univerſum jus publicum confluit, ac, ejus ope, jurium germanicorum, ad normam generalem relatorum, indoles ſolidè demum intelligitur, ſed cum neutri, methodus Tribonianea locum ali-
quem

Digitized by Google

qvem relinqveret, illam, occaſione tituli Imperatorii l. 1. tit. 4. §. 4. 5. hanc, in tractatu de ſubditis imperii l. 1. tit. 19. §. 2. 3. incidenter & frigidiſſime inſtituit VITRIARIUS, mirum tamen eſt, qvare Imperio Romano-germanico, velut perſonæ morali compoſitæ, primum locum, in tractatione perſonarum, non aſſignaverit IDEM, ſed forte, in verba Magiſtri ſui, juravit, qui nullas, niſi perſonas ſingulares, intellexit. Alterum vitium, in ordine præpoſtero, recte conſtitueris; quo imitaretur VITRIARIUS diviſionem Tribonianeam,

in liberos & ſervos, perſonas ſtatim diſtinxit l. 1. tit. 3. in Imperantes & Parentes; Sed hæc diviſio perinde temeraria eſt, ac ſi, homines eminus conſpectos, &, extra ſphæram oculorum, conſtitutos, in mares & fœminas velis diſpeſcere, nam quis, in Germania, ſubditus dicendus ſit, illud valde dubium eſt, nec poterit, ea de re, judicari, niſi jura Imperatoris Procerumque, ex univerſa juris publici diſciplina, accurate cognoveris. Ulterius non omittenda videbatur diviſio in res mobiles & immobiles, in harum exem-

plum, feuda imperii producuntur, & ne nimis arida eſſet tractatio, modus inveſtituræ ejusque renovatio exponitur l. 2. tit. 1. Sed cum inveſtitura, acquiſitionem ſuperioritatis territorialis conſummet, ac adeo ſemper electionem vel ſucceſſionem, aliamve collationem præſupponat, de his modis autem acquirendi, demum agatur l. 3. tit. 20. Hinc ὕϛερον πρώτερον eſt liquidiſſimum, non alia fortaſſis cauſa, quam methodi vitio, productum. Tertio iſta methodus otioſas peperit repetitiones, exemplum præbet

Digitized by Google

jam memorata diviſio rerum, in mobiles & immobiles, nam illas dicit l. 2. tit. 1. eſſe res, quæ in actu coronationis adhibentur, de quibus dictum ſit, in titulo: de modo perveniendi ad imperium, ergo nihil repetitionem poſtulabat, niſi methodi incongruitas. Quarto cauſatur illa diſtractiones rerum coniungendarum. Solennes VITRIARII ſunt formulæ: de hac poteſtate Imperatoris plura dicemus lib. 3. de iuribus Regis Romani infra lib. 3. plura dicemus: de poteſtate, in ſpecie Vicariis conceſſa, agemus lib. 3. &c. Atqui præ-

præſtabat, res connexas una ſerie proponere, quam invitas diſcerpere! nunc quævis tractatio fere hiat, ac, velut indignabunda, partem ſibi ereptam repoſcit, &, eadem operâ, methodi ineptitudinem Autori exprobrat. Sed illa particularia ſunt; fortius agendum, &, quod nullo penitus fundamento methodus illa nitatur, oſtendendum eſt. Perſvaſit ſibi, & aliis perſvadere vult VITRIARIUS, ſe in libro primo, agere de perſonis, in ſecundo, de rebus corporalibus, in tertio, de incorporalibus, in quarto, de actionibus, ſeu potius Co-

mitiis & iudiciis. Atqui, in libro primo, agitur etiam de rebus corporalibus, mobilibus, quæ, in actu coronationis, occurrunt, ut iam dictum, & immobilibus, nam quæ regna habeat Imperator, quibus diſtrictibus præſint Vicarii, commemoratur, Sratibus verò Eccleſiaſticis, Epiſcopatus, Abbatiæ, Secularibus, Ducatus, Comitatus &c. aſſignantur. Porro, in eodem etiam libro, agitur de rebus incorporalibus, nam exiſtimatio Cæſaris Regisque Romani, munera Electorum, aliaqve Statuum iura ibidem recen-

Digitized by Google

ſentur. Vice verſa, in libro ſecundo, agitur quoque de perſonis, nempe inveſtientibus & inveſtiendis, eximentibus & exemtis, de officialibus circulorum, de varietate Statuum, nec temere quis negaverit, in eodem etiam libro, occurrere res incorporales, qui, iura inveſtiturarum, finium, circulorum, tales res eſſe, intelligit. Rurſus, in libro tertio, perſonarum quoque & rerum corporalium conſideratio occurrit, nam reſervata Cæſarea iuraqve Statuum perſonis, velut ſuo ſubiecto, inhærent, ac Germaniam eiusqve

territoria reſpiciunt, & velim omnino audire diſcrimen, qvo tractatio libri tertii, à libri primi, vel ſecundi tractatione, differat. Denique in libro quarto de perſonis non agi, is demum dixerit, qui comitia & judicia, ſine perſonis, concipere poterit, nec res corporales hic exulant, nam comitia & judicia, in certa aliqua urbe, habentur, quæ rebus immobilibus omninò accenſenda, præterea, tam in comitiis quam judiciis, multæ res mobiles occurrunt, ut mirum ſit, quare VITRIARIUS d. l. 2. tit. 1. de pauci-

tate rerum mobilium imperii, ſit queſtus, nam ſane ſi ad eas, quæ in Comitiis & judiciis uſum præbent, reſpexiſſet, prolixum, & ſua methodo non indignum, rerum mobilium texere potuiſſet catalogum. Ulterius etiam res incorporales, in libro qvarto, dari, ſexcentis iurium exemplis, oſtendi poſſet, niſi res adeo evidens esſet, ut, probationem moliri velle, ineptum videatur. Ex his ſatis liquet, qvam ruinoſa ſit illa methodus, & ſane qvi conſiderat, quod cuiusvis Jurisprudentiæ ſcopus ſit docere, quomodo leges, va-

ria iura & obligationes, perſonis, intuitu rerum, tribuant aut imponant, is facile deprehendit, iſta divelli nec poſſe nec debere. Inſignis igitur ἀβλεψία eſt, quando ea qvis non tantum ſeparare, ſed &, iſti diſtractioni, totius operis diſtributionem, ſuperſtruere nititur, hinc nec auſui eventus reſpondet, nam materiæ ſeparatæ, ultro iterum coeunt, & cum, iuxta intentionem ſuppoſitæ partitionis, diſtincta de perſonis, rebus corporalibus, incorporalibus, negotiisque humanis deberet prodire tractatio, ubiqve po-

potius res incorporales, vel ut objectum diſciplinæ formale, cum perſonis & rebus, tanquam objecto materiali, concurrunt, ceu per exempla antea oſtenſum, dum autem fallax iſta methodus, ſvavis ſomnii inſtar, diſparet, hinc fit, ut tandem, in tractatibus, juxta eam concinnatis, ordo omnis ſit fortuitus, in quo, nec ars, nec ingenium, occurrat, niſi quod, juribus, juxta methodi præconceptæ imaginem, disjiciendis, diſcerpendis aut otioſè repetendis, fuerit adhibitum, ceu, ſpeciminibus antea conductis, demonſtravimus.

mus. Si caupo, prandium paraturus, allato primo ferculo, omnibus requiſitis inſtructo, hoſpitibus ſuis perſvadere vellet, ſe, hac vice, nullas dapes, ſed tantum vaſa, iis recipiendis idonea, afferre, appoſito ſecundo, ejusdem omnino, cum præcedente, indolis, contenderet, ſe nunc ſolas dapes, carnem v. gr. vel piſces, ſine lance & jure, apportare, tandem, tertio allato, qvod itidem, juxta regulas coquinarias, ſua perfectione conſtabat, ſerio adſtrueret, ſola juſcula, dapibus præcedentibus deſtinata & qvidem ſine

ca-

catino, nunc afferi, certè, qui mitiſſimè de hoc homine judicabunt, illum, minimum valde feſtivum & lepidum, dixerint, & tamen, ab ejusmodi commento, methodus Tribonianeo-Vitriariana, nihil differt, niſi quod illius abſurditas, ſenſu, huius verò, ratione ſaltem percipiatur! Non me latet, quod magni nominis JCtus, noviſſimè aliter longè, de uſu methodi Tribonianeæ, judicet: Methodus Jurisprudentiæ publicæ tradendæ, inquit, non alia eſt, quam privatæ, & omnium prudentiæ ſpecierum, h. e.

analytica, quæ à fine, per objectum, ad actiones progreditur, quæ tamen hactenus vix fuit obſervata, unde eſt, quod alii Scriptores, minus plene jus publicum expoſuerint. Sciendum enim eſt, quod objectum juris publici ſit duplex, unum proprium, alterum commune cum privato jure, illud communiter ſolum expoſuerunt, h. e. ea, quæ, tum circa perſonas Imperatoris & Statuum, tum circa res & territoria, verſantur. At præterea dantur etiam actus principum & perſonarum illuſtrium, qui etiam ſtatum publicum, vel im-

imperii vel provinciæ aut territorii, immediate concernunt, ut nuptiæ, teſtamenti factio & ſimiles, qui cum privatis tamen ſunt communes, neque tamen iisdem regulis juris per omnia cenſentur, verum regulæ juris privati in principibus & perſonis illuſtribus ſæpiuscule alterantur, requirente hoc tum conditione harum perſonarum, tum ipſarum rerum, tum verò formæ ac Status Reipublicæ, de quibus ſingulatim quidem nonnulli ſcripſerunt, ut Mylerus Gamologiam &c. Hæcille. Sed non muto ſententiam, quin inde etiam

agnoſco potius, quanta præconceptarum opinionum ac præjudiciorum ſit vis & pertinacia. Primo enim valde dubito, an omnes, qui methodo analytica delectantur, in allatam ejus deſcriptionem ſint conſenſuri, dein, facile qvidem dicitur, à fine per objectum ad actiones eſſe progrediendum, ſed ſi ſolide ſumma illa membra explicari, eorumque certa & conſtans oppoſitio oſtendi, imo, re ipſa, ordinis deſignati capacitas probari debeat, aqua ubiqve hærebit; porro qvod methodus Jurisprudentiæ pu-

publicæ tradendæ non alia ſit, quam privatæ, id gratis non admiſerim, ordo enim cujusvis diſciplinæ, ex materia propria, reſultat, non ex ejus conſpecie, vel diſciplina cognata: ſed fac, eandem methodum, in utraque juris diſciplina, eſſe adhibendam, qvis verò ſibi perſvaderi patietur, Tribonianum exacte, nativo ordine, jurisprudentiam privatam germanicam tradidiſſe, ut ejus factum præciſe nos imitari oporteat? Tandem qvod, ob analyſeos Tribonianeæ neglectum, minus plene jus publicum hactenus expoſi-

tum ſit, id minime omnium crediderim, nam ſi commune illud, cum privato jure, objectum, ut vocabatur, omnino in jure publico tradendum ſit, putaverim ei locum aliquem dari poſſe, licet memorata methodo analytica non utamur. Verum objectum illud regulariter ad diſciplinam juris publici pertinere, plane nego, multum quippe intereſt inter jus publicum, & privatum, Imperantibus applicatum, illud imperantes, quà tales, attinet, ac ad juris publici prudentiam ſpectat, hoc eos, ut dominos, patres, maritos re-

ſpicit, quo reſpectu Imperantes cum jure privato, ad Juris prudentiam privatam, debent referri, qua de re, in ipſo tractatu, locis propriis, pluribus diſſerui. Tantum igitur abeſt, ut, ſi occaſione methodi Tribonianeæ, commune illud objectum, matrimonia ſcilicet, teſtamenta Statuum &c. ad diſciplinam juris publici, fuerunt relata, ideo illa laudari debeat, ut, ob improbandam hanc confuſionem, peculiarem potius mereatur invectivam. Illud recte admonebatur, actus perſonarum illuſtrium, privatis etiam

communes, non iisdem tamen cenſendos eſſe regulis, nam licet, ad iurisprudentiam privatam, Imperantes, iſto reſpectu, remittamus, quia tamen conditio imperandi, in iis, ſemper præſupponitur, ideo regulariter nullæ niſi leges divinæ, iis applicari debent, qua de re itidem, in tractatu, amplius ſententiam expoſui.

Alterum quod, in libris iuris publici ſyſtematicis, deſiderari poſſe diximus, ad Studii huius limites pertinebat, quos ſæpe nimium turbari exiſtimabamus. Eſt autem iſta turbatio non unius

gene-

generis; nam aliquando, placita doctrinæ Heraldicæ aut Genealogicæ ſimiliumque diſciplinarum, plus juſto juri publico miſcentur, qvod, niſi fallor, ab iis præcipue fit, qvi magis illa ſtudia, qvam jurisprudentiam callent; aliquando verò privatum, cum publico, confunditur, ſunt tamen & hujus confuſionis diverſi velut gradus, nam quædam ſpeciem habet, quando v. gr. de Statuum matrimoniis, patria poteſtate, teſtamentis, in jure publico, agitur; quædam verò, ſine colore, admittitur, quando ſcil. occa-

ſione reſervati Cæſarei, vel partis Superioritatis territorialis, de veniæ ætatis conceſſione, famæ reſtitutione, privilegiis eorumque diverſitate, de opificiis, Academiis &c. prolixa inſtituitur tractatio, aut, quicquid in receſſibus imperii, circa contractus privatorum, conſtitutum eſt v. gr. de ſolvendis uſuris ob moram, ad ius publicum refertur. Hæc confuſio, ex triplici potiſſimum fonte, promanare videtur; Primo quidem ei occaſionem præbuit methodi Tribonianeæ imitatio, ex hac certe eſt, qvod iura, in ſe omni-

nò

nò privata, ſed hominibus privatis & Imperantibus communia, nec non ea, quæ receſſibus imperii. circa negotia privatorum, ſunt conſtituta, ad iuris publici diſciplinam, fuerint relata, Secunda confuſionis cauſa, à defectu iurisprudentiæ privatæ, repetenda eſt; colimus, in Germania, iurisprudentiam peregrinam, eamque, fundamenti loco, ſupponimus, hæc uti ſuis cultoribus ſæpe neceſſitatem imponit, inſtituta Græcanica & Romana, abſurdâ curioſitate, inquirendi, ita propria Germanorum placita,

illa nec tradidit, nec tradere potuit, hinc factum eſt, ut quicquid, ex inſtitutis civilibus germanicis, cognitu neceſſarium eſt, juri publico fuerit affricatum. Atque iſtum conatum promovit tertio vulgare præjudicium, quo, in libris ultimis Pandectarum & Codicis, ius publicum Romanum tradi creditur, nam hinc exiſtimatum videtur, de ſubditorum germanicorum conditione civili, variaque exiſtimatione, in iuris publici diſciplina, iuxta exemplum Romanorum, agendum etiam eſſe. Quod ſi aliqua confuſio oc-

cur-

currat, quæ, ex his cauſis, deduci nequeat, ea, ex generali cauſà, finium ſcil. quibus ius publicum & privatum diſcernitur, ignorantia repetenda erit.

Memoratam igitur ordinis materiarumque confuſionem quomodo evitare liceat, præſenti Specimine, oſtendere ſum conatus, hinc, ea methodo, iuris publici placita retuli, quam obiecti ſeries poſtulare eſt viſa; Nimirum, poſt expoſitam diſciplinæ naturam, legum publicarum indolem & varietatem tradidi, qua in re aliorum ſcripta etiam ferè

con-

conſentiunt, deinde argumentum illarum legum, obiecto ſuo applicavi & quidem primo, imperium Romano-germanicum, quoad originem ſuam & fines, expendi, poſtea partes eius integrantes, ſeu Status imperii, retuli, ita quidem, ut præmiſſa tractatione generali, iura eorum, ſecundum obiecta ſua, ritè diſtributa, ſpeciatim & iuſto ordine recenſerentur, quibus expoſitis, Caput imperii, ſeu Cæſarem, cum iuribus ſuis, materiisque connexis, conſideravi, nam, hanc tractationem, illi eſſe poſtponendam ſecus

ac vulgo putant, bonis fortaſſe rationibus, mihi fuit perſvaſum. Abſoluta membrorum & capitis tractatione ſpeciali, illa deinceps recenſui, quæ, ad communem totius Reipublicæ contextum, & operationem, pertinent, his ſubjeci generalia principia, ex quibus, de forma civitatis noſtræ, juriumque, Statibus imperii competentium, indole, judicium politicum formari queat, quibus omnibus tandem per modum appendicis, ex prudentiæ preſſe dictæ placitis, acceſſit diſquiſitio, de ratione ſtatus germa-

manici, ſeu de eo, quod utile ſit Germaniæ. Specialiorem partitionem ejusque rationem hic adducere, ſupervacuum fuerit, cum, ex ipſo tractatu, illa ſatis apparere queant. Præcavendæ autem materiarum confuſioni, non tantum generaliter oſtendi, ex quo fundamento, diſcrimen omne juris publici & privati ſit repetendum, ſed & id, in elaboratione, ſemper obſervare ſtudui, dum materias huc non pertinentes, ad diſciplinam propriam, ablegavi, &, quomodo alii hinc impingere videantur, admonui, imo, quo

ſub-

ſubtiliori quorundam confuſioni occurrerem, conditionem Statuum imperii privatam, peculiari capite, exponere, atque ita, in quantum illorum conſideratio, ad hanc vel illam Jurisprudentiæ partem, ſpectet, diſtincte demonſtrare ſum conatus. An aliquid, vel circa methodum, vel fines debitè conſtituendos, præſtiterim, cordatus lector arbitrabitur, illorum verò ſententiam non moror, qui omnem, quæ bono ordini impenditur, curam, fortaſſis inanem ſunt exiſtimaturi, quaſi ſufficiat, res ipſas cognoviſſe, nihil au-

tem

tem interſit, quo ordine, aut in qua diſciplina, illas cognoſcas. Eſt hæc obiectio omnium confuſe doctorum, cui certe nihil tribuendum, nam qui rem, ſine ordine, concipit, is eam non recte concipit, cum utique habitudo illa, qua res rei connectitur, ſit ejus pars; Si quis caput hominis, velut partem pedibus cohærentem, conciperet, ejus conceptus, minimum aliquo reſpectu, à vero aberraret, imo totum objectum præpoſtere exhiberet. Finge hominem, omnibus iis, quæ ad ornatum & elegantiam, opi-

nio

nio humana pertinere exiſtimat, exquiſitè inſtructum, ſed ordinata eorum applicatione deſtitutum; quæ caput ornare debebant, circa pedes volitant, calcei in capite ſuperbiunt, tibialia humeros amiciunt, & quicquid thoraci deſtinatum erat, partem corporis inferiorem circumdat, nemo certe vel veſtimenta, in illo ſtatu ſpectata, elegantia dixerit, vel hominem ipſum eleganter veſtitum exiſtimaverit; Eadem eſt ratio rerum, confuſè conceptarum, nam confuſio non tantum, veram ſingularum

rerum, naturam, abſcondit, ſed & totum conceptuum contextum, reddit ineptum, ut ſatis certum videatur, errorem in ordine, non ſimplicem eſſe, ſed ipſas etiam res afficere. Porro cum diſciplinarum invaluerit diſtinctio, utique opera danda eſt, quo res propriæ ſingulis attribuantur, ut etiam hinc admiſſa confuſio, turbidos, aut, aliqua in parte, deficientes, rerum conceptus arguat, imò cum ii, qvi in jus publicum commentantur, non qvamvis diſciplinam, ſed aliqvam ſaltem Juris prudentiæ partem, ſe

eſſe

eſſe tradituros profiteantur, hinc vel juxta legem, quam ſibi ipſis dixerunt, extra oleas vagari non debent.

Sed, de principali Scriptionis noſtræ ſcopo, plus ſatis, in eo autem illius curam non ſubſtitiſſe, ſed, ad rem ipſam, ſe etiam extendiſſe, titulus, libello præpoſitus, indicat, dum jus publicum, à variis Scriptorum præjudiciis, reſtitutum loquitur. Ut aperte agam, cum primum commentationum harum, in publicum emittendarum, conſilium cepiſſem, hoc iis deſtinaveram elogium: Specimen juris

publici Romano-germanici, methodo propria, intra ſuos limites, exculti, verum cauſabatur Bibliopola, ſibi videri titulum illum, nimis brevem, ſimplicem & probum; hodie elogia librorum, ad jactantiam, debere eſſe compoſita, ſiquidem emtores reperire debeant, ſæpe, apud emturientes, plus præſtare titulum quam ipſum tractatum, addebat igitur, ſe mihi autorem eſſe, ut nomenclationem emendarem, eamque, in formam ſplendidiorem, transferrem. Licet autem, à vana jactantia, plane abſim, certè abeſſe cupiam,

manibus verò promiſſis, lectores decipere, injuſtum ac nefas exiſtimem, opinioni tamen illi penitus refragari nolui, cum, citra præjudicium veritatis, me ei qvodammodo accedere poſſe, fuerim perſvaſus, factum igitur hinc eſt, ut, pleniori ſenſu, libelli titulus, & de ordine, & re ipſa, aliquid polliceatur, & reperiet fortasſis quædam æquus lector, quæ, ſi tituli menſuram non implere, ſaltem ejus invidiam minuere queant. Si fas eſt, ſpeciminis loco, quædam adducere, arbitror me doctrinam, de legum ger-

manicarum fundamentalium indole, â præiudiciis quorundam liberaſſe, præterea ineptam multorum, de magna iuris Románi, in quæſtionibus iuris publici, autoritate, perſuaſionem, ex certis principiis confutare ſum conatus, diſplicuit quidem cordatioribus quibusdam vana illa perſvaſio, ſed, quod ſciam, nemo illam, ex profeſſo & adæquatè, hactenus refellere ſuſtinuit. Communem quoque Philoſophiam, qua ex requiſitis civis Ariſtocratici, vel Democratici, eſſentiam Statuum imperii æſtimant, reieci,

ci, & quod, in hac rite explicanda, nobiſcum velut habitare, nec, ex inſtitutis græcanicis, ab Ariſtotele conſignatis, eius requiſita repetere debeamus, oſtendi. In eo plerique Scriptores Juris publici conſentiunt, quod matricula imperii, pro qualitate Status faciat præſumtionem ſed, in matriculis, ab iſta qvalitate, plane præſcindi, pluribus oſtendere ſum conatus. Circa Superioritatem Territorialem, forte non unum Scriptorum præiudicium detexi, ſive illa in ſe ſpectetur, ſive, cum iure ſuffragii, ſeu Comitiorum

comparetur. Imprimis autem doctrina, de forma imperii noſtri, præjudiciorum ferax mihi viſa eſt, quæ quidem evitare omnibus modis conatus ſum. An autem vel in his, vel aliis, conatui eventus reſponderit, & annon potius, dum, aliorum præjudicia me notaſſe, exiſtimavi, majoris præjudicii reum me fecerim, id æqvus lector dijudicet, cujus arbitrio iſta omnia ſubjiciuntur. Non deprecor rigidam cenſuram, dummodo pro veritate ſuſcipiatur, & Cenſor meminerit, Specimem ſaltem hic exhiberi, cui non

tantum vitia quædam condonari ſolent, ſed & quod nævos aliquot, ſuo velut jure, ſibi depoſtulat. Id valde *rogo*, nequis immodeſtum & inverecundum dicat, quod, à Viris magni nominis, diſſenſerim, aut eos, ſine debito titulorum apparatu, citaverim, nam, ex hypotheſi Scriptionis, extra partium ſtudia poſitæ, ac ſoli veritati intentæ, diſſenſus evitari nec potuit, nec debuit: Scriptores verò, eruditionis fama, aut munerum mplitudine, illuſtres, ſine rolixo honoris præfamine, llegare, inverecundum

non eſt, nam uti recenſio titulorum, explorandæ modeſtiæ, unicum aut infallibile medium non eſt, ita honorificentior compellatio eſſe non videtur, quam quæ nudo nomine fit. Vale & conatibus noſtris fave. Dab. Lipſ. menſ. April. 1698.

INDEX
LIBRORUM ET CAPITUM.

Liber I.

Cap. I. De Jurisprudentia Publica Romano-germanica, ac Scriptoribus eo pertinentibus.
De Origine Imperii Romano-germanici.
De Habitu antiquo Reipublicæ Germanicæ, ejusque mutatione in genere.
De Origine Statuum imperii Secularium.
De Origine Statuum imperii Eccleſiaſticorum.
De Papatu Italiæ.
De Papatu Univerſali.

8. De

8. De Jure Finium.
9. De Imperii Romano-germanici Denominatione.

Liber II.

Cap. 1. De indole legum fundamentalium Germanicarum in genere.
2. De Receſſibus imperii.
3. De Aurea Bulla.
4. De Pace profana.
5. De Pace religioſa.
6. De pace Weſtphalica.
7. De Capitulatione Cæſarea.
8. De Obſervantia Imperiali.
9. De Legum privatarum, Germanicarum & Extranearum, in Diſciplina Juris publici, autoritate & uſu.

Liber III.

Cap. 1. De Statibus Imperii.
2. De Statuum Imperii varietate.

3. De

3. De Matriculis Imperii.
4. De Superioritate Territoriali in genere.
5. De Partibus Superioritatis territorialis immanentis Secularis.
6. De Jure Sacrorum.
7. De Publico Statuum Imperii Dominio.
8. De Partibus Superioritatis Territorialis tranſeuntis.
9. De Affectionibus Superioritatis territorialis.

LIBER IV.

De cæteris Statuum Juribus tranſeuntibus.
De Juribus Statuum, intuitu totius Imperii.
De Modis acquirendi Superioritatem territorialem & jura connexa.

4. De

4. De Succeſſione in immediata Germaniæ Territoria.
5. De Obligatione Succeſſoris illuſtris.
6. De Tutelâ illuſtri.
7. De Inveſtitura Feudorum imperialium.
8. De Modis amittendi & extinguendi Superioritatem Territorialem.
9. De Conditione Statuum imperii privata.
10. De Subditis Statuum imperii.
11. De Statuum imperii Legationibus & Bellis.

Liber V.

1. De imperatore, Ejusque Conſtitutione.
2. De Imperatoris Coronatione.
3. De Majeſtate Imperatoris, ſive Jure, ratione totius imperii.

4. De Affectionibus Maieſtatis Imperatoriæ.
. De Obligatione Imperatoris.
. De Modis, quibus Imperator eſſe deſinat.
. De Auguſta.
De Rege Romanorum.
De Vicariis Imperatoribus.

LIBER VI.

ap. 1. De Jure totius Imperii.
De Unione totius Reipublicæ Germanicæ.
De Circulis Imperii.
De Comitiis Imperii.
De Conventibus Imperii repræſentatitiis.
De Conventibus Circularibus.
De Conventibus Statuum Imperii.
De Executione Decretorum Comitialium.

LI-

Liber VII.

Cap. 1. De Judiciis Germaniæ.
2. De Judicio Rothvvilenſi.
3. De Auſtregis.
4. De Judicio Camerali.
5. De Judicio Aulico.
6. De Actionibus, in Judiciis Germaniæ inſtituendis, earumque Proceſſu.
7. De principiis, ad Jura Statuum Imperii, Habitum Territoriorum, ac totius Reipublicæ Formam, dijudicanda, neceſſariis.
8. De Jurium, Statibus Imperii competentium, ut & Territoriorum Germanicorum Habitu Civili.
9. De Forma Imperii Romano-germanici.
10. De Ratione Status Germanici.

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

De Jurisprudentia Publica Romano-Germanica ac Scriptoribus eò pertinentibus.

SUMMARIA.

ŋgreſſus §. I. *Jurisprudentia eſt Univerſalis & Particularis* §. 2. *Ad hanc pertinet etiam Germanica, quæ privata & publica.* §. 3. *Hujus neceſſitas.* §. 4. 5. *Triplex ſuppoſitio.* §. 6. *Eſt legum publicarum cognitio* §. 7. *Ejus forma* §. 8. *Diverſus ſtatus.* §. 9. *Subjectum.* §. 10. 11. *Objectum.* §. 12. 13. *Principium.* §. 14. *Requiſita.* §. 15. *Acquiſitio* §. 16. *Impedimenta.* §. 17. *Finis triplex.* §. 18. 19. 20. 21. *Jurisprudentia eſt etiam habitus mentis.* §. 22. *Ejus ſubjectum.* §. 23. *Et reliqua capita.* §. 24. 25. *Denique eſt etiam complexus legum publicarum.* §. 26. *Hujus variæ denominationes.* §. 27. 28. *Objectum.* §. 29. *Finis proximus.* §. 30. *Syſtematicæ & mentalis Jurisprudentiæ comparatio quoad originem.* §. 31. 32. *Utriusque arcta connexio.* §. 33. *In Academiis recte*

 illa

Digitized by Google

illa docetur. §. 34. Munus docendi ad JCtos præcipue pertinet. §. 35. Inexculta aliquamdiu jacuit. §. 36. Nec hodie ſatis eſt exculta. §. 37. In formam artis redigi poteſt. §. 38. Quousque libertas Scriptorum ſe extendat. §. 39. 40. Jurisprudentiæ publicæ certitudo. §. 41. Ejus à Privata diſtinctio ex objecto dependet. §. 42. Leges publicæ quænam. §. 43. 44. In Imperantibus duplex occurrit conditio, publica & privata. §. 45. Utriusque explicatio. §. 46. 47. 48. 49. Ad Jus Publicum pertinent Subditi conſtituendi & Imperantes, quâ tales §. 50. 51. Ad Privatum, Subditi conſtituti & Imperantes, quà privati. §. 52. Quod ſpecialius declaratur. §. 53. 54. 55. 56. Multum ergo intereſt inter leges publicas, & privatas Imperantibus applicatas. §. 57. Temperamentum quoad hactenus dicta. §. 58. Autoritas legum privatarum quoad Imperantes. §. 59. 60. 61. Quæ per exempla declaratur. §. 62. 63. 64. Jurisprudentiæ methodus. §. 65. Ex objecto oritur. §. 66. Quod ſpecialius oſtenditur. §. 67. 68. Jurisprudentia publica eſt etiam feudalis & Eccleſiaſtica. §. 69. Quo ultimo reſpectu à Theologiâ diſcernenda. §. 70. Jurisprudentiæ publicæ defectus. 71. 72. 73. Utilitas. §. 74. Diſciplinæ cognatæ. §. 75. Adminiculantes. §. 76. 77. Docendæ Jurisprudentiæ nullum tempus præſtitutum. §. 78. 79. Tribus gradibus præcipue pervenitur ad cognitionem Juris publici. §. 80. De Scriptoribus quinam egerint. §. 81. Scriptorum varietas. §. 82. Notitia. §. 83. Hæc unde acquirenda. §. 84. 85. In Scriptore ſpectanda methodus. §. 86. Materia. §. 87. Decidendi. §. 88. 89. Et proponendi modus. §. 90. Scriptores recentiores præſtant antiquioribus.

§. 91.

§. 91. 92. Proteſtantes Pontificus. §. 93. Judicium generale quoad Scriptores Syſtematicos & ſingulares, §. 94. 95. 96. 97.

§. 1.

ANtequam Reipublicæ Germanicæ originem variasque mutationes percenſeamus, ac, in prolixiori Statûs præſentis explicatione, tandem ſubſiſtamus, per modum Prolegomenorum, cum mos & ratio id præcipiant, quædam de indole Diſciplinæ, Scriptoribusque eò pertinentibus, præmittenda ſunt.

§. 2. Eſſe juris ſeu legum Prudentiam in genere, vel *Univerſalem* vel *Particularem*, hancque totuplicem, quot numero ſui juris Respublicæ occurrunt, id aliàs latius docetur & jam ſupponitur. Utramque expoſui in PROLEGOM. OBSERV. *ad Puſendorf. de offic. hom. & Civ.* nam ad diſciplinam generalem iſtius rei explicatio pertinet.

§. 3. Inter ſpecies igitur, Jurisprudentiæ Particularis, eſt quoque *Jurisprudentia Germanica*, quæ ab *Objecto* in *Privatam & Publicam* diſtinguitur, diſtinctione in Germaniâ inprimis valde neceſſariâ.

§. 4. Cum enim Reipublicæ Germa-

nicæ ſtatus, ob varias, quæ ei acciderunt, mutationes, ſit valde involutus, ideo jura eò ſpectantia, ſeparatà Diſciplinâ perſequi par eſt, cum in aliis civitatibus, in quibus ſimplicior certiorque forma occurrit, jura publica, ex generalibus principiis politicis, ferè intelligere liceat.

§. 5. Hinc etiam in aliis Rebuspublicis, Jus Publicum vel omninò negligitur, vel ſaltem minori, quam in Germaniâ, curâ excolitur, imo Exteri, dum rationem Germaniæ propriam, vel ignorant vel non attendunt, Germanorum conatus, excolendis legibus publicis dicatos, mirari ſolent *vid.* HUBER. *Auſpic. Domeſt. Orat. 3. p. 131. conf.* THOMAS. *Program. Lipſ. 1688. publicat. ac in Volum. Scriptorum Germanicorum n. II. exhibitum.*

§. 6. Sicut autem omnis, ita in ſpecie etiam jurisprudentia publica Germanica, tripliciter ſupponi poteſt (1) pro *legum publicarum, in Germania valentium, notitia,* (2) pro *habitu eas intelligendi,* (3) pro *legum illarum, aut etiam doctrinæ inde concinnatæ complexu ſeu Syſtemate,* nam ſine diſtincta triplici hac ſuppoſitione, indoles præſentis etiam diſciplinæ, ſolidè intelligi nequit.

§. 7. Primo ſenſu, eſt *legum publicarum cognitio, habilibus mediis eo fine acquiſita, quo eâ uti, ac hac ratione virtutis ſtudium, & felicita-*

tatem Reipublicæ temporalem promovere amus, nam ex legitimo ſcopo, non abuſu, alicujus indoles æſtimanda. Hoc ſenſu, s Jurisprudentiam ſolidè vel leviter edo- s dicitur, ac huic, *Notitiæ*, *Scientiæ* vel *Ar- itulus*, optimè convenit.

ſ. 8. Dicitur *Cognitio*, quo nomine adeò, cquid ſcitu eſt neceſſarium, comprehen- ur, hinc primo huc pertinet notitia, qua *ionum humanarum*, *legum*, *rerum morali-*, ſeu *juris* & *obligationis*, *juſtitiæ* & *inju- iæ*, aut generalius, *virtutis* & *vitii*, nec non *erpretationis* & *applicationis naturam* intel- imus, deinde, quæ ad *ſenſum legum rerum- e connexarum*, ut & *actionum humanarum ralitatem* ſpectat, quæque nomine, *peritiæ erpretandi* & *applicandi leges*, vulgo venit. ior cognitio eſt velut *præliminaris*, po- rior verò *principalis*, non recte tamen c ſola, quod vulgò fit, totius Jurispru- ntiæ, vel publicæ, vel alius cujusque, am- um metimur.

§. 9. Spectatur autem illa cognitio vel *poſſeſſione*, vel in *uſu*, hæc illius *finis* & *effe- s* eſt, nam ideò etiam leges publicas ger- anicas cognoſcimus, quo illa cognitione, ſcholis, vita civili & foro, quoad regen- s dijudicandasque actiones, tum proprias n alienas, utamur.

§. 10.

§. 10. Inhæret illa cognitio *menti humanæ* & conſequenter *hominibus*, & omnes quidem, tam Imperantes quam ſubditi, illam ſibi acquirere debebant hactenus, ut officium ſuum rite juxta leges publicas implere poſſent. Sed in plerisque maxima eſt ignorantia, cujus rei cauſa, ab involuto Germaniæ ſtatu, ab hinc orta rei cognoſcendæ difficultate, nec non à nimis delicato vitæ genere, quod multi ſectantur, dependet.

§. 11. Qui autem profeſſo ſtudio legum publicarum notitiam ſibi comparant, illi *Juriſperiti, Conſulti* aut *Prudentes* dici ſolent. De cætero tituli illi diverſum cognitionis gradum arguunt, interim ille promiſcue uſurpari ſolet, cui maxima dignatio ineſſe cenſetur, imo non infrequens eſt, ut Empirici in Leguleji (quales utique etiam in jure publico occurrunt) JCti titulo ſuperbiant.

§. 12. Cognitionis hujus ſeu jurisprudentiæ *Objectum*, ſunt *leges publicæ germanicæ & omnia illa, ad quæ leges reſpiciunt.* In univerſum autem leges publicæ etiam videntur, quoad *originem*, eſſe vel *divinæ* vel *humanæ*, quoad *conſtitutionem*, vel *extraneæ*, quæ alibi natæ, in Germaniam ſunt receptæ, quo pertinet ſuo modo *Jus Canonicum*, *Romanum* & *feudale Longobardicum*, vel *domeſticæ*, quæ ab ipſis Germanis ſunt conditæ, quæ iterum vel

expreſſæ

Digitized by Google

preſſæ vel *tacitæ*, vel *antiquiores*, vel *recentes* ſunt, de quibus ſuo loco diſtinctius emus.

§. 13. Sicut autem ſub legibus publicis, *a & obligationes* ac hinc amplius exortæ *ctiones morales* continentur, ita *perſonas umque actiones*, ut & *res*, quarum intuitu datæ leges aliquid diſponunt, huc etiam tinere, manifeſtum eſt: leges & jura obliionesque ſunt, objectum Jurisprudentiæ *male* & *proprium*, perſonæ & res, *materiale commune*.

§. 14. Acquiritur legum publicarum gnitio per *Rationem*, commune illud omnin diſciplinarum humanarum Principium & bjectum, ex *promulgatione latius ſuppoſitas*, m vel leges publicæ expreſsè conditæ pucantur, vel tacito conſenſu factæ innoteınt, vel extraneæ in uſum negotiorum pucorum recipiuntur, aut ex iis omnibus ſcria concinnantur.

§. 15. Quo autem cognitio illa ſolidè quiratur, requiritur (1) *nativa mentis botas*, ſine hac, ut alibi, ita hic etiam omnis oor irritus eſt (2) *ut eadem hiſtoriæ patriæ nitione, ſolidisque Jurisprudentiæ Univerſaprincipiis probe ſit præparata, vid.* BOECLE. *J. L. I. c. 4.* Quod ſi his accedat (3) *ſturum adminiculantium, ac inprimis juris*

 germa-

germanici privati notitia, tum eo ſolidius certiusque legum publicarum cognitio acquiretur.

§. 16. His præſuppoſitis, memorata modo cognitio acquiritur, *diligenti legum publicarum germanicarum tractatione*, quæ *theoria* & *praxi*, ſeu *meditatione latius accepta* & *uſu* abſolvitur. Ad illam pertinet, *lectio*, *inſtitutio*, *doctrina* &, quæ præcedentium eſt complementum, *ſtrictius ſumta meditatio propria*. Hæc vero conſiſtit in *commercio cum Viris pragmaticis & negotiorum publicorum tractatione*, *vid.* Rhet. *J. J. P. l.* 1. *tit.* 1. §. 4. 8.

§. 17. Cognitionem igitur juris publici impediunt (1) naturalis ſtupor (2) ignavia (3) vana doctrina (4) perverſa docendi diſcendique ratio (5) defectus ſolidæ praxeos. Ex quibus ultrò liquet, ſicut alias, ita etiam, in cognitione legum publicarum germanicarum, dari gradus, eosque ſatis notabiles, pro diverſa ſcilicet *præſuppoſitorum*, *ſtudiorum adminiculantium*, *modi acquirendi* ac *impedimentorum* conditione *add.* Rhet. *d. l.*

§. 18. Cognitionis *Finis* eſt triplex (1) *ut illa utamur*, quod fit, dum vel alios leges docemus, vel caſus in vitâ civili occurrentes, juxta illam decidimus, & utrumque quidem vel viva voce, vel in ſcriptis, diverſimode iterum, pro ſcopo Scriptoris, ſeſe habentibus.

§. 19.

Digitized by Google

Nam aliquando ſingularia tra-
dum v. gr. controverſia occurrens
itur, quod plerumque magno cum
re magnaque eruditionis & prudentiæ
e conjunctum, nec ſine lucro eſſe ſo-
quando verò plures leges conjunctim
ntur, aut, conatu operoſiore, totus le-
blicarum apparatus, idque vel brevi-
prolixe, exhibetur, quales operationes
generalitatem objecti longe diffici-
ſunt iis, quibus ſingularia tractantur.
n nec illæ, nec doctrina vivâ voce fa-
rinde ac hæ, ſplendidæ ac lucroſæ ſunt,
rei ratio, ex diverſâ *ſubjecti operantis*
cti tractandi conditione, dependet.

. Ex his liquet, quod legum publi-
interpretatio & *applicatio*, recte pro *fi-*
effectu aut *operatione* Jurisprudentiæ
tur, nec tamen illa omnem hujus uſum
riunt *vid.* §. 8. 9. Cum porro cognitio-
legum publicarum ideò acquiramus,
muneri publico præeſſe, vel in genere vi-
honeſto modo tranſire liceat, hinc hæc
pro *fine*, cognitioni illi *implicito*, non
n jurisprudentiæ publicæ *proprio*, ſed
s potius arti nobiliori, *communi*, haberi
nt.

. Poſtea laudatæ cognitionis ſcopus
ut (2) *eidem actiones ſuas attemperent*

illi, quibus leges publicæ datæ ſunt, quo ita virtus vigeat, ac hac ratione (3) *Reipublicæ germanicæ tranquillitas ac felicitas promoveatur.* Intendit autem Juriſprudentia etiam publica, *externum* virtutis exercitium, *præcipiendo*, ac *vim minando*, in quantum ſcilicet perſonarum, circa quas diſciplina hæc verſatur, conditio eam admittit, ſed *internum & ſublimius*, non quidem negligit, aſt *ſuadendo* ſaltem eò connititur, cum vis in genere, producendæ veræ virtuti, ſit inidonea. Bene actum eſſet cum Republica, ſi externa ſolum officia obſervarentur.

§. 22. Juriſprudentia publica, habitualiter accepta *vid.* §. 6. eſt *Habitus mentis, leges publicas germanicas, resque iis connexas recte intelligendi, ad obtinendos fines modo indicatos*, hoc ſenſu titulus *Prudentiæ*, *Aptitudinis* vel etiam *Artis* ei optimè convenit. Mens humana leges publicas nativâ quidem vi intelligit, ſed habitus ei ſuperinductus efficit, ut illa eò promtius & certius eas intelligere poſſit. Atque de hoc habitu vulgò fere tantum loqvuntur, quando Juriſprudentiæ indolem exponunt, quod inſufficientem hujus rei cognitionem arguit.

§. 23. Diximus autem, *habitum mentis* non intellectus, nam facultates animi accuratè ſeparari non poſſunt, hinc intellectui & volun-

ntati, ut vulgò ſupponuntur, peculiares :us tribui nequeunt, ſed hi potius ad to- mentem referri debent. Quodſi tamen pertinaciter vulgari ſtilo inhærere velit, eo quidem in certamen haut deſcendam OBSERV. *ad Puſendorf. de Offic. hom.* & OBSERV. *13. 28. 30.* Non addidi; *habi-)ractıcus*, eſt enim prædicatum otioſum ıſpectas Peripateticorum olet hypothe- nemini tamen litem de ſolo termino vebo.

. 24. Inhæret habitus hic *menti*, hinc ım huc pertinent, quæ §. *10. 11.* diximus; ſatur quoque circa *objectum*, quod §. 12. 13. ulimus: Eodem porrò *principio demon- ındi*, quod §. 14. relatum eſt, nititur: Am- us illis mediis, quæ §. *15. 16. 17.* commemo- /imus, acquiritur: *Finem* denique §. *18. q.* indicatum, intendit: hæc enim omnia ɔgnitioni & Habitui ſunt communia.

§. 25. Id præterea obſervandum, quod ıbitus cum Notitia legum ſimul acquiratur, mel autem acquiſitus, cognitionem amiſ- m vel obliteratam reſtituat, aut acquiſitam ıgeat: nam ſola cognitio debilis eſt, & fa- lè perit, ſed habitus menti ſuperinductus, nacior eſt, mentemque, ad recuperandam ıgendamque notitiam, aptam reddit.

§. 26. Cognitione legum & Habitu ac- quiſito,

quiſito, variè, nos uti poſſe & debere, ex §. 18. 19. 20. 21. 24. patet. In ſpecie igitur vel Legislator, vel homines privati, cognitionem ſuam ſcripto committunt, ex quo oritur Jurisprudentia Publica Germanica, ſyſtematicè accepta *vid.* §. 6. quæ eſt *complexus legum publicarum rerumque connexarum, aut doctrinæ inde compoſitæ, eo fine concinnatus, ut cognitionem neceſſariam inde hauriant ii, qui legibus illis vivunt, atque ita reliqui fines,* §. 18. *ſeqq. indicati, ſequantur.* Hoc ſenſu Jurisprudentiam quis ſcribere dicitur.

§. 27. Eodem etiam reſpectu, nomen *Codicis Legum*, aut *Diſciplinæ* vel *Doctrinæ*, eidem rectiſſimè tribuitur. In genere circa Uſum terminorum obſervandum, quod merito quidem iis ita uti debeamus, ut quamoptimè rem exprimant, ſuperſtitio tamen ſcholaſtica, qua in verba Ariſtotelis aliusve Philoſophi velut juratur, abeſſe debet. Æqualis hic omnibus competit libertas, modo error & inconcinnitas abſit, ac ſtulta adeo eſt ſapientia, quæ circa uſum terminorum technicorum bella movet, quamdiu ille lege, vel communi æqualium conſenſu, non eſt definitus.

§. 28. Aliàs Diſciplina noſtra propriis gaudet elogiis. Plerumque dicitur, *Jurisprudentia Publica* ſeu, prout alii, *vid.* SCHWED.

Digitized by Google

SCHWED. *in Introd. ad Jus Publ. part. gen. c.* 1. §. 1. SCHILTER. *J. J. P. l.* 1. *tit.* 1. COCCEJ. *in rubr. Jur. publ. prud.* ſed ſine gravi cauſa, malunt, *Juris publici Prudentia.* Uſitatiſſimus quoque eſt *Juris publici* titulus, quem anguſtiorem quidem cenſet BOECLER. *N. J. l.* 1. *c.* 1. quam ut diſciplinæ noſtræ ſatis conveniat, ſed ſine rationibus validis: quomodo autem aliàs Scriptores eam denominare ſoleant IDEM. *d. l.* indicat.

§. 29. Conſtat adeò Jurisprudentia publica Syſtematica ex legibus publicis germanicis, aut doctrinâ inde confecta, hinc quæ de earum ſubjecto §. 10. 11. indole §. 12. 13. cognoſcendi principiis §. 14. mediis acquirendi §. 15. 16. 17. & fine §. 18. *ſeqq.* diximus, illa omnia etiam huc applicari poſſunt.

§. 30. In ſpecie tamen, quoad *finem*, adhuc notandum, quod Jurisprudentiæ Syſtematicæ, *finis proximus* ſit, *Jurisprudentia pro cognitione & habitu ſuppoſita*, nam eo fine Syſtemata conficiuntur, ut cognitio legum, habitusque leges rectè intelligendi, acquiratur, hoc autem obtento, reliqui fines, §. 18. *ſeqq.* laudati, ſequi debent.

§. 31. Licet autem *Jurisprudentiæ Syſtematicæ* finis, aliquando ſit *Jurisprudentia* mentalis, adeoque illa hac ſit prior, attamen pro reſpectuum diverſitate, *illa* quoque *hujus*

poteſt

poteſt eſſe finis, adeoque hanc ſequi, nam aliquando ex Notitiâ oritur Scriptum, & Hoc, notitiæ conſervandæ & acquirendæ cauſa, conficitur, hinc unum intendit alterum, & utrumque, diverſo reſpectu, cauſa & effectus eſt, hinc etiam recte dicitur: *Juriſprudentiam ex Juriſprudentia acquiri*, nec non: *Juriſprudentiam circa Juriſprudentiam verſari.*

§. 32. Interim ſicut in genere Juriſprudentia *mentalis*, naturâ ſuâ, prior eſt, *ſyſtematicâ & ſcriptâ*, ita idem in ſpecie dicendum de Publicâ germanicâ, nam prius Germani intellectu tenuerunt quasdam leges publicas, & vel communia Rationis dictamina, ad Rempublicam applicata, antequam ea ſcripto complexi ſint, inprimis cum Scripta in genere, illis olim non valde fuerint uſitata. Poſtea ex intellectu in Scripta, ac ex his iterum in illum, Juriſprudentia publica germanica redacta eſt, qua viciſſitudine, hodienum quoque durante, aliquis Artis habitus, ſed adhuc valde imperfectus, nec facile ad perfectionem deducendus, ei circumpoſitus eſt.

§. 33. Ex his liquet, quod inter tres Juriſprudentiæ publicæ ſignificatus, hactenus expoſitos, arcta ſit connexio, ac perpetuus fere reſpectus & ſubordinatio, inprimis Juriſprudentia pro cognitione, & ſyſtemate, accepta, firmiter cohæret, imò non niſi *ſubjecto* differt,

differt, leges enim menti impreſſæ, *cognitionem* ſeu *eruditionem*, in tabulis perſcriptæ, *ſyſtema* efficiunt. Sicut autem Jurisprudentia Syſtematica, ab Imperante confecta, majoris eſt autoritatis eâ, quæ à Privato homine conficitur, ita deinceps nonnulla commemorabimus, quæ primariò ad hanc poſteriorem pertinent.

§. 34. In Academiis Jurisprudentiam publicam doceri & diſci poſſe, de quo disquiri ſolet, *vid.* LIMN. *Jus publ. l. 1. c. 2.* tamdiu recte dicitur, quamdiu diſſentientes prohibitionem non oſtendunt, cum enim omnibus hominibus, integra ratione gaudentibus, licitum ſit, bonas artes excolere, & Academiæ ſpeciatim ad hoc ſint inſtitutæ, ideo earum libertas duplici hîc munitur præſumtione. Imo non tantum licitum hoc, ſed & neceſſarium ac utile cenſeri debet, cum ſine jactis fundamentis, cognitio juris publici ſolida acquiri nequeat.

§. 35. An verò *Politicis* aut *Philoſophis* vel *JCtis*, facultas & cura docendi jus publicum, competat, diſputari etiam ſolet? Qua in re uti voluntas Imperantis, ſi adſit, ante omnia obſervari debet, ita, eâ ſepoſitâ, optimum fuerit certamen, ſi ſibi invicem Jurisprudentiam publicam illi non eripiant, ſed doctrinæ ſoliditate & candore ſeſe mutuo vincere

Digitized by Google

vincere conentur. Illud etiam certum, JCtos, ſi rationibus agendum ſit, nulla veri ſpecie, hic excludi poſſe, ſed illos potius, ob arctam diſciplinarum legalium connexionem, illi tractandæ eſſe aptiſſimos.

§. 36. Jacuit autem aliquamdiu inexcultum juris publici ſtudium, cujus rei variæ cauſæ reddi ſolent, *vid.* LIMN. *J. P. l. 1. c. 2.* BOECLER. *N. J. l. 1. c. 2.* SCHWED. *Introd. ad jus publ. part. gen. c. 1. §. 8.* quæ omnes in *fatalem quandam barbariem* deſinere videntur. Ejus verò excolendi occaſionem *intolerabilis Pontificum tyrannis* præbuiſſe cenſetur. SCHWED. *d. l.*

§. 37. Neque tamen hodie, in libris impreſſis perfecte illud excultum, temere credas, quosdam enim Scriptores judicium, hic neceſſarium, deſtituit, aliis neceſſaria adminicula, ac inprimis ſolidior principiorum politicorum notitia, deſunt, quorundam doctrinam præjudicia juris Romani, aut partium ſtudia corrumpunt, in multis deeſt uſus & experientia, denique multa, ad ſolidam cognitionem pertinentia, conſultò diſſimulantur, imo, ex publico velut errore, diſſimulari debent.

§. 38. De cætero Jurisprudentia germanica privata, ad *leges extraneas*, velut damnata eſt, adeò, ut juxta hanc ſeriem, illa traden-

tradenda ſit, ex quo inſtituto gravia oriuntur incommoda, de quibus alibi. Sed ab his haſtenus Publica eſt immunis, hinc ſi mentem præjudiciis liberam, rerumque germaniarum cognitione imbutam afferamus, Diſciplina Juris publici, ex ſolidis Jurisprudentiæ divinæ principiis, ita omnino adornari poteſt, ut, à Statu Reipublicæ Germanicæ, non ſane abludat.

§. 39. Tanta autem, in eodem excolendo, Scriptori & Interpreti competit libertas, ut *verum aſſerere & defendere queat*, quæ aſſerto licet modicum quid, ac, extra omne dubium, poſitum, adeoque vix obſervatione dignum, ei tribuere videatur, attamen, ſi conſectaria ſpectes, plus eſt, quam vulgaris credit ſuperſtitio, nam vi ejus, non tantum Viris maximæ autoritatis, ſed & ab ipſis Legiſlatoribus, vel legum publicarum Autoribus diſſentire poteſt, ſcilicet, quoad veritates, quæ ab Horum arbitrio non dependent, ſed ex propriis ſuis principiis reſultant.

§. 40. Calculo igitur rite ſubducto, autoritas Imperantium extra contradictionem ſaltem poſita eſt, quoad veritatem legum publicarum, ab ipſis compoſitarum, ſed earum æquitas, prudentia, applicatio ac conſectaria liberæ diſquiſitioni ſubjacent, adeoque lapſus Imperantium iſto reſpectu annotare, omnino

faſs eſt. Multo magis libertas illa, circa explicationem juris divini, aut veritates phyſicas, hiſtoricas ſimilesve occurrit, quæ nunc prolixe deducere non vacat.

§. 41. Jurisprudentiæ *Certitudinem* non plane abjudicari poſſe, alias oſtenditur, ſed quid de *Publica* dicendum? Quia Structura Civitatis, à voluntate hominum, dependet, exacta ſatis certitudo, minimum quoad ſtatum præſentem, adeſſe poterat, ſed cum veteres Germani, in origine Reipublicæ, variisque, quæ ei acciderunt, mutationibus conſignandis, valde fuerint incurioſi, hodie autem ea, quæ definitu ſunt neceſſaria, non ſatis determinata ſint, hinc ſæpe, ſed non penitus, illa deficit.

§. 42. Licet Jurisprudentiæ Publicæ Objectum, ceu §. 12. 29. diximus, ſint *leges publicæ*, attamen quæ tales proprie ſint, & *quibus* adeo *limitibus*, Studium Juris Publici & Privati diſcernatur, non adeo liquidum eſt, certe ſcriptores, qui allatum diſcrimen agnoſcunt, imo ſe id obſervaturos fatentur, re ipſa limites illos valde turbant. Evitandæ igitur confuſioni, operæ pretium erit, ſollicitius paululum fundamenta hujus rei inveſtigare, ac utriusque ſtudii fines oſtendere.

§. 43. Vulgo leges publicas & privatas à *fine* diſcernunt, adeo ut illæ ſint, quæ *princi-*

pali-

paliter ad utilitatem Reipublicæ, hæ, *quæ princi-paliter ad privatorum utilitatem pertineant,* ſeu paſſim Juris Romani interpretes incul-care ſolent. Verum illud diſcrimen nimis generale & lubricum eſt, ac ex parte etiam deficit, quare eodem non multum profece-ris, potius igitur à *Subjecto & Objecto* illud repeti debet.

§. 44. Nimirum leges publicæ reſpiciunt Reipublicæ Structuram, quæ ſummatim im-perio & ſubjectione abſolvitur. Sunt igitur leges publicæ, *quæ ſubditos conſtituendos, & Imperantes tam conſtituendos, quam conſti-tutos, ſed qua tales, reſpiciunt,* privatæ vero, *quæ ſubditos conſtitutos, ut & Imperantes, juxta conditionem privatam, quam ſcil. cum hominibus privatis habent communem, ſpecta-tos, concernunt,* ex quo vulgarium definitio-num inſufficientia ſimul intelligitur.

§. 45. Quo igitur illa magis intelligan-tur, obſervandum eſt, quod in Imperanti-bus, ac ſpeciatim Principibus imperii germa-nici, duplex velut perſona occurrat, *publica & privata,* quam diſtinxiſſe & recte explica-viſſe, tam ad limites Juris publici & privati rite conſtituendos, quam ad uſum legum pri-vatarum, quoad Imperantes, dijudicandum, utile eſt, idque eo magis, quo minus vulgo iſta tradi ſolent.

§. 46. Perſona *publica* ſeu *Principis*, ex reſpectu ad Rempublicam, æſtimanda eſt, hinc ſi Imperans ſpectetur, quatenus imperium conſequitur, in Territorio ſuo imperat, cum reliquis imperii Statibus deliberat ac decernit, Reipublicæ munera gerit, cum Exteris, civitatis ſuæ nomine, agit, Territorio ſuo, aliis Statibus ac toti Reipublicæ germanicæ connectitur, eatenus, perſonam publicam occurrere, dicendum eſt.

§. 47. Perſona vero *privata* ſive *hominis privati*, ex actionibus, quas Princeps, cum aliis ſortis privatæ hominibus, habet communes, judicari debet, quodſi adeo ille, ut maritus, pater, teſtator, tutor, dominus, contrahens, præſcribens aut præſcriptionem patiens, hæres, delinquens ac in judicio litigans, conſideretur, tum perſonam privatam agnoſcere par eſt.

§. 48. Quo loco duo inſuper notanda ſunt (1) quod ex reſpectibus modo memoratis nonnulli, aliquando etiam ad perſonam publicam pertineant, adeoque velut mixti ſint, nam ſi legibus fundamentalibus cautum ſit, ne v. gr. Princeps uxorem nobilem vel plebejam ducat, tum maritus Princeps, etiam hactenus perſonam publicam repræſentabit. Idem eſt, ſi teſtamenta, tutelæ, contractus, præſcriptiones ac ſucceſſiones,

ipſum

ſum Territorium ejusque jura reſpiciant. enique certum eſt, quod etiam Principes, ua talis, delinquere poſſit, adeoque delicta privatam perſonam unice referri non debeant.

§. 49. Præterea (2.) notandum, quod incipes, ſecundum conditionem privatam, l ſimpliciter poſſint conſiderari ut *privati*, l etiam inſuper ut *ſubditi*, neque enim hæc o coincidunt, cum privatus, ſine ſubjectinis vinculo, non tantum concipi ſed & exiere poſſit. De cætero prior reſpectus relariter in Statibus imperii occurrit, ſi taen, ut *judiciis ſubjecti* ac adeo ut *litigantes & uniendi*, ſpectentur, tum eos & privatos & bditos dicere licebit.

§. 50. Ex his adeo & diſcrimen legum blicarum ac privatarum recte intelligi, & riusque Diſciplinæ limites conſtitui potent. Nimirum ad leges publicas earume Diſciplinam pertinent *Subditi conſtituen*, adeoque ſubjectionis origo & confiratio in jure publico exponi debet. Poreo etiam referendi *Imperantes conſtituen*ut & *conſtituti*, ſed *qua tales*, nec intere, ſive ad *civitatem propriam*, ſive *exteros* ferantur.

§. 51. In juris publici Diſciplina igitur plicanda ſunt jura Statuum, quæ vel intuitu

Territorii ſui, vel totius Germaniæ, vel Conſtatuum aut Exterorum, ipſis competunt, in ſpecie quoque nexus, quo Reipublicæ obſtringuntur, ac adeo etiam, an & in quantum Judiciis Germaniæ communibus illi ſubſint, exponi debet, hinc de ſucceſſionibus, matrimoniis, teſtamentis, tutelis, contractibus, præſcriptionibus & delictis in Jure publico agitur, quatenus illa publicas rationes attingunt, ſecundum notata §. 46. 48.

§. 52. Ad legum privatarum autem Diſciplinam ſpectant *Subditi conſtituti*, quam ſplendidæ etiam ſint conditionis, ut & *Imperantes* juxta *reſpectum privatum, de quo* §. *47. 49 conſiderati*, quicquid in contrarium moliatur vulgaris confuſio, cui, quoad ſubditos, nonnullorum ſplendor, Imperantes vero, duplicis conditionis neglectus imponit.

§. 53. Quicquid igitur Status imperii qua tales non attinet, neque nexum ſingulorum Territoriorum, vel totius Imperii, aut quorundam Statuum inter ſe, vel cum exteris, reſpicit, illud omne ad Juris privati Diſciplinam pertinet. Ergo ſtatuum matrimonia cum connexis, nec non adoptiones, & emancipationes eo referri debent, in his enim ut mariti & patres, non ut Imperantes, ſpectantur.

§. 54. Teſtamenta quoque & tutelæ, res priva-

vatas concernentes, ad eandem Diſcipli-
n remittuntur, nam & illi actus â patribus
dominis, non Imperantibus, ſuſcipiuntur.
inceps cum bonis patrimonialibus ſpecta-
s eo etiam pertinet, imo ipſe fiſcus, ad ſub-
torum contractus ſimilesve actus, relatus,
ablegandus.

§. 55. Porro præſcriptio, quæ ad Status
nperii active aut paſſive ſpectat, & vel res
atrimoniales vel fiſcales reſpicit, ad Ius pri-
vatum referenda eſt, nam omnibus iſtis re-
ſpectibus, quæſtiones dominii ſimilesve, non
imperii vertuntur. Delicta quoque Princi-
pum regulariter ſunt conſiderationis priva-
tæ. De cætero hactenus dicta generalem
habere limitationem, ac negotia memorata,
mutato reſpectu, ad Ius Publicum ſpectare,
ex §. 51. liquet.

§. 56. Id quidem in Iuris Publici Diſci-
plina exponendum, an & in quantum ſtatus
imperii, Judiciis communibus ſubſint, ceu
d. §. 51. jam indicatum, ſed ſi, ut litigantes, in
judiciis ſemel conſtitutis, ſpectentur, hoc
utique cum privatis habent commune, adeo-
que actiones, proceſſus & pœnæ, in jure pri-
vato exponenda, ad illos etiam applicantur.

§. 57. Juxta hæc igitur multum intereſt,
inter *jus publicum*, ac *privatum*, *ſtatibus impe-
rii applicatum*, quamvis hoc diſcrimen vulgò

 negli-

negligant, ac diverſa illa jura confundant, à quo etiam non eſt alienus SCHILTER *J. J. P. l. 1. tit. 2. §. 15.* dum, ob neglectum methodi Tribonianeæ, minus plene Jus publicum à Scriptoribus tradi, ac de nuptiis, patria poteſtate ſimilibusque capitibus, in eodem, ab Illis non agi, cenſet. Verum cum IPSE *d. tr. l. 4. tit. 5. §. 5.* proceſſum Cameralem, à Nonnemine minus recte ad Jus publicum referri arbitretur, hinc, vel hoc ſolo argumento, cætera juris privati capita expungi poſſunt.

§. 58. His igitur, aut nullis limitibus, Juris Publici & privati ſtudia diſtingvi exiſtimem. Interim non magnus error fuerit, ſi materias velut confines ſubinde paululum transponas, aut caput aliquod, alteri Diſciplinæ proprium, in alterâ delibes, ſolennis ſaltem ac enormis confuſio, ex ſolidæ cognitionis inſtituto, vitanda eſt.

§. 59. Uti autem, ex duplici illa Imperantium conditione, limites utriusque juris Diſciplinæ rectè conſtitui poſſunt, ita ex eodem fonte juris privati, quoad Principes, autoritas, etiam derivari debet. Nam Imperans, ut talis, legibus privatis humanis ſuperior eſt, idque ideo, quod imperio & libertate civili gaudeat, hinc non tantum leges extraneas, ſed & Receſſus imperii privatos in ſuo Territorio abrogare poteſt, modo ſpeciali

pacto,

pacto, expreſſo vel tacito, facultas illa non ſit reſtricta, circa quod non una omnium ſententia eſſe ſolet, *vid.* RHET. *Comm. Jur. feud. proœm. p.* 13. *n.* 53. CONRING. *de O. J. G. c.* 33. *p.* 219. ITTER *de feud. imper. c.* 10. §. 9. RHET. *J. J. P. l.* 2. *tit.* 3 §. 2. 3. SCHWED. *introd. ad jus publ. part. ſpec. ſect.* 2. *c.* 13. §. 2. VITRIAR. *J. J. P. l.* 3. *tit.* 17. §. 5. 6.

§. 60. Porro etiam inde ſequitur, quod Imperans, quà talis, in actibus ſuis, leges privatas obſervare non debeat, ſeu quod legum harum, in Juris publici Diſciplinâ, nullus ſit uſus, niſi forte una aut altera legibus fundamentalibus, aut ultronea approbatione confirmata ſit, qua de re, inprimis quoad jus extraneum, Romanum puta Canonicum & Longobardicum, amplius ſuo loco agemus.

§ 61. Idem ſuo modo obtinet, ſi Princeps ſimpliciter ut privatus ſpectetur, licet enim hoc ſenſu, ad juris privati Diſciplinam pertineat, attamen cum *imperandi conditio*, in eo occurrat, ac, quoad actus privatos, præſupponatur, ideo regulariter, ejus actus ac inde venientia jura, legibus ſaltem divinis dirigi, legum verò humanarum nullam eſſe autoritatem, niſi ultro eas ſequatur Princeps, aut jus naturæ, ad obſervantiam legis alicujus humanæ, v. gr. quæ præſcriptionem format, eum obliget, dicendum eſt.

§. 62. Ut exemplis nonnullis, tam ad publicam quam privatam Conditionem quadrantibus, dicta illuſtremus, in matrimoniis Principum, legum humanarum nullam eſſe autoritatem, vulgò etiam conceditur. Idem dicendum de teſtamentis, in quibus ſcrupuloſas juris civilis ſolennitates haut eſſe obſervandas, recte dicitur, utut alii aliter ſentiant *v.* ITTER *de feud. imper. c.* 16. §. 8. *add.* VITRIAR. *J. J. P. l.* 3. *tit.* 20. §. 5. *ſeqq.*

§. 63. Delicta etiam Imperantium, ex ſolis legibus divinis & fundamentalibus germanicis æſtimanda eſſe putamus, hinc ſi quis, qui melius jus habet, alium de poſſeſſione dejecerit, dejectum, ad recuperandam poſſeſſionem non poſſe uti Remedio ex *Can.* Reintegranda 3 *qv.* 1. *Cauſ.* 3. ſimilive, plane arbitror, nam talis dejectio æſtimatione mere civili, ſeu juxta leges humanas tantum pro delicto habetur, ac dejicientem, ad rem reſtituendam obligat, adeoque in Imperantibus ac Statibus imperii, delicti rationem non habet *conf.* GROT. *de J. B. P. l.* 3. *c.* 20 §. 48. OBSERV. AD LAUTERBACH. *Obſerv.* 1081. *n.* 2.

§. 64. Quodſi vero Status imperii, non tantum ut privati, ſed & ſubditi conſiderari queant, juxta notata §. 49. tum etiam leges humanæ recte applicari poſſe videntur.

Leges

Leges igitur privatæ proceſſuales & pœnales locum invenient, nam delicti quidem moralitas ex jure humano æſtimanda non eſt, aſt quando de ea, ex propriis principiis, conſtat, tum pœnæ legum humanarum, vim ſuam exſerunt, ſed, ſi verum amamus, non adeò validè, quoad Status potentes.

§. 65. Qua methodo Jus publicum, â privato rite diſtinctum, tradi debeat, deinceps etiam quæritur? Quæ de methodo analytica & ſynthetica, integris Diſciplinis applicanda, vulgò garriunt, ineptæ fabulæ ſunt, quibus proferendis Cordatiores merito erubeſcunt, de quo prolixius egi in ART. COGIT. *c.15.* §. *8. ſeqq.* quamvis præjudicatæ opiniones nonnullos hic turbare ſoleant *v.* SCHILTER. *J. J. P. l. 1. tit. 2. §. 15.*

§. 66. Ex *Objecto* igitur Diſciplinæ ordo oriri debet, juxta quam normam primo *indoles Jurisprudentiæ Publicæ Romanò-Germanicæ* explicari debet, qualem expoſitionem in hoc Capite molimur.

§. 67. Contenta vero Diſciplinæ quod attinet, cùm Jurisprudentia publica hoc intendat, ut homines actiones ſuas legibus publicis, debite expoſitis, pro ratione juris & obligationis ſuæ, attemperent, atque iſta juſti ſint, hinc videbatur de *natura actionis humanæ, legum in genere, juris & obligationis, juſtitiæ*

ſtitiæ & injuſtitiæ, *interpretationis ac applicationis*, peculiariter hic agendum eſſe, ſed horum cognitio, ex Jurisprudentia univerſali ac particulari privata, ſupponitur.

§. 68. Ergo tantum de *legibus publicis ac juribus hinc dependentibus*, agendum eſt: eorum verò tractatio ita inſtituenda nobis eſſe videtur, ut primo ea, quæ ad Originem Reipublicæ germanicæ, variasque Ejus, usque ad ſtatum præſentem, mutationes, ſpectant, recenſeantur, deinde verò, intuitu moderni ſtatus, leges publicæ conſiderentur, ita quidem, ut explicata earum *natura*, deinde *ſenſus* ſeu *argumentum* eo ordine, quem Reipublicæ habitus expoſcit, repræſentetur, quod qua ratione ſpecialius exequendum mihi videatur, ex ſequenti tractatu apparebit.

§. 69. Quemadmodum vero Juris Publici Prudentia, ab Objecto ſuo, generaliter ſpectato, *publica* dicitur, ita ſi particulariter illud conſideres, etiam *Feudalis & Eccleſiaſtica* dici poteſt, quatenus ſcilicet nexum feudalem Statuum imperii, nec non ea, quæ religionem concernunt, tradit, utrumque tamen hoc prædicatum etiam Jurisprudentiæ privatæ, feudalia & religioſa, hominum privatorum intuitu, exhibenti, competit: quævis tamen Jurisprudentia Eccleſiaſtica, à Theologia, religionem ipſam explicante, diſtingui debet.

§. 70.

§. 70. Interim non raro Jurisprudentia, quatenus Eccleſiaſtica eſt, à Scriptoribus cum Theologia confundi ſolet, dum ad ſpeciales quæſtiones theologicas illi delabuntur. Quo loco tamen obſervandum, disquiſitionem theologicam, quæ regulariter quidem præſupponenda eſt, aliquando non male à JCto ſuſcipi, ſi ſcilicet communis doctrina non adeo recte ſe habere videatur, & tractationi tamen juridicæ ſit præjudicialis.

§. 71. De cætero Jurisprudentiam publicam, non per omnia ſatis ſanam eſſe, ſed *morbis* ſuis laborare, vel ex §. 37. jam intelligitur. Si explicatius nonnihil hac de re dicendum ſit, morbi ſummatim vel in *ipſa doctrina*, vel *docendi modo* occurrunt.

§. 72. Prioris generis ſunt (1) quod Scriptores, vel ex ingenii infelicitate, vel adminiculorum neceſſariorum defectu, aut præjudicatis opinionibus, vel ſtudio partium, doctrinam parum ſolidam nonnunquam proferant, qui tamen morbus à peritioribus emendari poteſt, (2) quod ipſæ leges publicæ ſæpe ſint incertæ, papatum redoleant, nec ſtatum Reipublicæ præſentem adæquate ſatis forment, qui morbus Privato immedicabilis eſt.

§. 73. Poſterioris vero ſunt (1) quod Juris publici Diſciplina certis limitibus non ſatis

tis circumſcribatur, ſed cum Jure privato aliisque Diſciplinis non raro confundatur (2) quod methodo parum naturali, ſed contorta, â ſtatu Reipublicæ abhorrente, inadæquata ac, ex falſis conceptibus, utplurimum reſultante, exhibeatur, verum & hi defectus ſolertiori cura tolli poſſunt.

§. 74. Qualiscunque vero etiam ſit Jurisprudentia publica, ejus tamen aliqua *utilitas* eſt aſſerenda, ſatius enim eſt aliquam, quam nullam habere. Sed illa ad Scholas pertinent, major ejus in vita civili foret utilitas, ſi qualiacunque ejus decreta ſincere ſervarentur, quod an fiat, meum non eſt definire.

§. 75. A Jurisprudentia publica Germanica differt (1) Jus publicum Univerſale ſeu Politica, ut vulgo audit (2) hiſtoria juris publici particularis variarum Civitatum *v.* Vitriar. *J. J. P. proœm.* (3) Prudentia preſſe dicta ſeu Ratio Status, quæ, circa innoxiam civitatis utilitatem, verſatur (4) Jus publicum ſpeciale, ſingulorum imperii Statuum territoria concernens *vid.* Rachel. *otium Noviomag. c. 18.* Conring. *capit. ad Lampad. l. 2. p. 56.* (5) Jurisprudentia privata ad Imperantes applicata, quæ frequenter cum illa confundi ſolet.

§. 76. Studia Jurisprudentiæ Publicæ germani-

manicæ *fundamentalia* ſunt *Doctrina juris naturalis & Hiſtoria germanica*, quæ etiam ex parte ipſam Diſciplinam noſtram ingreditur, *adminiculantia* vero præcipue *Jurisprudentia privata, Theologia, Geographia, Genealogia & Ars Heraldica*, ex quibus etiam illa ſubinde quædam in uſus ſuos transfert.

§. 77. Ipſas tamen ſive Diſciplinas ſive habitus, á Jurisprudentia Publica differre, manifeſtum eſt, forte etiam cum hac, tres poſteriores, ut & hiſtoria generatim accepta (nam quoad cæteras res dubio caret) non recte eadem tractatione conjunguntur, quod neſcio an velint, qui ſub capaciori *Notitiæ imperii* nomine *vid.* KULPIS. *diſſert. de Stud. jur. publ. recte inſtit. &c. p. 55.* res Germanicas conſiderant.

§. 78. Docendo juri Romano præſtituit, Juſtinianus *quinquennium* in *Conſtit.* Omnem §. 2. *ſeqq.* quod tempus in Germania quoque, docendæ ac diſcendæ Jurisprudentiæ Germanicæ, obſervandum eſſe, nonnullis perſuaſum eſt *vid.* MULLER. *diſput. de* quinquen. ſtud Jur. *hab. Jen. 1689.* qua ſententia admiſſa, definitu fortaſſis non adeo facile erit, quantum tempus Juri publico ſit tribuendum.

§. 79. Sed non eſt, ut iſta quem merito inceſſat ſollicitudo, ſanctio Juſtiniani nec

Juris-

Jurisprudentiæ Germanicæ convenit, nec recepta probari poteſt, hinc Studia Germanorum hac in parte ſunt libera. In univerſum etiam ſimplex cenſeri debet, ſi Diſciplinæ, perinde ut operæ manuariæ, certo tempore circumſcribantur: Earum docendarum diſcendarumque ſpatium, ingenio, dexteritate ac diligentia Docentium pariter & Diſcentium, non certo menſium annorumque numero, definiri debet.

§. 80. Cognitio Juris publici quomodo acquiratur, ex §. 14. 15. 16. 17. 75. 76. 77. intelligitur. Inprimis ex doctrina KULPISII. *in Diſſert.* de Studio Jur. publ. rect. inſtit. *lectione* hiſtoriæ, *d. l. p. 4. ſeqq. p.* 102. *ſeqq.* Scriptorum Iuris publici *p. 12. ſeqq.* & converſatione cum viris pragmaticis *p 96. ſeqq.*

§. 81. De Scriptoribus Iuris publici quædam conſignavit BOECLER. *N. J. l. 1. c.* 4. prolixius eos IDEM recenſuit in peculiari *Sciagraphia*, quam Inſtitutionibus ſuis Iuris publici, adjunxit quoque VITRIARIUS & juxta cujus ductum amplius iſtam rem perſecutus eſt KULPIS. *cit. Diſſert.*

§. 82. Generalius paululum ſi res iſta ſpectetur, in univerſum Scriptores diſtingui poſſunt in *Præparatorios*, qui fundamentalia *Adjuvantes*, qui adminiculantia, §. 76. laudata, excolunt, & *Principales*, qui ea, quæ ipſam

Iuris

Juris Publici diſciplinam attinent, tradunt. Hi ex doctrina Bœcleri Kulpiſiique in *Syſtematicos, Singulares & Subſidiarios* diſtinguuntur, ac ſingulæ eorum claſſes exemplis nonnullis illuſtrantur.

§. 83. Eſt autem Notitia Scriptorum Juris publici vel *Superficiaria*, qua quis nomina Autorum, ac editionis formam, numerum, tempus, locum & ſimilia intelligit, vel *ſolida*, qua quis præſtantiam vel infantiam Scriptoris penitius novit. Eſſe de cætero notitiam illam, neceſſariam ac utilem, facilè liquet, debebat tamen illa ſaltem eſſe adminiculum, non ſtudium principale, in quod tamen, ut alibi, ita hic etiam eadem ſæpe transformatur, quod inſtitutum eo magis improbari debet, quo ſæpius in ſolam cognitionem ſuperficiariam deſinit.

§. 84. Solida notitia ex relationibus & judiciis, quæ de Scriptoribus impreſſa leguntur, ut alibi, ita hic etiam vix haberi poteſt, raro enim, Autores odioſam veritatem profitentur, ſed ut plurimum in laudem, quam veram cenſuram, ſunt procliviores. De cætero tamen judicia illa, ſi occurrant, non plane ſunt negligenda, cum ulterius cogitandi anſam ſuppeditent.

§. 85. Cognitio itaque ſolida, non aliunde, quam ex ore cordatorum Doctorum, ac

inprimis, ex propria Scriptorum lectione, regulariter advenit, ad eam vero acquirendam, in univerſum ad *methodum*, *materiam*, *deciſionem ac proponendi modum*, reſpiciendum eſſe videtur, nam ex horum diverſitate, præſtantia vel infantia Scriptoris omnino æſtimanda erit.

§. 86. *Methodus* eſt vel *Univerſalis*, totius Diſciplinæ, vel *Singularis*, cujusvis materiæ. Utriusque in Scriptore eſt habenda ratio, videndumque utrum res naturali ordine exhibeantur, an confuſe & præpoſtere ſiſtantur, ac utrum adeo ex ſolida cognitione, an ex falſis conceptibus, methodus proficiſcatur. Ex qua diverſitate deinde Scriptori, qui methodo aliqua rem exhibuiſſe videri vult, pretium, hoc intuitu, ſtatuendum eſt, nam boni ordinis necesſitas eodem argumento oſtenditur, quo veritatis inquiſitio neceſſaria eſſe probatur, de quo in PRÆFAT. *h.* & *in* ART. COGIT. *c.* 14. §. 76. *ſeqq.* plura dixi.

§. 87. Circa *materiam* conſiderandum, utrum illa ſit diſciplinæ *propria*, an *aliena*, deinde *ſelecta* an *protrita*, ſcopo *conveniens*, an ab eo *abludens*, denique *ſufficiens* an *manca*, & ſi quæ ſimiles conſiderationes eſſe poſſunt, nam ex hac etiam diverſitate, diverſum pretium mereri Scriptorem exiſtimo. In ſpecie illum cenſuram incurrere arbitror, ſi

mate-

materiam alienam vel ſcopo non convenientem proponat, utut illa, in ſe ſpectata, bona & cognitu neceſſaria ſit, nam iſta tractandi ratio, oſcitantiam minimum Scriptoris oſtendit, rarior tamen materia, præmiſſa excuſatione, adducta, extra reprehenſionem erit.

§. 88. An in *decidendo* recte verſetur Scriptor nec ne, id ex his fere judicandum videtur (1) utrum decidat, an ſine cauſa fluctuet (2) in legibus adhibendis legitimum inſtituat delectum, an extraneas & domeſticas, antiquas & novas commiſceat (3) utrum in iis explicandis & applicandis, debita circumſpectione utatur, nec ne (4) an habitum legum earumque vitia, nonnunquam intercurrentia, intelligat, an vero omnia indiſtincte laudet (5) an, ubi ex generalioribus principiis res repetenda, legitima ſectetur, an ſecus, nam ex horum diverſitate, Scriptoris æſtimationem intendi vel elevari, cum ratione negari nequit.

§. 89. Cauſa autem recti uſus, dependet à mente alacri, præjudiciis vacua, attenta & veritatis ſtudioſa, ſicut abuſum gignunt naturalis ſtupor, præjudicatæ opiniones, præcipitantia, adulandi placendique ac inprimis Partium ſtudium, quod quidem in iis, qui in diſceptatione publica, ab altera Parte

auctorantur, excuſari ſolet, doctrinæ tamen pretium omni reſpectu imminuit.

§. 90. Quoad *modum proponendi* ſpectandum eſt, utrum Scriptor cogitata ſua ſtilo puro, amœno, gravi ac rei tractandæ conveniente proponat, an vero barbarismis ac ſolœcismis ſcateat, vel dictione arida & hiulca omnia perſequatur, aut ſtribligine Scholaſticæ philoſophiæ ſimilive vexetur, & eadem chorda ſemper oberret, ſeu crocitu vel coccysmis moleſtus ſit, nam ea etiam, in variando Scriptoris pretio, aliquas habere partes, certum eſt.

§. 91. Jam ſi de Scriptoribus juris publici ferendum ſit judicium, in genere & velut per averſionem, recte dici poſſe videtur, *recentiores*, qui ſcilicet poſt Inſtrumentum Pacis Weſtphalicæ ſcripſerunt, præſtare *antiquioribus*, qui tempus illud antecedunt, quod tamen cum aliqua latitudine morali accipiendum, non ſecundum puncta & momenta temporum captandum eſt.

§. 92. Nam in his plerumque deeſt genuina hiſtoriæ germanicæ cognitio, præterea abuſus jurium extraneorum, doctrinam eorum corrumpit, ſolidiora quoque principia politica iis ut plurimum deſunt, quos nævos recentioribus evitare licet, quamvis non omnes evitent, ſed in illis veteres nonnunquam

quam imitentur aut etiam ſuperent. denique recentioribus leges noviſſimas, ex quibus inprimis Reipublicæ noſtræ ſtatus æſtimari debet, allegare datum eſt, quod antiquioribus ſine ſua culpa, non licuit.

§. 93. Deinde Scriptores *Proteſtantes* præferendi videntur *Pontificiis*, nam horum ſtudia nunquam ſunt libera, ſed rationibus ſtatus papalis, Germaniæ intolerabilibus, attemperata, quo loco tamen negandum non eſt, quin ex prioribus nonnulli graviter etiam ſubinde papizent. An Scriptores *extranei* vel *domeſtici* ſint, id non adeo hic conſiderandum videtur, ſunt enim, quæ in utrisque laudes & reprehendas *vid.* KULPIS. *Diſſert. de ſtud. jur. publ. rect. inſtit. pag. 127.* imo ſi omnino diſcrimen illud attendendum ſit, poſteriores prioribus regulariter præferrem.

§. 94. His præſuppoſitis, ſi ad ſpecialia deſcendas, in Scriptoribus *Syſtematicis* & *Singularibus* (de *Subſidiariis* ex ſola materia judicandum videtur) *bona methodus* ſæpe deficit, nam utplurimum illi præjudicio methodi analyticæ & Syntheticæ laborant, vel ordinem Juris Romani, ac in ſpecie Inſtitutionum Juſtinianearum, i. e. meram confuſionem ſequuntur, vel etiam ex falſis, de forma Reipublicæ noſtræ, conceptibus, diſciplinam

inſtruunt. In tractatione vero thematum ſpecialium, abuſus methodi cauſalis, quem in ART. COGIT. c. 15. §. 36. ſeqq. delineavi, non raro eminet.

§. 95. Quoad *materiam*, de *Singularibus* quidem in genere nihil dici poteſt, ſed quosdam finem propoſitum tenere, alios ab eo aberrare, recte attendentibus conſtabit. *Syſtematicos* vero ſæpe diverſas diſciplinas ac inprimis jus privatum & publicum confundere, aut materias cum ſcopo propoſito non convenientes adducere, vel non ſatis adæquate doctrinam concinnare, omnino certum eſt.

§. 96. Circa *decidendi rationem*, uti ſtolidum foret, bonas deciſiones in genere negare, ita fatendum tamen erit, vitia quædam non raro hic intercurrere, jam enim quis ſine cauſa fluctuat ac nodos gordios fingit, ubi res ſatis eſt expedita, alius parum certa ſectatur principia politica, hunc in legibus publicis explicandis, externa ſchemata decipiunt, nonnunquam leges peregrinas vel obſoletas invito Statui præſenti alius applicat, inprimis plerique nondum deſveſcere poſſunt abuſui, quo leges extraneæ, non tantum ſine ulla utilitate, ſed & plerumque ridicule ac inepte, allegantur.

§. 97. Denique in *modo proponendi* etiam

va-

varietatem deprehendere licebit, nec plane à jure Publico ingratus pſeudophiloſophiæ Scholaſticæ Stilus exulare ſolet. Illud ultro patet, poſſe Scriptorem, in aliquo requiſito approbationem, in alio autem cenſuram mereri, & eum, in quo vel omnia vel potiora bonæ Scriptionis requiſita deficiunt, ultimo loco eſſe habendum.

§. 98. Quodſi quis ad magis ſpecialia progredi ac Scriptores ſigillatim, vel juxta fundamenta hic adducta, vel meliora, ſi habet, expendere velit, in plerisque fortaſſis aliquid jure deſiderari poterit, ſed eo procedere, mihi jam nec libet nec licet; Id in genere notandum: judicia de Scriptoribus libere ferre, eſſe rem lubricam, odioſam, variis judiciis ſubjectam, nec tamen ideo improbandam ac inutilem.

CAP. II.

De Origine Imperii Romano-Germanici.

SUMMARIA.

In Jure publico, de Reipublica origine, habitu antiquo & mutationibus primo agendum §. 1. quorum moralitas ex jure naturali dependet §. 2. Origini primus debetur locus §. 3. Imperii Romano-Germanici origo juxta quatuor periodos, expendi potest

teſt §. 4. primæ periodi delineatio §. 5. ſeqq. ſecunda incipit à regno Francico §. 17. Francorum & regni Francici origo & progreſſus §. 18. ſeqq. tertia ducitur à Carolo M. §. 23. qui regno patrio, cum alia, tum inprimis Italiam adjecit §. 24. ſeqq. ac regna transmiſit ad filium Ludovicum §. 43. hujus tres filii avita regna inter ſe diviſerunt §. 44. 45. 46. ab hoc tempore Germania in proprium regnum ſe compoſuit §. 47. 48. ac Italia, ab ea, ſeparata §. 49. ſed tam Italia, quam Francia media, ſucceſſu temporis, præcipue per Ottonem M. Germaniæ iterum ſunt conjunctæ §. 50. ſeqq. quatuor regna habuit Otto M. ac ab eo, origo Imperii Romano-Germanici recte repetitur §. 62. 63. 64.

§. 1.

ID nunc maximè concinnum mihi videtur, ut, antequam præſentem Reipublicæ ſtatum intueamur, ea, quæ ad Ejus originem, habitum antiquum, potiores mutationes, ac denominationem inde ortam pertinent, pro ratione inſtituti, breviter perſequamur, nam remotiora illa non tantum naturali ordine præcedunt, ſed & ſine eorum cognitione vix eſt, ut ſolide ac inoffenſo pede, in juribus Reipublicæ præſentibus declarandis, procedas.

§. 2. Illud autem paucis præmonendum, quod

quod horum omnium moralitas ex jure naturali dependeat, nam inter liberas Gentes aut unius etiam Reipublicæ membra, inter ſe colliſa ac nexum civilem mutatura, legum humanarum nulla eſt autoritas. De cætero hic non intelligitur Jus naturæ *abſolutum*, quod ſine facto prævio obligat, ſed illud, quod facta humana præſupponit, ac *hypotheticum* non malè dicitur, nam ex factis civitates oriuntur, ac per illa etiam varie mutantur, horum igitur moralitas ac efficacia ex jure laudato, cujus genuina cognitio hic præſupponitur, æſtimari debet.

§. 3. Primo de *Origine*, Civitatis germanicæ videndum, in qua tractatione â primis, quâ noſſe datur, initiis, ad ea usque tempora, Reipublicæ noſtræ hiſtoria pertexenda eſt, quibus elogium *Imperii Romani*, vel *Romano-Germanici*, quod hodiè etiam ſuperat, illa mereri cœpit.

§. 4. Doctrinæ gratia quatuor conſtituemus periodos, quarum *prima* ab initiis gentis germanicæ usque ad regnum Francorum; *Secunda* a regni Francici primordiis ad Carolum M. *Tertia* a Carolo M. usque ad Ludovicum Germanicum, & *Quarta* ab hoc usque ad Ottonem M. decurrat.

§. 5. *Origo* Gentis germanicæ obſcura eſt, nam ab ipſis Germanis primis nihil memo-

riæ proditum eſt, non quidem ob *literarum imperitiam*, tantæ enim ruditatis univerſam nationem damnare, durum fuerit *v.* Kulpis. *ad Monz. c. 1. §. 2.* ſed ut arbitramur, ob *neglectum ſtudiorum* & hinc ortam *futurorum incuriam. add.* Coccej. *J. P. P. proleg. §. 1. ſeqq.*

§. 6. Quicquid igitur dici poteſt, id fere ex Græcorum & Romanorum Hiſtoricorum, externa ſæpe ignorantium, aut præ ſuis eadem deſpicientium ac adeo obſcuritati involventium monumentis deſumi debet *v.* Rhet. *J. J. P. l. 1. tit. 2.* §. 3. 4. Lehm. *Chron. Spir. l. 2. c. 45.*

§. 7. Primum gentis germanicæ autorem, *Tuiſconem* refert Tacitus, quem Germani ipſi *terra editum* i. e. indigenam crediderint, ſed juxta fidem Sacrarum literarum eſt ipſe *Aſcanes*, Noachi pronepos Rhet. *d. l. §. 8.* nam ab hoc Celtas & conſequenter Germanos quoque deſcendere docet Cluverius *Germ. ant. l. 1. c. 9.* eruditioribus ejus ſententiæ paſſim accedentibus, ut teſtatur Kulpis *d. l. add.* Coccej. *d. l. 5. ſeqq.*

§. 8. *Nomina* gentis Germanicæ ſunt vel *generalia*, quæ univerſam rationem notant, ut nomen *Tuiſconum* & *Germanorum v.* Berneg. *qu. 7. ad Tacit. germ.* Coccej. *d. l.* §. 7. 8.

§. 9. Vel *ſpecialia*, quæ certi cujusdam tra-

tractatus incolas deſignant, ut forte nomen *Tungrorum* v. RHET. *d. l.* §. 12. PACIF. à LAPID. *ad Monz. diſcurſ.* 2. §. 1. & *Alemannorum* RHET. *d. l.* §. 9. nec non *Vindilorum Ingævonum, Iſtævonum, Herminonum* & *Peucinorum* ſeu *Baſtarnarum* PACIF. *d. l. diſcurſ.* 3. §. 2. *ſeqq. add.* COCCEJ. *d. tr. c.* 2. §. 23.

§. 10. Vel *ſpecialiſſima*, quibus provinciæ alicujus coloni ſignantur ut nomen *Nemetum, Vangionum* &c. quæ TACITUS ejusque commentatores latius perſequuntur *vid.* KULPIS *d. l.* RHET. *d. l.* §. 14. COCCEJ. *d. tr. in proleg.* §. 6.

§. 11. Hodie plerique Germaniæ populi aliis nominibus appellantur ut non videantur extra reprehenſionem conſtituti, qui, nimia antiquitatis oſtentatione, cum matre Evandri loqui, quam recentiorem ſtilum amplecti malunt *v.* RHET. *d. l. add.* KULPIS *ad Monz. c.* 2. §. 1.

§. 12. *Sedes* antiquorum Germanorum fuit *Germania magna*, cujus fines verſus meridiem fuerunt *Danubius*, verſus occaſum, *Rhenus*, licet jam Cæſaris tempore ultra eum illi fuerint promoti, verſus ſeptentrionem *Oceanus Septentrionalis*, verſus orientem *ſinus Finnicus* & *Viſtula* ita quidem ut ab ejus fonte linea ad montes Sarmaticos ducta, terminum proprie exhibeat *v.* CLUVER. *d. tr. l.*

1. *c.*

l. c. 11. KULPIS. *d. l. c. 1. §. 1. add.* COCCEJ. *d. l. c. 2.*

§. 13. Univerſa autem Germania in *unam Rempublicam* tum haut coaluit, ſed tot fere fuere civitates, quot populi germanici, imo magno ſuo malo vix fœdere aliquo Germani fuerunt conjuncti TACIT. *Agricol. c. 12.*

§. 14. In ſingulis autem civitatibus plerumque Democratia aſſeritur, quæ tamen monarchice vel ariſtocratice fuerit gubernata, in qua re adeo incerta quemlibet ſuo ſenſu abundare patimur. *add.* COCCEJ. *d. c. 2. §. 11. 12. 13.*

§. 15. *Mores* Germanorum ex *Tacito* cognoſcendi, inter vitia eorum politica eminent *odium inteſtinum & nimium libertatis ſtudium* v. RHET. *d. l. §. 34. ſeqq.*

§. 16. De *religione & inſtitutis* Germanorum, tam *Eccleſiaſticis* quam *Politicis & Oeconomicis* quædam diſſerit RHETIUS *d. l. §. 38. ſeqq.* pleraque *ſuperſtitionem & barbariem* redolent, ſed & nonnulla vitiorum, quibus hodie Germania laborat, expertem laudandamque ſimplicitatem.

§. 17. Iſta fere conditione veteres Germani vixerunt usque ad *regnum Francorum* per hoc vero habitus Germaniæ ac inprimis civitatis forma ſenſim immutari cœpit, quod in *ſecunda periodo* tradendum.

§. 18.

§. 18. Quoad *Originem* Francorum maxime probabilis videtur ſententia; diverſas Germaniæ gentes ſuis nominibus alias diſtinctas, defendendæ contra Romanorum iniquitatem libertatis cauſa, in unum corpus coiviſſe, ac ab illo libertatis ſtudio, nomen *Francorum* vel *Franconum* ſibi dediſſe, quæ appellatio dein in ſolenne Gentis nomen abierit KULPIS *d. tr. c. 1. §. 3. 4.*

§. 19. Iſtam vero conjunctionem factam eſſe *Seculo Chriſtiano III.* circa *Alexandri Mammeæ* ſ. *Severi* imperium cum CLUVERIO cenſet KULPIS. *d. l.* hinc etiam ante illud tempus, nomen Francorum vix auditum eſſe plerumque exiſtimant, quod de nomine ſolenni auſpicato & conſtanti videtur accipiendum *vid.* RHET. *d. l. §. 24.*

§. 20. Conjunctionis autores fuerunt illius tractus populi, qui adhuc hodie *Franconia* dicitur ex ſententia CONRINGII *de fin. c. 2.* de cætero Rhenum transgreſſi Franci, magna armorum felicitate maximam Galliæ partem ſubegerunt, eique, Rheno iterum ſuperato, Alemanniam & quicquid fere terrarum inter Mœnum & Danubium in Thuringiam extenditur, adjecerunt MONZAMB. *c. 1. §. 5.*

§. 21. Ab initio, fœderis vinculo Francos ſaltem fuiſſe combinatos, ac plurium civitatum

tatum *ſyſtema* conſtituiſſe, eumque reipublicæ habitum per duo circiter ſecula ſtetiſſe exiſtimat KULPIS *d. c. 1. §. 3.* 4. nomina tamen *Ducum* & *Principum*, quæ in ſententiæ ſuæ confirmationem allegat, id non ſatis probant, cum in Ariſtocratia & Democratia locum etiam habere poſſint.

§. 22. Id tamen certum videtur *ſec. V.* Francos ſe Regibus ſubjeciſſe, quorum primus fuit *Pharamundus*, quem deinceps alii continua ſerie, non pari tamen omnes nominis celebritate inſecuti ſunt usque ad Carolum M. *quale* autem ea tempeſtate fuerit regnum Francorum, quæ porro ejus *forma*, tum quis *adminiſtrandi modus*, ea aliaque ejus generis, diſtinctius tradere extra inſtitutum eſt. *add.* COCCEJ. *d. tr. in proleg.* §. *20. ſeqq. c. 3.* §. *79. ſeqq. c. 5.* §. *1. 2. 3.*

§. 23. Pergimus igitur ad *periodum tertiam*, quam inchoat *Carolus* M. hunc *Germanum* fuiſſe, non *Franco-Gallum*, recte dicitur, nam ex *ſtirpe germanica* fuit ortus, in *Germania* natus, *ibidem* vixit, *lingua germanica* velut *vernacula* fuit uſus, nec unquam *alia natione cenſeri* voluit *v.* KULPIS. *d. l. §. 6.*

§. 24. Hic *Carolus* regni Francici fimbrias longe lateque extendit, *vid.* KULPIS. *d. l. c. 1. §. 5.* an in ſpecie, quod hic commemorari debet, in Germania *Bavaros* & *Saxones* domuit

muit. *v.* Rhet. *d.l.* §. 70. *ſeqq.* ac Italiam imperiumque Romanum regno Francico conjunxit.

§. 25. Quæ *Imperii Romani* fuerit *origo*, *incrementa*, per varias formas *mutatio*, quibus porro artibus ad *Monarchiam* ſit redactum, ac quomodo ſe deinceps ad *interitum* quaſi compoſuerit, id velut ad nos non pertinens, præſupponitur *v.* Monzamb. *c.* 1. §. 10. Pacif. Alapid. *diſcurſ.* 6. §. 1. *ſeq.*

§. 26. Poſt diviſionem *Conſtantini* & *Theodoſii*, qua in *Orientale* & *Occidentale* imperium diſtinctum eſt, hujus excidium mox eſt ſecutum, quod an memoratis *diviſionibus*, an *ignaviæ* Theodoſii ſucceſſorum, an *fatali* potius Numinis divini *indignationi* adſcribendum ſit, alii diſpiciant.

§. 27. Totius autem pene occidentis poſſeſſione poſt tempora *Honorii*, Imperium Romanum excidit *v.* Conring. *de G. J. R. c.* 4. §. 3. In ſpecie *Italiam* circa *A. C.* 476. *Odoacer* Herulorum Princeps capta Roma, abdicatoque *Romulo Auguſtulo Momyllo*, ſibi ſubjecit.

§. 28. Sed ultra annos 16. imperium illud haut ſtetit, verum in *Odoacro* cœpit & deſiiit, huic enim victo & interfecto, *Theodoricus*, Gothorum Rex ſucceſſit *v.* Conring. *d. tr. c.* 5. §. 10. regnum autem Gothorum, poſtquam

quam 70. annos circiter duraverat, deſtruxit Imperator *Juſtinianus*, a quo tempore quicquid Italiæ imperio Orientali iterum conjunctum erat, per *Exarchos* fuit gubernatum.

§. 29. Poſtea Longobardi auſpiciis *Alboini* Regis maximam Italiæ partem *A. C.* 569. ſibi aſſeruerunt atque in ea regnum, per excellentiam, *Italiæ* appellatum exſtruxerunt, quod quidem ab *Alboino* per varia ſucceſſionum intervalla tandem ad *Aiſtulphum* & *Deſiderium* pervenit, ac conſenſu Cæſarum orientalium plane confirmatum, per duo & quod excurrit ſecula, ſtetit. *v.* KULPIS. *d. l. c. 1.* §. *10. n. 6.* SCHWEDER. *c. 4.* §. *11.*

§. 30. Cæſaribus Orientalibus remanſit Roma, Pentapolis, Exarchatus Ravennatenſis proprie dictus ac urbs Venetiarum; uti autem hæc ſucceſſu temporis plane ſui juris facta eſt, ita reliqua, ſi Romam excipias, ſenſim quoque Longobardis ceſſerunt, renitentibus tamen Orientalibus *v.* CONRING. *d. tr. c. 4.* §. *6. c. 5.* §. *12. 13.* SCHWED. *c.* 4. §. *10.*

§. 31. Ipſum etiam Pontificem Orientalium Cæſarum tædere cœpit, *vid.* MONZAMBANO. *c. 1.* §. *11.* ſed ob vicinos Longobardos in libertatem ſe aſſerere non potuit, imo cum *Aiſtulphus* Romam quoque obſideret, *Stephanus III.* Pontifex, imploratis fruſtra *Conſtantini* Copronymi auxiliis *Pipinum* Franco-

rum

rum Regem contra Longobardos evocavit. *v.* LEHM. *chr. Spir l. 3. c. 22. 23.*

§. 32. *Pipinus* provincias *Aiſtulpho* ereptas ac ad imperium orientale pertinentes, non *Conſtantino*, licet enixe per Legatos rogandi reddidit, ſed Pontifici donavit, vel *dolo* Pontificis deceptus, vel *propria ſtatus ratione* ad hoc permotus *v.* CONRING. *d. c. 6. §. 6. ſeqq.*

§. 33. Quæ cum *Pipino* pactus erat *Aiſtulphus*, hujus ſucceſſor *Deſiderius* fregit, hinc *Carolus M.* Pipini filius, a Pontifice *Hadriano* evocatur, qui victo *Deſiderio* regnum Longobardorum, non velut *portionem imperii Romani*, ſed ut *regnum ſui juris* in ſe transtulit. CONRING. *d. l. c. 5. §. 12. ſeqq.*

§. 34. Reliquias imperii Orientalis à *Deſiderio* denuo occupatas, Pontifici reddidit & auxit *Carolus*, ipſe vero earum intuitu dignitatem *Patritiatus* obtinuit *c. 22. diſt. 63.* CONRING. *d. l. c. 6. §. 9. ſeqq.*

§. 35. Poſtea *A. C. 800.* ipſis Feriis natalitiis à Pontifice, Senatu populoque Romano *Carolus* renunciatur *Imperator Romanus*, *vid.* CONRING. *d. tr. c. 5. §. 16. add.* LEHM. *Chr. Spir. l. 5. c. 31.* quam electionem transactione cum *Irene*, *Nicephoro* ac *Michaele* Cæſaribus Orientalibus inita, deinde firmari curavit, atque per eam, locis quibusdam imperio ori-

entali relictis, ſummum in urbem Romam ac Exarchatum Ravennatenſem imperium obtinuit. SCHWED. *d. c. 4. §. 13. 14.* COCCEJ. *d. tr. c. 6.*

§. 36. Accepit igitur *Carolus* imperium Romanum *titulo belli*, quo illud *Deſiderio* eripuit, licet autem eum *optimum* cenſeat KULPIS *d. l. c. 1. §.* 10. ut alio ne quidem opus ſit, manifeſtum tamen eſt, valere illum ſaltem juxta *jus gentium externum*, *intrinſecam* vero acquiſitionis *juſtitiam* non oſtendere.

§. 37. Acceſſit *voluntaria Pontificis delatio*, qua non velut *Vice-Deus Carolo inferiori* imperium detulit, cui Hildebrandini contendunt, ſed qua velut *futurus* ac *primarius ſubditus* cum *futuro Imperante* de imperio pepigit *vid.* CONRING. *d. tr. c. 7. §. 2. ſeqq.*

§. 38. Cum vero Pontifex reliquique Romani non fuerint *ſui juris*, nam prætenſa Orientalium *indignitas* aut *derelictio* vinculo ſubjectionis eos neutiquam exſolverat, hinc nec iſte titulus acquiſitionem Carolinam ſatis tuetur.

§. 39. *Transactio* ſecuta non ſatis fuit *voluntaria vid.* MONZAMB. *d. c. 1. §. 12.* quare nec aſſerendæ acquiſitionis juſtitiæ, ſatis idonea. Non intereſt Germanorum, iſta extra omne dubium poni, cum eorum jus in imperium Romanum aliis nitatur titulis, ut mox apparebit.

§. 40.

Digitized by Google

§. 40. Accepiſſe autem *Carolum* ex *intentione* Romanorum, *imperium hæreditarium*, non quidem *in totum terrarum orbem*, aut *provincias omnes*, *aliquando imperio Romano ſubditas*, ſed urbem *Romam*, *Pontificem* ac *omne Petri Patrimonium*, ſatis probavit CONRING. *d. tr. c. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.* nequicquam diſſentiente MONZAMBANO *d.* *1. §. 12. add.* LEHM. *Chr. Spir. l. 5. c. 23.*

§. 41. Id etiam recte dicitur, *Carolum*, imperium Romanum non Francis occidentalibus ſ. *Gallis*, ſed *Germanis*, velut ſtirpi ac fundamento regni Francici, acquiſiviſſe *v.* KULPIS *d. l. §. 11.*

§. 42. Habuit ergo *Carolus* (1) *regnum Francorum*, cujus certo reſpectu *ſtirps* & *acceſſio* fuit *Germania* (2) *regnum Italiæ* ſ. *Longobardicum*, & ſub nomine *Imperii Romani* (3) *reliquias imperii occidentalis*, diverſa autem illa regna nec in *unam civitatem* coaluere, multo minus *illud* & *iſtud*, *hujus* ſunt facta acceſſio *v.* CONRING. *d. tr. c. 9. §. 5.*

§. 43. Sed his diutius immorari inſtitutum non patitur, quemadmodum nec id poſtulat, ut de imperio *Ludovici Pii*, alias ob ejus imprudentiam ſatis memorabili, quædam recenſeamus.

§. 44. Pergendum potius ad ſolennem illam diviſionem, quam poſt *Ludovici* mor-

Digitized by Google

tem, filii *Lotharius*, *Ludovicus* & *Carolus* inter ſe *A. C. 842. 843.* fecerunt *v.* Lehm. *Chr. Spir. l. 3. c. 39.*

§. 45. *Lothario* natu maximo, cum titulo Imperatorio *Italia* & *Francia media*, quæ Rheno ac Rhodano, Arari Moſa & Scaldi interjacet, ceſſit. *Ludovicus* accepit omnem *Germaniam transrhenanam* cum urbibus cisrhenanis Moguntia, Wormatia & Spira, *v.* Lehm. *Chr. Spir. l. 3. c. 40.* quæ portio ſtrictiori *Franciæ Orientalis* denominatione tum venit. *Carolus* nactus eſt *Franciam Occidentalem* ſ. *Galliam*, quæ ultra Rhodanum reliquosque modo nominatos fluvios verſus Oceanum extenditur Conring. *de fin. Imp. l. 1. c. 3.*

§. 46. Id annotari meretur, antiquam illam imperii Francici diviſionem, qua poſt tempora *Clodovæi M.* in *Neuſtriam* & *Auſtriam* ſ. *Auſtraſiam*, fuit diviſum, neutiquam cum recentiori illa, quæ poſt *Carolum M.* innotuit, coincidere, nam *Neuſtria* quidem notat *Franciam occidentalem*, ſed *Auſtria* omnem *reliquam Franciam*, quæ deinde in *mediam* & *Orientalem* diſtincta eſt, complectebatur. *Add.* Coccej. *J. P. P. c. 5. ſect. 2. §. 14. 15. 16. 17. 18.*

§. 47. Ab hoc tempore *Germania* ſub ſuo Rege *Ludovico Germanico* in proprium ſuique

que juris regnum ſe compoſuit,nec unquam reliquæ Franciæ denuo fuit ſubjecta,*v.* Conring. *de G. J. R. c. 9. §. 8. ſeqq.* hinc merito ab hac *periodo*, juxta noſtram partitionem, *quarta*, imperii noſtri moderni, quatenus *Germanicum* eſt,*initia* repetuntur.

§. 48. Verſus *meridiem* eosdem tum habuit terminos Germania, quos hodie; verſus *Occidentem*, Rheno fuit terminata; verſus *Septentrionem* eam ambivit Oceanus Friſicus usque in Eidoram amnem,& mare Balthicum; verſus *Orientem* ab oſtio Viſtulæ, excluſa Polonia & Sileſia in Moraviam, ac infra Danubium in Auſtriam usque ad Illyricum fines fuerunt extenſi, ex doctrina Conringii *de fin. l. 1. c. 3. 5.*

§. 49. Uti autem iſta diviſione Germania *peculiare regnum* eſſe cœpit, ita elogium *imperii Romanii* tum ei haut competiit,ſeparata ab illa omni Italia, quomodo igitur fines Germaniæ paulatim extendi illique *imperium Romanum* iterum conjungi cœperit, deinde breviter tradendum.

§. 50. Nimirum *Lotharius* Cæſar inter tres filios ita imperium diviſit, ut *Ludovicus* cum Cæſarea dignitate, *Italiam* obtineret, *Carolo* vero *Provincia*, ſ. *Gallia Narbonenſis* cederet, *Lotharius* quicquid trans alpes reliquum fuit, & vel a Patre vel filio, *Lotharingia*

 audiit,

audiit, acciperet, quæ omnia ſenſim Germaniæ accreverunt.

§. 51. *Carolus* ſcilicet, ſecundus Lotharii I. Cæſaris filius, absque prole deceſſit, hinc duo ejus fratres ſuperſtites, portionem illius ita inter ſe diviſerunt, ut *Ludovicus II.* Cæſar, *Provinciam*, & *Lotharius* Lotharingiæ Rex *Burgundiam minorem* acciperet.

§. 52. Poſtea improlis mortuus eſt *Lotharius*, hujus regnum Burgundia auctum de jure pertinuiſſet ad fratrem ſuperſtitem *Ludovicum* Cæſarem, ſed illius Patrui *Ludovicus Germanicus* & *Carolus Calvus*, illud inter ſe diviſerunt, quæ injuſta fortaſſis occupatio, morte Ludovici Cæſaris fuit legitima reddita.

§. 53. Succeſſu temporis *Ludovicus* Ludovici Germanici filius, omnem Lotharingiam, ac in ſpecie eam, quam Galli per decennium tenuerant, germanico regno ſubjecit, poſt varias vero mutationes, demum *Otto* M. bello & pactis certius eam Germaniæ conjunxit, adeo ut cum hac ſenſim in unum corpus illa concreverit *v.* CONRING. *de fin. imper. c. 6. 7.*

§. 54. Ulterius *Ludovico* Cæſare ſine liberis *anno 876.* mortuo, *Carolus Calvus* Italiæ regnum, ac imperii occidentalis reliquias, cum Cæſarea dignitate obtinuit quidem, ſed *Ludovicus Germanicus* ejusque ſucceſſores,

mox

mox ea omnia ſibi aſſeruerunt, Gallis etiam non amplius repugnantibus, *add.* LEHM. *Chr. Spir. l. 2. c. 46.*

§. 55. Licet autem turbis in Germania exortis, omnis Italia ei denuo fuerit ſubtracta, felicitate tamen *Ottonis M.* regnum Longobardicum *A. C.* 951. Cæſarea autem jura *anno* 962. illi rurſus fuerunt conjuncta. *v.* CONRING. *de fin. imper. c. 11.*

§. 56. Inprimis reliquias illas imperii Occidentalis ſolenni pacto obtinuit *Otto M.* nam *A. C.* 964. Pontifex reliquique Romani æterno pacto ita ſe *Ottoni* ſubmiſerunt, ut *quicunque legitimo modo* Germaniæ *& conſequenter* Italiæ Rex *ſit factus, eo ipſo quoque, ſine novo Romanorum conſenſu*, Cæſaream dignitatem & jus ſummum in Romam *ac* cæteras imperii occidentalis reliquias *habeat*, *v. can. 23. diſtinct. 63.* quam incomparabilem Germanorum prærogativam pluribus perſequitur CONRING. *de fin. c. 9. de G. J. R. c. 10. ſed adde* GIBELIN. *Cæſareo-pap. Rom. p. 2. c. 4.* §. 30.

§. 57. Juſtiſſimo igitur titulo Germani tenent *imperium Romanum* quoad ipſos *Romanos*, ſi quid autem etiam in hac Ottoniana acquiſitione ſubſit, quod intuitu *Cæſarum Orientalium* non adeo defendi queat, id omne ceſſat hodie, Cæſaribus illis dudum deletis,

 atque

atque iſte legitimorum ſucceſſorum defe-ctus, videtur etiam ultimato quoad Regnum Longobardicum allegari poſſe.

§. 58. Sicut autem *Carolus Calvus*, Italiæ regnum & imperium Romanum, *Ludovico II.* Cæſare extincto, invaſit, ita eodem auſu occupavit quoque *Provinciam*, quam *Ludovicus* â Fratre acceperat juxta §. 51. *h.* eamque in regnum vel erexit, vel reſuſcitavit, unde ortum eſt *regnum Arelatenſe* a Provinciæ urbe *Arles* ita dictum.

§. 59. Paulo poſt in Burgundia minore exortum quoque eſt *regnum Burgundicum*, quod poſt varias viciſſitudines cum *Arelatenſi* coaluit, adeo ut utroque nomine idem regnum promiſcue veniat. Comprehendit autem Provinciam, Delphinatum, Sabaudiam, Comitatum Burgundiæ & tractum Helvetiorum. Pedemontium quoque eò refert EKHOLT *in diſput. de jur. Majeſt. Imper. Romano-germ. hab. Lipſ. 1687.* §. 7. ſed id potius ad Italiam pertinet *v.* CONRING. *de fin. l. 2. c. 21. p. 536. c. 25. p. 639.*

§. 60. Id Regnum Arelatenſe Germaniæ conjunxit *Otto M. anno 940.* ut tamen feudi lege *Conrado* defuncti Regis Arelatenſis filio, id iterum concederet. Hujus filius *Rudolphus III.* liberrima donatione *Henrico II.* & *Conrado II.* Regibus Germaniæ, id denuo contulit.

§. 61

§. 61. Atque ita bono titulo & pleno jure ad Germaniam devenit, nam ex parte Regnum iſtud in terris, ad Germaniam pertinentibus, erat exortum, quicquid vero Gallici juris in eo fuit, id conſenſu Gallorum in Germanos quoque eſt translatum *v.* CONRING. *de fin. c. 12. add.* COCCEJ. *J. P. P. c. 5. ſect. 1. 2.*

§. 62. Habuit itaque *Otto M.* (1.) regnum Germaniæ eique incorporatam Lotharingiam (2) Regnum Longobardicum (3) imperium Romanum & (4) regnum Arelatenſe, atque hinc *origo* imperii noſtri hodierni, quale in univerſum eſt, non immerito repetitur.

§. 63. Solet autem hac occaſione quæri (1) *quid Otto nomine Imperatoris Romani acceperit? v. ſupra* §. 40. CONRING. *de G. J. R. c. 10. 11.* GROT. *de J B. P. l. 2. c. 22. §.* 13. (2) *an penes Germanos ſit quarta Monarchia?* quod ſive neges ſive affirmes, Germaniæ perinde eſt.

§. 64. Porro (3) *an imperio Romano reliqua, velut acceſſiones, fuerint ſubjecta?* quod negandum CONRING. *d. l. c. 9. 12.* §. 3. *ſeqq.* (4) *an ſimpliciter, ſine alicujus prærogativa, diverſa illa regna in unam rempublicam coaluerint?* hoc quoque, inprimis ratione Italiæ & Germaniæ negandum videtur, licet diſſentiat

KULPISIUS *diſſert. de unitat. reipubl. in S. R. J. c. 2. §. 3.*

CAP. III.

De Habitu antiquo Reipublicæ Germanicæ ejusq; mutatione in genere.

SUMMARIA.

Acceſſerunt etiam Germaniæ alia §. 1. quoad habitum Ejus antiquum, quæ conſideranda §. 2. 3. jam olim ex variis Provinciis illa fuit compoſita §. 4. inter quæ ſeptem, fuere velut matrices §. 5. nempe Bojoaria §. 6. 7. Svevia §. 8. Saxonia §. 9. 10. Moravia §. 11. 12. 13. Vandalia §. 14. 15. 16. Francia §. 17. & terra Rhenenſis §. 18. 19. epicriſis de his provinciis §. 20. 21. 22. olim in Germania fuit Monarchia §. 23. conſtiuit parte mediata & immediata §. 24. ſed hoc diſcrimine vix niti licet §. 25. 26. ſeqq. hinc potius, inter Monarchiam, & plurium corporum liberorum ſyſtema, Germania perpetuo velut fluctuavit §. 32. 33. triplex mutatio Germaniæ accidit §. 34. 35.

§. I.

ACceſſere vel Franciæ antiquæ, vel Germaniæ, præter hactenus enumerata, alia etiam incrementa, *vid.* COCCEJ. *J. P. P. c. 5. ſect. 1. §. 5. ſeqq.* ſed jure nec ſatis effica-

efficaci nec conſtanti, de quo infra circa *fines imperii*, nonnulla dicemus, hoc loco antiquum Reipublicæ noſtræ habitum, ejusque, in præſentem ſtatum, mutationem in genere & breviter expendemus.

§. 2. Quis Germaniæ, ante exortum Francorum imperium, ſtatus fuiſſe cenſeatur, id *cap. præc.* §. *13.14.* attigi, ac fere in medio reliqui, neque de eo nunc agere animus eſt, quemadmodum de habitu Franciæ antiquæ dicere non attinet, ceu *cap. præc.* §. 22. innui. Denique Germaniam, cum Regno Longobardico, imperio Romano & regno Arelatenſi in unam haut coaluiſſe Rempublicam, ſed illa omnia effeciſſe plurium Civitatum Syſtema *d. cap. præc.* §. *64.* itidem indicavi *add.* COCCEJ. *d. c. 5.* §. *34.* cumque tria illa regna hodie iterum exemta ſint, ut de eorum, conjunctionisque cum Germania, habitu diſquiramus, opus non videtur, in tractatu tamen, de *jure finium*, illa attingere par erit.

§. 3. Fere igitur de Germaniæ eique incorporatæ Lotharingiæ habitu antiquo, ſaltem diſpiciendum erit, etſi, quando de mutatione in genere quæritur, Germania cum omnibus ſuis acceſſionibus ſpectatur. De cætero uti ſtatus antiquus eſt maxime involutus, ita eum exacte repræſentare, nec mearum

arum eſt virium, nec præſentis inſtituti, hinc ſatis erit, nonnullas conjecturas (1) de *partibus civitatis integrantibus* & (2) de *Ejus forma* dare vel referre.

§. 4. Illud igitur ſatis manifeſtum eſt, quod Germania hodie plures Ducatus, ac varii generis Comitatus & territoria Eccleſiaſtica contineat, nec dubitandum eſt, quin ex iis partibus integrantibus, jam olim civitas noſtra fuerit compoſita, utut eadem ætas omnibus tribui nequeat, ſed de eo potiſſimum quæritur, an non Provinciæ quædam velut fundamentales & matrices, ex quibus cætera omnia fere dependeant, reperiantur?

§. 5. Quo loco referri meretur ſententia Cocceji *in J. P. P. c. 2. §. 23. ſeqq.* cenſentis, Germaniam ab omni memoria, in ſex magnas provincias ſeu populos, nempe Vandilos, Iſtævones, Ingævones, Hermiones, Baſtarnas ac Marcomannos, diviſam fuiſſe, his vero nominibus dudum abolitis & producto Germaniæ limite, eodem tamen numero provincias extitiſſe, ſcilicet *Vandaliam, Moraviam, Saxoniam, Franciam, Sveviam & Bojoariam*, quibus virtute Francorum ſeptima, nimirum *Provincia Rhenenſis*, acceſſerit.

§. 6. Singularum hiſtoriam poſtea Vir Celeberrimus c. 3. texit, ex quo nonnulla

nulla delibabimus. Primo igitur *Bojoaria*, Germanici juris Provincia, ejusque Rex Adalgerio â Clodovæo M. victus, hac lege Regno Francico unitus eſſe perhibetur, ut Bavari ſub Duce, qui lege fidelitatis, â Francis, Ducatum agnoſceret, proprio jure ac Magiſtratu uterentur atque adeo Regno mediatè ſubeſſent.

§. 7. In Germania ergo prima omnium Bavaria in Ducatum erecta, eidemque Auſtria, Stiria, Carinthia, Carniola, Tirolis & Salisburgum adjuncta cenſentur, ſub Carolingis tamen non Ducem proprium, ſed Præfectos Regios habuit, iis vero deficientibus, libertatem priſtinam recuperavit, ſed ſub Henrico Leone Auſtria cæteræque ditiones detractæ & in varios Duces Statusque diviſæ ſunt.

§. 8. Altera Provincia, *Svevia* ſeu *Alemannia*, juris originisque germanicæ, Reges habuit usque ad Alaricum, quem Clodovæus M. prælio occidit & Sveviam Germaniæ ea formula univit, ut proprio deſtituta Magiſtratu, fiſco Regio immediate adſcripta eſſet, in quo ſtatu ſub Carolingis manſit, ſed Conradus I. Burchardum Ducem conſtituit, ex quo continens Ducum ſucceſſio, donec occiſo Conradino, divulſus Sveviæ Ducatus & in plures ſtatus diviſus ſit.

§. 9.

§. 9. Tertia Provincia *Saxonia*, jure ac origine tota Germanica, Turingis ſucceſſiſſe ac Friſiam Weſtphaliamque comprehendiſſe creditur, Ejus, in Orientalem & Occidentalem ſeu Oſt-& Weſtphaliam diviſæ, ſtatus popularis fuit, eaque lege Carolus M. deviĉtam Franciæ junxit, ut populus Saxonicus cum Francis unus eſſet, ſed ſuis legibus viveret, excepta tamen Weſtphalia, quæ Franciæ incorporata cenſetur.

§. 10. Sub Henrico tamen I. in potentisſimum Ducatum, Saxoniam, Turingiam, Haſſiam, Weſtphaliam, Angriam, Friſiam & Wetteraviam complexum, evaluiſſe putatur, proſcripto vero Henrico Leone, in plures quoque ſtatus divulſa, reliquique ejus Principes Statusque proprio jure uſi, ac nominatim Haſſia, Holſatia, Terræ Comitum Aſcaniæ, ſcilicet Anhaltina & caſtrum Lauenburg, Lubeca Brunſvicum Lunæburgum denique Miſnia & Thuringia eidem ſubtraĉta perhibentur.

§. 11. Duorum germanicæ originis populorum, *Moravorum* ſcilicet, Bohemiam vicinasque usque ad Sarmatas, Pannonias & Iſtrum regiones, & *Vandalorum*, littora maris Balthici habitantium, ſedes prope deſertas occuparunt *Slavi* ſeu *Venedi*, Sarmatiæ populi, alii Moraviam, alii Vandaliam, illi Orienta-

enta-

entales, hi Boreales, qui omnes imperium Germanicum eâ lege agnoviſſe cenſentur, ut ſub ſuis Ducibus & ſuo jure viverent, ſed jus civitatis germanicæ non haberent.

§. 12. Quarta igitur Provincia, eſt *Regnum Moravicum*, quod Carolus M. Germaniæ poſtliminio vindicavit, poſtea regno ſublato, ejus Provinciæ, Polonia & Bohemia proprios Duces nactæ ſunt, hæc quoque â Friderico I. in regnum erecta, Moraviam & Sileſiam ſucceſſu temporis complexa eſt.

§. 13. Luſatia vero & Miſnia ſub propriis Ducibus & Marchionibus vixiſſe videntur, imo Misnia Saxoniæ quoque annumeratur, ceu §. 10. retuli, *add.* Coccej. *c. 15. §. 39. in fin.* quod fortaſſis ad recentiora tempora pertinet. De cætero omnes Regni Moravici partes, ne Misnia quidem excepta, adhuc hodie Slavici juris, nec hactenus in jus civitatis Germanicæ aſſumtæ eſſe cenſentur, quod ad certos ſaltem effectus forte reſtringi debet.

§. 14. Venedi ſeu Slavi Boreales, Vandaliam habitantes, imperio Francorum paruisſe, deinde verò ab Henrico I. Ottone I. Ottone III. Conrado II. aliisque domiti, quin tandem ſedibus ſuis prope ejecti, Germanæq; Coloniæ ſubſtitutæ cenſentur. In Vandalia autem Henricus I. *Marchiam Brandenburgicam* conſtituit, quæ origine juris germanici, & quinta Germaniæ provincia eſt. §. 15.

§. 15. Formula Marchiæ fuit, ut illa, tanquam Ducatus Provinciæ, proprio jure ac poteſtate uteretur, adeoque regno mediate ſubeſſet, cum igitur Marchio Brandenburgicus, provinciæ ſuæ quoque Dux ſit, ac Slavi fere ejecti Germanæque Coloniæ ſubſtitutæ fuerint, hinc Marchia Brandenburgica juris originisque germanicæ cenſetur, ſecus ac Miſnia & Luſatia.

§. 16. Qui reliqui fuerunt Slavi, ſenſim coivere prope omnes, pars in Pomeraniæ pars in Obotritorum ſ. Mecklenburgenſium nomen, acceſſerunt etiam Coloniæ Germanæ, ac Pomerania à Friderico I. Mecklenburgum vero à Carolo IV. in Ducatum erecta eſt, cujus poſſeſſores, Duces Mecklenburgi & Principes Wendorum, ob Germanos & Venedos incolas, audiunt.

§. 17. Sexta Germaniæ Provincia eſt *Francia*, cujus regnum ante conſtitutum fuiſſe cenſetur, quam Franci Germaniæ fines Rhenumque tranſiverunt, hi enim, inferioris Rheni olim accolæ, intra Salam ac Mœnum deinceps conſedere, hinc Franciæ ſive Franconiæ nomen exortum, ac, conſtituto tandem Rege Pharamundo, intra Germaniæ fines regnum hoc dilatatum, ejusque ſedes regia Duisburgum fuiſſe exiſtimatur.

§. 18. Huic imperio, quod origo & matrix eſt

eſt imperii Germanici, acceſſit utraque Belgica ac Germania Cis Rhenana, hinc totum regnum conſtitit duabus partibus, *Francia & terra Rhenenſi*, quæ poſterior, ſeptima Germaniæ Provincia eſt, totius autem regni ſedes regia, fuit Aquisgranum.

§ 19. In Francia fuere Duces, ceſſitque tandem Ducatus ille, Ducibus Sveviæ, quibus deficientibus, quoque deſiit ac in varia dominia diſtractus eſt. Dux Terræ Rhenenſis, ſpecialiter Comes Palatinus Rheni audiit, ejusque Palatinatus, utramque Rheni ripam complexus, variis licet mutationibus intercedentibus, hodie quoque ſupereſt.

§. 20. De cætero uti circa hanc ſeptem Provinciarum repræſentationem, multa forsaſſis, quoad circumſtantias particulares, non ſatis liquida ſunt, quod rerum germanicarum periti penitius intelligent, ita in univerſum & quoad rei ſummam, dubitari poteſt, an certi quid hic definire, ac ſeptem illas Provincias pro fundamentalibus, ex quibus reliquæ omnes, temporis ſucceſſu enatæ ſint, habere liceat.

§. 21. Nam in Scriptoribus antiquitatum Germanicarum, magna fuit in rebus politicis ignorantia & accurationis hic neceſſariæ defectus, præterea frequentes Germaniæ acciderunt mutationes ejusque terræ varie diſtractæ

ſtractæ & diviſæ ſunt ac inprimis Carolus M. abolitis Ducatibus, Comitatus introduxit, quod nec ipſe Coccejus. diffitetur *vid. c.* 3. §. *94. c. 15.* §. *15. 43.* hinc ambigi omninò poterat, an ſeptem illæ Provinciæ, poſt tantas inprimis mutationes, ut fundamentales laudari queant.

§. 22. Sed nihil improbo, nam cum poſſeſſores illarum Provinciarum, quæ non penitus diſtractæ ſunt, hodie quoque nonnullis, præ cæteris Germaniæ Proceribus, gaudeant prærogativis, hinc probabile eſt, Provincias illas ab omni retro memoria præcipui quid habuiſſe, ac, mutationibus licet intervenientibus, ad priſtinam conditionem, ſi non in ſolidum, ſaltem aliqua ex parte rediiſſe, ut iſta partitione, in explicandis inſtitutorum germanicorum originibus, omnino niti aliquo modo liceat.

§. 23. Qua autem compage plures Germaniæ Provinciæ olim cohæſerint, & quæ adeo Reipublicæ, antiquioribus temporibus, fuerit *forma*, deinceps inquirendum? *Monarchiam* in Germania fuiſſe, vel ſolum *Regis* nomen innuere videtur, ſed habitum nexus illius penitius explicare, non adeo expeditum eſt.

§. 24. Ex ſententia Coccej *1. J. P. P. c. 9.* Germania dividitur in partem *mediatam*, quæ

quæ ea lege ſubjecta eſt regno Franciæ Orientalis, ut proprio jure, fiſco magiſtratuque uteretur, quo pertinent Bavaria, Saxonia, Moravia & Marchia; ac *immediatam*, quæ Regiæ Cameræ ſeu fiſco immediate adſcripta & à Regis Officialibus gubernata fuit, eo referenda Francia, Terra Rhenenſis, Svevia & Weſtphalia.

§. 25. Enimvero de duplici illa connectendi ratione omnino dubitari poteſt, nam quæ Franci rationibus ſuis propius adſcripſerunt, illa non regni ſed Ducatus ſimilive titulo tenuiſſe, ipſæ autem Terræ eodem modo, quo cæteræ, imperio Francico unitæ fuiſſe videntur, utut ei, cum poſſeſſores earum ſimul eſſent reges, addictius paruerint, id quod exemplo ditionum Auſtriacarum, quibus axioma imperiale diu hactenus cohæſit, hodie intelligi poteſt.

§. 26. Deinde ſi diverſam illam connectendi rationem admittas, id tamen ſecundo certum, quod illa non inconcuſſe ſteterit, nam ipſe Coccejus *d. tr. c.* 3. §. 7. fatetur, *Thaſſilone cum filio damnato, Ducatum Bavariæ Carolo M. apertum fuiſſe, qui non alium Ducem fecerit, ſed ſuo nomine Præfectos dederit, in eoque ſtatu ſub Carolingis illum duraſſe*, ergo illo tempore Bavaria, non mediata ſed immediata provincia fuit!

§. 27. Vice verſa, ex doctrina c. 3. §. 23. Conradus I. aſſenſu Svevorum, *Burchardum Sveviæ Ducem conſtituit, quem deinde ipſi Conrado & Henrico I. Regibus rebellem, Henricus domuit, ſed Ducatum eo jure, quo & ipſi Saxones in ſuo Ducatu tum utebantur, tenere facile paſſus eſt, ex quo continens Ducum ſucceſſio*, ergo Svevia tum fuit Provincia mediata!

§. 28. Ulterius *Henricus I. Cæſar creatus, uti reliquis permiſit late & cum libera poteſtate regnare in Ducatibus ſuis, ita & ipſe eadem latiſſime uſus*, ceu docetur *c. 3. §. 42. & eo tempore omnes provinciarum Duces, non nudi officii jure, ſed cum propria poteſtate, ut ipſe Henricus I. provinciis ſuis præerant d. c. 3. § 71. conf. c. 15. §. 1.* tum igitur omnes provinciæ fuerunt mediatæ!

§. 29. Ante illa tempora vero *Carolus M. omnium Provinciarum Duces ſuſtulit Comitesque ſubſtituit d. c. 3. §. 94.* imo *ſub Carolingis omnis Procerum poteſtas fuit mere adminiſtratoria, iis vero extinctis placuit, ut ſinguli populi ac provinciæ ſub Ducibus ſuis, ſalva Majeſtate Regis & regni, haberent propriam poteſtatem d. tr. c. 15. §. 45.* ergo ſub Carolingis omnes provinciæ, immediatæ, poſt eos vero, mediatæ fuerunt!

§. 30. Denique memoratum diſcrimen, non

non ſemper invariatum duraſſe, vel ex eo liquet, quod axioma regium per plures iverit familias, hinc ſi Francia fuit Provincia immediata, quando Franci rerum ſunt potiti, idem dici poſſe videtur de Saxonia, poſtquam ad Saxones Regia poteſtas devenit.

§. 31. Tandem laudata illa Provinciarum diverſitas, non videtur eſſe adæquata omnesque Germaniæ partes complecti, cum enim ſeptem illæ cardinales provinciæ varie diſtractæ multisque partibus truncatæ ſint, non liquet, qua formula novi ſtatus inde orti, Germaniæ fuerint uniti. Utut igitur diviſionem illam nolim plane improbare, ad eam tamen, in explicanda inſtitutorum nonnullorum origine, non ſatis tuto provocari, ob hactenus dicta crediderim.

§. 32. In genere itaque nihil aliud dici poſſe videtur, quam Reges Germaniæ provincias, per Proceres, nunc poteſtate mere adminiſtratoria, nunc jure proprio, dependente quidem, attamen liberiori, quam rationes Monarchiæ ferant, inſtructos gubernaſſe, adeoque Germaniam juxta regulas monarchias nunquam exacte ſatis fuiſſe compoſitam, atque ita in ea non tam Monarchiam, quam potius Monarchiæ Sciagraphiam extitiſſe, ſeu illam inter Monarchiam, & plurium corporum liberorum Syſtema, perpetuò velut fluctuaſſe.

§. 33. Id quod eo facilius conceſſerit, qui ruditatem præteritorum temporum ſerio expenderit. Innata quidem omnibus hominibus ambitio non ceſſavit, ſed nulla vel non ſufficiens agendi prudentia, nulli in futurum proſpectus aut in longinquum duratura tum erant conſilia, ſed omnia potius impetu ac fortuitis agebantur concurſibus, hinc mutationes enormes, everſiones violentæ & fata ſæpe ridicula tum non potuerunt non eſſe frequentiſſima; Uti igitur intolerabilis unius dominatus eâ tempeſtate non facile fuit metuendus, ita vice verſa artes & media, parando & conſervando vel juſto imperio, vel libertati neceſſaria, non ſatis cognita & adhibita fuerunt.

§. 34. Mirum igitur alicui videri non debet, quod Germania in eam, qua hodie conſpicitur, & in quam ſemper fere propendit, formam tandem ſubſederit. Si illa cum acceſſionibus ſuis in genere ſpectetur *vid. §. 3. h.* triplex ei accidit *Mutatio*, nam (1) Proceres Germaniæ, per leges fundamentales recentiores, libertatem in ditionibus ſuis conſecuti ac Regi vel Cæſari ſuo ſunt facti Coimperantes (2) Jura imperii, â Pontifice Romano, Germaniæ erepta ac ex parte ei iterum vindicata ſunt denique (3) Civitas noſtra poſſeſſione multarum regionum, quæ finium rationem habent, excidit. §. 35

§. 35. De cætero uti hæ mutationes à temporibus Ottonis I. à quibus Reipublicæ noſtræ, quatenus elogium Imperii Romano germanici meretur, originem *cap. præc.* deduximus præciſe reperi non debent, res enim morales & politicas in puncto conſtituere non licet, ita fatendum tamen eſt, quod poſt ea tempora, majori cum efficacia ſeſe exſeruerint, nos ſingulas breviter deinceps perſequemur.

CAP. IV.

De Origine Statuum imperii Secularium.

SUMMARIA.

Nomen Status imperii quid involvat §. 1. ſunt ſtatus ſeculares & Eccleſiaſtici §. 2. Duces & Comites Romani §. 3. antiquorum Germanorum §. 4. diviſio Procerum ſecularium quoad tempora recentiora §. 5. Princeps quis §. 6. 7. 8. 9. ſub Principibus comprehenduntur Duces §. 10. Comites Palatii §. 11. Marchiones, Burggravii, Landgravii, Principes in ſpecie, & Comites principali dignitate donati §. 12. Sub dominis continentur Comites §. 13. Barones §. 14. & domini in ſpecie §. 15. Procerum ſubordinatio §. 16. 17. 18. Sub Francis Proceres illi fuere Magiſtratus §. 19. 20. ſed eorum conditio mutata §. 21. mutationis fundamenta §. 22. media §. 23. 24. gradus §. 25. 26. 27. ſententia Monzambani §. 28. 29. 30. & Furſtenerii re-

fellitur §. *31. 32. 33. addito quoad hactenus dicta temperamento* §. *34. 35. 36. 37. Urbium origo* §. *38. ſtatus antiquus* §. *39. 40. 41. obtenta à nonnullis libertas* §. *42. ſeqq. origo Nobilitatis immediatæ* §. *53. 54.*

§. 1.

PRoceres Germaniæ, hodie inprimis, *Statuum imperii* nomine veniunt, ac in ſuis Territoriis libera ſatis poteſtate, quæ *Superioritas Territorialis* audit, utuntur, in Comitiis vero regulariter *voto deciſivo* gaudent, adeo ut ditionum ſuarum *Domini*, ac, quoad negotia communia expedienda, *Coimperantes* merito exiſtimentur, prout horum omnium naturam & vim loco proprio explicabimus.

§. 2. Quomodo vero ad amplam illam poteſtatem, Proceres Germanici pervenerint, illud breviter hic delineandum eſt, circa quod præſupponendum, Status imperii, in genere eſſe vel *Seculares* vel *Eccleſiaſticos*, de illis prius agendum videtur, cum eorum poteſtas, quodam modo, horum jure, ſit antiquior.

§. 3. Intelligendæ Statuum ſecularium origini, res *Romanæ à Germanicis*, & quoad has, *antiquiores* à *recentioribus* diſtingvi debent.

bent. Apud Romanos *Duces* & *Comites* memorantur, de quibus aliqua notarunt CONRING. *diſſert. de Duc. & Comit. §. 9.* KULPIS. *ad Monzamb. p. 2. c. 3. §. 2. pag. 6.* EYBEN. *diſſert. de Titul. Nobil. §. 16.* qui ultimus, Comites vel *Majores* vel *Minores*, quorum illi, *illuſtres*, hi *ſpectabiles* dicti ſint, fuiſſe cenſet, quæ omnia aliis curioſius explicanda relinquimus *add.* BECMAN. *notit. dignit. illuſtr. diſſert. 9. c. 1. §. 5. ſeqq.*

§. 4. Apud antiquos Germanos, de quibus *Tacitus*, Dux fuit, ſupremus belli Præfectus, quem Germani Heertog vel Hertzog dixerunt, ceu ex Cluverio monet CONRING. *d. diſſert. §. 4. add.* ID. *de judic. Germ. §. 6. ſeqq. de Urbib. German. §. 42. ſeqq.* Comites quoque apud Germanos antiquos reperiri, imo Comitum titulum primo ab his fluxiſſe, ac inde ad Romanos translatum eſſe, ex TACITI *de mor. Germ. c. 12. 13.* nonnulli ſibi perſvadent. *vid.* BECMAN. *d. diſſert. 9. c. 1. §. 3.* quod utrumque parum probabile eſt *add.* EYBEN. *d. diſſert. §. 14.* ſed de his etiam alii viderint.

§. 5. Recentiora Germanica à Regno Francorum auſpicari licebit; quod initium ſi cum ſecutis temporibus conjungamus, magnam Procerum ſecularium deprehendimus varietatem, forte tamen ad quatuor claſſes illi non male rediguntur, ſunt enim (1) *Prin-*

cipes (2) *Domini vid.* COCCEJ. *J.P.P.c.15.§.13.* quibus acceſſerunt ſuo tempore (3) *Urbes* & ex mea quidem ſententia (4) *Nobiles.*

§. 6. Nomen *Principis*, ſenſu ſpeciali notat eum, qui alios *exiſtimatione* antecellit, eique reſpondet germanicum Fürſt / â fördérſt vel fürſtehen deductum. Ex quo ſtatim etiam liquet ratio diverſæ ſuppoſitionis, quod nomen illud aliquando *Cæſari*, aliquando *Ducibus* & *Comitibus* ſimul, aliquando *illis eorumque ſimilibus* tantum, tribuatur, nam omnes illi, juxta diverſam comparationem, ſuo modo *primi* ſunt.

§. 7. Hinc dubio procul, in imperio noſtro Principis nomen, *dignitatis titulus* eſt BOECLER. *N.J. l. 7. c. 1. §. 2.* & differt à titulo Ducis, Landgravii &c. in eo, quod hic præcipue notet *munus* aliquod eiq; hodie ſurrogatum *jus Territoriale*, ac *exiſtimationem* ſaltem connotet, ille verò ad ſolam *dignitatem* pertineat, ac adeò, juxta primævam ſignificationem, ſit *commune nonnullorum Germaniæ Procerum prædicatum*, ſignificandæ dignitati inventum.

§. 8. Succeſſu tamen temporis *Principis* & *Principatus* nomen, peculiarem etiam *Statum* notare cœpit, nam poſtquam comites nonnulli ad claſſemPrincipum evecti,aut Epiſcopatus vel Abbatiæ ſeculo redditæ,vel Prin-

cipes

cipes noviter creati, ac bonis immediatis, in peculiare Territorium erectis, inſtructi, eidem claſſi inſerti ſunt, ex eo tempore, Principis & Principatus nomen, tum dignitatem, tum proprium aliquod jus territoriale, notavit.

§. 9. Unde perſpicuum quoque fit, cur quidam v. g. *Duces* & *Principes* promiſcue audiant, alii *Principum* ſaltem titulo utantur, nimirum in illorum familia, jam olim & *munus eique ſurrogatum jus territoriale illuſtrius, & exiſtimatio ſplendidior* fuit, hi vero ex Statuum inferiorum vel Eccleſiaſticorum claſſe, ad *primi generis dignitatem* evecti vel translati, aut etiam de novo eadem donati ſunt, hinc principalis titulus, ad eorum terras quoque nonnunquam dimanavit.

§. 10. Sub Principibus continentur (*1.*) *Duces*, quorum munus ab initio ad res militares tantum pertinuiſſe, poſtea vero ad civiles quoque extenſum eſſe cenſet CONRING. *de negot. convent. imper. §. 22.* EYBEN. *de Titul. Nobil. §. 17.* ex ſententia COCCEJI toti Provinciæ, cum ſumma inter Principes dignitate, præfuerunt *J. J. P. c. 15. §. 14. add.* LEHM. *Chron. Spir. l. 2. c. 16.*

§. 11. Deinde ad hanc claſſem (2.) pertinent *Comites Palatii* ſeu *Pfalzgravii*, qui toti quoque provinciæ, cum dignitate Ducali pro-

proxima, præfuerunt forte, ac Cæſaris nomine, jus in Palatio ſeu Curia Provinciæ dixere. Eorum quatuor olim fuiſſe perhibentur, Bavaricus, Saxonicus, Svevicus & Francicus, qui Terræ Rhenenſis ſimul Dux fuerit, aliisque etiam gaviſus ſit prærogativis *vid.* COCCEJ. *d. c. 15. §. 16. ſeqq.* CONRING. *de judic. German. §. 88. ſeqq.*

§. 12. Denique ſub Principibus continentur (3) *Marchiones* qui Provinciæ limitaneæ (4) *Burggravii* qui arci cuidam, cum adjacente ditione, præfuerunt (5) *Landgravii* quibus major quædam Provincia obtigit, quique recentioris ſunt ævi, nec ante Seculum XI. extitiſſe videntur *vid.* CONRING. *ad Lampad. p. 3. c. 5. §. 4.* BECMANN. *notit. dign. illuſtr. diſſert. 9. c. 2. §. 8.* (6) *Principes in ſpecie ſic dicti vid.* CONRING. *d. l.* ac (7) *Comites dignitate principali fulgentes* Gefürſtete Grafen, quorum jus ad ipſas terras non ſemper extenſum eſt *vid.* COCCEJ. *d. tr. c. 15. §. 23. ſeqq.*

§. 13. Alteram Statuum claſſem conſtituunt *Domini* vid. COCCEJ. *d. c. 15. §. 30. ſeqq.* quorum præcipui ſunt *Comites* ſeu *Graviones* qui juri dicundo præfuerunt *vid.* CONRING. *de Duc. & Comit. §. 12.* Videntur tamen intelligendi *majores*, qui eximiæ provinciæ parti dati ſunt, nam *minores & minimi vid.* EY-

BEN.

BEN. *Diſſert. de tit. Nob. §. 16. 18.* qui urbi vel pago aut peculiari alicui præfuerunt judicio ac forte nomine Gau-Holtz-Teich-Waſſer-Frey-Cent-Hauß-Ding-Grafen venerunt, in hunc cenſum referri non debent. *v.* EYBEN. *de titul. Nobil. §. 18. in fin.* Majorum tamen aliqua etiam diverſitas fuiſſe videtur *vid.* LEHM. *Chron. Spir. l. 7. c. 9. 23.* FUCHS. *in add. ad Lehman. l. 5. c. 70.*

§. 14. Deinde ſub Dominis comprehenduntur *Barones*, cui nomini reſpondet germanicum Freyherr & Semperfrey / Sempermann / *vid.* SCHILTER. *Comm. ad Jus Alaman. c. 1. §. 1. p. 35. §. 18.* LEHMAN. *Chr. Spir. l. 5. c. 108.* De cætero Baronis nomen, tum libertatem, tum munus notat, nam Barones etiam jurisdictionem exercuerunt. *v.* LEHM. *d. tr. l. 2. c. 16.* COCCEJ. *d. c. 15. §. 30. ſeqq.* habebant etiam Judices illi Vicarios & Aſſeſſores ſuos, qui Sculteti & Scabini dicebantur *vid.* BOECLER. *N. J. l. 2. c. 5.* ITTER. *de feud. imper. c. 8. §. 2.*

§. 15. Denique ad Dominos videntur etiam referendi *Domini in ſpecie* Herren / Edle Herren. Equidem res valde incerta eſt, *vid.* COCCEJ. *d. l. §. 34.* SCHWED. *Introd. ad Jus publ. part. ſpec. ſect. 2. c. 8. §. 4.* & vix dubito, quin Dominus & Baro, olim idem fuerit, ſed poſtea factum videtur, ut non-

nonnulli illum, alii hunc titulum magis geſſerint, cumque Magnates in defendendis elogiis ſuis ſint valde tenaces & ſcrupuloſi, inde diſcrimen, verbale magis quam reale, invaluit.

§. 16. De cætero Ducibus ſingulis, plures Comites, &, ut aliqui computant, duodecim ſubfuerunt *vid.* CONRING. *de* Duc. *&* *Comit.* §. *12. ſeqq.* KULPIS *ad* MONZAMB. *p. 2. c. 3.* §. *2. p.* 7. EYBEN. *de tit. Nob.* §. 17. HEIG. *qu. 2. n. 38.* Ducatibus vero a Carolo M. ſublatis, ac poſtea reſtitutis, mutationem quandam hic contigiſſe, quis dubitet, hinc etiam quidam Comites Ducibus non ſubjecti perhibentur EYBEN. *d.* §. 17.

§. 17. Principes vero Ducibus forte non ſubfuerunt, ſed potius limitandæ & minuendæ Ducum potentiæ inſtituti videntur. De Comite Palatino Bavariæ, hoc perſvadet locus AVENTINI *annali l.* 4. memoratus CONRINGIO *de judic. Reipubl. German.* §. *89.* nec de Landgraviis & Principibus in ſpecie, qui ſunt recentioris inſtituti, ambigendum fortaſſis eſt *vid.* CONRING. *ad Lampad. p. 3. c. 5.* §. *4.*

§. 18. Ex doctrina COCCEJ. *J. P. P. c. 15. 39. ſeqq.* in terris *mediatis*, ac inprimis in Bavaria & Saxonia etiam Principes Ducibus ſubjecti fuerunt, donec diſtracto poſt Henricum

ricum Leonem utroque Ducatu, poteſtati Ducum exemti ſunt, in quod Comitibus non accidit, qui vel ſub Ducibus remanſere vel etiam Principibus ſunt ſubjecti. In Terris vero *immediatis* Principum & Comitum Officia immediate regno, non Ducibus ſubjecta eſſe perhibentur. Enim vero neque diſcrimen terrarum mediatarum & immediatarum ſatis conſtans eſt, ceu *cap. præc.* §. 25. *ſeqq.* admonitum, neque, eo licet admiſſo, tam exacte quid definiri hic poſſe, vel ex iis, quæ §. *præc.* indicavi, liquet.

§. 19. De cætero Proceres, quorum varietatem & ſubordinationem breviter hactenus delineavimus, olim fuere nudi *Magiſtratus.* Franci enim, ad exemplum, ut creditur Romanorum, populis devictis, cæterisque ſubditis, dederunt *Magiſtratus ordinarios*, qui Duces & Comites audiverunt *vid.* CONRING. *de Duc & Comit.* §. 11. 12. *de negot. Convent. imper.* §. 23. & ſucceſſu temporis varie mutati & aucti ſunt.

§. 20. Quo loco nonnulla notanda ſunt; Nempe illum etiam pro Magiſtratu habendum eſſe, cui, cum antea ſui juris eſſet, ſub lege ſubjectionis provincia relinquitur. Deinde, non præciſe ad Magiſtratum requiri, ut nuda poteſtate adminiſtratoria, eaque temporaria fungatur, ſed potius tertio illum etiam

etiam Magiſtratuum claſſe cenſendum eſſe, qui jure proprio ac perpetuo ditioni præeſt, modo illud dependens ſit.

§. 21. Jam ex *quibus fundamentis*, per *quæ media* ac *quibus gradibus*, Proceres Germaniæ, ad ſublimiorem conditionem pervenerint, adeo ut, cum olim alieno nomine provincias regerent, nunc jure & nomine ſuo illis præſint, atque cum Cæſare, velut Coimperantes, negotia communia expediant, breviter oſtendendum erit.

§. 22. Duo ſunt velut fundamenta hujus mutationis (1) *quod tam ampla poteſtas antea revocabilis, in hæredes Ducum & Comitum fuerit transmiſſa*, (2) quod *nimis magna terrarum ſpatia fuerit complexa*, hunc errorem Monarchiis eſſe exitiabilem recte pronunciat MONZAMBANO *c.* 3. *§.* 2. frigide *à* KULPISIO *in not. & de Legat. ſtat. imper. c.* 7. *§.* 19. *in fin.* refutatus.

§. 23. Media ſunt vel *conſtituentia*, quæ ſummatim revocari poſſunt ad *voluntariam Cæſaris conceſſionem*, & *propriam Ducum Comitumque uſurpationem*, quam tamen *gratuitæ* aut *oneroſæ conventiones*, deinceps ſecutæ ſunt, vel *promoventia*.

§. 24. Qualia forte ſunt, *nimium libertatis ſtudium*, *ignorantia rerum politicarum*, *Cæſarum negligentia*, & *infirmitas*, *regionum opportu-*

portunitas, *Pontificum aſtutia*, *electionum libertas* ac ex LEHMANNI *Chron. Spir. l.* 2. *c.* 43. *in fin.* ſententia, *mutata militiæ ratio* conf. *l.* 5. *c.* 112.

§. 25. Gradus autem definite oſtendere, quid ſcil. ſub *unoquoque Cæſare*, intuitu *ſingulorum Præfectorum* factum ſit, quæque *cauſa movens* tum inprimis operata ſit, id videtur difficillimum, certe â noſtro inſtituto alienum.

§. 26. In genere verò ſic dicendum; ante *Carolum M.* jacta ſunt fundamenta, quæ ipſe *Carolus* maximam partem ſubruit, quando Ducatibus plerisque ſublâtis, Comitatus non hæreditarios inſtituit, *vid.* LEHM. *Chr. ſpir. l.* 2. *c.* 16. ſed *Caroli* poſteri & Saxones eadem reſtituerunt, Ducatibus denuo inſtitutis.

§. 27. Ab hoc tempore *ſucceſſive*, inprimis verò ſub *Henrico IV.* & memorabili illo interregno Ducum Comitumque poteſtas crevit, deinde verò per Conſtitutiones Imperatorum & inprimis Capitulationes, in ordinarii juris titulum converſa eſt, ac tandem pace Weſtphalica penitus fuit confirmata *v.* KULPIS *ad Monz. c.* 2. §. 10. *de Legat. Stat. imp. c.* 7. §. 8. *ſeqq. add.* CONRING. *ad Lampad. p.* 3. *c.* 5. §. 26.

§. 28. Equidem MONZAMBANO *c.* 3. §. 4. exiſtimat, poſt extinctam ſtirpem Carolinam

linam, Proceres Germaniæ in plenam evaſiſſe libertatem, ac ſua Territoria Cæſari velut feuda *obtuliſſe.* Quod ita explicat THOMASIUS *diſſert. de feud. oblat.* §. 24. *non alia conditione novo Regi regnum detuliſſe, quam ut poſſeſſionem ampliſſimorum territoriorum ipſis confirmaret.* Juxta hæc adeo non ſenſim, ſed uno velut momento & jam olim Status imperii ſublime illud territorii jus ſunt conſecuti.

§. 29. Sed uti tanta libertatis parandæ accuratio iſti ſeculo vix tribui poteſt, ita hiſtoriam etiam refragari, vel unicum *Conradi* Cæſaris exemplum, ævo Carolingico proximum, adeoque rei præſenti accommodatiſſimum oſtendit, hic enim teſte WITICHINDO *l. 1. vid.* CONRING. *de Duc. & Comit.* §. 20. Duci Saxoniæ *Henrico* omnem poteſtatem Patris *tradere veritus eſt*, & Saxones ſuo Duci ſuaſerunt, ut ſi *ſponte* eum Rex honorare nollet, *eo invito*, quæ vellet, ſumeret, quæ certe tale pactum, quale circa oblationem modo ſupponebatur, ſat evidender negant. *add.* LEHM. *Chr. Spir. l. 2. c. 47. l. 5. c. 23. 27.*

§. 30. Hodie verò tale pactum occurrere adeo jus territoriale Statibus *proprium* cenſeri debere, certum utique eſt, de quo ſuo loco diſtinctius, ut Statuum imperii non interſit tam altè, in explicanda earum libertate aſcendere.

§. 31

§. 31. Ulterius progreſſus eſt FURSTENERIUS *de Jur. ſuprem. c. 14. ſeqq.* quando Status imperii, non ex *Magiſtratibus*, ſed vetuſtiſſimis devictarum Gentium *Regulis* ortos eſſe, adeoque eorum *libertatem*, ſerie non interrupta, obtinuiſſe, contendit, ac ideo receptiori ſententiæ non leviter inſultat, ſed uti ipſe parum ſibi conſtat, ita ſolide ſatis refutatur à KULPISIO *de Legat. Stat. imper. c. 7. §. 14. ſeqq.*

§. 32. In Summa ſi quid dicendum, videtur Ille triplici falſo præſuppoſito niti (1) quod ex exiguo Gentium liberarum, quæ ante imperium Francorum forte fuerunt, numero, tot Statuum origo poſſit repeti (2) quod ad Magiſtratum requiratur, ut nihil niſi poteſtatem adminiſtratoriam habeat (3) quod is, qui proprio jure, dependente tamen, provinciæ præeſt, pro ſui juris Regulo haberi poſſit.

§. 33. In genere fellendis iis, qui Status imperii, vel ſemper, vel poſt extinctam ſtirpem Carolinam, ſtatim liberos fuiſſe cenſent, inſervire poteſt Status Reipublicæ Polonicæ, in hac magnam Procerum eſſe libertatem certum eſt, eos vero omnimoda & juſta libertate civili frui, dici nequit, atque talis etiam Reipublicæ germanicæ, ac ex iisdem fei è rationibus, olim fuit conditio.

§. 34. Cæterum hactenus de Origine ſtatuum dicta, aliquo modo temperari debent. Nimirum primo illa ad *Principes in ſpecie ſic dictos* non adeo pertinent, hi enim vel ex Comitibus aliisque Proceribus ſunt exorti, vel recentiori tempore creati: illorum origo ex ortu eorum, quibus ſunt ſurrogati, intelligenda, horum verò, ex propria cujusvis conſtitutione, repetenda eſt.

§. 35. Deinde, quando Proceres Germaniæ, ad ſublimiorem ſortem, aſcendiſſe perhibentur, non ea aſſertionis hujus eſt ſententia, quaſi omnibus illa contigerit, nam uti hodie multi Principes, Comites & Barones, ex ſola dignitate ſua, ſic audiunt, ita ex antiquioribus, Comites & Barones non pauci, Statibus imperii annumerari omninò non poſſunt, ſed alium, velut Dominum Territorialem agnoſcere coguntur.

§. 36. Quæ ergo conditio Comitibus & Baronibus tribui in dubio debeat, quæri poteſt? Coccej. *J. P. P. c. 15. §. 40. 41.* in terris mediatis, eos plerumque mediatos, in immediatis, immediatos eſſe cenſet, ſed vix iſto fundamento tuto niti licet, hinc potius dicerem, ſi major aliqua poteſtas in Territorio occurrat, tum Comites ſimilesque, ei ſubjectos non immerito cenſeri, ſi vero deficiat, tum illos in dubio liberos & immediatos pronunciandos eſſe.

§. 37

. 37. Denique quando Proceres Germa-
., in Imperantes evaſiſſe dicuntur, non
ecise hoc de imperio omnibus numeris ab-
ıto eſt exaudiendum, hoc enim uti præ-
s Germaniæ Status plane non admittit,
ın minoribus imperii Statibus, varie inſu-
r obtenta libertas ſolet eſſe circumſcripta,
lam igitur, non *plenam* aſſerimus.

§. 38. Poſtea de origine Urbium impe-
alium etiam agendum *v.* §. 5. Quo tempore
bes in Germania condi cœperint, prolixe
cplicat CONRING. *de urbib. germ.* §. *16. usque*
l 38. porro §. *77. usque 105*. cujus doctrinæ
ompendium exhibet MONZAMB, *c. 3.* §. *9.*

§. 39. Tempore Francorum & Saxonum,
rbes illæ per Epiſcopos in Sacris, Duces ve-
ò & Comites, in Secularibus, fuerunt gu-
ernatæ CONRING. *d. l.* §. *58. ſeqq.* ut tamen
uorundam Ducum & Comitum poteſtas,
ıbi inſolentius forte ſe geſſerunt, Epiſcopis
& Abbatibus eorumque Advocatis, fuerit à
Cæſaribus tributa ID. §. *107. ſeqq.*

§. 40. Nihilominus ſucceſſu temporis
tàm Duces & Comites, quam iis ſurrogati
Epiſcopi & Abbates, uti reliquas regiones ſi-
bi commiſſas, ita etiam pleraſque urbes, ple-
niori jure ſibi aſſerere cœperunt, adeo ut non
amplius earum *Præfecti*, ſed *Domini* eſſe vo-
luerint.

proxima, præfuerunt forte, ac Cæſaris nomine, jus in Palatio ſeu Curia Provinciæ dixere. Eorum quatuor olim fuiſſe perhibentur, Bavaricus, Saxonicus, Svevicus & Francicus, qui Terræ Rhenenſis ſimul Dux fuerit, aliisque etiam gaviſus ſit prærogativis *vid.* COCCEJ. *d. c. 15. §. 16. ſeqq.* CONRING. *de judic. German. §. 88. ſeqq.*

§. 12. Denique ſub Principibus continentur (3) *Marchiones* qui Provinciæ limitaneæ (4) *Burggravii* qui arci cuidam, cum adjacente ditione, præfuerunt (5) *Landgravii* quibus major quædam Provincia obtigit, quique recentioris ſunt ævi, nec ante Seculum XI. extitiſſe videntur *vid.* CONRING. *ad Lampad. p. 3. c. 5. §. 4.* BECMANN. *notit. dign. illuſtr. diſſert. 9. c. 2. §. 8.* (6) *Principes in ſpecie ſic dicti vid.* CONRING. *d. l.* ac (7) *Comites dignitate principali fulgentes* Gefürſtete Grafen, quorum jus ad ipſas terras non ſemper extenſum eſt *vid.* COCCEJ. *d. tr. c. 15. §. 23. ſeqq.*

§. 13. Alteram Statuum claſſem conſtituunt *Domini* vid. COCCEJ. *d. c. 15. §. 30. ſeqq.* quorum præcipui ſunt *Comites* ſeu *Graviones* qui juri dicundo præfuerunt *vid.* CONRING. *de Duc. & Comit. §. 12.* Videntur tamen intelligendi *majores*, qui eximiæ provinciæ parti dati ſunt, nam *minores & minimi vid.* EY-

BEN.

BEN. *Diſſert. de tit. Nob.* §. 16. 18. qui urbi vel pago aut peculiari alicui præfuerunt judicio ac forte nomine Gau-Holtz-Teich-Waſſer-Frey-Cent-Hauß-Ding-Grafen venerunt, in hunc cenſum referri non debent. *v.* EYBEN. *de titul. Nobil.* §. 18. *in fin.* Majorum tamen aliqua etiam diverſitas fuiſſe videtur *vid.* LEHM. *Chron. Spir. l.* 7. *c.* 9. 23. FUCHS. *in add. ad Lehman. l.* 5. *c.* 70.

§. 14. Deinde ſub Dominis comprehenduntur *Barones*, cui nomini reſpondet germanicum Freyherr & Semperfrey / Sempermann / *vid.* SCHILTER. *Comm. ad Jus Alaman. c.* 1. §. 1. *p.* 35. §. 18. LEHMAN. *Chr. Spir. l.* 5. *c.* 108. De cætero Baronis nomen, tum libertatem, tum munus notat, nam Barones etiam jurisdictionem exercuerunt. *v.* LEHM. *d. tr. l.* 2. *c.* 16. COCCEJ. *d. c.* 15. §. 30. *ſeqq.* habebant etiam Judices illi Vicarios & Aſſeſſores ſuos, qui Sculteti & Scabini dicebantur *vid.* BOECLER. *N. J. l.* 2. *c.* 5. ITTER. *de feud. imper. c.* 8. §. 2.

§. 15. Denique ad Dominos videntur etiam referendi *Domini in ſpecie* Herren / Edle Herren. Equidem res valde incerta eſt, *vid.* COCCEJ. *d. l.* §. 34. SCHWED. *Introd. ad Jus publ. part. ſpec. ſect.* 2. *c.* 8. §. 4. & vix dubito, quin Dominus & Baro, olim idem fuerit, ſed poſtea factum videtur, ut non-

nonnulli illum, alii hunc titulum magis geſſerint, cumque Magnates in defendendis elogiis ſuis ſint valde tenaces & ſcrupuloſi, inde diſcrimen, verbale magis quam reale, invaluit.

§. 16. De cætero Ducibus ſingulis, plures Comites, &, ut aliqui computant, duodecim ſubfuerunt *vid.* Conring. *de Duc. & Comit.* §. *12. ſeqq.* Kulpis *ad* Monzamb. *p. 2. c. 3.* §. *2. p.* 7. Eyben. *de tit. Nob.* §. 17. Heig. *qu. 2. n. 38.* Ducatibus vero a Carolo M. ſublatis, ac poſtea reſtitutis, mutationem quandam hic contigiſſe, quis dubitet, hinc etiam quidam Comites Ducibus non ſubjecti perhibentur Eyben. *d.* §. 17.

§. 17. Principes vero Ducibus forte non ſubfuerunt, ſed potius limitandæ & minuendæ Ducum potentiæ inſtituti videntur. De Comite Palatino Bavariæ, hoc perſvadet locus Aventini *annali l. 4.* memoratus Conringio *de judic. Reipubl. German.* §. *89.* nec de Landgraviis & Principibus in ſpecie, qui ſunt recentioris inſtituti, ambigendum fortaſſis eſt *vid.* Conring. *ad Lampad. p. 3. c. 5.* §. *4.*

§. 18. Ex doctrina Coccej. *J. P. P. c. 15. 39. ſeqq.* in terris *mediatis*, ac inprimis in Bavaria & Saxonia etiam Principes Ducibus ſubjecti fuerunt, donec diſtracto poſt Henricum

ricum Leonem utroque Ducatu, poteſtati Ducum exemti ſunt, in quod Comitibus non accidit, qui vel ſub Ducibus remanſere vel etiam Principibus ſunt ſubjecti. In Terris vero *immediatis* Principum & Comitum Officia immediate regno, non Ducibus ſubjecta eſſe perhibentur. Enim vero neque diſcrimen terrarum mediatarum & immediatarum ſatis conſtans eſt, ceu *cap. præc.* §. 25. *ſeqq.* admonitum, neque, eo licet admiſſo, tam exacte quid definiri hic poſſe, vel ex iis, quæ §. *præc.* indicavi, liquet.

§. 19. De cætero Proceres, quorum varietatem & ſubordinationem breviter hactenus delineavimus, olim fuere nudi *Magiſtratus.* Franci enim, ad exemplum, ut creditur Romanorum, populis devictis, cæterisque ſubditis, dederunt *Magiſtratus ordinarios*, qui Duces & Comites audiverunt *vid.* CONRING. *de Duc & Comit.* §. 11. 12. *de negot. Convent. imper.* §. 23. & ſucceſſu temporis varie mutati & aucti ſunt.

§. 20. Quo loco nonnulla notanda ſunt; Nempe illum etiam pro Magiſtratu habendum eſſe, cui, cum antea ſui juris eſſet, ſub lege ſubjectionis provincia relinquitur. Deinde, non præciſe ad Magiſtratum requiri, ut nuda poteſtate adminiſtratoria, eaque temporaria fungatur, ſed potius tertio illum etiam

etiam Magiſtratuum claſſe cenſendum eſſe, qui jure proprio ac perpetuo ditioni præeſt, modo illud dependens ſit.

§. 21. Jam ex *quibus fundamentis*, per *quæ media* ac *quibus gradibus*, Proceres Germaniæ, ad ſublimiorem conditionem pervenerint, adeo ut, cum olim alieno nomine provincias regerent, nunc jure & nomine ſuo illis præſint, atque cum Cæſare, velut Coimperantes, negotia communia expediant, breviter oſtendendum erit.

§. 22. Duo ſunt velut fundamenta hujus mutationis (1) *quod tam ampla poteſtas antea revocabilis, in hæredes Ducum & Comitum fuerit transmiſſa*, (2) quod *nimis magna terrarum ſpatia fuerit complexa*, hunc errorem Monarchiis eſſe exitiabilem recte pronunciat MONZAMBANO *c.* 3. §. 2. frigide *à* KULPISIO *in not. & de Legat. ſtat. imper. c.* 7. §. 19. *in fin.* refutatus.

§. 23. Media ſunt vel *conſtituentia*, quæ ſummatim revocari poſſunt ad *voluntariam Cæſaris conceſſionem*, & *propriam Ducum Comitumque uſurpationem*, quam tamen *gratuitæ* aut *oneroſæ conventiones*, deinceps ſecutæ ſunt, vel *promoventia*.

§. 24. Qualia forte ſunt, *nimium libertatis ſtudium*, *ignorantia rerum politicarum*, *Cæſarum negligentia*, & *infirmitas*, *regionum opportu-*

portunitas, *Pontificum aſtutia*, *electionum libertas* ac ex LEHMANNI *Chron. Spir. l. 2. c. 43. in fin.* ſententia, *mutata militiæ ratio* conf. *l. 5. c. 112.*

§. 25. Gradus autem definite oſtendere, quid ſcil. ſub *unoquoque Cæſare*, intuitu *ſingulorum Præfectorum* factum ſit, quæque *cauſa movens* tum inprimis operata ſit, id videtur difficillimum, certe â noſtro inſtituto alienum.

§. 26. In genere verò ſic dicendum; ante *Carolum M.* jacta ſunt fundamenta, quæ ipſe *Carolus* maximam partem ſubruit, quando Ducatibus plerisque ſublatis, Comitatus non hæreditarios inſtituit, *vid.* LEHM. *Chr. ſpir. l. 2. c. 16.* ſed *Caroli* poſteri & Saxones eadem reſtituerunt, Ducatibus denuo inſtitutis.

§. 27. Ab hoc tempore *ſucceſſive*, inprimis verò ſub *Henrico IV.* & memorabili illo interregno Ducum Comitumque poteſtas crevit, deinde verò per Conſtitutiones Imperatorum & inprimis Capitulationes, in ordinarii juris titulum converſa eſt, ac tandem pace Weſtphalica penitus fuit confirmata *v.* KULPIS *ad Monz. c. 2. §. 10. de Legat. Stat. imp. c. 7. §. 8. ſeqq. add.* CONRING. *ad Lampad. p. 3. c. 5. §. 26.*

§. 28. Equidem MONZAMBANO *c. 3. §. 4.* exiſtimat, poſt extinctam ſtirpem Caro-

linam, Proceres Germaniæ in plenam evaſiſſe libertatem, ac ſua Territoria Cæſari velut feuda *obtuliſſe.* Quod ita explicat THOMASIUS *diſſert. de feud. oblat.* §. 24. *non alia conditione novo Regi regnum detuliſſe, quam ut poſſeſſionem ampliſſimorum territoriorum ipſis confirmaret.* Juxta hæc adeo non ſenſim, ſed uno velut momento & jam olim Status imperii ſublime illud territorii jus ſunt conſecuti.

§. 29. Sed uti tanta libertatis parandæ accuratio iſti ſeculo vix tribui poteſt, ita hiſtoriam etiam refragari, vel unicum *Conradi* Cæſaris exemplum, ævo Carolingico proximum, adeoque rei præſenti accommodatiſſimum oſtendit, hic enim teſte WITICHINDO *l. 1. vid.* CONRING. *de Duc. & Comit.* §. 20. Duci Saxoniæ *Henrico* omnem poteſtatem Patris *tradere veritus eſt*, & Saxones ſuo Duci ſuaſerunt, ut ſi *ſponte* eum Rex honorare nollet, *eo invito*, quæ vellet, ſumeret, quæ certe tale pactum, quale circa oblationem modo ſupponebatur, ſat evidender negant. *add.* LEHM. *Chr. Spir. l. 2. c. 47. l. 5. c. 23. 27.*

§. 30. Hodie verò tale pactum occurrere adeo jus territoriale Statibus *proprium* cenſeri debere, certum utique eſt, de quo ſuo loco diſtinctius, ut Statuum imperii non interſit tam altè, in explicanda earum libertate aſcendere.

§. 31.

§. 31. Ulterius progreſſus eſt FURSTENERIUS *de Jur. ſuprem. c. 14. ſeqq.* quando Status imperii, non ex *Magiſtratibus*, ſed vetuſtiſſimis devictarum Gentium *Regulis* ortos eſſe, adeoque eorum *libertatem*, ſerie non interrupta, obtinuiſſe, contendit, ac ideo receptiori ſententiæ non leviter inſultat, ſed uti ipſe parum ſibi conſtat, ita ſolide ſatis refutatur à KULPISIO *de Legat. Stat. imper. c. 7. §. 14. ſeqq.*

§. 32. In Summa ſi quid dicendum, videtur Ille triplici falſo præſuppoſito niti (1) quod ex exiguo Gentium liberarum, quæ ante imperium Francorum forte fuerunt, numero, tot Statuum origo poſſit repeti (2) quod ad Magiſtratum requiratur, ut nihil niſi poteſtatem adminiſtratoriam habeat (3) quod is, qui proprio jure, dependente tamen, provinciæ præeſt, pro ſui juris Regulo haberi poſſit.

§. 33. In genere fellendis iis, qui Status imperii, vel ſemper, vel poſt extinctam ſtirpem Carolinam, ſtatim liberos fuiſſe cenſent, inſervire poteſt Status Reipublicæ Polonicæ, in hac magnam Procerum eſſe libertatem certum eſt, eos vero omnimoda & juſta libertate civili frui, dici nequit, atque talis etiam Reipublicæ germanicæ, ac ex iisdem fei è rationibus, olim fuit conditio.

§. 34. Cæterum hactenus de Origine ſtatuum dicta, aliquo modo temperari debent. Nimirum primo illa ad *Principes in ſpecie ſic dictos* non adeo pertinent, hi enim vel ex Comitibus aliisque Proceribus ſunt exorti, vel recentiori tempore creati: illorum origo ex ortu eorum, quibus ſunt ſurrogati, intelligenda, horum verò, ex propria cujusvis conſtitutione, repetenda eſt.

§. 35. Deinde, quando Proceres Germaniæ, ad ſublimiorem ſortem, aſcendiſſe perhibentur, non ea aſſertionis hujus eſt ſententia, quaſi omnibus illa contigerit, nam uti hodie multi Principes, Comites & Barones, ex ſola dignitate ſua, ſic audiunt, ita ex antiquioribus, Comites & Barones non pauci, Statibus imperii annumerari omninò non poſſunt, ſed alium, velut Dominum Territorialem agnoſcere coguntur.

§. 36. Quæ ergo conditio Comitibus & Baronibus tribui in dubio debeat, quæri poteſt? Coccej. *J. P. P. c. 15. §. 40. 41.* in terris mediatis, eos plerumque mediatos, in immediatis, immediatos eſſe cenſet, ſed vix iſto fundamento tuto niti licet, hinc potius dicerem, ſi major aliqua poteſtas in Territorio occurrat, tum Comites ſimilesque, ei ſubjectos non immerito cenſeri, ſi vero deficiat, tum illos in dubio liberos & immediatos pronunciandos eſſe.

§. 37

§. 37. Denique quando Proceres Germaniæ, in Imperantes evaſiſſe dicuntur, non præciſe hoc de imperio omnibus numeris abſoluto eſt exaudiendum, hoc enim uti præſens Germaniæ Status plane non admittit, ita in minoribus imperii Statibus, varie inſuper obtenta libertas ſolet eſſe circumſcripta, *juſtam* igitur, non *plenam* aſſerimus.

§. 38. Poſtea de origine Urbium imperialium etiam agendum *v.* §. 5. Quo tempore urbes in Germania condi cœperint, prolixe explicat CONRING. *de urbib. germ.* §. *16. usque ad 38. porro* §. *77. usque 105.* cujus doctrinæ compendium exhibet MONZAMB. *c. 3.* §. *9.*

§. 39. Tempore Francorum & Saxonum, urbes illæ per Epiſcopos in Sacris, Duces verò & Comites, in Secularibus, fuerunt gubernatæ CONRING. *d. l.* §. *58. ſeqq.* ut tamen quorundam Ducum & Comitum poteſtas, ubi inſolentius forte ſe geſſerunt, Epiſcopis & Abbatibus eorumque Advocatis, fuerit à Cæſaribus tributa ID. §. *107. ſeqq.*

§. 40. Nihilominus ſucceſſu temporis tàm Duces & Comites, quam iis ſurrogati Epiſcopi & Abbates, uti reliquas regiones ſibi commiſſas, ita etiam plerasque urbes, pleniori jure ſibi aſſerere cœperunt, adeo ut non amplius earum *Præfecti*, ſed *Domini* eſſe voluerint.

Digitized by Google

§. 41. Quædam tamen urbes iſtam ſortem effugiſſe cenſentur, in quem cenſum Francofurtum ad Mœnum, Goslaria, Northuſa & Mülhuſium referuntur à Conringio. *d. l.* §. *118.* Atque has urbes videntur Cæſares rexiſſe per Præfectos Imperiales die Reichs-Vögte de quibus peculiari tractatu egit Daniel Heiderus.

§. 42. Ex iſta conditione, quam ſub Ducibus aut Epiſcopis, vel Præfectis Imperialibus habuere, quædam urbes, ad libertatem adſpiraverunt, adeo ut obtenta tandem ſuperioritate Territoriali, ſub nomine *Urbium Imperialium*, Status imperii evaſerint.

§. 43. Sed diſtinctius videndum, *quo titulo, quando, à quo, quibus adminiculis* ac denique, *in quantum*, illæ libertatem ac jura ſublimiora fuerint conſecutæ.

§. 44. *Tituli* ſummatim revocantur vel ad *ſolam uſurpationem* vel *mutuum conſenſum*, qui quidem aliquando ab initio ſtatim interceſſit, ſæpe vero tollendæ uſurpationis injuſtitiæ, ex poſtfacto, idque diverſo tempore, ſecutus eſt.

§. 45. Juxta veriorem autem ſententiam poſt *Seculum XI.* in libertatem ſe aſſerere cœperunt urbes Conring. *d. l.* §. *71. 72. 121. ſeq.* quæ res ſenſim deinde, ſive ſpectes *urbes*, ſive *jus ipſum*, incrementa ſumſit, donec per

capi-

capitulationes & *Inſtrumentum pacis* complementum fuit nacta.

§. 46. Porro non à *ſolo Cæſare*, ſed & *Ducibus, Comitibus, Epiſcopis* libertatem obtinuêre civitates, nam hi quoque adeundi fuerunt, cum non tantum multæ urbes his ſubfuerint, ſed & Præfecturæ imperiales in feudum Comitibus vicinis dari cœperint.

§. 47. A quo verò præciſè *ſingulæ* urbes libertatem acceperint, id à nemine ſufficienter exponi poteſt, niſi cui ad archiva patet aditus, quædam tamen ſpecialia recenſet CONRING. *d. l.* §. 123. *ſeqq.* VITRIAR. *l. 1. tit. 18.* §. 8. LEHM. *Chr. Spir. l. 4. c. 4.*

§. 48. *Adminicula* ratione *Cæſaris* eadem fuiſſe videntur, quæ §. 24. retulimus, ſi quartum excipias, quod huc non quadrat, ratione vero *Ducum &c.* præter illa, creſcentem Urbium poteſtatem promoviſſe videntur *inconſultæ Ducatuum diviſiones, prodigalitas* & hinc orta *egeſtas.*

§. 49. Imo ipſi Cæſares minuendæ refractariorum Epiſcoporum & Principum potentiæ, libertatem urbium datis privilegiis juvarunt. In ſpecie verò *interitus Ducum Sueviæ & Franconiæ*, occaſionem occupandæ libertatis iſtius diſtrictus urbibus præbuit CONRING. *d. l.* §. 125. 126. aliter paulo COCCEJ. *J. P. P. c. 17.* §. 9. *ſeqq. vid. infr. l. 3. c. 2.* §. 17. *ſeqq.*

§ 50. His adeo adminiculis imperio Ducum ſe ſubtraxere civitates, & Præfectos imperiales ſenſim ita excuſſerunt, ut hodie vix eorum umbra ſuperet.

§. 51. In *tantum* autem omnes civitates imperiales libertatem obtinuerunt, ut *ſuperioritate Territoriali* in ſuis ditionibus, & *ſesſione* ac *voto*, in comitiis fruantur.

§. 52. Illam tamen eadem plenitudine omnes non habent *vid.* Schwed. *ſect.* 2. *c.* 9. §. 4. 8. 9. imo Præfecti imperiales in quibusdam adhuc ſuperare perhibentur *vid.* Vitriar. *d. tit.* 18. §. 13. quales tamen Northuſæ amplius non eſſe, contra ſecus ſentientes, teſtimoniis propriis oſtendit Oldenburg. *in addit. ad Limn. enucleat. addit.* 14. *p.* 191.

§. 53. *Origo* Nobilitatis immediatæ quam ultimo loco Proceribus Germaniæ annumeramus, *vid.* §. 5. ad interitum Ducum Franconiæ & Sveviæ refertur, his enim extinctis, Nobiles illius diſtrictus, hactenus Landſaſſii, deinceps imperio immediate ſubjecti eſſe cœperunt *vid.* Kulpis. *ad Monzamb. c.* 3. §. *fin.* Schwed. *Introd. ad J. P. part. ſpec. Sect.* 2. *c.* 18. §. 4.

§. 54. Improbat quidem hoc Coccejus *J. P. P. c.* 25. §. 5. ac Nobiles immediatos ex Terrris immediatis mavult arceſſere, ſed cum in genere hoc fundamentum parum conſtans

ſtans ſit, ceu *cap. præc.* § 25. *ſeqq.* oſtenſum, præterea IPSE *c.* 3. §. 23. fateatur, quod *Henricus I. Imperator, Burchardum, Ducatum Sveviæ eo jure, quo & ipſi Saxones in ſuo Ducatu tum utebantur, tenere paſſus ſit*, hinc Nobilitati immediatæ tam altas origines vix recte aſſignaveris.

CAP. V.

De Origine Statuum Imperii Eccleſiaſticorum.

SUMMARIA

Clerici etiam Statibus imperii annumerantur §. 1. Epiſcoporum Status antiquus §. 2. novi fundamenta §. 3. 4. introductio §. 5. ſeqq. Ex Abbatibus etiam & Abbatiſſis quidam, ſtatus dignitatem ſunt conſecuti §. 10. 11. an nova illa conditio toleranda §. 12. 13. 14. Equitum, Teutonicorum & Johanniticorum origo & habitus §. 15. 16. 17. 18. annumerantur aliquo modo ſtatibus imperii §. 19. ſeqq. an Ordines horum Equitum, Reipublicæ utiles §. 25. ſeqq. an in dubio Epiſcopi & Abbates, ſtatus imperii præſumendi §. 30. dictorum brevis repetitio §. 31.

§. 1.

CLerici quoque, nempe Epiſcopi, Abbates & Equites Eccleſiaſtici, in claſſe Imperantium Germanicorum hodie ſuo modo repe-

riuntur, ac Statuum imperii nomen, etiam cum dignitatis prærogativa, gerunt, quod qua ratione evenerit, paucis jam indicandum.

§. 2. *Epiſcopos* igitur quod attinet, iis juxta primævam intentionem cura religionem Chriſtianam docendi ac ſacra tractandi, nec non quædam jurisdictio in reliquos ejus ordinis homines fuit demandata, & inprimis *Carolus M.* plures in Germania Epiſcopos conſtituiſſe perhibetur *vid.* CONRING. *de Conſtitut. Epiſcopor.*

§. 3. Illorum vero non paucos præteritorum ſeculorum *barbaries* ac *ſuperſtitio conſiliis publicis* admovit, ac ad ingentem *opulentiam* evexit, licet ævo *Carolingorum* liberalitatem tam publicam quam privatam intra limites donati alicujus juris privati, fere ſubſtitiſſe, communiter exiſtimetur, *vid.* MONZAMB. *c.* 3. §. 7. *ibiq;* KULPIS.

§. 4. Potentia quoque ideo inſtructi eſſe perhibentur Epiſcopi, quo paganis reſiſtere poſſent, ceu ex THEOD. de NIEM refert SCHWED. *introd. ad jus publ. p. ſp. Sect.* 2. *c.* 6. §. 3. forte etiam, ut religionem armis propagarent. Denique Cæſares, minuendæ Ducum potentiæ, Epiſcopos ditarunt, quod, pro ratione iſtorum temporum, prudenter factum dici poteſt, *vid.* ITTER. *de feud. imper.*

Digitized by Google

per. c. 5. §. 17. Burgold. *ad Inſtr. pac. p. 1. Diſcurſ.* 20. §. 8.

§. 5. His ita conſtitutis, naturali velut neceſſitate Epiſcopi, illi officio eccleſiaſtico valedicere, ac imperium ſeculare ambire debuerunt, maxime poſtquam illuſtres perſonæ Epiſcopatus obtinuere, *add.* Lehm. *Chron. Spir. l. 4. c. 3.*

§. 6. *Otto M.* ſecularem poteſtatem Epiſcopis attribuere cœpit, ut tamen jam ævo *Carolingico* ejus rei jacta eſſe fundamenta, diffitendum forte non ſit. *vid.* Kulpis. *d. l.* §. *6.* poſtea igitur ſenſim ſecularis jurisdictio muneri Epiſcopali conjungi cœpit.

§. 7. Quædam tamen jura Cæſares ſibi reſervarunt, eademque per Advocatos tutelares ſeu *Vicedominos* in Epiſcopatibus exercuerunt, ſed & hæc, excuſſis Advocatis, ſenſim Epiſcopis ceſſerunt, *vid.* Vitriar. *l. 1. tit. 15.* §. *8. ibique citatos.*

§. 8. Iſtam vero poteſtatem, hactenus forte nomine Imperatoris exercitam, deinde in *jus proprium*, quod ſuperioritatem Territorialem hodie dicimus, convertere cœperunt Epiſcopi illi, quod à temporibus *Henrici IV.* & inprimis diuturno interregno, deinceps ſecuto, factum eſſe exiſtimatur. *vid.* Lehm. *Chr. Spir. l. 5. c. 95. 96. l. 7. c. 3.*

§. 9. Uſurpationis vero iniquitas, ſecutis dein-

deinde *conventionibus*, puta Aurea Bulla, conſtitutionibus *Maximiliani I.* capitulationibus à Seculo XVI. plenius conſcribi cœptis purgata eſt, donec hoc ſeculo pacis Weſtphalicæ ſanctio complementum addiderit. KULPIS *ad Monzamb. c. 2. §. 10. de Legat. c. 7. §. 8. ſeqq.*

§. 10. *Abbates* & *Abbatiſſæ* monaſteriis præeſſe juxta intentionem primæ fundationis debuerunt. De Monachorum & monialium, monaſteriorumque *origine, varietate, conſtitutione, vivendi ratione, exceſſibus & totius vitæ monaſticæ*, in ordine ad Societatem civilem, *habitudine*, agere debet Jurisprudentia privata, quia homines illi privatæ ſortis ſunt. Dixi aliquid in SPEC. JUR. ECCLES. *l. 2. c. 9. §. 20. ſeqq. add.* LEHM. *Chr. Spir. l. 5. c. 88. 100. 103.*

§. 11. Id ſolum hic notandum, quod ordinis Benedictini Prælati quidam, ex iisdem *fundamentis*, per eadem *media* & *gradus*, quæ circa Epiſcopos modo indicavimus ad Statuum imperii dignitatem aſcenderint, *v.* CONRING. *ad Lampad. p. 3. c. 6. §. 3. 6.* ea tamen diverſitate, ut nonnulli Principum dignitate fulgeant, alii Prælati ſimplices ſint.

§. 12. De cætero legibus divinis contrarium cenſeri non debet, quod Epiſcopi & Abbates imperium ſeculare obtinuerint, quid

quid enim impedit, quo minus ſub nomine Epiſcopi vel Abbatis ſecularem Principem aut Comitem quis agat? *v.* KULPIS *ad Monzamb. d.* §. *10.* CONRING. *de conſtit. Epiſcop.* §. *91. 95.*

§. 13. Ut tamen Epiſcopi & Abbates ad priſtinam reducantur conditionem, utile Germaniæ cenſet CONRING. *d.* §. *91. 95. ad Lampad. d. l. p. 228.* de rei verò hujus executione ipſe deſperat. Sed non apparet, cur Status Eccleſiaſtici rigidiorem mereri debeant cenſuram, quam Seculares, & cur non illi, horum exemplo poteſtatem ſemel acquiſitam tueri queant.

§. 14. *Monarchia* quidem reſtituenda illam reformationem poſtulat, ſed non præciſe *Germania*, quæ ſat valida & felix, etiam hoc rerum ſtatu, eſſe poterat, dummodo membra imperii juxta ſcopum Reipublicæ debite unirentur & Pontificis imperium penitus excluderetur, quod ad infamiam & detrimentum Germaniæ pertinere, cordatorum nemo non videt.

§. 15. Res *Equitum Teutonicorum & Johanniticorum*, hi enim in Germania inter Status imperii occurrunt, peculiaribus Scriptis varii expoſuerunt, quorum nomina conduxit BECMANNUS in den Anmerckungen von den Ritterlichen Johanniter-Orden und

und deſſen abſonderlichen Beſchaffenheit in dem Herrn Meiſterthum in der Marck ꝛc. *add.* CONRING. *ad Lamp. p. 3. c. 6. p.* 242.

§. 16. Eques hic eſt *perſona moralis ad militiam contra infideles gerendam obſtricta, ac ideo certo jure & honore gaudens;* Differt ab *Equitibus* aliis, *fine*, *à Nobilibus* vero, quod nobilitas *exiſtimationem*, equeſtris conditio, *munus* aliquod notet. *add.* BECMAN. *d. tr. c. 1.*

§. 17. Uterque ordo *cœpit* in Palæſtina *Seculo XII.* occaſione peregrinationum in terram ſanctam à ſuperſtitioſulis ſuſceptarum, inprimis verò ob expeditiones bellicas pro recuperanda Palæſtina tum temporis factas. *add* LEHM. *Chron. ſpir. l. 5. c. 52. 77.*

§. 18. Varios deinde habuit *progreſſus* & *adverſa fata*, quæ Autores proprii perſequuntur, ſicut etiam ordinum illorum *Statum* variamque Equitum *ſubordinationem* explicant, cujus rei tractatio præcipue ad jus privatum nobis pertinere videtur.

§. 19. In ſpecie ordo Teutonicus, qui ex ſolis Germanis conſtat, tandem in Germania ſubſedit. Ordinis *Magiſter* der Teutſch-Meiſter in Franconia tenet *Balliviam Mergentheimenſem* & *anno* 1530. inter Status imperii receptus eſt, ut poſt Archiepiſcopos, ſi per Bambergenſem liceat, voto & ſeſſione gaudeat. *add.* BECMAN *d. c. 1. §. 14. in med.*

§. 20.

§. 20. Reliqua Equitum bona in *Commendas & Ballivias*, quarum hæ illarum aliquot continent, diſtinguuntur. v. RHET. *J. I. P. l.* 1. *tit.* 16. §. 30. Quidam illarum poſſeſſores ſunt *Status imperii* & Prælatorum claſſe cenſentur, plerique vero aliis imperii Statibus ſubſunt eorumque ſunt *Status Provinciales.*

§. 21. Ordo Johannitarum in octo nationes diſtinguitur; Caput Totius ordinis eſt *Magnus Magiſter* der Groß-Meiſter/ ac in inſula Malta hodie reſidet, à qua Equites, etiam *Malthesii* dicuntur.

§. 22. Nationis Germanicæ Prior dicitur *Supremus Magiſter per Germaniam* der oberſte Meiſter in Teutſchland ac reſidet Hitersnemii in Brisgovia, ejusque Prioratus ex quatuor Commendis conſiſtit. A *Carolo V.* principali dignitate donatus, locum inter Status imperii, poſt Abbatem Fuldenſem, obtinuit.

§. 23. Reliqua bona itidem in *Ballivias* & *Commendas* diſtinguuntur, quorum poſſeſſores *Ballivi* & *Commendatores* audiunt; de eorum *conditione* idem dicendum, quod modo §. 20. annotavimus.

§. 24. In ſpecie memorabilis eſt *Ballivia Brandenburgenſis* das Meiſterthum ſ. Herrn Meiſterthum/ quæ ad Prioratum Germaniæ quidem pertinet, ut tamen velut Status provincialis Sereniſſimo Electori Brandenbur-

denburgico, ſubſit. Ejus Magiſter dicitur der Herren Meiſter & *Sonneburgi* reſidet, huic illuſtrandæ tractatum antea laudatum deſtinavit BECMANNUS.

§. 25. De *habitu* horum Ordinum intuitu Societatis civilis, ſat liberè, nec in favorem eorum, Sententiam fert CONRINGIUS ad *Lampad. d. l. p. 244.* quam laudandam cenſet KULPIS *ad Monz. c. 2. §. 11.*

§. 26. Fatendum utique eſt, *finem* factæ inſtitutionis, eamque *concomitantia vota*, nec cum regulis Socialitatis, nec principiis politicis nec placitis religionis Chriſtianæ convenire, ſed de hoc forte fruſtra amplius diſputatur, quia ultro ab illo fine diſceſſerunt Equites Germaniæ, & in univerſum longe alia quam olim, illorum Ordinum hodie eſt facies. *vid.* BURGOLD. *ad J. P. W. p. 1. Diſcurſ. 20. §. 13. in fin. p. m. 349.*

§. 27. Quare de *tolerantia* ſic forte pronunciandum: Magiſtri horum ordinum, nec non Ballivi & Commendatores immediati, ſua jura exemplo cæterorum Statuum facile tueri poſſunt, aliter quodammodo ſentit CONRING. *ad Lampad. p. 3. c. 6. p. 242.*

§. 28. Ballivias vero & Commendas mediatas, quivis Territorii dominus, jurium ſuorum intelligens, Statui ſuæ ditionis non inique attemperabit, quod vel ſolo Balliviæ

Bran-

ndenburgenſis exemplo intelligi po-
t.

§. 29. Utile eſſe, ut novus Ordo cuſtodi-
dis finibus inſtituatur, cum aliis cenſet
HWEDER. *p. ſp. ſect.* 1. *c.* 7. §. 9. ſed viden-
r hi autores *ſuſtentationem validi exercitus*
m *inſtitutione novi ordinis equeſtris* confun-
re, quæ apprime differunt.

§. 30. Cæterum hactenus, de origine Sta-
uum Eccleſiaſticorum, dicta non ita eſſe ac-
piendâ, quaſi omnes Eccleſiaſtici Proceres,
is Statuum imperii ſint conſecuti, hinc inde
tiam jam indicatum eſt, quare tempera-
nentum *cap. præc.* §. 35. 36. 37. datum, hic et-
am locum habet, inprimis quem non erra-
urum putem, ſi omnes Epiſcopos, Abbates
Equitesque Eccleſiaſticos, qui in Terris, ma-
ori aliqua Poteſtate animatis, reperiuntur, in
dubio mediatos pronunciet.

§. 31. Summa igitur eorum, quæ de ori-
gine Statuum imperii, tam Secularium quam
Eccleſiaſticorum, dici poſſunt, eo redit: Gen-
tes liberas à Francis utcunque in unam Rem-
publicam coactas, in priſtinam libertatem
ſæpe eſſe relapſas, ſtudiis contrariis imminu-
tas & fractas, adeo ut unius corruptio alterius
fuerit generatio, ac plura illa corpora varie
nunc colliſa, nunc conciliata, turbidis Rei-
publicæ temporibus fluctuaſſe, donec, ob-

 tenta

tenta libertate, præſens Reipublicæ Status, in multis adhuc diſtinctius merito efformandus, emerſerit.

CAP. VI.

De Papatu Italiæ.

SUMMARIA.

Germania etiam per papatum eſt mutata §. *1. papatus tripliciter accipitur* §. *2.* & *conſideratur theologice* & *politice* §. *3. papatus notat vel imperium Italiæ, vel Dominatum univerſalem* §. *4. imperium Italiæ quid* §. *5. ejus origo* §. *6. progreſſus* §. *7. ſeqq. Status ſub Imperatoribus Francis* & *Germanis* §. *11. ſeqq. libertas* §. *14. ſeqq. habitus præſens* §. *20. 21. moralitas* §. *22. ab Imperio germanico Papa non eſt liberatus, neque per Vicedeatum* §. *23. neque variorum Imperatorum donationes* §. *24. nempe Conſtantini M.* §. *25. Pipini* & *Caroli M.* §. *26. 27. Ottonis M.* §. *28. Ottonis III.* §. *29. Henrici II. Rudolphi I. Alberti, Henrici VII. Caroli IV. Sigismundi* & *Caroli V.* §. *30, 31. 32. neque per præſcriptionem* §. *33. neque jus coronandi* §. *34. neque juris Canonici autoritatem vel ſolam poſſeſſionem* §. *35. interim jus Germaniæ eſt inefficax* §. *36.*

§. 1.

ALtera Germaniæ mutatio, *vid. c. 3.* §. *34.* in eo conſiſtit, quod eximia imperii civilis pars, per Papatum olim ei ſit erepta, hi enim, uti alias Respu-

publicas chriſtianas, ita inprimis Germa-
n afflixit. De hoc ergo in genere nunc
ıdum, idque eo magis, quo magis Pro-
ıntium intereſt, eam rem ad liquidum
ıci, & quo minus Scriptores Juris publi-
ınc disquiſitionem profeſſa opera inſti-
ıt. Interim brevi ſaltem delineatione
is jam defungendum eſt.

2. Papatus *vid.* SCHERZER. *Antibellarm.*
ıt. 1. §. 1. HORNBECK. *Summ. Controv. l. 4.*
193. tripliciter ſupponi poteſt (1) pro *to-*
ligione pontificia, quatenus vel vera vel
eſt (2) pro *complexu falſorum dogmatum*
pro *imperio*, quod ſibi Pontifex Roma-
tam in Italia, quam in aliis Rebuspublicis
petere exiſtimat.

3. De cætero Papatus quomodocunque
oſitus, dupliciter conſiderari poteſt, *theo-*
e, dum juxta normam S. Scripturæ ille ex-
ditur, & *politice*, dum ejus, à prælaudata nor-
ıbeuntis, origo, artes, moralitas ac habitus
dine ad ſocietatem civilem, inveſtigan-
quæ diſquiſitio ſumme etiam neceſſaria
cum non tantum theologicæ majorem af-
dat lucem, ſed & eo conducat, ne ſub ſpe-
eligionis, iniqua ſervitute ſe conſtringi
ines facile patiantur.

4. Nos deinceps disquiſitione politi-
expendemus *papatum pro imperio acce-*
m, â qua tamen non penitus exulabit pa-

patus pro falſorum dogmatum complexu ſuppoſitus, cum hic illi ſtabiliendo ſit adinventus. Sumitur autem ille vel pro *imperio Italiæ* ſeu *patrimonii petrini*, quod vocant, vel pro *imperio aliquo univerſali.* Utrumque ſeorſim conſiderabimus non quaſi putemus, Pontificem, duplex illud imperium, ſeparatim aut ſucceſſive ſibi acquirere ſtuduiſſe, ſed quo major ſit doctrinæ perſpicuitas.

§. 5. Dominatus igitur Italiæ, eſt, ſi ſententiam Pontificiorum & poſſeſſionem ſpectes, *liberum aliquod & abſolutum imperium, quod Pontifici, intuitu patrimonii petrini, tam in ſecularibus quam eccleſiaſticis competit.* Cujus ſpecialius (1) *origo* (2) *habitus* & (3) *moralitas* ſpectari poſſunt.

§. 6. *Originem* quod attinet, fuerunt olim inter Chriſtianos Eccleſiæ Doctores, quorum præcipui *Presbyteri* vel *Epiſcopi* audiverunt *vid.* CONRING. *de conſtit. Epiſcop.* §. *20. 46.* Talis etiam Romæ fuit, quem ſive illo, ſive hoc nomine exprimere velis, hactenus noſtra nihil intereſt; Id certum, quod ille Imperatorum Romanorum fuerit ſubditus, ac per tria priora ſecula à Chriſto nato, quibus Ethnici imperium tenebant, exiguas vel nullas in Aula habuerit partes.

§. 7. Poſtquam Imperatores Romani chriſtianam amplexi ſunt religionem, hæcque

e mox in deterius ruere cœpit, dum non
æ pietatis, ſed externi ſplendoris fuit ha-
a ratio. Epiſcopus Romanus opibus & po-
tia ſenſim etiam crevit, quæ majora ſum-
ınt incrementa, poſtquam imperium Ro-
num, in Orientale & Occidentale, divi-
ı, hocque varie diſtractum ac ejus reli-
æ Orientali utcunque iterum conjunctæ
runt.

. 8. Quantacunque vero iſto rerum ſta-
Epiſcopi Romani fuerit autoritas, certum
nen eſt, quod Urbis Romæ dominis, ac
rimis Cæſaribus Orientalibus ſeu Con-
ıtinopolitanis, is fuerit ſubjectus, quam-
labentibus horum rebus, non tantum
ı nonnulla Cæſarea ſibi arrogaverit, ſed
excitata ſeditione, legitimis dominis non
iel ſe oppoſuerit *vid.* GIBELIN. *Cæſareo-
. Roman. p.* 1. *c.* 4. §. 2. *p.* 2. *c.* 4. §. 6. 7. 8.
§. 7.

. 9. Sed illa omnia nondum ſufficie-
t acquirendo peculiari patrimonio & im-
io. Hujus vero fundamenta jecit Pipi-
Francorum Rex, nam hic, à Stephano
Epiſcopo Romano imploratus, victo Ai-
pho Longobardorum Rege, ac Roma ab
dione liberata, terras, quas Cæſaribus
entalibus Longobardi eripuerant, cum
Roma, non legitimis dominis reſtituit,

 ſed

ſed potius Romano Epiſcopo donavit *vid.* PACIF. â. LAPID. *in not. ad Monzamb. diſcurſ. 6. §. 9.* à quo tempore hic Orientalium imperium haut amplius agnovit *vid.* CONRING. *de G. J. R. c. 6. §. 6 ſeqq.*

§. 10. Nec tamen ideo in plenam evaſit libertatem, nam Aiſtulphi ſucceſſor Deſiderius, terras donatas, ei iterum abſtulit ac Romam denuo obſedit. Sed Pipini filius, Carolus M. ab Hadriano evocatus, ita Deſiderium fregit, ut Longobardorum regnum in ſe transtulerit, ac reliquias Imperii Occidentalis Epiſcopo Romano, adjectis etiam nonnullis reſtituerit, ipſe tamen, earum intuitu, ſub nomine *Patricii*, tale fere jus obtinuit, quale antea in eas Cæſares Conſtantinopolitani habuerunt *vid. Can. 22. Diſtinct. 63.* CONRING. *de G. J. R. c. 6. §. 10. ſeqq.*

§. 11. Subfuit igitur tum Epiſcopus Romanus Carolo M. quod multo magis dicendum, poſtquam Hic *anno 800.* intuitu patrimonii Petrini, titulum *Imperatoris Romani* aſſumſit, eoque nomine ab Epiſcopo coronatus eſt *vid.* CONRING. *d. tr. c. 5. §. 16. c. 6. §. 14.* hoc enim Caroli imperium, quoad ipſos Romanos, ſatis legitimum cenſeri debet, utut, intuitu Cæſarum Orientalium, defendi nequeat. *vid.* CONRING. *d. tr. c. 7. 8.*

§. 12. Imperium acquiſitum transmiſit

Caro-

rolus in poſteros, ac in ſpecie, ſuo tempo- Reges Germaniæ, ac licet hi, exortis tur- s,ejus poſſeſſione exciderint, attamen *Otto anno* 964. illud Germaniæ ita conjunxit, Res Germaniæ, ipſo jure eſſet quoque Im- rator Romanus ac Epiſcopi Romani Do- inus *vid.* CONRING. *d. tr. c.* 10. *§.* 23. *ſeqq. fin. imper. l.* 1. *c.* 9. quod Germanorum jus, nni reſpectu legitimum cenſeri debet.

§. 13. Ab hoc tempore Reges Germaniæ tulum *Imperatorum Romanorum* conſtanter eſſêre, ac in ſignum imperii ſibi competen- s, ab Epiſcopo Romano, usque ad Carolum /. coronati ſunt. Sicut autem Reges Ger- naniæ jus ſuum nonnunquam ſtrenue vindi- arunt, ita vice verſa Epiſcopus Romanus id omnibus modis egit, quo, illo excuſſo, abſo- utum imperium in terras poſſeſſas conſe- queretur.

§. 14. Hoc variis artibus effectum eſt, nam electio Pontificis Romani, excluſo Cæ- ſare, ad ſolos Cardinales eſt translata *vid.* GI- BELIN. *Cæſareo-pap. p.* 2. *c.* 4. §. 16. jus Reges inſtituendi & exauctorandi Papæ aſſertum, ex quo libertas patrimonii petrini non pote- rat non ſequi; Jam Status imperii, aut exteri Reges in Cæſares concitabantur aut alias tan- tum negotii ipſis imponebatur, ut Italiæ tan- dem obliviſcerentur.

§. 15. His & ſimilibus mediis Epiſcopi Romani liberum imperium in ditionibus ſuis tandem, ſi poſſeſſionem ſpectes, obtinuerunt. Quantum vero quisque ad hoc contulerit, id per ſingula Secula deducere, integræ hiſtoriæ opus eſt, adeoque inſtituti noſtri menſuram longiſſime excedit. Quid ab *anno* 700. usque ad *annum* 1517. contigerit, aliquo modo recenſuit GIBELIN. *Cæſareo-pap. p. 1. c. 5. 6. 7. add.* LEHM. *Chron. Spir. l. 5. c. 67. 79. l. 7. c. 10. 14. ſeqq. c. 32. 104.*

§. 16. Ut nonnulla ſaltem delibemus, autoritas Cæſarea. usque ad Henricum IV. ſic ſatis conſtitiſſe videtur. Hujus verò tempore Pontifex Gregorius VII. ſeu Hildebrandus eam penitus conculcare anniſus eſt, dum ingenti auſu non tantum omne obſequium Cæſaribus negavit, ſed & eorum dominus & judex haberi voluit, cujus veſtigiis cæteri deinceps inſtiterunt, & licet Cæſares ac inprimis Fridericus I. & II. acriter reniſi ſint, attamen, turbis exortis, amiſſam autoritatem reſtituere non potuerunt.

§. 17. Imo interregnum diuturnum, quod poſt tempora Friderici II. accidit, ſtabiliendo imperio papali peropportunũ fuit, poſt quod etiam ſecuti Imperatores, pro recuperanda Italia, nihil adeo tentarunt, ſi Ludovicum Bavarum excipias *vid.* CONRING. *de fin. imper.*

r. *l.* 2. *c.* 21. Interim Papa ad quosvis Imperatorum motus trepidare, ſibique timere let *vid.* PUFENDORF. *Introd. ad hiſtor.* 12.

§. 18. Nonnunquam etiam Pontifices ſibi ipſis obfuerunt, quo referas quod Clemens V. ſedem papalem Roma Avenionem transtulerit, aut quod, electione papali nondum ſatis circumſcripta, Cardinales aliquando duos Pontifices elegerint, qui jus ſuum defenſuri, magna ſæpe acerbitate ſeſe mutuo ſunt perſecuti, adeo, ut ejusmodi ſtatus biceps per longum ſatis tempus aliquando duraverit. *vid.* GIBELIN. *Cæſareo-pap.* 2. *c.* 6. §. 8.

§. 19. Sed quicquid horum evenerit, Dei permiſſu & humana ſtultitia ac calliditate nihilominus tandem res eò redacta eſt, ut Pontifex libertatis plenæ poſſeſſionem obtinuerit, atque ita is, qui Cæſaribus germanicis olim ſuberat, & nunc etiam, ſi jus ſpectes, ſubeſt, ingenioſa metamorphoſi, non tantum liber, ſed & Dominis ſuis ſuperior haberi velit.

§. 20. *Habitum* imperii papalis, de quo deinde videndum *v.* §. 1. quod concernit, complectitur illud varias provincias, ex quibus non exigui reditus in Cameram papalem derivantur *vid.* PUFENDORF. *introd. ad hiſtor.*

ſtor. c. 12. Gibelin. *Cæſareo-pap. p. 2. c. 1. §. 10. c. 6. §. 8.* De cætero eſt illud, monarchicum ac electitium eique nemo, niſi ex Cardinalibus & per Cardinales electus, cœlebs ac utplurimum Italus & ætate gravis præficitur, de quorum omnium rationibus eleganter jam diſſeruit Pufendorf. *d. c. 12. add.* Gibelin. *d. tr. p. 3. c. 6. §. 1. ſeqq.*

§. 21. Nulla autem Capitulatione Pontifex obſtringitur, nam nec hanc ratio ſtatus admittit, Cardinalium tamen, quorum non exiguus numerus *vid.* Scherzer. *Antibellarmin. Diſp. 1. th. 1.* Gibelin. *d. tr. p. 1. c 7. §. 1. pag. 86. c. 8. §. 8. pag. 125. p. 2. c. 6. §. 9. p. 387. p. 3. c. 6. §. 6. pag. 828.* conſilium ſequi tenetur, qui etiam, ſede vacante, jura papalia exercent. De cætero iſta imperii conſtituendi & exercendi ratio, non tantum ad imperium Italiæ, ſed & potiſſimum, ad dominatum Univerſalem, de quo deinde agemus, pertinet.

§. 22. Supereſt ut tertio de *moralitate* imperii papalis breviter diſpiciamus. Reipublicæ Germanicæ legitimum aliquod jus, in terras pontificias, aliquando competiiſſe, certum eſt, nec ab ipſis Pontificiis negari poteſt. Merito igitur pro hoc tamdiu præſumitur, ac Pontificis poſſeſſio injuſta cenſetur, quamdiu jus Germaniæ legitime ſublatum probari nequit.

§. 23.

§. 23. Jam probandæ exemtioni allegatur quidem (1) *Vicedeatus Pontificis, quo pro lubitu regna dare & adimere, ac ſibi attribuere ille poſſit.* Verum hunc merum eſſe commentum, nulla ratione ſubnixum *cap. ſeqq.* oſtendemus *add.* CONRING. *de G. J. R. c.* 13. §. 3. 4. 5. 11. 12. 13.

§. 24. Deinde (2) laudantur *Variorum Imperatorum donationes.* Sed hic probandum erit, quod *donatio revera ſit facta*, deinde quod *ſuis illa conſtiterit requiſitis ac fuerit valida*, denique quod *ſummum imperium tranſtulerit.* Quantopere verò in iis vel omnibus, vel quibusdam probandis, ad obtinendam plenam autonomiam, defecerint Pontificii, cum alii, tum præcipue CONRINGIUS oſtenderunt.

§. 25. Donatio Conſtantini M. rudioribus ſeculis tantopere jactata *vid. c. 14. Diſtinct. 96.* probabiliter, poſt Gregorium VII. Papam, confingi cœpit, ac adeo ementita eſt, ut hodie cordatiores Pontificii eadem etiam erubeſcant, ſilent enim Scriptores coævi ac tam Conſtantinus, quam poſt eum Theodoſius, facta diviſione, imperium Romanum filiis ſuis aſſignarunt *vid.* CONRING. *de G. J. R. c. 10.* §. *9.* 14. *c.* 13. §. *14.* BURGOLD. *ad J. P. W. p. 1. Diſcurſ. 6. pag. m. 182.* LUDOVIC. DE MONTE SPER. *Vind. pac. Osnabr.* §. 31. LANS. *Conſult. contr. Ital. p. m. 573.*

§. 26.

§. 26. Pipini & Caroli M. donationes factæ quidem ſunt, ſed ſummum imperium penes Francos manſiſſe, certum eſt *vid.* CONRING. *de G. J. R. c. 6. 7.* Ludovici Pii donatio autem pro commento non immerito habetur, cum ante Hildebrandum nemo eam ſciverit & tabulæ donationis inter ſe non ſatis conveniant, facta tamen ſummo imperio non obeſt *vid.* CONRING. *d. c. 7. §. 12.*

§. 27. In genere notandum, quod donationes illæ Francicæ Germaniam non adeo attineant, cum poſt illa tempora demum ſe, in propriam ac ſui juris rempublicam, compoſuerit, ac ex alio principio jus in Italiam nacta ſit. Multo minus Germaniæ nocuit donatio Caroli Calvi, Regis Galliæ, cum ille, imperii Romani invaſor, de alieno fuerit liberalis ac mox a Germanis Italia expulſus ſit.

§. 28. Donatio Ottonis M. quæ majori ſpecie urgeri poteſt, pro commento merito habetur, cum ante Baronium nemo eam ſciverit, nullus etiam Pontificum ſequentium, ad eam provocaverit, cum tamen plures Cæſares loca quædam, in tabulis donationis comprehenſa, conſtanter poſſederint. Denique ſi facta eſt, ſummum imperium non transtulit, ceu ex ipſis tabulis, Baronio adductis, liquet, *vid.* CONRING. *de G. J. R. c. 10. §. 9.*

Digitized by Google

§. 9. 10. 11. de fin. imper. l. 1. c. 10. pag. 105. ſeqq.

§. 29. De donatione Ottonis III. non eſt, cur valde glorientur Pontificii, cum patrimonium petrinum magis imminuerit quam auxerit, idque ex conſilio Papæ Sylveſtri II. Quicquid autem factum eſt, illud omne, ſalvo imperio Germanico, accidit *vid.* CONRING. *de fin. imper. d. c. 10. p. 116. de G. J. R. d. c. 10. §. 13. ſeqq. add.* SCHERZER. *Antibellarm. Diſput. 5. th. 3. p. 383.* LEHM. *Chron. Spir. l. 5. c. 15.*

§. 30. Donatio Henrici II. conficta eſt, ultro vero admiſſa Germaniæ ſupremo imperio non officit, *vid.* CONRING. *de fin. d. l. p. 118. de G. J. R. d. c. 10. §. 12. add.* LEHM. *Chr. Spir. l. 5. c. 75. 78.* Rudolphus I. ex ſententia Bzovii, in Comitiis Viennæ 1279. habitis, ditiones Italicas Pontifici ultro & plene, cum Statuum imperii conſenſu, donavit.

§. 31. Sed etiam hæc donatio probabiliter commentum eſt, quia literæ Rudolphi produci nequeunt, Baronius quoque & Bzovius, in adducendo Statuum conſenſu, variant, denique fides Bzovii alias eſt valde ſuſpecta. Quodſi autem facta eſt, tum nec ſatis valida fuit, puia omnium Imperii Statuum conſenſus non acceſſit, nec pure, ſed ſub conditione ſumtuum, in expeditiones ſacras à Pon-

à Pontifice faciendorum, nunquam impleta, facta eſt, nec ſummum imperium transtulit, quod uſus ſequentium temporum docuit *vid.* CONRING. *de fin. imper. c. 20. d. G. J. R. c. 13. §. 9. ſeqq. add.* LEHM. *Chron. Spir. l. 5. c. 106.*

§. 32. Adduci etiam ſolent donationes Alberti, Henrici VII. Caroli IV. Sigismundi & Caroli V. Sed vel dolo Pontificum ſunt elicitæ, vel ſine conſenſu Statuum factæ, vel præcedentes ſaltem confirmarunt, adeoque ſummum imperium haut transtulerunt, id quod etiam ſecuti temporis praxis nonnunquam confirmavit *vid.* CONRING. *d. l. add.* LEHM. *Chr. Spir. l. 7. c. 40.* GIBEL. *Cæſareo-pap. p. 2. c. 5. §. 28. ſeqq.*

§. 33. Poſtea (3) ex *præſcriptione ſeu tacita translatione*, jus papale repetitur. Verum uti hæc ex *ſolo lapſu temporis*, *ex omiſſa poſt Carolum V. coronatione*, *ex clauſulis capitulationum de Papa defendendo*, aut ex *legationibus, inter Cæſarem & Papam uſitatis*, colligi nequit, ita *titulus Imperatorius*, *coronatio pontificia*, *confirmatio privilegiorum papalium*, *varii actus imperioſi*, *usque ad Carolum V. à variis Imperatoribus exerciti*, eam valide interpellant, *vid.* CONRING. *de fin. imper. c. 21.* BOECLER. *N. J. l. 2. c. 2. add.* LEHM. *Chr. Spir. l. 5. c. 51. 56. l. 7. c. 11. n. 3.*

§. 34.

. 34. Amplius (4) *jus coronandi Ponti- competens*, probando imperio allegatur, coronatio recte explicata adeo non tue- jus Pontificis, ut illud potius liquido de- at, ac Pontificis ſubjectionem arguat *vid.* NRING. *de G. J. R. c. 13. §. 15. ſeqq. de fin. er. c. 21. p. 451. 469.*

. 35. Denique (5.) *autoritate juris Canoni- & Canoniſtarum*, vel etiam (6) *ſola poſſeſ- e*, quam ingenue agnovit Paulus III. *vid.* RING. *de G. J. R. c. 13. §. 10. de fin. imper. c. p. 446.* ſe tuentur Pontifices, verum te- noniis domeſticis ac prædonum titulis hæc abſurde conficitur *vid.* CONRING. *d. c. 13. 3. ſeqq. d. c. 21. p. 469.*

. 36. Ex his ergo liquet, quod, utut omne , in ditiones nonnullas Italicas, Pontifici gari nequeat, ſupremum tamen imperium rmaniæ utique ſalvum ſit, illudque etiam nis recte vindicari queat. Interim, prout nc res Europæ & Germaniæ ſunt, non fa- poſſeſſione ſua excutietur Pontifex, adeo- que Germaniæ nihil aliud ſupererit, quam ut memoria inefficacis im- perii, ſibi blandia- tur.

CAPUT

CAP. VII.

De Papatu Univerſali.

SUMMARIA.

Papatus univerſo orbi dominari geſtit §. 1. dominatus ille univerſalis quid, ex ſententia Papiſtarum §. 2. 3. eſt à Deo inſtitutus §. 4. ſed in probatione aſſerti hujus Papiſtæ deficiunt §. 5. contra jactatam illam originem, invictæ militant præſumtiones §. 6. 7. 8. hinc dominatus ille eſt ingenioſa impoſtura §. 9. rudioribus ſeculis introducta §. 10. 11. Ejus adminicula fuerunt, Gentium ignorantia & ſuperſtitio §. 12. Status Reipublicæ Romanæ §. 13. 14. 15. aliarumque §. 16. 17. 18. primævus Chriſtianiſmi ſtatus §. 19. 20. 21. 22. introductus autem eſt per Pontificis uſurpationem §. 23. cujus præcipue quintuplex forma §. 24. arrogavit ſibi Pontifex primatum in cæteros Epiſcopos Romanos §. 25. 26. comparavit ſibi peculiare regnum §. 27. uſurpavit dominatum univerſalem, ac in ſpecie imperium in ipſam religionem §. 28. quæ papatus pars nullo inſtituto humano poteſt reddi legitima §. 29. deinde in externum religionis exercitium §. 30. quæ pars nullo titulo legitimo nititur §. 31. denique aſſeruit ſibi ſupereminens dominium ſeculare §. 32. nullo etiam titulo ſubnixum §. 33. ad uſurpationem ſacri dominatus in genere pertinent introductio innumeri Clericorum numeri §. 34. immenſæ opes 35. confectio juris Canonici §. 36. cura ſcholarum §. 37. papatus uſurpatione quæſitus, fuit incruſtatus religionis depravatione §. 38. 39. ex quo fonte fluxerunt

everſio

everſio autoritatis S. Scripturæ §. 40. vicedeatus §. 41. cultus theatricus, purgatorium, jejunia, aliique conficti fidei papalis articuli §. 42. 43. 44. ad incruſtandum papatum etiam ſpectat corruptio librorum §. 45. 46. his mediis, ut in alias Respublicas, ita in Germaniam quoque papatus eſt introductus §. 47. jugum papale Gentes excutere tentarunt §. 48. quod in Germania tandem feliciter accidit §. 49. diſceſſus media §. 50. moralitas §. 51. impedimenta §. 52. ſeqq. quibus mediis Papa ſuos in obſequio retineat §. 58. ſeqq. excuſſum jugum Gentibus liberis denuo imponere conetur §. 63 ſeqq. conſiliorum illorum Architecti & executores, præcipue ſunt Jeſuitæ §. 69. quodnam, his poſitis, Rerumpublicarum Proteſtantium ſit officium §. 70. papatus maxima ſunt incommoda §. 71. ſeqq. aliqua tamen etiam laudantur commoda §. 76. ſed ſine fundamento §. 77. papatui reſiſtendum §. 78. quod ab Imperantibus pontificiis etiam fieri poteſt §. 79. conciliatio papatus & religionis Proteſtantium impoſſibilis §. 80. papatus duratio, cum judicio Leonis X. §. 81.

§. I.

NOn continet ſe patrimonii petrini finibus papatus, ſed qua patet chriſtianus, imo forte totus terrarum orbis, dominari geſtit. De hoc ergo Univerſali Dominatu nunc etiam videndum, cum mutationem,

 quæ

quæ præſentis eſt conſiderationis, Germaniæ attulerit.

§. 2. Ex mente Pontificiorum eſt *Sacer dominatus vi cujus Pontifex Romanus religionem ipſam imperat, ejus exercendæ modum determinat, ac ſupremum imperium ſeculare in omnes Respublicas exercet.* Conſtat ergo tribus partibus (1) *jure in* (2) *circa religionem* & (3) *ſupereminente dominio ſeculari vid.* BELLARMIN. *de Pontif. Rom.* SCHERZER. *Antibellarm. Diſput. 4. 5. add.* PAURMEISTER. *de jurisd. imper. Rom. l. 2. c. 3.*

§. 3. Univerſale illud imperium dici ſolet *Vicedeatus, Vicariatus divinus, Oecumenicatus*, *Totatus* & à nonnullis, *Cæſareopapia*, quamvis hoc nomen rei ipſi non ſatis conveniat, nec ejus latitudinem exhauriat. De cætero dominatus ille papalis, *primarius fidei articulus & centrum religionis Clero-pontificiæ* eſt, *vid.* SCHERTZER. *Antibellarm. Tom. 2. Diſp. 5. ad libr. 3. theſ. 1. ſpecial. pag. 348. add.* GIBELIN. *Cæſareo-pap. p. 2. c. 2. §. 22. in fin. p. 3. c. 4. §. 24. p. 675. c. 5. §. 1. pag. 680. §. 9. p. 696. §. 19. pag. 719.*

§. 4. Eſt etiam, ex ſententia Pontificiorum dominatus ille à Deo inſtitutus, nam Chriſtus Apoſtolo Petro univerſale imperium contulit, eumque viſibile Eccleſiæ caput, & conſequenter Imperantem Imperantium

ım eſſe voluit, qui etiam Romæ Oecume-catu illo functus eſt, eumque deinceps, ;ie non interrupta, cæteri Pontifices ſunt :uti.

§. 5. Illud facile liquet, Pontificiis hic in-mbere probationem, quis enim tam enor-e imperium aſſerentibus, ſine probatione ederet, aut quis à negantibus aliquam exi-ret? Quam vero Pontificii, in probanda ı inſtitutione divina, deficiant, illud à The-ɔgis & Politicis proteſtantibus abunde :enſum eſt, ut, actum agere, opus non ſit, ɪ. SCHERZER. *Antibellarm. Diſp.* 4. *add.* GIBEL. ſareo-pap. p. 1. c. 2. §. 2. 3. c. 3. §. 7. p. 2. c. 3. §. 2. ;. c. 4. §. 19. c. 5. §. 3. 9.

§. 6. Id ſaltem adjicimus, ex ipſa re, ſeu *perio hactenus delineato*, fortiſſimam oriri æſumtionem, quod illud Pontifici vel *pla-concedi non potuerit*, vel *ei conceſſum non ſit*. ım *imperium in ipſam religionem*, quod pri-ım partem conſtituebat *vid.* §. 2. nemini mpetere poteſt, niſi qui intimos cordis hu-ani receſſus novit, illudque flectere aptus ;, ſed talis neque Pontifex Romanus, nec ul-; alius hominum eſt, quis vero credat, De-n conferre hominibus imperium, cui exer-ndo illi ſunt inepti?

§. 7. Quod vero concernit alteram par-m, nempe *imperium circa regionem*, ejus

 qui-

quidem homines ſunt capaces, ſed cum unaquæque Reſpublica illud diſpenſare queat, ac præterea utile ſit, ut quævis civitas, hac etiam in parte, ſui juris ſit, hinc nulla probabili ratione aſſeri poteſt, Deo, pacis & boni ordinis autori, tale placuiſſe imperium, ex quo confuſiones & diſſidia non poſſunt non ſequi.

§. 8. Denique tertia pars, *dominium ſeculare ſupereminens* nulli etiam concedi poteſt, niſi qui cæteros omnes probitate & prudentia antecellat, ac Imperantium exceſſus cum effectu reprimere poſſit, ſed talis inter homines non occurrit, ut facile etiam liqueat, imperium illud in homines non cadere.

§. 9. Ex his ſatis liquet, papatum non eſſe à Deo inſtitutum, ſed eſſe potius, ſi mitiſſime loqui velis, ingenioſam impoſturam ac dominatum, ex imperio, Deo & liberis Rebuspublicis ſubtracto, conflatum, eumque adeo, ſi, prout par eſt, ſuum cuique reddatur, neceſſario in nihilum reſolvi.

§. 10. Quomodo igitur res voluntati divinæ adeo contraria, ac Rebuspublicis moleſta invaluerit, quæri poteſt? In Summa ſic dicendum videtur: craſſa temporum præteritorum barbaries, Status Rerumpublicarum & creſcentis Chriſtianiſmi primævus, admittendo

ıdo papatui fuerunt idonea, ambitio, ava-
ia & voluptas ad eum conſtituendum im-
lit, malitia vero & calliditas illum effecit.

§. 11. Res admiranda videtur Papatus, ſi
ejus introductione, ex præſenti Rerum-
blicarum Statu judicandum ſit *vid.* GI-
LIN. *Cæſareo-Pap. p. 1. c. 1.* §. 1. 3. ſed ſi elapſa
cula conſideres, cauſæ facile apparent, quan-
ıam, eas omnes referre, non adeo expedi-
m ſit. Nos juxta §. *præc.* indicium, *admini-*
la, quæ introducendo papatui occaſionem
æbuiſſe, & *media*, quæ eum produxiſſe vi-
ntur, ſtrictim recenſebimus.

§. 12. Inter *adminicula* igitur primo oc-
ırrit, *Gentium*, quibus jugum papale impo-
um eſt, *craſſa ignorantia* & hinc orta *cæca*
perſtitio, his enim à callido Clero facile
nnia perſvaderi potuerunt. Uti autem
ırbaries illa, ex temporum illorum hiſtoria
t notiſſima, nec hic operoſe probari debet,
ı circa religionem & res politicas eo ma-
s obrepere potuit, quo magis hæ cognitu
nt difficiles.

§. 13. Alterum adminiculum eſt *Status*
crumpublicarum, quæ papatum expertæ
nt. In Republica Romana, cum adhuc
bnica eſſet, Chriſtiani, utpote à Civitate
glecti & preſſi, curam religionis ſibi ipſis
ſerere debuerunt, hinc multa per Clerum

conſtituerunt, quæ alias ad Rempublicam pertinent, quamvis plura Scriptores Pontificii jactare ſoleant , quam probare poſſint. *vid.* GIBELIN *Cæſareo-pap. p. 1. c.2.§. 3. ſeqq.* Iſta res uti pro ratione temporum illorum neceſſaria & utilis fuit, ita exinde præjudicium, ſedi papali oppido favens, enatum eſt, quaſi cura religionis ſemper penes Clerum eſſe debeat.

§. 14. Poſtquam in Republica Romana, Chriſtiana religio *dominari* cœpit, opibus & autoritate Epiſcopi creverunt, *vid.* GIBELIN. *d. tr. p. 1. c. 3.* §. 2. Romano vero præ cæteris dignitas urbis Romæ prærogativam, dominatui univerſali aliquando profuturam, conciliavit *add.* GIBEL. *p. 1. c. 1. §. 4. pag. 2. c. 1. §. 2.*

§. 15. Inprimis vero imperii Romani *diſtractio*, diviſiones Conſtantini & Theodoſii ſecuta, papatum promovit, nam iſto rerum Statu, Epiſcopus Romanus non tantum Imperium Cæſarum orientalium eluſit, ſed & poſtea Dominos vel benignos vel turbis impeditos aut alias in rem ſuam parum intentos nactus eſt. quæ omnia parando dominatui, ut Italiæ , ita univerſali, fuêre peropportuna *add.* GIBELIN. *p. 1. c. 1. §. 6. c. 3. §. 4. 5. in fin. p. 2. c. 1. § 3. 5. c. 4. §. 6. in fin.* §. 21. 23. BURGOLD. *ad J. P. W. p. 1. Diſcurſ.* 11. 12.

§. 16.

;. 16. Quodſi porro cæteras Reſpublicas, e papatum expertæ ſunt, aut adhuc hodie iuntur, conſideres, illæ vel *imperio Roma- ſubfuerunt*, vel *magna veneratione id ſunt ſecutæ*, autoritas igitur illa, quam inter teras Reſpublicas, Romana habuit, natu- i velut conſecutione, in Epiſcopum Ro- num dimanavit, ut is etiam cæteros ſui linis homines antecelleret, quæ autoritas jora ſumſit incrementa, poſtquam ex ru- ribus collapſi imperii Romani, proprium que ſatis amplum ille ſibi paravit patrimo- um.

§. 17. Præterea conſiderandum eſt, quod dioribus Seculis, Reſpublicæ *perpetuis ac ormibus mutationibus fuerint obnoxiæ*, tum itur Epiſcopo Romano, in turbidis, quod int, piſcari ac imperium ſuum ſtabilire li- it, maxime cum Gentes, contrariis animo- im motibus alias diſtractæ, in extollendo apa, ſæpe conſpirarent ejusque opera, in- uſtandis injuſtis moliminibus, uterentur *id.* GIBELIN. *Cæſareop. p. 1. c. 5. §. 4. c. 6. §. 2.* 2. *c. 4. §. 15. c. 5. §. 30. c. 6. §. 2.* MONZAMB. *ſtat. imper. german. c. 1. §. 11.*

§. 18. Non minus etiam id alicujus mo- ienti eſt, quod in Civitatibus papatui ſub- ectis, *magna fuerit Epiſcoporum autoritas*, uodGermaniæ exemplo inprimis patet, hos,

 igitur

igitur ſibi ſubjeciſſe, uti magno Papæ futurum erat præſidio, ita iſtum Rerumpublicarum ſtatum, admittendo papatui fuiſſe aptum, manifeſtum eſt. maxime cum, ob ſummam Laicorum ruditatem, *potiora ſtatus & juſtitiæ munera* à Clero fuerint inſuper adminiſtrata *vid.* CONRING. *de conſtit. Epiſcop.* §. 83. 84.

§. 19. Tertium adminiculum non immerito *primævus chriſtianiſmi ſtatus* eſſe cenſeſetur, hic enim non tantum Clero, varia circa religionem diſponendi, præbuit occaſionem, ceu tetigi §. 13. (nam hac in parte ſtatus Reipublicæ & religionis concurrunt *add.* GIBELIN. *Cæſareop. p. 1. c. 1.* §. *5. 6. c. 2.* §. *4. ſeqq. c. 3. S. 2. 5. c. 4.* §. *1. ſeqq. p. 2. c. 1.* §. *2. c. 4* §. *6.*) ſed & alia ratione papatum promovere potuit.

§. 20. Eò referas *propagationem religionis chriſtianæ*, cum enim ex Italia auſpiciis Pontificis Romani, religio chriſtiana, in regiones occidentales, ac in ſpecie Germaniam penetraverit, *vid.* GIBELIN. *d. tr. p. 2. c. 1.* §. *5.* CONRING. *de conſtit. Epiſcop.* §. *2. ſeqq.* iſta res non potuit non magnam Papæ conciliare autoritatem, imo in novos illos Chriſtianos ex ſuperſtitioſa veneratione non valde reluctantes, ſed forſitan hoc deſiderantes, hic facile aliquod imperium arrogare ſibi potuit *add.*

d. GIBELIN. *d. tr. p. 1. c. 1. §. 2. p. 2. c. 3. §. 1.* *3. c. 5. §. 11. c. 6. §. 7. p. 838.*

§. 21. Inprimis quoque conſideranda eſt *gularis propagandi ratio*, nimirum licet im Romæ religio chriſtiana, pura fuerit, ox tamen corrumpi ac ſtatui papali attemerari cœpit: Aulæ igitur Romanæ emiſſarii eligionem non tam chriſtianam, quam papalem, propagare ſtuduerunt, quod exemplo Bonifacii, Germanorum Pſeudo-Apoſtoli, patet, hunc enim non tam veros Chriſtianos, quam potius mancipia papalia effeciſſe, præter alios ſatis oſtendit D. CASP. SAGITTAR. *in antiqu. Gentiliſm. & Chriſtianiſm. Thuring.*

§. 22. Denique *variæ hæreſes inter Chriſtianos exortæ*, introducendo papatui præbuerunt occaſionem, cum enim à prima fere chriſtianiſmi origine, perverſum illud præjudicium obtinuerit, quaſi in controverſiis religionis violenta deciſio fieri poſſit & debeat, ideo, ortis contentionibus, ſæpe ad ſedem papalem, vel ob puritatis opinionem *vid.* SCHERTZER ANTIBELLARM. *diſp. 5. p. 376.* vel inſignem, quam jam tum acquiſiverat, autoritatem, vel ob lucri ſpem, fuit recurſum, atque ita Epiſcopo Romano, jura Sacrorum ſibi aſſerendi, ſuppeditata occaſio *add.* GIBELIN. *Cæſareop. p. 1. c. 3. §. 5. 6. in fin. p. 2. c. 1. §. 4. c. 4. §. 6. 7.*

§. 23. His ita ſe habentibus, fieri potuit & factum eſt, ut Pontifex Romanus certis *mediis* papatum ſibi acquireret *vid.* §. *11.* hæc uti ſummatim ad *Papæ, ambitione vid.* Gibelin. *Cæſareop. p. 1. c. 1.* §. *4. aliisque pravis affectibus ſtimulati, uſurpationem* revocari poſſunt, ita varias uſurpationis hujus formas ſpecialius exponere, non perinde expeditum eſt, nec facile dixerim, me immenſam illam aſtutiæ Clericalis abyſſum emetiri poſſe.

§. 24. Interim ſi non ſatis accurate, attamen non plane incongrue, quintuplex uſurpationis illius forma, in genere aſſeri poſſe videtur. Acquiſivit ſcilicet Pontifex imperium aliquod univerſale (1) primatum in cæteros imperii Romani Epiſcopos ſibi arrogando (2) proprium validumque patrimonium parando (3) dominatum univerſalem uſurpando (4) religionem ſtatui papali attemperando ac (5) bonos libros corrumpendo. Duo priora media papatum fundarunt, tertium produxit, duo poſteriora confirmarunt & incruſtarunt.

§. 25. In Republica Romana, Hierarchia ad exemplum regiminis ſecularis, mox ſplendide inſtrui cœpit, hinc præter Epiſcopos & Archiepiſcopos ſummæ dignationis, etiam Patriarchæ ſunt inſtituti *vid.* Schilt.

J.J.

C. *l.* 1. *tit.* 3. §. 10. CONRING. *de Conſtit.* *ſcop.* §. *18.* inter hos de *primatu* acriter de-eps certatum eſt, eumque Præſul Roma-s inprimis etiam acquirere ſtudit *v. can.* 3. *inct.* 21. GIBELIN. *Cæſareop. p.* 1. *c.* 3. §. 5. . donec eum à Phoca Imperatore, Boni-ius III. obtineret ID. *p.* 1. *c.* 4. §. 1. *p.* 2. *c.* 1. .*c.* 3. §. 1. ac ſucceſſores amplius confirma-niterentur *vid.* ID. *p.* 1. *c.* 4. §. 2. *in fin. c.* 5. 4. 9. *c.* 6. §. 6. *p.* 2. *c.* 1. §. 3.

§. 26. De cætero uti primatus ille nec gitimus, nec extra controverſiam poſitus, no à Pelagio II. *vid. can.* 4. *Diſtinct.* 99. & regorio, titulum *Servi ſervorum*, elogio *ecumenici Epiſcopi*, præferenti, ut videtur, nprobatus eſt *vid.* GIBELIN. *p.* 1. *c.* 3. §. 7. a admiſſus ad Rempublicam Romanam tan-um pertinet, ſed hoc concidente, ex *prima-to certæ alicujus civitatis præſule*, ingenioſa utili fallacia, *œcumenicus totius Chriſtiani-tatis, imo univerſi Orbis Epiſcopus* effictus eſt.

§. 27. Poſtea dominatum univerſalem undavit *peculiare regnum in Italia partum*; ine hoc enim illud acquiri non poſſe, mani-eſtum eſt. De cætero ſi ut fulcrum domi-natus univerſalis conſideretur, facile li-quet, debere illud eſſe potens, ad duratio-nem probe compoſitum, ac ſi non eſſe, ſal-tem videri plane liberum; hæc omnia igitur quo-

Digitized by Google

quomodo effecerint Pontifices Romani, *cap. præc.* aliquo modo delineatum eſt, multa etiam hinc inde admonuit GIBELIN. *Cæſareop.* quæ huc referri poſſunt *vid. p. 2. c.* 1. §. 10. *c.* 5. §. 28. *p.* 1. *c.* 5. §. 8. *p.* 2. *c.* 6. §. 8. *p.* 1. *c.* 7. §. 6. *p.* 2. *c.* 1. §. 1. *c.* 4. §. 16. *c.* 6. §. 9. 10. *p.* 3. *c.* 6. *p.* 1. *c.* 3. §. 6. *c.* 4. §. 2. 3. *c.* 5. §. 3. *ſeqq. c.* 6. §. 2. 4. *c.* 7. §. 2. *p.* 2. *c.* 4. §. 16. *&c.*

§. 28. Inprimis vero imperium illud ſacrum ſibi paravit Pontifex *Uſurpatione*, nam arrogavit ſibi *imperium in ipſam religionem*, dum controverſias infallibili ſententia decidit, decreta igne & ferro exequitur, ac ætheris erebique claves citra provocationem diſpenſat, prout hanc in rem ridicula pariter ac horrenda exempla in hiſtoriis reperiuntur, ex quibus aliqua iterum delibavit GIBELIN. *Cæſareop. p.* 1. *c.* 6. §. 4. *c.* 6. §. 3. *p.* 2. *c.* 6. §. 12. p. 3. *c.* 2. § 12. *c.* 5. §. 3. *c.* 8. §. 12. *p.* 1. *c.* 8. §. 7. *p.* 2. *c.* 3. §. 3. *p.* 3. *c.* 5. §. 13. *p.* 1. *c.* 6. §. 5. *in fin. c.* 8. §. 7. *in fin. p.* 3. *c.* 2. §. 4.

§. 29. Quo loco notandum, quod hæc papatus pars, legibus divinis repugnet *vid. ſupr.* §. 6. hinc nullo inſtituto humano illa poteſt reddi legitima. Licet igitur Pontifex mille & plures conventiones hoc nomine cum Gentibus iniiſſet, arrogatum imperium nihilominus foret injuſtum.

§. 30. Amplius uſurpavit etiam Pontifex

jus

religionem eique connexa ordinandi, hinc
sdictionem in alios Epiſcopos exercuit,
GIBELIN. *Cæſareop. p.* 1. *c.* 3. §. 6. *p.* 2. *c.* 1.
Clericos imperio ſeculari ſubtraxit ID.
c. 5. §. 4. *c.* 6. §. 1. *p.* 2. *c.* 3. §. 5. *c.* 6. §. 5. *p.* 3.
. §. 6. *c.* 5. §. 12. *c.* 6. §. 9. conſtitutionem
iſcoporum ad ſe rapuit, *vid.* ID. *p.* 1. *c.* 6. §. 1.
c. 8. §. 7. *p.* 2. *c.* 3. §. 4. *ſeqq. c.* 4. §. 14. *ſeqq.*
. §. 3. *p.* 1. *c.* 5. §. 3. *p.* 2. *c.* 4. §. 12. titulares
iſcopos creavit ID. *p.* 3. *c.* 6. §. 7. decimas exe-
ID. *p.* 1. *c.* 7. §. 3. 4. 7. Calendaria dedit *p.* 1.
. §. 6. appellationes recepit *p.* 2. *c.* 3. §. 3. Con-
a convocavit *c.* 4. §. 7. *p.* 3. *c.* 6. §. 7. aliaque
s generis ſibi arrogavit *vid.* ID. *p.* 3. *c.* 8. §. 19.
968.

§. 31. Hujus juris intuitu, Pontifex non-
nquam aliquas conventiones cum Rebus-
blicis liberis iniit, quod exemplo *Concor-
torum Nationes Germanicæ* patet. Sed ni-
ſolidi juris inde conſecutus eſt, errantium
im & deceptorum nullus eſt conſenſus, ex
io etiam patet, quare præſcriptio i. e. tacito
nſenſu facta conceſſio, defendendo juri pa-
li allegari nequeat.

§. 32. Denique ſibi etiam Pontifex aſſe-
it *ſupereminens dominium ſeculare.* Hinc
egum judex eſſe voluit *vid.* GIBELIN. *Cæſa-
op. pag.* 1. *c.* 6. §. 2. *pag.* 69. §. 6. *c.* 7. §. *pag.*
. *p.* 2. *c.* 1. §. 11. *c.* 4. §. 4. 15. PAURMEIST. *d.*
jurisd.

juriſdict. imper. Rom. l. 2.c. 3. n. 30. ipſis Principibus anſam ſubinde ſuppeditantibus *vid.* GIBELIN. *p. 1. c. 5. §. 4. c.6. §. 2. p. 2. c. 4. §. 15. c. 5. §. 30. c. 6. §. 2.* Porro reges conſtituit *vid.* ID. *p. 1. c. 5. §. 5. c. 6. §. 2. 5. c. 7. §. 5. c. 5. §. 4. 8. p. 2. c. 1. §. 9. c. 5. §. 17.* banno percusſit GIBELIN. *p. 1. c. 3. §. 6. c. 6. §. 2. 3. 5. 6. c. 7. §. 1. 5. c. 8. §. 6. 7. 8. p. 2. c. 1. §. 7. c. 4. §. 19. c. 5. §. 20. p. 3. c. 6. §. 8.* BURGOLD. *ad J. P. W. p. 1. D. 6. §. 8. 12. D. 8. §. 13.* ac exauctoravit vel alia ratione è medio ſuſtulit *vid.* GIBEL. *p. 1. c. 4. §. 4. c. 5. §. 3. 8. c. 6. §. 3. 6. c. 7. §. 1. 4. c. 8. §. 7. p. 2. c. 4. §. 19 p. 3. c. 5. §. 6. 20. n. 4. c. 6. §. 8. c. 8. §. 11. 12.*

§. 33. Eo etiam pertinet donatio imperiorum, quam Pontifex olim ſibi aſſeruit *vid.* GIBELIN. *p. 1. c. 5. §. 8. c. 6. §. 6. c. 7. §. 2. 3. 4. 7. c. 8. §. 6. p. 3. c. 6. §. 7. c. 7. §. 14.* BURGOLD. *ad J. P. p. 1. D. 6. §. 12. 13.* ut & ſumma dignitas, qua alios omnes Reges antecellere voluit *vid. can. 7. Diſtinct. 96.* GIBELIN. *p. 1. c. 5. §. 4. c. 6. §. 4. 5 p. 2. c. 1. §. 14. c. 4. §. 19.* BURGOLD. *ad. J. P. p. 1. D. 20. §. 13. p m. 347.* denique dignitatum Titulorumque conceſſio *v.* GIBEL. *p. 1. c. 5. §. 9. c. 6. §. 4. c. 7. § 7. in fin. c. 8. §. 5. p. 2. c. 1. §. 10. c. 4. §. 25. 33. c. 5. §. 30. c. 6. §. 2. p. 3. c. 6. §. 8.* De cætero certum eſt, quod nullo legitimo titulo dominium ſeculare ſupereminens Papa acquiſierit, ſed id mera uſurpatione nitatur.

§. 34.

. 34. Ita Pontificem, imperium univer-
per partes ſibi aſſerentem, ſpectavimus.
genere autem ad ejus uſurpationem &
firmationem pertinet *introductio innu-
i Clericorum numeri*, nam uti horum ſta-
ita implicatus eſt, ut inde aliqua infideli-
upremo Capiti non facile metuenda ſit;
raſa illa turba, per Reſpublicas chriſtianas
erſa, ſtrenue papatum conſervare nititur,
. GIBEL. *p. 3. c. 6. p. 1. c. 6. §. 6. in fin. p. 2.
. §. 5. c. 3. §. 9. c. 5. §. 2. c. 6. §. 6. 7. p. 3. c. 2.
. 9. c. 5. §. 11. c. 6. n. III. §. 7. n. V. §. 7. p. 793.
. 12. n. XII. p. 855.*

§. 35. Ad eundem Scopum etiam colli-
ant *immenſæ opes*, quas Pontifex per cle-
n ſibi ſubjectum olim corradere ſolitus
dum vel gravia tributa liberarum Rerum-
blicarum ſubditis impoſuit, vel ſpongias
eno ſanguine humentes turgidasque ſtre-
e expreſſit *vid.* GIBELIN. *p. 1. c. 7. §. 7.
. 102. c. 8. §. 9. p. 2. c. 5. c. 6. §. 4. 5. p. 3. c. 5.
XX. §. 9. 10. c. 6. §. 9.* PAURM. *de J. J R. l. 2.
. n. 42.* BURGOLD. *ad J. P. p. 1. D. XX. §. 7.
fin.*

§. 36. Inprimis etiam papatum promovit
fectio juris Canonici, nam hac ratione non
ntum univerſalis Monarchiæ opinio, ani-
is gentium rudium & ſuperſtitioſarum, ma-
ingenerata ac confirmata eſt, ſed & Pon-
tifex,

tifex, quicquid libuit, ſibi attribuit. Cui deinde ſuccinunt *Canoniſtæ aliiquæ aulæ pontificiæ mangones*, qui plenis buccis omnipotentiam papalem deprædicant. & cum ſemper aliquid hærere ſoleat, ſtrenuò mentiendo, utilem ſacro dominatui operam præſtitiſſe cenſendi ſunt *vid. Clement. unic. de jurejur.* Gibelin. *p.* 1. *c.* 6. §. 4. *in fin. c.* 7. §. 1. 4. *p.* 2. *c.* 4. §. 34. Paurm. *d. c.* 3. *n.* 1. *ſeqq.*

§. 37. Non minus etiam ad hunc ſcopum pertinet *cura ſcholarum & educandæ juventutis*, quam Pontifex rudioribus ſeculis uſurpavit, nam uti hæc res omnes Reſpublicas perambulat, adeoque univerſale aliquod imperium involvit, ita teneros juventutis animos papatu imbuiſſe, quantivis pretii exiſtimari debet *vid.* Gibelin. *p.* 2. *c.* 4. §. 2. 3. 8. 18. *c.* 6. §. 11. *p.* 3. *c.* 2. §. 5. Illud autem facile liquet, media hæc ad papatum introducendum generaliter ſpectantia, nullo titulo legitimo niti, ſed in meram reſolvi uſurpationem.

§. 38. Sed papatus, uſurpatione vel quæſitus vel quærendus, incruſtari etiam debuit, quo pertinet *Religionis depravatio*. Olim in Eccleſia Romana puritatem doctrinæ obtinuiſſe, concedi debet, ſed non minus verum eſt, quod illa mox corrumpi cœperit, id quod quo ordine factum ſibi videatur, oſtendit Hoorn-

BECK.

ck. *in Summ. controv. Relig. c. 4.* add. Hertzer. *Antibellarm. diſſert. 1. theſ. 1. p.* *diſſert. 5. th. 3. p. 380.*

§. 39. Illud certum, quod multi religios Pontificiæ articuli, vel contra verbum ei revelatum, vel ſaltem præter illud efficti nt, & quod adeo papatus, i. e. falſorum dogmatum complexus, *vid. cap.* 6. §. 2. 4. ſenm in purioris doctrinæ locum ſubſtitui cæerit, qui tamen primævam puritatem nunc trenue mentiatur. Hoc præſuppoſito (quod Theologis proteſtantibus ſatis probatum eſt) conjectando non erit difficile aſſequi, omnem iſtam corruptionem ex rationibus ſtatus papalis eſſe introductam, quod brevitate eleganti Monzamb. *de ſtat. germ. c. 8.* §. 8. fuſius vero Gibelin. *Cæſareop. p. 2. c. 2.* oſtendit, nos ſummaria recenſione defungemur.

§. 40. Ex hoc ergo fonte fluxit, quod autoritas S. Scripturæ ab arbitrio Papæ ſuſpendatur, verſio vulgata, authentica perhibeatur, à lectione illius Laici arceantur, norma illa obſcura, inſufficiens, imperfecta & in linguam vernaculam non transferenda exiſtimetur, eique traditiones adjungantur, vid. Scherzer. *Antibellarm. Diſp.* 2. Gibelin. *p.* 2. *c.* 2. §. 6. 7. 8. *c.* 4. §. 18. 34. nam illa omnia ad ſtabiliendum incruſtandumq; dominatum

minatum Clericalem pertinere, quis non videt?

§. 41. Suſpenſa ita à Cleri libidine religionis chriſtianæ norma, reliqua pro lubitu effingi potuerunt. Ex hoc ergo principio manavit Vicedeatus Pontificis Romani, vid. GIBELIN. *p.* 1. *c.* 3. §. 5. *verſ. fin.* §. 7. *c.* 4. §. 2. *pag.* 39. *p.* 2. *c.* 3. §. 2. veneratio reliquiarum, conſecratio olei, aquæ, cæterorum, faſciarum agnorum Dei aliarumque ejus generis quisquiliarum, *vid.* GIBELIN. *p.* 2. *c.* 2. §. 4. 18. nec non Sanctorum invocatio ID. *p.* 1. *c.* 4. §. 2. *p.* 2. *c.* 2. §. 4. 17.

§. 42. Non minus ad illum ſcopum collineant ſplendidæ illæ theatricæque cultus externi ceremoniæ, confeſſio auricularis & remiſſio peccatorum Cleri arbitrio ſubjecta GIBELIN. *p.* 2. *c.* 2. §. 13. ſacrificium miſſaticum *d. c.* 2. §. 9. 10. ſubtractio Calicis Laicis facta, auctus Sacramentorum numerus, Ordine, Confirmatione, Pœnitentia, Matrimonio & Extrema unctione in iſtum cenſum relatis ID. *d. c.* 2. §. 11. 12. 13. *p.* 1. *c.* 6. §. 2. *p.* 68. §. 3. *in fin.* §. 6. *pag.* 81.

§. 53. Ex eodem fundamento vis meritoria bonis operibus adſcribi debuit ID. *p.* 2. *c.* 2. §. 16. *c.* 5. §. 4. *ſeqq.* Purgatorio vero ac indulgentiarum nundinatione, nihil aptius eſt, vivis pariter ac mortuis pecunia emungendis

ndis ID. *p.* 2. *c.* 2. §. 14. *p.* 1. *c.* 5. §. 7. *in fin. p.* 2.
. §. 15. *p.* 1. *c.* 7. §. 4. *pag.* 92. §. 5. *p.* 96. §. 7.
02. ad eundem etiam finem tendunt jeju-
ſeu interdictus carnis eſus, ut de imperio
iverſali, quod illa manifeſte involvunt, ni-
dicam ID. *p.* 2. *c.* 2. §. 19.

§. 44. Nec illud ſine myſterio eſt, quod
rgia latine maximam partem ſit peragen-
ID. *d. c.* 2. §. 21. Scholaſtica etiam Philoſo-
ia extolli debuit, nam uti illa vana doctri-
homines implet, eosdemque ad ſolida capi-
da ineptos reddit, ita fucandis falſis dogma-
us eſt peridonea, denique piæ fraudes, quas
cant, ex ratione ſtatus pontificii quoque
valuerunt & ſi quæ ejus generis inventa alia
huc occurrunt, *vid.* GIBELIN. *d. p.* 2. *c.* 2. §.
23. 24. *p.* 1. *c.* 7. §. 1. *p.* 86.

§. 45. Incruſtando denique papatui, *bo-*
notæ libri corrumpendi fuerunt, quo ita
atem, quam non habet, is mentiretur, *vid.*
IBELIN. *p.* 1. *c.* 3. §. 5. Inprimis hac arte in-
ruit *Iſidorus Peccator* vel *Mercator*, qui pri-
orum Pontificum epiſtolas decretales, cum
natione Conſtantini aliisque decretis ec-
ſiaſticis compoſuiſſe videri voluit, quod
us, cum ex ultima chriſtiani nominis anti-
itate, maximum ſtabiliendæ potentiæ pon-
iciæ momentum afferre videretur, non
ntum receptum, ſed & à Nicolao Papa ap-

 proba-

probatum fuit, *vid. can.* 2. *Diſt.* 19. Ziegl. *diſſert. de orig. & autor Jur. can.* §. 25. *ſeqq.*

§. 46. Non minus etiam antiqui Eccleſiæ Patres, quos vocant, falſarias Pontificiorum manus ſæpe experti ſunt, prout ex Eraſmo Roterodamo & Jameſio refert Pseudonymus *in tract. de anno* 1688. *de med. quib. Roma papalis condita, conſervata & fines propagare ſtudet* §. 12. *p.* 37. Quo loco vix admonendum, duo illa media, proxime relata, corruptionem ſcilicet religionis & Scriptorum, eſſe illegitima, nulloque inſtituto humano, etiamſi interveniat, eorum vitia tolli poſſe.

§. 47. His ergo mediis papatus introductus, eidemque Chriſtianitas ſubjecta eſt, quanquam quibus gradibus & quo ſucceſſu per ſingulas Reſpublicas Chriſtianas idem ſit dilatatus, à nobis jam dici nec poſſit, nec debeat. Illud certum, quod Germania ſacri illius dominatus molem inprimis ſenſerit, adeo, ut, Galliæ intuitu, olim *Regnum obedientiæ* ſit dicta, *vid.* Conring. *de conſtit. Epiſc.* §. 33. Ziegler. *diſſert. de orig. jur. Can.* §. 55. 56.

§. 48. Gemente ſub intolerabili illo jugo, Chriſtianitate, viam parandæ libertatis, inſtaurata doctrina puriori, nonnulli quidem ſubinde commonſtrarunt, ſed infelici ſuc-

ſucceſſu, *vid.* Ziegler. *diſſert. de origin. jur. Can.* §. 49. Burgold. *ad J. P. p. 1. D. 1. §. 4. 5.* ipſi etiam Germaniæ Proceres abuſus tolli à Papa petierunt, *vid.* Schilter. *de libert. Eccleſ. Germ. l. 6. c. 5. 6.* Conring. *de conſtit. Epiſc.* § 82. *ſeqq.* verum conſilia illa, erant inconſulta ac inefficacia, cum ab eo, qui nihil niſi ſervitutem intendit, libertatem fruſtra roges.

§. 49. Facto opus erat, ſine prævia cauſæ cognitione, quam abſurde nonnulli Pontificii exigunt, *vid.* Schilt. *de L. E. G. l. 7. c. 9. §. 4.* id quod, ex tenuibus, ut videbatur, initiis, tandem accidit, cum enim Lutherus Wittebergæ *anno* 1517. *d.* 31. *Octob.* nundinationes indulgentiarum, theſibus publice propoſitis, oppugnaret, ea res occaſionem præbuit, ut magna Germaniæ pars ac aliæ civitates jugum papale, quanquam non ſine maximis motibus, excuterent.

§. 50. Subfuiſſe hic directionem divinam, Proteſtantes merito credunt eamque devote venerantur, ſed nec conſilia mediaque humana, à Pontificiis objici ſolita, erubeſcere debent, quis enim alicui vicio vertat, ſi, ad excutiendum gravem dominatum, rationibus humanis ſe allici patiatur?

§. 51. De cætero diſceſſus ille, ex ſententia aulæ papalis, rebellio eſt, hinc Papæ etiam

fas cenſeri debet, favente occaſione, rebelles, vi adhibita, ad obſequium revocare. Sed non eſt, ut iſta quem in aſſenſum trahant, cum enim papatus vel juri divino repugnet, vel ſaltem nullo jure nitatur, ceu antea oſtenſum, hinc libertas ſolo facto obtenta, juſtiſſima, ac conventiones religioſæ, in Germania ſecutæ, valide cenſeri debent, de quo, ne præſens tractatio nimis excreſcat, libro ſequenti explicatius nonnihil agemus.

§. 52. Quare autem, Reformatione non infeliciter cœpta, imperium papale non penitus fuerit deſtructum, deinde quæri poteſt? Diſſeruit de hoc D. RECHENBERG. *in diſſert. de obſtac. progreſſ. Reformat. Luther.* quæ in *Volum. Diſp. p.* I. *n.* 15. exſtat. Nos, præſuppoſita Providentia divina, cui, ab hoc jugo univerſam Chriſtianitatem liberare, nondum placuit, cauſas humanas, ſtrictim recenſebimus.

§. 53. Eo igitur non immerito referas omiſſa à Proteſtantibus in commune conſilia, ſeditionem ruſticorum, enormia Anabaptiſtarum facinora, quæ callido commento Clerus papalis novæ, quam vocabat, doctrinæ imputabat, diſſidia Doctorum proteſtantium, ex quibus, Clero papali frigidam ſuffundente, non leve odium enatum eſt, quod cauſæ communi nimis obfuit.

§. 54.

§. 54. Nec à parte Pontificiorum obſta-
cula defuerunt, nonnulli enim religioni ſibi
duxerunt, avitam deſerere Eccleſiam, vid.
Gibelin. *Cæſareop. p. 1. c. 8.* §. *4. p 3. c. 1.* §. *11.*
ſeqq. c. 2. Pontifex etiam, tanta ſeveritate,
ut olim, dominatum non exercuit, vid. Gi-
belin. *p. 3. c. 3.* §. 20. denique maxima vis
Reformationi fuit oppoſita, *vid.* Burgold.
ad J. P. 1. D. 20. §. *13. p. m. 347.*

§. 55. Inprimis nonnullarum Rerumpu-
blicarum Status, Reformationis progreſſus
impedivit. Epiſcopis Germaniæ perſvaſum
fuit, rationes ſuas papatui ita eſſe innexas,
ut hoc ruente, illæ durare nequeant, effica-
cius tamen illos à diſceſſu repulit Reſerva-
tum Eccleſiaſticum, Cleri artibus conventio-
ni religioſæ inſertum.

§. 56. In aliis Rebuspublicis, ut Polonia
& Hiſpania itidem exiſtimatum fuit, ſtatum
Eccleſiaſticum rationibus papalibus eſſe in-
time conjunctum, præterea in civitatibus
vicinis monarchicis Clero facile fuit, Reges
in obſequio Pontificis continere, atque ita
Reformationem impedire. Imbelles autem
Italiæ domini eo lubentius Papæ adhæſerunt,
quo difficilius ipſis erat, jugum impoſitum
excutere, aut quo magis ſub autoritatis Pon-
tificiæ umbone, Italiam tutam ſperabant.

§. 57. Non minus etiam ad obſtacula re-

 ferri

quomodo effecerint Pontifices Romani, *cap. præc.* aliquo modo delineatum eſt, multa etiam hinc inde admonuit GIBELIN. *Cæſareop.* quæ huc referri poſſunt *vid. p.* 2. *c.* 1. §. 10. *c.* 5. §. 28 *p.* 1. *c.* 5. §. 8. *p.* 2. *c.* 6. §. 8. *p.* 1. *c.* 7. §. 6. *p.* 2. *c.* 1. §. 1. *c.* 4. §. 16. *c.* 6. §. 9. 10. *p.* 3. *c.* 6. *p.* 1. *c.* 3. §. 6. *c.* 4. §. 2. 3. *c.* 5. §. 3. *ſeqq. c.* 6. §. 2. 4. *c.* 7. §. 2. *p.* 2. *c.* 4. §. 16. *&c.*

§. 28. Inprimis vero imperium illud ſacrum ſibi paravit Pontifex *Uſurpatione*, nam arrogavit ſibi *imperium in ipſam religionem*, dum controverſias infallibili ſententia decidit, decreta igne & ferro exequitur, ac ætheris erebique claves citra provocationem diſpenſat, prout hanc in rem ridicula pariter ac horrenda exempla in hiſtoriis reperiuntur, ex quibus aliqua iterum delibavit GIBELIN. *Cæſareop. p.* 1. *c.* 6. §. 4. *c.* 6. §. 3. *p.* 2. *c.* 6. §. 12. p. 3. *c.* 2. § 12. *c.* 5. §. 3. *c.* 8. §. 12. *p.* 1. *c.* 8. §. 7. *p.* 2. *c.* 3. §. 3. *p.* 3. *c.* 5. §. 13. *p.* 1. *c.* 6. §. 5. *in fin. c.* 8. §. 7. *in fin. p.* 3. *c.* 2. §. 4.

§. 29. Quo loco notandum, quod hæc papatus pars, legibus divinis repugnet *vid. ſupr.* §. 6. hinc nullo inſtituto humano illa poteſt reddi legitima. Licet igitur Pontifex mille & plures conventiones hoc nomine cum Gentibus iniiſſet, arrogatum imperium nihilominus foret injuſtum.

§. 30. Amplius uſurpavit etiam Pontifex

jus

Digitized by Google

n religionem eique connexa ordinandi, hinc
risdictionem in alios Epiſcopos exercuit,
id. GIBELIN. *Cæſareop. p.* 1. *c.* 3. §. 6. *p.* 2. *c.* 1.
3. Clericos imperio ſeculari ſubtraxit ID.
1. *c.* 5. §. 4. *c.* 6. §. 1. *p.* 2. *c.* 3. §. 5. *c.* 6. §. 5. *p.* 3.
2. §. 6. *c.* 5. §. 12. *c.* 6. §. 9. conſtitutionem
piſcoporum ad ſe rapuit, *vid.* ID. *p.* 1. *c.* 6. §. 1.
q. c. 8. §. 7. *p.* 2. *c.* 3. §. 4. *ſeqq. c.* 4. §. 14. *ſeqq.*
5. §. 3. *p.* 1. *c.* 5. §. 3. *p.* 2. *c.* 4. §. 12. titulares
piſcopos creavit ID. *p.* 3. *c.* 6. §. 7. decimas exe-
t ID. *p.* 1. *c.* 7. §. 3. 4. 7. Calendaria dedit *p.* 1.
8. §. 6. appellationes recepit *p.* 2. *c.* 3. §. 3. Con-
lia convocavit *c.* 4. §. 7. *p.* 3. *c.* 6. §. 7. aliaque
us generis ſibi arrogavit *vid.* ID. *p.* 3. *c.* 8. §. 19.
968.

§. 31. Hujus juris intuitu, Pontifex non-
unquam aliquas conventiones cum Rebus-
ublicis liberis iniit, quod exemplo *Concor-
atorum Nationes Germanicæ* patet. Sed ni-
il ſolidi juris inde conſecutus eſt, errantium
nim & deceptorum nullus eſt conſenſus, ex
uo etiam patet, quare præſcriptio i. e. tacito
onſenſu facta conceſſio, defendendo juri pa-
ali allegari nequeat.

§. 32. Denique ſibi etiam Pontifex aſſe-
uit *ſupereminens dominium ſeculare.* Hinc
Regum judex eſſe voluit *vid.* GIBELIN. *Cæſa-
eop. pag.* 1. *c.* 6. §. 2. *pag.* 69. §. 6. *c.* 7. §. *pag.*
5. *p.* 2. *c.* 1. §. 11. *c.* 4. §. 4. 15. PAURMEIST. *d.*
juriſd.

juriſdict. imper. Rom. l. 2. c. 3. n. 30. ipſis Principibus anſam ſubinde ſuppeditantibus *vid.* GIBELIN. *p. 1. c. 5. §. 4. c. 6. §. 2. p. 2. c. 4. §. 15. c. 5. §. 30. c. 6. §. 2.* Porro reges conſtituit *vid.* ID. *p. 1. c. 5. §. 5. c. 6. §. 2. 5. c. 7. §. 5. c. 5. §. 4. 8. p. 2. c. 1. §. 9. c. 5. §. 17.* banno percusſit GIBELIN. *p. 1. c. 3. §. 6. c. 6. §. 2. 3. 5. 6. c. 7. §. 1. 5. c. 8. §. 6. 7. 8. p. 2. c. 1. §. 7. c. 4. §. 19. c. 5. §. 20. p. 3. c. 6. §. 8.* BURGOLD. *ad J. P. W. p. 1. D. 6. §. 8. 12. D. 8. §. 13.* ac exauctoravit vel alia ratione è medio ſuſtulit *vid.* GIBEL. *p. 1. c. 4. §. 4. c. 5. §. 3. 8. c. 6. §. 3. 6. c. 7. §. 1. 4. c. 8. §. 7. p. 2. c. 4. §. 19. p. 3. c. 5. §. 6. 20. n. 4. c. 6. §. 8. c. 8. §. 11. 12.*

§. 33. Eo etiam pertinet donatio imperiorum, quam Pontifex olim ſibi aſſeruit *vid.* GIBELIN. *p. 1. c. 5. §. 8. c. 6. §. 6. c. 7. §. 2. 3. 4. 7. c. 8. §. 6. p. 3. c. 6. §. 7. c. 7. §. 14.* BURGOLD. *ad J. P. p. 1. D. 6. §. 12. 13.* ut & ſumma dignitas, qua alios omnes Reges antecellere voluit *vid. can. 7. Diſtinct. 96.* GIBELIN. *p. 1. c. 5. §. 4. c. 6. §. 4. 5. p. 2. c. 1. §. 14. c. 4. §. 19.* BURGOLD. *ad. J. P. p. 1. D. 20. §. 13. p m. 347.* denique dignitatum Titulorumque conceſſio *v.* GIBEL. *p. 1. c. 5. §. 9. c. 6. §. 4. c. 7. §. 7. in fin. c. 8. §. 5. p. 2. c. 1. §. 10. c. 4. §. 25. 33. c. 5. §. 30. c. 6. §. 2. p. 3. c. 6. §. 8.* De cætero certum eſt, quod nullo legitimo titulo dominium ſeculare ſupereminens Papa acquiſierit, ſed id mera uſurpatione nitatur.

§. 34.

Digitized by Google

§. 34. Ita Pontificem, imperium univer-
e per partes ſibi aſſerentem, ſpectavimus.
genere autem ad ejus uſurpationem &
nfirmationem pertinet *introductio innu-
ri Clericorum numeri,* nam uti horum ſta-
s ita implicatus eſt, ut inde aliqua infideli-
ſupremo Capiti non facile metuenda ſit,
raſa illa turba, per Reſpublicas chriſtianas
perſa, ſtrenue papatum conſervare nititur,
d. GIBEL. *p. 3. c. 6. p. 1. c. 6. §. 6. in fin. p. 2.
2. §. 5. c. 3. §. 9. c. 5. §. 2. c. 6. §. 6. 7. p. 3. c. 2.
6. 9. c. 5. §. 11. c. 6. n. III. §. 7. n. V. §. 7. p. 793.
9. 12. n. XII. p. 855.*

§. 35. Ad eundem Scopum etiam colli-
ant *immenſæ opes,* quas Pontifex per cle-
m ſibi ſubjectum olim corradere ſolitus
, dum vel gravia tributa liberarum Rerum-
blicarum ſubditis impoſuit, vel ſpongias
eno ſanguine humentes turgidasque ſtre-
e expreſſit *vid.* GIBELIN. *p. 1. c. 7. §. 7.
g. 102. c. 8. §. 9. p. 2. c. 5. c. 6. §. 4. 5. p. 3. c. 5.
XX. §. 9. 10. c. 6. §. 9.* PAURM. *de J. J R. l. 2.
. n. 42.* BURGOLD. *ad J. P. p. 1. D. XX. §. 7.
fin.*

§. 36. Inprimis etiam papatum promovit
fectio juris Canonici, nam hac ratione non
tum univerſalis Monarchiæ opinio, ani-
s gentium rudium & ſuperſtitioſarum, ma-
ingenerata ac confirmata eſt, ſed & Pon-
tifex,

tifex, quicquid libuit, ſibi attribuit. Cui deinde ſuccinunt *Canoniſtæ aliiquæ aulæ pontificiæ mangones*, qui plenis buccis omnipotentiam papalem deprædicant. & cum ſemper aliquid hærere ſoleat, ſtrenuò mentiendo, utilem ſacro dominatui operam præſtitiſſe cenſendi ſunt *vid. Clement. unic. de jurejur.* GIBELIN. *p. 1. c. 6. §. 4. in fin. c. 7. §. 1. 4. p. 2. c. 4. §. 34.* PAURM. *d. c. 3. n. 1. ſeqq.*

§. 37. Non minus etiam ad hunc ſcopum pertinet *cura ſcholarum & educandæ juventutis*, quam Pontifex rudioribus ſeculis uſurpavit, nam uti hæc res omnes Reſpublicas perambulat, adeoque univerſale aliquod imperium involvit, ita teneros juventutis animos papatu imbuiſſe, quantivis pretii exiſtimari debet *vid.* GIBELIN. *p. 2. c. 4. §. 2. 3. 8. 18. c. 6. §. 11. p. 3. c. 2. §. 5.* Illud autem facile liquet, media hæc ad papatum introducendum generaliter ſpectantia, nullo titulo legitimo niti, ſed in meram reſolvi uſurpationem.

§. 38. Sed papatus, uſurpatione vel quæſitus vel quærendus, incruſtari etiam debuit, quo pertinet *Religionis depravatio*. Olim in Eccleſia Romana puritatem doctrinæ obtinuiſſe, concedi debet, ſed non minus verum eſt, quod illa mox corrumpi cœperit, id quod quo ordine factum ſibi videatur, oſtendit HOORNBECK,

ECK. *in Summ. controv. Relig. c. 4. add.*
CHERTZER. *Antibellarm. diſſert. 1. theſ. 1. p.*
1. *diſſert. 5. th. 3. p. 380.*

§. 39. Illud certum, quod multi religio-
is Pontificiæ articuli, vel contra verbum
ei revelatum, vel ſaltem præter illud efficti
nt, & quod adeo papatus, i. e. falſorum do-
matum complexus, *vid. cap.* 6. §. 2. 4. ſen-
m in purioris doctrinæ locum ſubſtitui cæ-
erit, qui tamen primævam puritatem nunc
renue mentiatur. Hoc præſuppoſito (quod
Theologis proteſtantibus ſatis probatum
ſt) conjectando non erit difficile aſſequi,
mnem iſtam corruptionem ex rationibus
atus papalis eſſe introductam, quod brevi-
ate eleganti MONZAMB. *de ſtat. germ. c. 8.*
8. fuſius vero GIBELIN. *Cæſareop. p. 2. c. 2.*
ſtendit, nos ſummaria recenſione defun-
emur.

§. 40. Ex hoc ergo fonte fluxit, quod au-
oritas S. Scripturæ ab arbitrio Papæ ſuſpen-
atur, verſio vulgata, authentica perhibeatur,
lectione illius Laici arceantur, norma illa
bſcura, inſufficiens, imperfecta & in lin-
uam vernaculam non transferenda exiſti-
netur, eique traditiones adjungantur, vid.
CHERZER. *Antibellarm. Diſp.* 2. GIBELIN. *p.*
c. 2. §. 6. 7. 8. *c.* 4. §. 18. 34. nam illa
mnia ad ſtabiliendum incruſtandumq; do-

I mina-

Digitized by Google

minatum Clericalem pertinere, quis non videt?

§. 41. Suſpenſa ita à Cleri libidine religionis chriſtianæ norma, reliqua pro lubitu effingi potuerunt. Ex hoc ergo principio manavit Vicedeatus Pontificis Romani, vid. GIBELIN. *p.* 1. *c.* 3. §. 5. *verſ. fin.* §. 7. *c.* 4. §. 2. *pag.* 39. *p.* 2. *c.* 3. §. 2. veneratio reliquiarum, conſecratio olei, aquæ, cæterorum, faſciarum agnorum Dei aliarumque ejus generis quisquiliarum, *vid.* GIBELIN. *p.* 2. *c.* 2. §. 4. 18. nec non Sanctorum invocatio ID. *p.* 1. *c.* 4. §. 2. *p.* 2. *c.* 2. §. 4. 17.

§. 42. Non minus ad illum ſcopum collineant ſplendidæ illæ theatricæque cultus externi ceremoniæ, confeſſio auricularis & remiſſio peccatorum Cleri arbitrio ſubjecta GIBELIN. *p.* 2. *c.* 2. §. 13. ſacrificium miſſaticum *d. c.* 2. §. 9. 10. ſubtractio Calicis Laicis facta, auctus Sacramentorum numerus, Ordine, Confirmatione, Pœnitentia, Matrimonio & Extrema unctione in iſtum cenſum relatis ID. *d. c.* 2. §. 11. 12. 13. *p.* 1. *c.* 6. §. 2. *p.* 68. §. 3. *in fin.* §. 6. *pag.* 81.

§. 53. Ex eodem fundamento vis meritoria bonis operibus adſcribi debuit ID. *p.* 2. *c.* 2. §. 16. *c.* 5. §. 4. *ſeqq.* Purgatorio vero ac indulgentiarum nundinatione, nihil aptius eſt, vivis pariter ac mortuis pecunia emungendis

gendis Id. *p.* 2. *c.* 2. *§.* 14. *p.* 1. *c.* 5. §. 7. *in fin. p.* 2. *c.* 2. §. 15. *p.* 1. *c.* 7. §. 4. *pag.* 92. §. 5. *p.* 96. §. 7. *p.* 102. ad eundem etiam finem tendunt jejunia ſeu interdictus carnis eſus, ut de imperio univerſali, quod illa manifeſte involvunt, nihil dicam Id. *p.* 2. *c.* 2. §. 19.

§. 44. Nec illud ſine myſterio eſt, quod liturgia latine maximam partem ſit peragenda Id. *d. c.* 2. §. 21. Scholaſtica etiam Philoſophia extolli debuit, nam uti illa vana doctrina homines implet, eosdemque ad ſolida capienda ineptos reddit, ita fucandis falſis dogmatibus eſt peridonea, denique piæ fraudes, quas vocant, ex ratione ſtatus pontificii quoque invaluerunt & ſi quæ ejus generis inventa alia adhuc occurrunt, *vid.* Gibelin. *d. p.* 2. *c.* 2. §. 22. 23. 24. *p.* 1. *c.* 7. §. 1. *p.* 86.

§. 45. Incruſtando denique papatui, *bonæ notæ libri corrumpendi fuerunt*, quo ita ætatem, quam non habet, is mentiretur, *vid.* Gibelin. *p.* 1. *c.* 3. §. 5. Inprimis hac arte inclaruit *Iſidorus Peccator* vel *Mercator*, qui primorum Pontificum epiſtolas decretales, cum donatione Conſtantini aliisque decretis eccleſiaſticis compoſuiſſe videri voluit, quod opus, cum ex ultima chriſtiani nominis antiquitate, maximum ſtabiliendæ potentiæ pontificiæ momentum afferre videretur, non tantum receptum, ſed & à Nicolao Papa ap-

§. 23. His ita ſe habentibus, fieri potuit & factum eſt, ut Pontifex Romanus certis *mediis* papatum ſibi acquireret *vid.* §. *11.* hæc uti ſummatim ad *Papæ, ambitione vid.* Gibelin. *Cæſareop. p. 1. c. 1.* §. *4. aliisque pravis affectibus ſtimulati, uſurpationem* revocari poſſunt, ita varias uſurpationis hujus formas ſpecialius exponere, non perinde expeditum eſt, nec facile dixerim, me immenſam illam aſtutiæ Clericalis abyſſum emetiri poſſe.

§. 24. Interim ſi non ſatis accurate, attamen non plane incongrue, quintuplex uſurpationis illius forma, in genere aſſeri poſſe videtur. Acquiſivit ſcilicet Pontifex imperium aliquod univerſale (1) primatum in cæteros imperii Romani Epiſcopos ſibi arrogando (2) proprium validumque patrimonium parando (3) dominatum univerſalem uſurpando (4) religionem ſtatui papali attemperando ac (5) bonos libros corrumpendo. Duo priora media papatum fundarunt, tertium produxit, duo poſteriora confirmarunt & incruſtarunt.

§. 25. In Republica Romana, Hierarchia ad exemplum regiminis ſecularis, mox ſplendide inſtrui cœpit, hinc præter Epiſcopos & Archiepiſcopos ſummæ dignationis, etiam Patriarchæ ſunt inſtituti *vid.* Schilt.

J. J.

Digitized by Google

J. J. C. l. 1. *tit.* 3. §. 10. CONRING. *de Conſtit. Epiſcop.* §. 18. inter hos de *primatu* acriter deinceps certatum eſt, eumque Præſul Romanus inprimis etiam acquirere ſtudit *v. can.* 3. *Diſtinct.* 21. GIBELIN. *Cæſareop. p* 1. *c.* 3. §. 5. 6. 7. donec eum à Phoca Imperatore, Bonifacius III. obtineret ID. *p.* 1. *c.* 4. §. 1. *p.* 2. *c.* 1. §. 6. *c.* 3. §. 1. ac ſucceſſores amplius confirmare niterentur *vid.* ID. *p.* 1. *c.* 4. §. 2. *in fin. c.* 5. §. 4. 9. *c.* 6. §. 6. *p.* 2. *c.* 1. §. 3.

§. 26. De cætero uti primatus ille nec legitimus, nec extra controverſiam poſitus, imo à Pelagio II. *vid. can.* 4. *Diſtinct.* 99. & Gregorio, titulum *Servi ſervorum*, elogio *Oecumenici Epiſcopi*, præferenti, ut videtur, improbatus eſt *vid.* GIBELIN. *p.* 1. *c.* 3. §. 7. ita admiſſus ad Rempublicam Romanam tantum pertinet, ſed hocconcidente, ex *primatio certæ alicujus civitatis præſule*, ingenioſa & utili fallacia, *œcumenicus totius Chriſtianitatis, imo univerſi Orbis Epiſcopus* effictus eſt.

§. 27. Poſtea dominatum univerſalem fundavit *peculiare regnum in Italia partum*; ſine hoc enim illud acquiri non poſſe, manifeſtum eſt. De cætero ſi ut fulcrum dominatus univerſalis conſideretur, facile liquet, debere illud eſſe potens, ad durationem probe compoſitum, ac ſi non eſſe, ſaltem videri plane liberum; hæc omnia igitur quo-

quomodo effecerint Pontifices Romani, *cap. præc.* aliquo modo delineatum eſt, multa etiam hinc inde admonuit GIBELIN. *Cæſareop.* quæ huc referri poſſunt *vid. p.* 2. *c.* 1. §. 10. *c.* 5. §. 28. *p.* 1. *c.* 5. §. 8. *p.* 2. *c.* 6. §. 8. *p.* 1. *c.* 7. §. 6. *p.* 2. *c.* 1. §. 1. *c.* 4. §. 16. *c.* 6. §. 9. 10. *p.* 3. *c.* 6. *p.* 1. *c.* 3. §. 6. *c.* 4. §. 2. 3. *c.* 5. §. 3. *ſeqq. c.* 6. §. 2. 4. *c.* 7. §. 2. *p.* 2. *c.* 4. §. 16. *&c.*

§. 28. Inprimis vero imperium illud ſacrum ſibi paravit Pontifex *Uſurpatione*, nam arrogavit ſibi *imperium in ipſam religionem*, dum controverſias infallibili ſententia decidit, decreta igne & ferro exequitur, ac ætheris erebique claves citra provocationem diſpenſat, prout hanc in rem ridicula pariter ac horrenda exempla in hiſtoriis reperiuntur, ex quibus aliqua iterum delibavit GIBELIN. *Cæſareop. p.* 1. *c.* 6. §. 4. *c.* 6. §. 3. *p.* 2. *c.* 6. §. 12. p. 3. *c.* 2. § 12. *c.* 5. §. 3. *c.* 8. §. 12. *p.* 1. *c.* 8. §. 7. *p.* 2. *c.* 3. §. 3. *p.* 3. *c.* 5. §. 13. *p.* 1. *c.* 6. §. 5. *in fin. c.* 8. §. 7. *in fin. p.* 3. *c.* 2. §. 4.

§. 29. Quo loco notandum, quod hæc papatus pars, legibus divinis repugnet *vid. ſupr.* §. 6. hinc nullo inſtituto humano illa poteſt reddi legitima. Licet igitur Pontifex mille & plures conventiones hoc nomine cum Gentibus iniiſſet, arrogatum imperium nihilominus foret injuſtum.

§. 30. Amplius uſurpavit etiam Pontifex

jus

jus religionem eique connexa ordinandi, hinc juriſdictionem in alios Epiſcopos exercuit, *vid.* GIBELIN. *Cæſareop. p.* 1. *c.* 3. §. 6. *p.* 2. *c.* 1. §. 3. Clericos imperio ſeculari ſubtraxit ID. *p.* 1. *c.* 5. §. 4. *c.* 6. §. 1. *p.* 2. *c.* 3. §. 5. *c.* 6. §. 5. *p.* 3. *c.* 2. §. 6. *c.* 5. §. 12. *c.* 6. §. 9. conſtitutionem Epiſcoporum ad ſe rapuit, *vid.* ID. *p.* 1. *c.* 6. §. 1. *ſeq. c.* 8. §. 7. *p.* 2. *c.* 3. §. 4. *ſeqq. c.* 4. §. 14. *ſeqq. c.* 5. §. 3. *p.* 1. *c.* 5. §. 3. *p.* 2. *c.* 4. §. 12. titulares Epiſcopos creavit ID. *p.* 3. *c.* 6. §. 7. decimas exegit ID. *p.* 1. *c.* 7. §. 3. 4. 7. Calendaria dedit *p.* 1. *c.* 8. §. 6. appellationes recepit *p.* 2. *c.* 3. §. 3. Concilia convocavit *c.* 4. §. 7. *p.* 3. *c.* 6. §. 7. aliaque ejus generis ſibi arrogavit *vid.* ID. *p.* 3. *c.* 8. §. 19. *p.* 968.

§. 31. Hujus juris intuitu, Pontifex nonnunquam aliquas conventiones cum Rebuspublicis liberis iniit, quod exemplo *Concordatorum Nationes Germanicæ* patet. Sed nihil ſolidi juris inde conſecutus eſt, errantium enim & deceptorum nullus eſt conſenſus, ex quo etiam patet, quare præſcriptio i. e. tacito conſenſu facta conceſſio, defendendo juri papali allegari nequeat.

§. 32. Denique ſibi etiam Pontifex aſſeruit *ſupereminens dominium ſeculare.* Hinc Regum judex eſſe voluit *vid.* GIBELIN. *Cæſareop. pag.* 1. *c.* 6. §. 2. *pag.* 69. §. 6. *c.* 7. §. *pag.* 5. *p.* 2. *c.* 1. §. 11. *c.* 4. §. 4. 15. PAURMEIST. *d.*

juriſd.

§. 34. Ita Pontificem, imperium univerſale per partes ſibi aſſerentem, ſpectavimus. In genere autem ad ejus uſurpationem & confirmationem pertinet *introductio innumeri Clericorum numeri*, nam uti horum ſtatus ita implicatus eſt, ut inde aliqua infidelita ſupremo Capiti non facile metuenda ſit, ita raſa illa turba, per Reſpublicas chriſtianas diſperſa, ſtrenue papatum conſervare nititur, *vid.* GIBEL. *p. 3. c. 6. p. 1. c. 6. §. 6. in fin. p. 2. c. 2. §. 5. c. 3. §. 9. c. 5. §. 2. c. 6. §. 6. 7. p. 3. c. 2. §. 6. 9. c. 5. §. 11. c. 6. n. III. §. 7. n. V. §. 7. p. 793. §. 9. 12. n. XII. p. 855.*

§. 35. Ad eundem Scopum etiam collineant *immenſæ opes*, quas Pontifex per clerum ſibi ſubjectum olim corradere ſolitus eſt, dum vel gravia tributa liberarum Rerumpublicarum ſubditis impoſuit, vel ſpongias alieno ſanguine humentes turgidasque ſtrenue expreſſit *vid.* GIBELIN. *p. 1. c. 7. §. 7. pag. 102. c. 8. §. 9. p. 2. c. 5. c. 6. §. 4. 5. p. 3. c. 5. n. XX. §. 9. 10. c. 6. §. 9.* PAURM. *de J. J R. l. 2. c. 3. n. 42.* BURGOLD. *ad J. P. p. 1. D. XX. §. 7. in fin.*

§. 36. Inprimis etiam papatum promovit *confectio juris Canonici*, nam hac ratione non tantum univerſalis Monarchiæ opinio, animis gentium rudium & ſuperſtitioſarum, magis ingenerata ac confirmata eſt, ſed & Pontifex,

tifex, quicquid libuit, ſibi attribuit. Cui deinde ſuccinunt *Canoniſtæ aliiquæ aulæ pontificiæ mangones*, qui plenis buccis omnipotentiam papalem deprædicant, & cum ſemper aliquid hærere ſoleat, ſtrenuò mentiendo, utilem ſacro dominatui operam præſtitiſſe cenſendi ſunt *vid. Clement. unic. de jurejur.* GIBELIN. *p.* 1. *c.* 6. §. 4. *in fin. c.* 7. §. 1. 4. *p.* 2. *c.* 4. §. 34. PAURM. *d. c.* 3. *n.* 1. *ſeqq.*

§. 37. Non minus etiam ad hunc ſcopum pertinet *cura ſcholarum & educandæ juventutis*, quam Pontifex rudioribus ſeculis uſurpavit, nam uti hæc res omnes Reſpublicas perambulat, adeoque univerſale aliquod imperium involvit, ita teneros juventutis animos papatu imbuiſſe, quantivis pretii exiſtimari debet *vid.* GIBELIN. *p.* 2. *c.* 4. §. 2. 3. 8. 18. *c.* 6. §. 11. *p.* 3. *c.* 2. §. 5. Illud autem facile liquet, media hæc ad papatum introducendum generaliter ſpectantia, nullo titulo legitimo niti, ſed in meram reſolvi uſurpationem.

§. 38. Sed papatus, uſurpatione vel quæſitus vel quærendus, incruſtari etiam debuit, quo pertinet *Religionis depravatio.* Olim in Eccleſia Romana puritatem doctrinæ obtinuiſſe, concedi debet, ſed non minus verum eſt, quod illa mox corrumpi cœperit, id quod quo ordine factum ſibi videatur, oſtendit HOORN-

BECK,

ECK. *in Summ. controv. Relig. c. 4. add.* SCHERTZER. *Antibellarm. diſſert. 1. theſ. 1. p. 3. diſſert. 5. th. 3. p. 380.*

§. 39. Illud certum, quod multi religio-
nis Pontificiæ articuli, vel contra verbum
Dei revelatum, vel ſaltem præter illud efficti
int, & quod adeo papatus, i. e. falſorum do-
gmatum complexus, *vid. cap. 6. §. 2. 4.* ſen-
ſim in purioris doctrinæ locum ſubſtitui cæ-
perit, qui tamen primævam puritatem nunc
ſtrenue mentiatur. Hoc præſuppoſito (quod
Theologis proteſtantibus ſatis probatum
eſt) conjectando non erit difficile aſſequi,
omnem iſtam corruptionem ex rationibus
ſtatus papalis eſſe introductam, quod brevi-
tate eleganti MONZAMB. *de ſtat. germ. c. 8.*
§. 8. fuſius vero GIBELIN. *Cæſareop. p. 2. c. 2.*
oſtendit, nos ſummaria recenſione defun-
gemur.

§. 40. Ex hoc ergo fonte fluxit, quod au-
toritas S. Scripturæ ab arbitrio Papæ ſuſpen-
datur, verſio vulgata, authentica perhibeatur,
a lectione illius Laici arceantur, norma illa
obſcura, inſufficiens, imperfecta & in lin-
guam vernaculam non transferenda exiſti-
metur, eique traditiones adjungantur, vid.
SCHERZER. *Antibellarm. Diſp. 2.* GIBELIN. *p.*
2. c. 2. §. 6. 7. 8. c. 4. §. 18. 34. nam illa
omnia ad ſtabiliendum incruſtandumq; do-

minatum Clericalem pertinere, quis non videt?

§. 41. Suſpenſa ita à Cleri libidine religionis chriſtianæ norma, reliqua pro lubitu effingi potuerunt. Ex hoc ergo principio manavit Vicedeatus Pontificis Romani, vid. GIBELIN. *p.* 1. *c.* 3. §. 5. *verſ. fin.* §. 7. *c.* 4. §. 2. *pag.* 39. *p.* 2. *c.* 3. §. 2. veneratio reliquiarum, conſecratio olei, aquæ, cæterorum, faſciarum agnorum Dei aliarumque ejus generis quisquiliarum, *vid.* GIBELIN. *p.* 2. *c.* 2. §. 4. 18. nec non Sanctorum invocatio ID. *p.* 1. *c.* 4. §. 2. *p.* 2. *c.* 2. §. 4. 17.

§. 42. Non minus ad illum ſcopum collineant ſplendidæ illæ theatricæque cultus externi ceremoniæ, confeſſio auricularis & remiſſio peccatorum Cleri arbitrio ſubjecta GIBELIN. *p.* 2. *c.* 2. §. 13. ſacrificium miſſaticum *d. c.* 2. §. 9. 10. ſubtractio Calicis Laicis facta, auctus Sacramentorum numerus, Ordine, Confirmatione, Pœnitentia, Matrimonio & Extrema unctione in iſtum cenſum relatis ID. *d. c.* 2. §. 11. 12. 13. *p.* 1. *c.* 6. §. 2. *p.* 68. §. 3. *in fin.* §. 6. *pag.* 81.

§. 53. Ex eodem fundamento vis meritoria bonis operibus adſcribi debuit ID. *p.* 2. *c.* 2. §. 16. *c.* 5. §. 4. *ſeqq.* Purgatorio vero ac indulgentiarum nundinatione, nihil aptius eſt, vivis pariter ac mortuis pecunia emungendis

[t]endis Id. *p.* 2. *c.* 2. *§.* 14. *p.* 1. *c.* 5. §. 7. *in fin. p.* 2. [c].2. §. 15. *p.* 1. *c.* 7. §. 4. *pag.* 92. §. 5. *p.* 96. §. 7. [p].102. ad eundem etiam finem tendunt jeju[n]ia ſeu interdictus carnis eſus, ut de imperio [u]niverſali, quod illa manifeſte involvunt, ni[h]il dicam Id. *p.* 2. *c.* 2. §. 19.

§. 44. Nec illud ſine myſterio eſt, quod [li]turgia latine maximam partem ſit peragen[d]a Id. *d. c.* 2. §. 21. Scholaſtica etiam Philoſo[p]hia extolli debuit, nam uti illa vana doctri[n]a homines implet, eosdemque ad ſolida capi[e]nda ineptos reddit, ita fucandis falſis dogma[ti]bus eſt peridonea, denique piæ fraudes, quas [v]ocant, ex ratione ſtatus pontificii quoque [i]valuerunt & ſi quæ ejus generis inventa alia [a]dhuc occurrunt, *vid.* Gibelin. *d. p.* 2. *c.* 2. §. 2. 23. 24. *p.* 1. *c.* 7. §. 1. *p.* 86.

§. 45. Incruſtando denique papatui, *bo[n]æ notæ libri corrumpendi fuerunt*, quo ita [...]tatem, quam non habet, is mentiretur, *vid.* Gibelin. *p.* 1. *c.* 3. §. 5. Inprimis hac arte in[c]laruit *Iſidorus Peccator* vel *Mercator*, qui pri[m]orum Pontificum epiſtolas decretales, cum [d]onatione Conſtantini aliisque decretis ec[c]leſiaſticis compoſuiſſe videri voluit, quod [o]pus, cum ex ultima chriſtiani nominis anti[q]uitate, maximum ſtabiliendæ potentiæ pon[ti]ficiæ momentum afferre videretur, non [t]antum receptum, ſed & à Nicolao Papa ap-

 proba-

probatum fuit, *vid. can.* 2. *Diſt.* 19. ZIEGL. *diſſert. de orig. & autor Jur. can.* §. 25. *ſeqq.*

§. 46. Non minus etiam antiqui Eccleſiæ Patres, quos vocant, falſarias Pontificiorum manus ſæpe experti ſunt, prout ex Eraſmo Roterodamo & Jameſio refert PSEUDONYMUS *in tract. de anno* 1688. *de med. quib. Roma papalis condita, conſervata & fines propagare ſtudet* §. 12. *p.* 37. Quo loco vix admonendum, duo illa media, proxime relata, corruptionem ſcilicet religionis & Scriptorum, eſſe illegitima, nulloque inſtituto humano, etiamſi interveniat, eorum vitia tolli poſſe.

§. 47. His ergo mediis papatus introductus, eidemque Chriſtianitas ſubjecta eſt, quanquam quibus gradibus & quo ſucceſſu per ſingulas Reſpublicas Chriſtianas idem ſit dilatatus, à nobis jam dici nec poſſit, nec debeat. Illud certum, quod Germania ſacri illius dominatus molem inprimis ſenſerit, adeo, ut, Galliæ intuitu, olim *Regnum obedientiæ* ſit dicta, *vid.* CONRING. *de conſtit. Epiſc.* §. 33. ZIEGLER. *diſſert. de orig. jur. Can.* §. 55. 56.

§. 48. Gemente ſub intolerabili illo jugo, Chriſtianitate, viam parandæ libertatis, inſtaurata doctrina puriori, nonnulli quidem ſubinde commonſtrarunt, ſed infelici ſuc-

ıcceſſu, *vid.* Ziegler. *diſſert. de origin. jur. an.* §. 49. Burgold. *ad J. P. p. 1. D. 1. §. 4. 5.* ɔſi etiam Germaniæ Proceres abuſus tolli à apa petierunt, *vid.* Schilter. *de libert. Eceſ. Germ. l. 6. c. 5. 6.* Conring. *de conſtit. piſc.* § 82. *ſeqq.* verum conſilia illa, erant inɔnſulta ac inefficacia, cum ab eo, qui nihil iſi ſervitutem intendit, libertatem fruſtra ɔges.

§. 49. Facto opus erat, ſine prævia cauſæ ɔgnitione, quam abſurde nonnulli Pontiɛii exigunt, *vid.* Schilt. *de L. E. G. l. 7. c. 9. 4.* id quod, ex tenuibus, ut videbatur, iniis, tandem accidit, cum enim Lutherus *Wittebergæ anno* 1517. *d.* 31. *Octob.* nundinaɔnes indulgentiarum, theſibus publice proɔſitis, oppugnaret, ea res occaſionem præuit, ut magna Germaniæ pars ac aliæ civitas jugum papale, quanquam non ſine maxiıis motibus, excuterent.

§. 50. Subfuiſſe hic directionem diviım, Proteſtantes merito credunt eamque evote venerantur, ſed nec conſilia mediaæ humana, à Pontificiis objici ſolita, eruɛſcere debent, quis enim alicui vicio vertat, ad excutiendum gravem dominatum, raɔnibus humanis ſe allici patiatur?

§. 51. De cætero diſceſſus ille, ex ſenteni aulæ papalis, rebellio eſt, hinc Papæ etiam

§. 54. Nec à parte Pontificiorum obſtacula defuerunt, nonnulli enim religioni ſibi duxerunt, avitam deſerere Eccleſiam, vid. Gibelin. *Cæſareop. p. 1. c. 8.* §. *4. p 3. c.* 1. §. 11. *ſeqq. c.* 2. Pontifex etiam, tanta ſeveritate, ut olim, dominatum non exercuit, vid. Gibelin. *p. 3. c. 3.* §. 20. denique maxima vis Reformationi fuit oppoſita, *vid.* Burgold. *ad J. P. 1. D. 20.* §. *13. p. m. 347.*

§. 55. Inprimis nonnullarum Rerumpublicarum Status, Reformationis progreſſus impedivit. Epiſcopis Germaniæ perſvaſum fuit, rationes ſuas papatui ita eſſe innexas, ut hoc ruente, illæ durare nequeant, efficacius tamen illos à diſceſſu repulit Reſervatum Eccleſiaſticum, Cleri artibus conventioni religioſæ inſertum.

§. 56. In aliis Rebuspublicis, ut Polonia & Hiſpania itidem exiſtimatum fuit, ſtatum Eccleſiaſticum rationibus papalibus eſſe intime conjunctum, præterea in civitatibus vicinis monarchicis Clero facile fuit, Reges in obſequio Pontificis continere, atque ita reformationem impedire. Imbelles autem Italiæ domini eo lubentius Papæ adhæſerunt, quo difficilius ipſis erat, jugum impoſitum excutere, aut quo magis ſub autoritatis Pontificiæ umbone, Italiam tutam ſperabant.

§. 57. Non minus etiam ad obſtacula re-

 ferri

ferri debet magna ſatis Pontificis potentia, hac enim uti facile ſibi amicos conciliare potuit, ita ob eandem alii ultro ejus rationibus ſeſe attemperarunt, *vid.* GIBELIN. *p. 3. c.* 3. §. *1.* 2. Denique in genere huc pertinet aulæ Clerique papalis aſtutia, quæ in omnes intenta eventus, quicquid vel à parte Proteſtantium vel Pontificiorum accidit, ac ullo modo rebus papalibus utile eſſe potuit, in utilitatem ſuam gnaviter vertit.

§. 58. Poſtquam Reformationis curſui remora ſemel injecta, peculiares etiam ſunt rationes, quæ Papicolas in obſequio Papæ retineant, dantur enim nonnulla in religione papali, quæ hominibus vera pietate vacuis, quorum maximus ſemper eſt numerus, placere, vel ſaltem non diſplicere queant. Ex hoc genere eſt cultus theatricus, *vid.* GIBELIN. *Cæſareop. p. 3. c. 2.* §. *8. n. 5.* ordinis Eccleſiaſtici ſplendor & dignitas, *vid.* GIBELIN. *p.* 3. *c.* 6. §. 6. venalis peccatorum remisſio *add.* ID. *p. 3. c. 7.* §. 22.

§. 59. Quodſi porro religionem pontificiam cum Evangelica, quoad eſſentialia, compares, multi diſcrimen vel nullum, vel ſaltem non magnum, ac ad Religionem mutandam haut incitaturum, ſubeſſe putant, quam ſententiam Proteſtantium Syncretiſtæ confirmant, *vid.* PUFEND. *introd. ad hiſtor.*

c.12.

c.12.§.40. damnum vero, quod Papatus liberis Rebuspubl. affert, vel leve putatur vel omnino non intelligitur, adeoq; ejus conſideratio ad deſerendam avitam religionem haut impellit.

§. 60. Inprimis vero religio papalis incautis ſe commendat ementita antiquitate & puritate, magno aſſeclarum potentium numero felicitate temporali, miraculis, Gentilium converſione & ingenti ſanctorum, vivorum & mortuorum, numero, vid. GIBELIN. *Cæſareop. p.3.c.3.§.9.ſeqq.c.5.§.15.17.21. in fin. c.* 6. §. *13. p.* 826. Quæ rationes quo reddantur magis efficaces, Cleri calumniæ accedunt, quibus Proteſtantium doctrina & vita acerrime perſtringitur, vid. RECHENB. *Diſſert. de Obſtac. progr. Refor. 25.*

§. 61. Quibus pondus addit ſolennis Pontificis execratio, quà hæreticos diris devovet, *vid.* GIBELIN *p. 3. c.* 6. §. *11.* quæ omnia in papicolis immenſum erga diſſentientes odium ac conſtans in avita religione perſiſtendi propoſitum, excitare apta ſunt, maxime cum ambitio etiam non modicas hic habere ſoleat partes, *vid.* ID. *p. 3. c.1.* §. *13. 17. c. 3.* §. *2. 7. c. 4. §.* 11. *13.* 24. Quo autem illa ſint efficaciora, teneris juventutis animis inculcantur, media vero cognoſcendi erroris callide ſubtrahuntur ID. *p. 3. c.3.* §. *8.* c. 4. §. 13. *c.* 5. §. 19. 20. 21. *c.* 6. *§.* 5. *n.* 5. 7. *c.* 7. §. 23. *p.* 1. *c.* 8.

§. 6. p. 3. c. 2. §. 4. c. 3. §. 2. ſeqq. c. 4. §. 2. ſeqq. c. 6. n. 16. pag. 808.

§. 62. Præter ea Imperantes propriis nonnullis mediis in obſequio Papæ retinentur. Eo referas blanditias Cleri, confeſſionem auricularem aliasque callidas conſiliorum expiſcationes, infandorum facinorum metum, ſpem lucri, vel ex amicitia Pontificis, vel beneficiis Eccleſiaſticis habendi, *v.* GIBELIN. *p. 2. c. 4. 5. p. 3. c. 5. 7.* Quoad ſubditos vero minor eſt labor, hos enim præmiorum ſpes, ID. *p. 3. c. 7. §. 18. 26.* ac graviſſimorum ſuppliciorum metus, à propoſito mutandi religionem, facile dimovet, *v.* ID. *p. 1. c. 8. §. 5. p. 3. c. 4. §. 14. 15. c. 5. §. 20. n. 3. c. 6. §. 5. n. 6. c. 7. §. 18. ſeqq.*

§. 63. Quemadmodum autem ſuos non temere dimittit Pontifex, ita non ſegnius Reſpublicas populosque à papatu alienos, ad obſequium reducere nititur, id quod nullis legitimis mediis fieri poſſe ex ante dictis conſtat, *add.* GIBELIN. *p. 3. c. 4. §. 9. ſeq.* Interim varie hoc tentant Pontificii, quo pertinent *novæ methodi convertendi hæreticos,* quibus nonnulli inclareſcere voluerunt, *vid.* SCHERTZER. *Antibellar. diſp.* 1. *theſ.* 2. PLACENTIUS *de* VERONA, in *Roma papali* cujus §. 46. mentionem fecimus, qui cum aliis iſta facunde & prolixe enarrat.

§. 64.

. 64. Inſtituti anguſtia eo excurrere nos
hibet. In genere certum, quod omnes
convertendi modi ſtultitiæ, vel malitiæ
manifeſti. Interim apud imperantes
bitione vel ſuperſtitione excœcatos, ac in
ſecutionem hæreticorum, quos vocant,
clives, ſæpe applauſum inveniunt, & fu-
tas clades excitant, quod exemplis decla-
e, nimis odioſum, ac ab inſtituto noſtro
enum eſt.

§. 65. Cum vero his mediis ſolitarie ſpe-
tis, parum vel nihil proficiant Pontificii,
ic reductio ad papatum *vi* & *fraude* pera-
ur. Si igitur ſubditi Proteſtantes, Ponti-
ium habeant Imperantem, poſt præludia
nnulla *vid.* GIBELIN. *p.* 3. *c.* 4. *§.* 16. *ſqq.* *c.* 7.
2. *p.* 1. *c.* 8. §. 6. BURGOLD. *ad.* *J. P. p.* 1. *D.* 6. §. 8.
rum illud converſionis negotium, aperta
& horrendis perſecutionibus abſolvitur.
GIBELIN. *p.* 1. *c.* 8. *§.* 5. *p.* 3. *c.* 6. § 11. *p.* 816.
2. *p.* 823. *c.* 7. §. 19. *ſeqq.* *c.* 8. §. 9. 14.

§. 66. Quodſi vero Regnum vel Terri-
rium aliquod religioni Proteſtantium vel
npliciter, vel maximam partem addictum
, tum exiguum lucrum cenſeri debet, ſi
onnulli ſubditi promiſſionibus ſimilibusque
tibus ad papatum revocentur, *vid.* GIBE-
N. *p.* 3. *c.* 4. §. 21. *ſeqq.* majora tentanda
nt, ac toti regioni priſtina ſervitus paranda
eſt.

eſt, id quod bello & ſine eo, artibus clandeſtinis, fieri ſolet.

§. 67. Bellum uti in genere anceps periculique plenum remedium eſt, ita non indiſtincte, in negotio religionis, Pontifici probatur, ſed tum demum, ſi prædam vel Clero papali, vel victori, voluntati ſuæ ſubjecto, acquiſitum iri ſperet, *add.* GIBELIN. *p. 3. c. 8. §. 9. ſeqq.* de clandeſtinis artibus hic diſſerere non attinet, cum ingenii humani indolem intelligentibus, illæ facile pateant, *vid.* GIBELIN. *d. c.* 8. §. 5. *ſeqq.* BURGOLD. *ad J. P. p. 1. D.* 32. §. 4. 9.

§. 68. Quodſi Territorio pontificio præſit Imperans religionis Evangelicæ, iisdem artibus reductio papatus tentari poteſt, & tum quidem eo major ſpes ſubeſt, quo magis regio ad recipiendum jugum papale jam eſt diſpoſita. In genere interim notandum, quod, uti conſilia humana ſæpe deſtituit eventus, ita etiam machinationes pontificiæ ſcopum præfixum non ſemper aſſequantur, ſed non raro mala conſilia conſultoribus peſſima evadant.

§. 69. De cætero omnia illa media, conſervando vel reducendo papatui adhiberi ſolita, à Clero & excogitantur, & in actum deducuntur. Inprimis vero, exercendæ iſti curæ, Congregatio de propaganda fide, *vid.* GIBELIN.

p. 1.

1. *c.* 8. §. 7. *p.* 3. *c* 8. §. 4. Seminaria, quæ vo-
nt, ac Ordo Jeſuitarum Id. *p.* 1. *c.* 8. §. 4. *p.* 3.
5. §. 5. Burgold. *ad J. P. p.* 1. *D.* 1. § 56 Lans.
nſultat. contr. Hiſp. p. m. 269. inſtituta ſunt.

§. 70. Cum igitur Pontifex Clerusque
ıpalis omnes ſuas curas eo præcipue inten-
ıt, quo intolerabile jugum Gentibus liberis
enuo imponatur, hæ merito & pro conſer-
anda libertate, & pro deſtruendo vel immi-
uendo papatu, non minus debebant eſſe ſol-
citæ, id quod profanum irreligioſumque
enſeri non debet, nam uti providentiæ di-
inæ inprimis confidere par eſt, ita aliorum
nprobitati conſilia & media humana oppo-
uiſſe, quis illicitum putet?

§. 71. Sic igitur ſatis liquet, quod papa-
us artibus illicitis ſit introductus, iisdemque
odie & conſervetur & propagetur, quod-
que adeo cum illo, ad *juſti* regulas exacto,
male comparatum ſit. Quodſi inſuper jux-
ta regulas *innoxiæ utilitatis* & *prudentiæ*, idem
expendatur, eum ſocietatibus humanis & ci-
vilibus eſſe pernicioſiſſimum, ultro patet.

§. 72. In genere damnum in eo conſiſtit,
quod, cum papatus, *injuſtum aliquod impe-
rium* ſit, ei *miſera* & *intolerabilis ſervitus* re-
ſpondeat, id quod juxta tres ſacri illius domi-
natus partes, §. 2. adductas, ſpecialius decla-
rari poteſt.

§. 73.

§. 73. Nam *imperium in religionem*, tollit *libertatem conſcientiarum*, quæ jactura eo gravior cenſeri debet, quod exitium æternum inde etiam ſequi poſſit, de quo Theologi diſpiciunt: porro introducit *craſſam rerum religioſarum* & *politicarum ignorantiam*, denique *horrendas* cauſatur *turbas & perſecutiones*, id quod omnium temporum hiſtoria ſatis oſtendit.

§. 74. Ulterius *imperium circa religionem*, liberis Rebuspublicis *jus competens* eripit, facit *civitates bicipites ac ad inteſtinos motus aptas*, ac dum Clerum ſibi ſubjicit, eundem ad *corradendas, in præjudicium cæterorum ſubditorum, immenſas opes ac quidvis contra civitatem audendum, habilem proclivemque reddit*, denique *ipſos etiam Imperantes*, quoad res, ad religionem callide relatas, ut eſum carnis & matrimonium, *ſibi ſubjicit*.

§. 75. Tandem quis dubitet de incommodis *ſupereminentis imperii ſecularis*, cujus virtute Pontifex Reges inſtituere & deponere ſe poſſe cenſet? Equidem hodie tanto cum effectu memorata incommoda ſe non exſerunt, ac olim, quia intercedens Reformatio papatum imminuit, adeo, ut hodie eum Papa timide, leniter ac cum magna circumſpectione exercere debeat, aſt de incommodis judicare par eſt, ſi ille, ex voto Pontificis, ad

ἀκμὴν

i, deduceretur, vid PACIF. *à lapid. ad Monib. Diſc.* 11. §. 3. *p. m.* 574.

. 76. Solent tamen etiam nonnulla paus commoda recenſeri, *vid.* GIBELIN. *Caop. p.3. c.5.* inter quæ palmarium eſt, quod *beneficiis Eccleſiaſticis perſonæ illuſtres no-sque commode ſuſtentari queant, vid.* MONZ. *Stat. Germ. c. 8. §. 9.* nam ea commo-, quod *Papa diſſidia religionis tollere poſſit, t infideles ad religionem Chriſtianam conrti curet*, *vid.* GIBELIN. *Cæſareop. p. 3. c. §. 16. c. 5. §.15.* ſimiliaque, vix nominari mentur.

§. 77. De cætero commodum memoram etiam nullum eſt, nam, ut alia taceam, tio alendi perſonas illuſtres ſatis idonea in ebuspublicis eſſe poteſt, licet illa imperio apæ non ſubſit. Interim fatendum eſt, uod, quamdiu illa rationibus papalibus inexa eſt, Status proteſtantes, circa uſum boorum Eccleſiaſticorum reſtringendum, cau- verſari debeant, ne, dum aliis Reipublicæ tilitatibus eadem nimis attemperare ſtuent, homines lautioris conditionis, ad amlectendum papatum, permoveant.

§. 78. Ex his liquet, Reſpublicas eorumque Capita, tam ex regulis juſtitiæ quam utiitatis teneri quovis modo papatui reſiſtere, hinc quæ ab eodem jam diſceſſerunt, cavere debent,

debent, ne ille iterum invaleſcat, quæ vero illi adhuc ſubſunt, jugum hoc excutere debent, id quod etiam ſine bello cruento fieri poteſt, modo enim omnes Reſpublicæ Pontifici obſequium negarent, uno ictu ejus imperium eſſet proſtratum & everſum.

§. 79. Meminiſſe etiam debebant Imperantes Pontificii, ſe, ſiquidem in religione papali ſalutem ſuam ſitam eſſe, penitus ipſis perſvaſum eſt, poſſe eſſe pontificios theologice, nec tamen tales eſſe debere politice, id eſt, non debere Pontifici Romano ſubeſſe, ac ejus iniquitatem, in perſequendis diſſentientibus, imitari, *add.* PAURMEIST. *de Jurisd. imp. Rom. l. 2. c. 3. n. 53.*

§. 80. De conciliando, cum religione Proteſtantium, papatu, conſilia etiam agitari ſolent, *v.* GIBELIN. *Cæſareop. p. 3. c* 8. §. 8. BURGOLD. *ad J. P. p. 2. D. 3.* §. 5. 6. SCHILTER. *de L. E. G. l. 7. c. 14.* §. 19. *ſeqq.* ſed conciliationem talem eſſe impoſſibilem, & conſilia eo fine agitari ſolita, vel doloſa, vel inepta, ex dictis etiam manifeſtum eſt.

§. 81. An vero imperium papale ſemper inter Chriſtianos ſit duraturum, quæri etiam poteſt? Quid pro ejus perpetua duratione Scriptores Pontificii, ex S. Scriptura jactare ſoleant, *vid.* GIBELIN. *p. 3. c. 5.* §. 17. aut quid noſtrates Theologi opponant, id ad noſtrum propo-

Digitized by Google

opoſitum jam non pertinet. Judicio hu-
ano papatus, res talis eſt, quæ interire pot-
t, ſed, prout eſt rerumpublicarum chri-
ianarum Status, interitum illum magis
ptare, quam ſperare licet. Papa tamen,
eo X. ſi fides BURGOLDENSI *ad J. P. p. 1.
. 1.* §. *12.* aperte profeſſus eſſe perhibetur, *ſe
irari, quod regnum Sacerdotale, meris nugis in-
ixum, tamdiu ſtare poſſet.*

CAP. IIX.

De Jure Finium.

SUMMARIA.

Excuſatio tractationis præcedentis §. *1. tertia Germaniæ mutatio pertinet ad fines* §. *2. finium conſideratio triplex* §. *3. juridicæ conſiderationis habitus & momenta* §. *4. ſeqq. eorum applicatio* §. *24. circa quam cavenda ineptitudo* §. *25. 26. 27. Germaniæ competit adhuc jus in patrimonium petrinum* §. *28. in Regnum Neapolitanum* §. *29. regnum Longobardicum* §. *30. 31. 32. in regnum Arelatenſe excepta Alſatia & Helvetia* §. *33. ſeqq. in regnum Lotharingicum, ſed cum aliquo temperamento* §. *46. ſeqq. fæderatum Belgium* §. *52. Dania* §. *53. 54. 55. 56. Polonia* §. *57. Pruſſia* §. *58. 59. Livonia ad Germaniam hodie non pertinent* §. *60. 61. aliud dicendum de Bohemia, Sileſia, Moravia & Luſatia* §. *62. Jus Germaniæ, in Hungariam, Cyprum & Armeniam, momentaneum ve-*

 lut

lut fuit, ac dudum periit §. 63. jus Germaniæ, ad mare quoque extenditur §. 64. monitum generale quoad fines §. 65. pace Riswicenſi quid conſtitutum §. 66. 67. 68. 69. finium repetendorum cura §. 70. 71. 72. media §. 73. commoda aut incommoda §. 74. 75. impedimenta 76. 77. Germaniæ antiquæ & novæ comparatio §. 78.

§. 1.

MOrata nos paululum eſt altera Germaniæ mutatio, & licet hactenus dicta unice ad Germaniam non pertineant, attamen potiſſimum aut ſaltem eximie ad eam illa ſpectare, manifeſtum eſt. Cumque peractæ disquiſitionis inſignis inſuper ſit utilitas & necesſitas, hinc intercurrens digreſſio facile, ut ſpero, excuſabitur.

§. 2. Supereſt igitur tertia mutatio, *vid. c. 3. §. 34.* quæ ad regna regionesque, olim Germaniæ, conjunctas, *finiumque* rationem habentes, pertinet. In ea tradenda fere ſequemur CONRINGIUM in *Opere* de *finibus Imperii,* quod excellenter, ſi non unice, commendari hactenus meretur.

§. 3. Finium conſideratio in quavis civitate eſt vel *Geographica*, quæ, quomodo Gentium opinione Regiones diſtinguantur, explicat, vel *Politica*, quæ de finibus, in civitatis ſecu-

ſecuritatem rite conſtituendis, ſatagit, vel *Juridica*, quæ jura finium expendit & hujus loci eſt, vid. Kulpis. *ad Monzamb. c.* 2. §. 1. Pacif. à Lap. *ad Monzamb. D.* 3. §. 8. *ſeqq.*

§. 4. Ut autem eadem recte intelligatur, triplex finium ſtatus diſtinguendus eſt, vel enim (1) *quiete poſſidentur fines* vel (2) *cum contradictione tenentur* vel (3) *poſſeſſione eorum plane excidit civitas*, illo caſu de jure finium disquirere velle, ſupervacuum fuerit, cum poſſesſione hactenus ſecure niti liceat, iſto vero & hoc, disquiſitione illa opus eſt.

§. 5. Quo vero debite expediatur, tum totius disquiſitionis *contextus & habitudo*, tum ejus *momenta* ſeu *rationes* probe debent eſſe cognita.

§. 6. *Illum* quod attinet, manifeſtum eſt, quod utraque civitas & quæ poſſeſſione finium excidit, & quæ hos tenet, circa *idem objectum*, nempe *jus finium*, verſetur, ita quidem ut illa *jus legitime quæſitum*, vel *nondum dimiſſum* aſſerat, hæc vero vel *legitimam acquiſitionem* neget, vel *factam juris translationem* urgeat, poterit autem vel *utrumque* vel *alterum* ſaltem fieri.

§. 7. *Momenta* vero ſeu rationes in controverſiis finium ex *ſolo jure naturali* deſumendas eſſe, facile liquet, *add.* Gonring. *de F. J. l.* 2. *c.* 1. *n.* 1. intelligitur autem non *ab-*

ſolutum, ſed *hypotheticum*, quod juxta menſuram *facti præcedentis* jus & obligationem conſtituit, quod alias plenius oſtenditur.

§. 8. Factum illud dicitur *titulus* &, ut arbitramur, eſt vel *pactum fundamentale ipſius civitatis*, quo hæc conſtituta, nam ex hoc utique civitas nanciſcitur jus quoad fines, non tantum contra ipſas provincias, à corpore ſeſe avulſuras, ſed & contra vicinos valiturum, vel *conſtituta civitate ſequitur*.

§. 9. Hoc multiplex eſt, ſed omnia exempla ad duo ſumma genera referri poſſunt & debent, nempe ad *conſenſum mutuum transferentis & acquirentis fines*, ac *conſenſum ſolius acquirentis*.

§. 10. *Mutuo conſenſu* naturaliter, *vid.* GROT. *de J. B. P. l. 3. c. 12. n. 1.* poſſe transferri jus finium, certum eſt: de cætero vel *eventum mortis* reſpicit, & dicitur *ſucceſſio teſtamentaria aut ab inteſtato*, vel *inter vivos* occurrit & *donatio*, *venditio*, *permutatio* &c. audit, in quantum vero illa in ſingulis civitatibus obtineant, aut quorum conſenſus ſit neceſſarius, id ex ſtatu publico cujusvis civitatis dijudicandum, *vid.* GROT. *l. 2. c. 6. n. 3.* CONRING. *de F. I. l. 2. c. 1.*

§. 11. In genere autem conſenſus mutuus vel *ſtatim* talis eſt, vel *ex poſt facto* exiſtit, præterea vel *expreſſe* vel *tacite* declaratur.

§. 12. De conſenſu *expreſſo* res ſatis liquida,

, ſed ex *quibus indiciis* colligere *tacitum de-
imus*, id non usque adeo expeditum eſt, egit
de re GROTIUS *l.2.c.4.* proprius ad rem præ-
[illegible] CONRING. *de fin. c. 19. n. 5.* cujus do-
rinam laudat BOECLER. *ad Grot. d. l.* nobis
ec breviter placent.

§. 13. *Quando is, penes quem illius rei arbitri-
m eſt, translationem finium certo ſcit, ac libere ta-
t, tum ex ſilentio conſenſus in eam recte colligi-
r, nec opus eſt, ut lapſus temporis accedat*, nam
b rei magnitudinem debebat contradicere,
quidem jus retinere vellet.

§. 14. *Si vero de certa ſcientia tacentis non
tatim conſtet, tum ex ſilentio non aliter conſen-
us colligi poteſt, quam ſi tantum tempus fuerit
lapſum, intra quod probabiliter notitiam conſe-
qui potuerit*, quo plus temporis igitur decur-
rit, eo promtius & ſcientia præſumi, & con-
ſenſus adſtrui poſſe videtur.

§. 15. *Qui cum rei ſuæ poſſeſſore, velut cum
domino ſimpliciter contrahit, is jus ſuum meri-
to remiſiſſe cenſetur*, nam omiſſa proteſtatio
& agnitus contrahentis character hoc ſatis
indicat.

§. 16. Ex *recuperationis vero difficultate no-
lim cum* CONRINGIO *conſenſum tacitum in trans-
lationem adſtruere*, nam æſtimatio recuperan-
di difficultatis eſt nimis lubrica, aut ſi momen-
to temporis eam adſtringas, iniqua.

§. 17. *In dubio i. e. ubi vel nulla, vel in utramque partem æqualia ſunt argumenta, contra conſenſum tacitum erit pronunciandum;* ut enim factum negemus, cujus vel nulla vel iterum eliſa proſtant indicia, omnis recta ratio poſtulat.

§. 18. Ad *conſenſum ſolius acquirentis* qui erat alter titulus generalis §. 9. ſi in genere citra peculiare objectum ſpectetur, pertinet (1) *occupatio*; ſed cum vix fieri poſſit, ut aliqua Provincia ſit *res nullius*, ideo occupatio, velut modus originarius, circa fines vix locum inveniet.

§. 19. (2) *Bellum juſtum*, nam per hoc, etiam ſine conſenſu prioris Imperantis, fines alii acquiri poſſunt, quod ſecus eſt in *bello injuſto*, ubi ſemper conſenſus eſt neceſſarius, ſed cum juſtitia inter ſummos Imperantes ſæpe ſit dubia, ideo fere omne bellum transactio ſequitur, quæ ad præcedentem titulum generalem pertinet.

§. 20. (3) *Præſcriptio*; inter privatos *autoritate legis civilis* præſcriptionem transferre jura *ſine conſenſu ſpeciali & directo* ejus, cui eadem antea competebant, ſatis quidem certum eſt, ſed inter diverſas civitates ceu liberas gentes, iſte modus non obtinet, hinc nec in controverſie finium occurrit.

§. 21. Quæ autem vulgo inter Gentes adſtrui-

ſtruitur *Præſcriptio*, ea nihil aliud eſt quam *tacito conſenſu facta translatio*, quam uti juxta antea dicta admittimus, ita opus non eſt, ut rem perſpicuam termino ambiguo, ac in errores & confuſionem prono, involvamus. *vid.* VINDIC. VITRIAR. CASTIG. §. *120.*

§. 22. *Obligatio* Imperantis, qua ad fines recuperandos, ob leges fundamentales obſtringitur, inter *titulos*, male vulgo refertur, cum alium titulum habilem ſemper præſupponat, ipſa vero nullo modo titulus proprius ſit, *v. d.* VINDIC. §. *114. ſeqq.*

§. 23. His principiis nititur omnis de finibus contentio, nam altera pars acquiſitionem aliquo titulo habili factam urget, altera vel titulum omnino negat, vel ejus habilitatem impugnat, quod error, dolus, metus, vel ſimilis invaliditatis cauſa intervenerit, quo nomine inter gentes etiam *reſtitutio in integrum*, aſſeri ſolet, ſed non opus eſt illo nomine.

§. 24. Applicemus nunc hæc ad Germaniam, cum enim plurimarum Provinciarum poſſeſſione, Eadem exciderit, ſeu, ut vulgo loquuntur, plures provinciæ Ei *excmtæ* ſint, non immerito quæritur, an *jus recuperandi adhuc ſuperet, nec ne?*

§. 25. Dum autem *poſſeſſionem præviam* Germaniæ requirimus, apparet, nos ab hac

quæſtione excludere eas regiones, quas Germani ſuo jure & nomine nunquam tenuerunt.

§. 26. Hinc ſtolida quæſtio eſt, an Germani habeant *jus occupandi totum terrarum orbem*, vel *omnes provincias, Romano imperio aliquando comprehenſas* & in ſpecie *Imperium Conſtantinopolitanum*, quas ineptias caſtigavit CONRING. *de fin. l.* 1. *c.* 1. *de G. J. R. c.* 2. 3. 4. 5. 9. 11.

§. 27. Haut prudentior videtur quæſtio de jure recuperandi *Hiſpaniam*, *vid.* SCHWED. *part. gen. c.* 4. §. 25. aut Galliam, *vid.* CONRING. *de fin. l.* 1. *c.* 8. licet aliter videatur VITRIARIO *l.* 2. *tit.* 4. *pr. vid.* VIND. CASTIG. §. 110. *ſeqq.*

§. 28. Quando ſerio res agitur, occurrit (I) *Italia* & quidem ea parte, qua ſub nomine *patrimonii Petrini* à Pontifice tenetur. Sed cum de hoc jam ſatis actum ſit *c.* 6. §. 22. *ſeqq.* ideo non opus eſt, ut aliquid hic repetamus.

§. 29. Inter reliqua Italica ſe ſiſtit (II.) *Regnum Neapolitanum*, quod ex quibusdam regni Longobardici & imperii Conſtantinopolitani provinciis exortum videtur CONRING. *de fin. l.* 1. *c.* 11. *add.* ANTON. MARCELL. *de Secular. jur. Pontif. c.* 13. cumque ſit feudum Pontificis, hinc eodem argumento

, quo cætera Pontificia, illud Germaniæ aſſerit Idem. c. 22. nempe quod jus translatum robari nequeat, quam rem in medio hactenus relinquimus, neque enim pro dignitate executus eſt Conring. licet hoc exiſtimet Schweder. *d. c.* 4. §. 42. *in fin. vid.* Coccej. *J. P. P. c. 6. §. 21. add.* Spener. *Syllog. genealog. in famil. Saxon. p. m.* 320.

§. 30. Sequitur (III.) *Regnum Italiæ ſ. Longobardicum,* hoc neque *donatione* Rudolphi I. Henrici Lucelburgii & Caroli IV. neque *tacito Germanorum conſenſu* amiſſum eſſe docet Conring. *de fin. c.* 23. nam laudatæ donationes, vel ſunt confictæ, vel, ob defectum conſenſus Statuum invalidæ, *add.* Lehman. *Chron. Spir. l.* 7. *c.* 40.

§. 31. Nec tacite translatio facta: interpellant enim coronatio, ratione regni Italici, diu ſatis obſervata, ac alii actus, pro tuendo ſummo imperio ſuſcepti, quod ſigillatim ratione Hetruriæ, Mutinæ, Rhegii aliorumque principatuum, in quos hodie Longobardicum regnum diviſum eſt, laudatus Autor. oſtendit.

§. 32. Pinarolum vero in Pace Monaſterienſi, *1648.* concluſa, Gallo ceſſit. Ipſam Venetiarum urbem extra fines Germaniæ conſtituit Id. *d. tr. c.* 11. 23. diſſentiente tamen Autore *l.* 4. *ad* Conring. *p.* 13. quæ

vero Veneti in Continente ex regno Longobardico poſſident, de iis in neutram partem vult pronunciare.

§. 33. Poſt Italiam ſuccedit (IV.) *regnum Arelatenſe*, cujus *originem* & *acquiſitionem* Germaniæ factam, ejusque quietam usque ad tempora Friderici II. *poſſeſſionem* tradit laudatus CONRING. *de fin. c.* 12. 13.

§. 34. De eo igitur diſpiciendum, an *jus legitimo modo ſit in alios translatum*? generalem aliquam translationem in Gallos ab *Alberto Auſtriaco, Henrico Lucelburgio, Carolo IV.* eſſe factam, quidam contendunt, ſed id prolixe confutat CONRING. *de fin. c.* 24.

§. 35. Nam translationi Albertinæ obſtat (1) quod in tabulis pacis, inter iſtum Cæſarem, & Regem Galliæ Philippum Pulchrum 1299. initæ, nihil hujus rei occurrat (2) quod poſt ea tempora, ſummi Imperii in Arelatenſia exerciti proſtent indicia.

§. 36. Henricus Lucelburgius ſeu VII. *vid.* SCHWED. *introd. ad jus publ. part. gener. c.* 4. §. 20. *jung.* CONRING. *de fin. imp. c.* 24. *p. m.* 589. alienationis cujusdam generalis fruſtra etiam inſimulatur, nam (1) nec Bodinus, nec ullus alius tabulas venditionis hactenus produxit (2) eo tempore quo Philippus Valeſius rerum in Gallia potiebatur, non Henricus ille VII. ſed ejus potius Succeſſor, Ludovi-

dovicus Bavarus imperio Germanico præfuit, quomodo igitur Henricus Valeſio aliquid vendere potuit? (3) quuinque proximis ſeculis Reges Gallliæ ſummum imperium in Arelatenſia ſibi non arrogarunt.

§. 37. Carolinæ autem translationi id præcipue opponitur (1) quod Carolus IV. ſe Arelatæ 1365. coronari fecerit (2) Pontifex Avenionem 1348. comparaturus, ratihabitionem à Carolo petierit (3) quod Carolum VI. Galliæ Delphinum, quibusdam Delphinatas caſtellis donaverit eumque in regno Arelatenſi Vicarium conſtituerit, ex quo forte alienationis fabula enat *add.* LEHM. *Crron. Spir. l. 7. c. 40.*

§. 38. Per partes itaque eunt, ac *Provinciam* & *Delphinatum* dudum imperio Germanico ſubtraæa eſſe putant. Sed, licet negari nequeat, Rudolpho I. Cæſare, Provinciam in Regum Galliæ poteſtatem perveniſſe, confirmante illam translationem Alberto Rudolphi filio, tamen illud jure beneficiario ſaltem factum eſt.

§. 39. Idem dicendum de Delphinatu, qui Humberti Principis conceſſione Galliæ Regibus ea lege acquiſitus eſt, ut filius primonenitus, Delphinus vocaretur, quam translationem Philippus Valeſius Galliæ Rex, à Ludovico Cæſare confirmari petiit, ſed non obti-

obtinuit. Omne interim Regum Galliæ jus, ſaltem beneficiarium eſt ſalvo Germaniæ imperio.

§. 40. Nam usque ad *Carolum V.* liquida ſatis ſummi imperii in illas regiones a Germanis exerciti, proſtant indicia, poſt hæc tempora vero, vel ſolus Archicancellariatus per Galliam titulus, nemine Gallorum contradicente, ſemper adhibitus, perpetuo velut interpellat, ac tacitum conſenſum impedit, hinc etiam diu ſatis Provincia & Delphinatus à regno Galliæ fuerunt ſeparata IDEM *d.c.*24. *p.* 573. *ſeqq.*

§. 41. *Avenionem* & *Comitatum Venuſinum* qui ad Papam Romanum pertinent, nec non *Principatum Arauſionenſem*, qui olim Provinciæ feudum fuit, ſed poſtea pactione Madritiana plenam libertatem, intuitu Regis Galliæ, velut Comitis Provinciæ, obtinuit adhuc imperio Germaniæ contineri ob defectum legitimæ translationis, docet IDEM. *d.l. c.* 25.

§. 42. In *Burgundiam minorem* nec non *Principatum Cabilonenſem* ſalvum eſſe Germaniæ imperium, argumento veniæ ætatis, *Philippo* Burgundiæ Comiti, a *Carolo IV.* conceſſæ, Principis Cabinolenſis *Philiberti*, in imperii matriculam, autoritate *Caroli V.* relati, ac ipſa Hiſpanorum confeſſione probat

IDEM.

IDEM *d. c. 25. p. 627. ſeqq. conf.* AUTOR. *l. 4. ad* CONRING. *p. 57.* BURGOLD. *ad J. P. p. 1. D. 20. §. 26. p. m. 368.*

§. 43. *Alſatia* quoque maximam partem ad regnum Arelatenſe olim pertinuit, ſed pace Monaſterienſi Gallis pleno jure conceſſa ac adeo imperio noſtro ſubducta eſt, IDEM *c. 24. p. 611.* non tamen tota, quod ex actis publicis late ſatis recenſet KULPIS *ad Monzamb. c. 2. §. 1.*

§. 44. *Sabaudia* & *Pedemontium* (quæ hactenus, ob communem dominum, conjunguntur, nam alias hoc Italiæ potius annumerandum, *vid. c. 2. §. 59.* PHILIPPI CHRISTIANI VON DEN BIRCHDEN, *diſput. de præſcript. Prætenſ. illuſtr. hab. Gieſſæ 1704. §. 53.*) adhuc imperium Germaniæ agnoſcere debent, cum itidem exemtio doceri nequeat CONRING. *d. c. 25. p. 682. ſeqq.*

§. 45. *Helvetiorum regio* regni Burgundici ambitu quoque contenta, diu ſatis imperium Germaniæ agnovit, ſed hodie poſt pacem Oſnabrugenſem, de ejus exemtione totali vix amplius dubitandum; idem forte dicendum de urbe *Geneva* poſtquam Helvetiis fœdere conjuncta eſt IDEM *c. 25.*

§. 46. Pergimus (V.) ad *regnum Lotharingicum.* In hoc quædam citra controverſiam & juribus Imperii hactenus ſubfuerunt

&

& hodienum quoque ejus poſſeſſione comprehenduntur, de quibus adeo quædam dicere nil attinet.

§. 47. Gallis autem ex eodem ceſſit pace Monaſterienſi *Metis*, *Tullum* & *Virodunum* cum Epiſcopatibus cognominibus, ut iſta quidem extra imperium noſtrum cenſenda ſint, *vid.* CONRING. *d. tr. c. 6. 7. 26. p. 678. conf.* ADDITION. *ad* LEHM. *Chr. Spir. l. 7. c. 124. in fin.*

§. 48. Idem videtur dicendum de *Ducatu Barrenſi* qui *transactione* inprimis *Norimbergenſi* inter Carolum V. Statusque imperii, ac Antonium Lotharingiæ Ducem *anno 1542.* facta, in Gallorum poteſtatem devenit IDEM. *d. l. c. 7. 27.*

§. 49. Eadem *transactione* Dux Lotharingiæ ratione *Ducatus Lotharingici* plenam libertatem cenſetur conſecutus, ſed immerito, nam *liber* ſaltem & *non incorporabilis* factus, non vero *exemtus* eſt, hinc adhuc recte Germaniæ accenſetur IDEM. *d. l. 27. add.* ITTER. *de F. J. c. 24. §. 10.*

§. 50. Neque etiam conventio *Caroli* Ducis, qua univerſum jus in Ducatum Gallis ceſſit, eundem Germaniæ eximit, cum deficiente Imperii agnatorumque conſenſu, ſit nullius momenti *vid.* SCHWEDER. *d. c. 4. §. 22.* PACIF. *à* LAPID. *diſcurſ. 2. §. 3.*

§. 51

§. 51. Quæ Hiſpaniæ Reges ex regno Lotharingico tenent, quæque nomine *Belgii Hiſpanici* hodie veniunt, illa adhuc ad Germanicum Imperium pertinere nec in ſpecie, per transactionem Caroli V. de anno *1548.* eſſe exemta putat CONRING. *d. l. c. 28.* de quo tamen amplius ex pacificationibus noviſſimis cognoſcendum fuerit *vid.* SCHWED. *d. l.* §. *35.*

§. 52. *Fœderatum Belgium* de quo (VI.) videndum, maximam partem non ad *Lotharingicum* ſed *Germanicum* regnum olim pertinuit, poſt pacem Monaſterienſem inter Hiſpanos Batavosque initam, plenam obtinuit libertatem, adeo ut, propria ſuique juris Reſpublica nunc merito cenſeatur CONRING. *d. tr. c. 3. in fin. c.* 28. BOECLER. *ad Grot. l. 2. c. 4.* §. *15.*

§. 53. *Dania* quoque (VII.) finibus imperii, armis præcipue *Ottonis M.* acceſſit, ſed poſt tempora *Friderici I.* una cum *Ducatu & Epiſcopatu Slesvicenſi*, priſtinam libertatem conſtanter tenuit, ut jam extra Imperium collocanda ſit CONRING. *d. l. c. 14. 15.*

§. 54. Neque vice verſa *Dania* in *Venedorum terras* & *Nordalbingicam Saxoniam* aliquid juris ſibi aſſerere poteſt, cum dudum, ultra 400. annos, iſtas regiones a Danis ſibi rerum vindicaverit Germania ID. *c.* 16.

§. 55.

§. 55. Ut adeo fines Germaniæ ſeptentrionales iidem adhuc ſint, qui fuerunt tempore *Ludovici Germanici*, niſi quod jus eorum nunc videatur confirmatius, quam forte tum fuit.

§. 56. Quod Rex Sueciæ hoc Seculo terras, in finibus Septentrionalibus ſitas, acceperit, id non ad *finium*, *ſed poſſeſſoris* ſaltem *mutationem* pertinet, neque enim regiones Imperio ſubtractæ ſunt, ſed Rex Sveciæ, Status imperii factus eſt.

§. 57. Verſus Orientem (IIX.) *Polonia* ab *Ottonis M.* ævo usque ad tempora *Friderici II.* Germaniæ vel ſubjecta, vel tributaria fuit, ſed cum poſt ea tempora pro tuendis imperii juribus nihil magnopere tentatum ſit, videtur Eadem cum *Maſovia* imperii finibus excludenda Id. *c.* 29. Schwed. *d. c.* 4. §. 28. 30.

§. 58. Per Equites Marianos (IX.) *Pruſſia* anno circiter 1220. Germaniæ adjuncta eſt, titulo forte non ſatis juſto. Ab anno 1525. partem civitatis Polonicæ conſtituit, & licet Poloni *præſcriptione* ſ. *tacito conſenſu* ſe forte tueri non poſſint, de quo Boecler. *ad Grot. l.* 2. *c.* 4. §. 15. non deteriore tamen jure *Pruſſia* videtur amiſſa, quam quo acquiſita erat Conring. *d. c.* 29.

§. 59. Hodie *Ducalis Boruſſia* auſpiciis *Fri-*

Friderici Wilhelmi, Electoris Brandenburgici, in propriam ſuique juris civitatem abiit, eadem ſorte gaviſura quamdiu ex Heroe illo deſcendentes ſuperfuerint *vid.* SCHWED. *d. l.* §. *31.* imo hodie in Regnum eſt converſa.

§. 60. *Livonia* (X) Seculo XII. per Equites Enſiferos Germaniæ acceſſit adeo, ut ab anno *1513.* Magiſter Equitum & Epiſcopi in numerum Statuum imperii fuerint relati, ſed anno *1558.* Livoni partim in Suecorum, partim Polonorum ditionem conceſſerunt CONRING. *d. c. 29.* Poſt bellum Sueco-Polonicum omnis Livonia Suecis acquiſita eſt, Polonis vero Curlandia remanſit SCHWED. *d. l.* §. *32.*

§. 61. Cum poſſeſſione autem, jus recuperandi, Germania quoque amiſit, nam titulo inhabili quæſita, nunquam injuſte videntur amitti, ut non præciſe opus ſit, tacitam Germanorum derelictionem urgere cum CONRINGIO *d. l. p. 839.* cum illi alii contradicant, *vid.* AUTOR. *lib. 4. ad Conring. de fin. Imper. pag. 70. vid. R. J. 1576.* interim non probandus PACIFICUS a LAPIDE *diſcurſ. 2.* §. *12.* quando Pruſſiam & Livoniam ferro etiam a Polonis repetendam cenſet.

§. 62. *Bohemiam* cum annexa *Sileſia, Moravia* & *Luſatia* (XI.) adhuc Germaniæ finibus comprehendi, dicendum utique, cum

Digitized by Google

in libertatem nunquam evaſerit, ſed nexus Germanici adhuc hodie compareant indicia Conring. *d. l. c.* 29.

§. 63. Henricus III. in Germaniæ provinciam (XII) *Hungariam* redegiſſe cenſetur. Rex etiam (XIII) *Cypri* & (XIV) *Armeniæ*, Henrico VI. occaſione expeditionis Sacræ, in illis regionibus verſanti, ſeſe in Clientelam perhibentur dediſſe, ſed illud jus momentaneum velut fuit ac dudum periit, ut, iſta finibus imperii comprehendere velle, nimis fuerit putidum, *vid.* Conring. *d. tr. c.* 17.

§. 64. Id monendum, quod quoad fines maritimos imperium maris quoque Germaniæ ſit aſſerendum, in quantum ſcilicet opinione Germanorum, legibus ſocialitatis conſentanea mare ad finium ſecuritatem requiritur. Quodſi vero præteritis ſeculis imperii in mare exerciti indicia non adeo compareant, id non *imperii defectui* ſed *exiguo navigationis bellicæ uſui* adſcribendum, *vid.* Conring. *d. tr. c.* 39.

§. 65. Ea autem omnia, quæ de juribus finium breviter adduximus, accipienda ſunt, ſalva conventionum autoritate, quibus forte hinc inde noviſſimis temporibus controverſiæ accuratius definitæ ſunt. Collegit quædam Autor. *lib. 4. ad Conring. de fin. imper.*

ubi

Digitized by Google

ubi inprimis quæ in regno Arelatenſi & circulo Burgundico, Gallo ceſſerint, oſtendere voluit, quamvis amplius diſpiciendum ſit, annon illa tantum *jura Hiſpani*, non etiam *imperii Germanici* reſpiciant.

§. 66. In noviſſima Pace Riswicenſi 1697. *d. 30. Octob.* concluſa, reſtituit Rex Galliæ omnia loca extra Alſatiam ſita, quæ vel bello proxime præcedente occupaverat, vel antea ſub nomine *Unionis* & *Reunionis* ſibi aſſeruerat, ita quidem, ut in locis reſtitutis religio Romano-Catholica in eo ſtatu, in quo reſtitutionis tempore deprehenditur, relinquatur *art. 4. ſeqq.* de cujus clauſulæ validitate res nondum confecta eſt.

§. 67. Gallo conceſſum eſt Argentoratum cum omnibus ad ſiniſtram Rheni partem ſitis appertinentiis *art. 16.* in cujus compenſationem Gallus domui Auſtriacæ & Badenſi nonnulla in dextro Rheni latere ſita reſtituit. Dux Lotharingiæ in ea omnia, quæ Carolus anno 1670. poſſedit, reſtitutus eſt.

§. 68. De reliqua Alſatia, nihil in illa pace cautum reperitur, quemadmodum etiam ea, quæ inter Regem Galliæ & Hiſpaniæ paulo ante *d. 20. Sep.* intuitu Belgii Hiſpanici, in eadem concluſa ſunt, Germaniam non attinent, ut adeo, ſi quid juris Huic alias in illas regiones competiit, eidem iſta pacificatione haut ſit derogatum.

§. 69. De cætero uti pax illa Riswicenſis rebus Germaniæ parum utilis fuit, ita in controverſiis finium, impoſterum forte non adeo illa niti licebit: Omnia enim iterum ſunt in motu, ac pax illa varie jam turbata, hinc dies docebit, an pacificatio ſecutura finibus Germaniæ aliquam allatura ſit mutationem.

§. 70. Hactenus de *jure finium repetendorum*, nunc de ipſa *repetitione* quædam addenda ſunt, quorſum pertinent tradita BOECLERI *N.J.l.2.c.4.* nobis iſta disquiſitio his capitibus conſtare videtur.

§. 71. Pertinet cura finium repetendorum non ad *ſolum Cæſarem* ſed ad *Cæſarem & Status ſimul*, ut tamen illi, uti alias, ita hic quoque primæ partes competant.

§. 72. Plus vice ſimplici de reſtitutione finium deliberatum quoque eſſe, oſtendit BOECLER *d.l.* quod ſi iſta remiſſius curentur, ejus rei non una cauſa eſt, quæ peritis facile ſubolet.

§. 73. Sola *vis* eſt medium idoneum & efficax faciendæ repetitionis, eam tamen molliora remedia juxta leges ſocialitatis utique præcedere debent.

§. 74. Quo loco autem provincia recuperata habenda ſit poſtquam Statuum jura hodie ſatis ſunt mutata, non levis videtur difficultas, quam per nos quivis ſuo arbitratu expediat.

§. 75.

§. 75. An talis recuperatio Imperio ſit utilis futura, ejus rei dijudicatio tum ex *conditione Provinciæ receptæ* tum *receptionis modo* dependet, *add.* ITTER. *de feud. imper. c. 6. §. 1. 2.*

§. 76. *Impedimenta* repetitionis de quibus ſatagit BOECLER. *d. l. p. 46.* niſi fallor, ad hæc revocari poſſunt (1) *juris incertitudinem* (2) *nimiam ſuperſtitionem* quæ duæ cauſæ ſaltem certo reſpectu obtinent (3) *imperii imbecillitatem* quæ vel in *ſe* vel *comparate*, ſpectari poteſt.

§. 77. Neſcio an propter exiguam finium reſtituendorum ſpem, ſtudia quoque, in aſſerendis eorum juribus, frigeant, nam *opus Conringiarum* laude quidem digniſſimum, non tamen omnibus numeris abſolutum eſt, cenſente KULPISIO *ad Monzamb. c. 2. §. 1. p. 81.*

§. 78. Quodſi ita Germania, juxta originem, progreſſum, variasque finium mutationes, fuerit conſiderata, deinceps *antiquæ & novæ* comparatio, quoad *magnitudinem* inſtitui demum recte poteſt, *vid.* KULPIS. *ad Monzamb. c. 1. §.* uti autem; *Germania & imperium Germanicum*, in iſta comparatione diſcerni debent, ita totius contentionis nulla videtur eſſe utilitas.

 CAPUT

CAP. IX.

De Imperii Romano-Germanici Denominatione.

SUMMARIA.

Reipublicæ Germanicæ denominationes arbitrariæ §. 1. ſolemnes §. 2. 3. dicitur ſacrum §. 4. 5. 6. Romanum imperium §. 7. quo ſenſu §. 8. 9. quando cœperit hoc elogium §. 10. quomodo & quam ob cauſam titulus ille aſſumtus §. 11. ſeqq. ejus utilitas §. 16. 17. quo conſilio alii tituli ei acceſſerint §. 18. an aliæ Reſpublicæ eum uſurpare queant §. 19. epicriſis nonnullorum de Germania titulis §. 20.

§. 1.

POſt originem variasque Germaniæ mutationes explicatas, de ejus *denominatione* quoque non immerito agitur. Id igitur ex dictis *c.* 2. ſatis liquet, Germanorum imperium & *Germanicum*, & *Longobardicum*, & *Arelatenſe* dici poſſe, ſi ſpecialiter, arbitrarie reique præſenti accommodate velis loqui, quemadmodum etiam ex c. 6. & 8. conſtat, Germaniam hodie quoque illa elogia ſuſtinere poſſe.

§. 2. Sed de appellatione *generali* ac *ſo-*

len-

lenni ſeu *curiali jam* videndum. Dicitur igitur ſolenni elogio, *Sacrum Romanum imperium* &: *Imperium Romanum Teutonicæ Nationis* das Römiſche Reich Teutſcher nation, ſeu quod eodem recidit; *Imperium Romano-Germanicum.*

§. 3. Videtur autem duplex poſterior denominatio, priori explicandæ adinventa, quare ad *hanc* jam reſpiciemus, & quomodo *illæ* ejus occaſione invaluerint, ſuo loco monebimus.

§. 4. Ante *Secul. XII.* publicæ ſcripturæ accommodatum elogium *ſacri* ſe haut reperiſſe profitetur BOECLERUS *diſſert. de S. R. J.* voce *Sacrum*, uſum tamen antiquiorem ex Mabillonio aſſerit SCHILTER. *J. J. P. l.* 1. *tit* 14. §. 1.

§. 5. Ratio autem introducti tituli *Propriæ* ac *ſpecialis*, veroſimiliter dependet a *ſtudio*, contra *improbas Hildebrandinorum profanationes*, *ſanctitatem imperii vindicandi*, ſemel autem introductus, videtur dein ſenſim *formulis publicis* accommodatus eſſe, ut forte peculiarem rationem hic quærere ſupervacuum ſit, licet de eo ſatagat BOECLER. *d. l.*

§. 6. Interim communi nationum chriſtianarum conſenſu, hactenus titulum *Sacri* ſibi aſſeruit Germanorum Reſpublica, ut

adeo nullum aliud Regnum, eodem ſenſu *Sacrum* dici poſſit, niſi eodem nationum conſenſu iſtam mereatur appellationem, quod contra argutias *Blondelli* probe oſtendit Boecler. *d. l.*

§. 7. Vox *imperii* ſimpliciter poſita, idem notat ſenſu curiali ac ſolenni, quod *imperium Romanum* docente Boeclero *d. l.* verbo *imperium*.

§. 8. Rempublicam autem Germanorum, ob jus in reliquias imperii Romani quæſitum, nomen *imperii Romani* mereri, certum omnino, ac contra ineptas *Blondelli* criminationes ſolide a Boeclero oſtenſum *d. l.* ſed cur iſte titulus generaliter omne id notet, quicquid regimine germanico comprehenditur, id præſentis eſt diſquiſitionis.

§. 9. Eſſe illum titulum ſenſus iſtius amplioris capacem, nemo negaverit, qui intelligit, quod omnis verborum valor ab impoſitione dependeat, hinc nec inſubidum eſt, nec exemplo caret, ut verba, reſtrictius hactenus ſignificantia generaliori ſenſu deinceps donentur, *add.* Conring. *de G. J. R. c.* 12. §. 16.

§. 10. Illam generalem appellationem circa *annum M. C* Primores Reipublicæ ipſosque Cæſares probaſſe conjicit Conring. *de G. J. R. c.* 12. §. 17. 20. alii tamen jam Caroli-

rolinis temporibus ejus uſum admittunt Boecler. *d. diſſert. ſect.* 2. quidam ab *Ottone M.* eam invaluiſſe cenſent Pacif. a Lapid. *ad Monzamb. diſcurſ.* 6. §. 22. *p. m.* 114.

§. 11. *Specialem* tituli Romani aſſumtionem ſolenni aliquo decreto factam eſſe, non incongrue dixeris, ſed generalis illa denominatio citra aliquod ſolenne decretum *tacito uſu* invaluiſſe videtur. Conring. *d. l.* §. 17.

§. 12. *Cauſam* introductæ appellationis generalis plerumque à *celebritate* imperii Romani *ſanctitatisque* cujusdam *opinione* deducunt, *vid.* Conring. *d. c.* 12. §. 18. 19. 21. ſed malim diſtinguere inter *tituli introductionem* & *introducti approbationem ac confirmationem.*

§. 13. Illa cum tacito uſui, & vulgi quidem, ut creditur, originem debeat, non aliam ob cauſam facta videtur, quam *ad amatum loquendi compendium*, cum enim elogium *imperii* & *Imperatores Romani* inter cætera, primo loco occurreret, compendium loquendi facturi, primo illo titulo omnem Germanorum Rempublicam ſignificarunt.

§. 14. Sed poſtquam ſemel appellatio illa invaluerat, ne fortuito ſed optimo conſilio id factum crederetur, ad eam retinendam & approbandam rationes memoratæ forſitan impulerunt. Sed in hoc ſumma rei non vertitur.

 §. 15.

§. 15. Illud certum, *elogium imperii Romani*, Germaniæ reliquisque regnis non fuiſſe tributum ideo, quod, velut provinciæ, imperio Romano & urbi Romæ fuerint ſubjecta, nam iſtam ſubjectionem uti ſæpius, ita iterum recte negat CONRING. *d. c.* 12. §. 22. 23.

§ 16. Titulus *ſpecialis* procul dubio Germaniæ utilis eſt, nec *generali* omnis utilitas neganda, nam exiſtimatio quam Germania quæ aliis regnis habet, & ſuis alias rationibus nititur, videtur magis firmata, poſtquam elogium illud in univerſum Reipublicæ Germaniæ corpus fuit diffuſum.

§. 17. Equidem MONZAMB. *c.* 1. §. 15. velut de plano pronunciat, titulum iſtum non tantum, *non* Germaniæ eſſe *utilem* ſed & ei *noxium*, poſtquam illud verecundius ſubmonuerat CONRING. *d. c.* 12. §. 23. 24. ſed *innoxio titulo* imputatur, quicquid a *malitia* Pontificum & *priſca barbarie* dependet: Quodſi incommoda, occaſione aſſumti tituli, ex accidenti ſecuta, iſta cenſura intelligas, tum nihil in ea deſiderari poteſt.

§. 18. Retundendæ interim importunæ Pontificum interpretationi, optimo conſilio *Maximilianus I.* Romano nomini, titulum *Regis Germaniæ* adjecit, quem ſcopum quoque intendit appellatio *Imperii Romani, Teutonicæ*

Digitized by Google

tonicæ Nationis vel *Romano-Germanici*, ut intempeſtive illam contrarii ſenſus arguat MONZAMBANO *d. c. 1.* §. 4.

§. 19. Nomen *imperii Romani*, vel *imperii*, quatenus *jus* in Rempublicam Romanam, aut *præeminentiam* præ aliis regnis notat, nulli alii civitati uſurpare fas eſt, id enim & *injuſtum* & *ineptum* foret; ratione vero *autonomiæ* ſuæ, omnes civitates & Reges titulum *Imperii* & *Imperatoris* ſibi applicare poſſunt, licet illa nominis Imperatorii affectatio, vix ab *ineptitudine* poſſit abſolvi, cum per eam nihil conſequantur uſurpatores.

§. 20. Sunt qui titulos Germaniæ ordinatius poſſe proponi exiſtimant, vid. CONRING. *d. c. 12.* §. 23. PACIF. *à Lapid. ad Monzamb. D. 6.* §. *fin. p. 417.* nec ego negarem, Germanos optimo jure, oſtendendæ exiſtimationi, propria elogia reliquis omnibus potuiſſe præferre, aut eadem omnibus regnis applicare, ſed cum ea tempeſtate, magna *nominis imperii Romani* eſſet veneratio, non inopportune tempori aliquid dediſſe, & nomini civitatis deviƈtæ, proprios titulos poſtpoſuiſſe Germani cenſendi ſunt.

LIBER

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

De Indole Legum Fundamentalium Germanicarum in Genere.

SUMMARIA.

Leges publicæ juxta Statum Reipublicæ præſentem repræſentandæ §. 1. 2. diverſa earum ſuppoſitio §. 3. 4. 5. leges publicæ fundamentales reſpiciunt vel Reipublicæ initia §. 6. 7. vel mutationem §. 8. quo reſpectu definiuntur §. 9. 10. ſunt pacta §. 11. & eodem modo Cæſarem & Status obligant §. 12. 13. 14. ſunt expreſſæ vel tacitæ §. 15.

§. 1.

EX iis ergo, quæ libro præcedente diſputavimus, ſatis liquet, Germania eſſe tale corpus, in quo Proceres cum Capite ſuo ſimul imperant, & cui Pontifex Romanus aliquam imperii civilis partem eripuit,

puit, quodque multarum Regionum poſſeſſione excidit. Rationis igitur eſt, ut, iis præſuppoſitis, leges juraque publica non juxta ſtatum antiquum, ſed præſentem, tradantur, cum alias vera eorum cognitio facile abſcondatur.

§. 2. Inprimis habitum Reipublicæ, quem prima mutatio, quam *internam* non male diceres, produxit, reſpicere par eſt, habet enim Subſtantiæ velut rationem, cui reliqua Civitatis facies, mutationibus *externis* producta, pro re nata, addenda eſt. In repræſentandis autem, quod Statum præſentem, legibus publicis, primo *indoles* earum conſiderari debet, *vid l. 1. c. 1. §. 68.* idquod generaliter & ſpecialiter fieri poteſt.

§. 3. Leges publicæ *abuſive* notant omnia illa quæ in congreſſibus publicis utcunque acta ſunt, v. g. orationem Legati cujusdam *vid.* KULPIS. *de unitat. Reipubl. in S. R. J. c. 2. §. 8. 9. 10. ſeqq.* Deinde laxiori ſenſu, leges privatas, quæ in Comitiis Germaniæ feruntur, ſic Receſſus indiſtincte leges publicæ audiunt, quos tamen diverſæ plane indolis eſſe, deinceps apparebit.

§. 4. *Accurata* autem & *proprie* leges publicæ ſunt, quæ verſantur circa ſtatum civitatis Germanicæ ejusque Imperantes, & ſunt vel *publicæ fundamentales*, quæ civitatem for-

formant, vel *publicæ in ſpecie*, quæ Imperantes Germaniæ & exteras civitates reſpiciunt, v. gr. ſi cum extero Rege intuitu finium tranſigatur.

§. 5. Ut naturam *poſteriorum* explicemus, opus non eſt; cum enim ſint pacta intuitu certæ cujusdam rei inita, ideo, iis intelligendis, poterit ſufficere generalis pactorum doctrina, quæ hic ſupponitur, *ſenſus* vero earum loco congruo inſeritur, & jam multa in *lib. 1. c. 2. 6. 8.* occupavimus: *priores* vero diligentius paululum ſunt conſiderandæ.

§. 6. Pertinent autem vel ad civitatis Germanicæ *initia*, vel ad ejus *mutationem*; Illæ ſunt *conventiones inter Regem Germaniæ ſubditosque futuros initæ, quibus imperium & ſubjectio atque ita ipſa civitas originarie fuerunt conſtituta, vid. l. 1. c. 2. §. 47.*

§. 7 Sunt hæ conventiones fundamentum totius civitatis reliquarumque legum fundamentalium, vulgo tamen vix mentio earum fit, quod forte ex eo eſt, quod tales conventiones omnibus civitatibus ſint communes, ac adeo magis præſupponi, quam ſpeciatim tractari debeant.

§. 8. Cum vero Provinciarum Præfecti ad ſublimius jus ſenſim adſpiraverint, acceſſerit quoque Religionis diſſidium, hinc leges illæ fundamentales Monarchicæ interpolari

ac

ac mutari cœperunt, Religionis quoque intuitu quædam ſunt diſpoſita, atque ita ortæ ſunt leges fundamentales, *mutationem* civitatis reſpicientes, *vid. l. 1. c. 3. ſeqq.* de quibus ſolis etiam vulgo agitur, & nos quoque, indicata earum ſubordinatione, de iis tantum deinceps agemus.

§. 9. Salvo rectius ſentientium judicio eas ſic definimus: Sunt *conventiones inter Imperatorem & Status imperii initæ, quibus præſens imperii ſtatus vel in totum, vel ex parte formatur.*

§. 10. Status autem præſens, quoad præcipuam internamque mutationem, is fere eſt, quod Ordines territoria ſua proprio & peculiari regimine adminiſtrent, variisque nexibus inter ſe obſtringantur, Cæſari quoque ſua in univerſum imperium ſint jura, denique ea, quæ ad communem totius imperii ſalutem pertinent, communi Cæſaris & Statuum conſenſu ſint expedienda, prout iſta tum ex dictis *l. 1. c. 3. ſeqq.* tum ex ſequenti diſciplinæ noſtræ contextu clarius apparent.

§. 11. Eſſe leges fundamentales, *conventiones*, ex conditione eas conſtituentium ſatis liquet, amovendis autem dubiis hæc forte inſerviunt, (1) vim rei, non verborum inania eſſe ſpectanda, (2) conventiones illas in ordine ad Statuum ſubditos aliquando eſſe leges

ges poſitivas, (3) leges à noſtro tempore remotiores ex præſenti ſtatu eſſe æſtimandas, quo facto, earum conditio, licet alias dubia fuerit, ſatis patebit.

§. 12. Juxta menſuram illarum conventionum lex naturalis *jura* & *obligationes* producit, prout igitur illæ ſunt vel unilaterales vel reciprocæ, ita hæc quoque nunc ad ſolum Imperatorem, nunc ad eum & Status omnes, nunc ad quosdam pertinent, eſt de cætero eadem Imperatorem & Status obligandi ratio, quod jejune à quibusdam negatur, *vid.* VITRIAR. *J. J. P. l. 4. tit. 1. §. 103.*

§. 13. Scilicet Statuum imperii obligatio quoque non ex *mandato Cæſareo*, ſed ex *libero conſenſu* reſultat, adeoque illi non ex *lege* ſed *pacto* tenentur: Vel enim leges fundamentales ineuntur cum *Cæſare futuro, aut turbido Reipublicæ Statu*, vel cum *Cæſare conſtituto ac pacata civitate*, illo caſu Status imperii, Cæſari ſunt æquales, quia vel nullum civile vinculum adhuc interceſſit, vel iterum abruptum eſt, hoc vero, ex capitulationibus libertatem ſuam nacti, Coimperantes, atque ita Cæſari itidem æquales ſunt, hinc eadem obligandi ratio quoad eos merito aſſeritur.

§. 14. Ex quibus etiam liquet, quod Status imperi germanici longe differant à Proceribus regni limitati, vel Civibus Ariſtocraticis

ticis aut Democraticis, nam non tantum in actu legis condendæ, ſed etiam hac lata, & Comitiis ſolutis, libertate & imperio civili gaudent. Atque hæc ratio utique prævalet *formulis imperioſis*, quibus leges publicæ promulgari ſolent, quasque alii in contrarium allegant, *vid.* VIND. VITRIAR. CASTIG. §. 80. *ſeqq. conf.* LEHM. *Chr. Spir. l.* 5. *c.* 58.

§. 15. Diſtinguntur leges fundamentales in *Expreſſas*, quæ conſenſu verbis declarato, & *Tacitas*, quæ tacito, ex factis colligendo, conſtituuntur.

CAP. II.

De Receſſibus Imperii.

SUMMARIA.

Leges expreſſæ dicuntur Receſſus §. 1. *ſed nomen eſt ambiguum* §. 2. *tripliciter debet ſupponi* §. 3. 4. 5. *Receſſus pro legibus fundamentalibus accepti, ſunt conventiones* §. 6. 7. *quas ineunt Cæſar & Status imperii* §. 8. 9. 10. *intuitu Reipublicæ* §. 11. *quomodo* §. 12. *& qua lingva* §. 13. *Receſſuum effectus* §. 14. 15. 16. *& duratio* §. 17. 18. *Receſſus, pro decretis tranſitoriis* §. 19. *legibus privatis accepti, quid* §. 20. 21. *ad quos Receſſuum obligatio pertineat* §. 22. *ſeqq. Receſſus privati à Statibus poſſunt mutari* §. 27. *Receſſuum diviſio* §. 28. *origo* §. 29. *collectiones* §. 30. 31.

§. 1.

LEges publicæ expreſſæ, dicuntur *Receſſus Imperii*, quod tamen vocabulum alia quoque notat, hinc ejus ambiguitas probe evolvenda.

§. 2. Id vulgo notant, Receſſus aliquando generaliter omnes imperii Conſtitutiones, adeoque Auream Bullam, pacem profanam & religioſam &c. notare, aliquando ſtrictiori ſenſu his opponi, *vid.* MAURIT. *diſſert. de Receſſ. Imp.* §. 7. 8. 9.

§. 3. Sed iſta obſervatio, in penitiorem rei cognitionem, nondum ſatis non deducit, quare id magis obſervari meretur, Receſſus ſumi (1) pro legibus publicis fundamentalibus, (2) decretis, quibus ad negotia tranſitoria expedienda Cæſar & Status ſe obſtringunt, (3) legibus privatis, ad Statuum ſubditos pertinentibus.

§. 4. Triplicem iſtam acceptionem revera occurrere, ex materia Receſſuum probe conſiderata, facile liquet, oppido autem eadem diſtingui debet, ſiquidem ſolidum de hac re formare velis conceptum, licet vulgo id haut fiat.

§. 5. Juxta hæc etiam manifeſtum eſt, quod Receſſus, Auream Bullam, reliquasque famoſiores

ſiores legum publicarum ſpecies, non tantum complectantur, ſed &, quod his poſſint opponi, nam in illa oppoſitione Receſſus, decreta tranſitoria ac leges privatas, potiſſimum notabunt.

§. 6. Noſtræ conſiderationis jam ſunt Receſſus primo ſenſu ſuppoſiti i. e. *Conventiones ab Imperatore & Statibus initæ, quibus præſens imperii ſtatus, vid. c. 1. §. 9. formatur.*

§. 7. Receſſus eſſe *conventiones*, non tantum patet ex ratione data *d. c. 1. §. 11.* ſed & ipſis Receſſuum formulis, **haben uns mit und gegen einander deshalben in** contracts **weiſe vereinigt / verpflicht und verſchrieben /** *vid. R. J. 1500.* confirmatur, nam his, cum cætera conſentiant, vis probandi utique ineſt.

§. 8. Perſonæ paciſcentes ſunt *Imperator*, vel ejus vice, *Rex Romanorum, Vicarii & Status imperii, Maurit. d. l. §. 14. ſeqq.* Poſſunt etiam hæ perſonæ ex libertate vices ſuas paucis demandare, hinc ſunt Receſſus Deputationum & Viſitationum, Maurit. *d. l. §. 11. 12.* & Capitulationes, rarior tamen iſta per paucos paciſcendi ratio erit, quoad res magni momenti ultimato definiendas.

§. 9. In caſu diſſenſus Cæſaris & Statuum, neque ille ſolus ſtatuere, quod vult Stam-

LERUS *aliique*, nec hi ſoli concludere poſſunt, ceu contendit HIPPOLITUS à LAPIDE *vid. diſſert. de Ration. Stat. p. 1 c. 4. n. 5. c. 17.* ſed nihil agitur, ceu recte PAURMEISTERUS, CARPZOVIUS ALIIQUE docent, quod poſt *J. P. art. 8. §. 2.* dubio carere videtur.

§. 10. Qui judicium hic ſuſpendendum eſſe cenſent, ut poſt alios *MAURITIUS d. l. §. 20.* illi profecto fluctus in ſimpulo movent, ac dum votum Statuum deciſivum diſſimulant, perinde iis graves ſunt, ac ſi omnino id negent, imo ipſe MAURITIUS ſui immemor *d. l. §. 34. 37.* non obſcure amplectitur deciſionem *§. præc.* datam.

§. 11. Materia Receſſuum eſt *præſens imperii ſtatus, in totum vel ex parte formandus*, *vid. J. P. art. 8. §. 2. 3.* qui, citra diverſam ſuppoſitionem antea notatam, uno conceptu Receſſus comprehendunt, illi latius quidem objectum Receſſibus aſſignant, ut tamen modo adductum, *ordinarium & principale* fateantur *MAURIT. d. l. §. 21.* ſed rectius diverſa diverſis conceptibus proponuntur.

§. 12. *Modus* Receſſus *conficiendi* & *promulgandi* ex doctrina Comitiorum infra apparebit, interim vid. MAURIT. *d. l. §. 22.* Id tamen hic nota, promulgationem, ſolo Cæſaris nomine factam, receſſuum naturam non mutare, ſed eſſe innoxium priſtini ſtatus indici-

dicium, nec adeo definitioni inſerendam, ceu recte contra *Fibigium* obſervat MAURIT. *d. l.* §. *6.*

§. 13. Concipiuntur Receſſus lingua *germanica* aut *latina*, qui idiomatis uſus non ex *neceſſitate ſed libertate* dependere videtur MAURIT. *d. l.* §. *28. 29.* niſi forte *obſervantiam* cauſari velis, vid. LEHM. *Chr. Spir. l. 5. c. 107.*

§. 14. *Effectus* Receſſuum eſt *jus & obligatio*, Cæſari & Statibus, pro modo conſenſus dati, inhærens, ſic aliquando ſolus Cæſar obligatur v. g. in capitulationibus, aliquando ſoli Status v. g. ad petendam inveſtituram, aliquando utrique v. g. ad tolerandam religionem quandam, aliquando uni Statui jus competit, Cæſar & reliqui Status obligantur.

§. 15. Obligari autem tam Cæſarem quam Status per *modum conventionis*, nobis certum videtur per ea, quæ diximus *c. 1.* §. *12. ſeqq. add.* SCHWED. *introd. ad jus publ. part. gen. c. 3.* §. *7.* Quodſi tamen per majora vota Receſſus conſtituatur, diſſentientem magis ex lege quam pacto teneri conceſſerim.

§. 16. Alii Status ex pacto & lege ſimul obligari cenſent, ut MAURIT. *d. l.* §. *32.* cujus ſententiam non ſatis aſſecutus videtur KULPIS. *ad Monzamb. p. 2. c. 5.* §. *26. pag. 179.*

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

De Indole Legum Fundamentalium Germanicarum in Genere.

SUMMARIA.

Leges publicæ juxta Statum Reipublicæ præſentem repræſentandæ §. 1. 2. diverſa earum ſuppoſitio §. 3. 4. 5. leges publicæ fundamentales reſpiciunt vel Reipublicæ initia §. 6. 7. vel mutationem §. 8. quo reſpectu definiuntur §. 9. 10. ſunt pacta §. 11. & eodem modo Cæſarem & Status obligant §. 12. 13. 14. ſunt expreſſæ vel tacitæ §. 15.

§. I.

EX iis ergo, quæ libro præcedente diſputavimus, ſatis liquet, Germania eſſe tale corpus, in quo Proceres cum Capite ſuo ſimul imperant, & cui Pontifex Romanus aliquam imperii civilis partem eripuit,

Digitized by Google

t, quodque multarum Regionum poſſes-
ne excidit. Rationis igitur eſt, ut, iis præ-
poſitis, leges juraque publica non juxta
tum antiquum, ſed præſentem, tradantur,
m alias vera eorum cognitio facile abſcon-
tur.

§. 2. Inprimis habitum Reipublicæ, quem
ima mutatio, quam *internam* non male di-
res, produxit, reſpicere par eſt, habet enim
ıbſtantiæ velut rationem, cui reliqua Ci-
tatis facies, mutationibus *externis* produ-
a, pro re nata, addenda eſt. In repræſen-
ndis autem, quod Statum præſentem, le-
ibus publicis, primo *indoles* earum conſi-
erari debet, *vid l. 1. c. 1. §. 68.* idquod genera-
ter & ſpecialiter fieri poteſt.

§. 3. Leges publicæ *abuſive* notant omnia
lla quæ in congreſſibus publicis utcunque
cta ſunt, v. g. orationem Legati cujusdam
vid. KULPIS. *de unitat. Reipubl. in S. R. J. c. 2. §. 8. 9. 10. ſeqq.* Deinde laxiori ſenſu, le-
ges privatas, quæ in Comitiis Germaniæ fe-
runtur, ſic Receſſus indiſtincte leges publicæ
audiunt, quos tamen diverſæ plane indolis
eſſe, deinceps apparebit.

§. 4. *Accurata* autem & *proprie* leges pu-
blicæ ſunt, quæ verſantur circa ſtatum civi-
tatis Germanicæ ejusque Imperantes, & ſunt
vel *publicæ fundamentales*, quæ civitatem
for-

formant, vel *publicæ in ſpecie*, quæ Imperantes Germaniæ & exteras civitates reſpiciunt, v. gr. ſi cum extero Rege intuitu finium tranſigatur.

§. 5. Ut naturam *poſteriorum* explicemus, opus non eſt; cum enim ſint pacta intuitu certæ cujusdam rei inita, ideo, iis intelligendis, poterit ſufficere generalis pactorum doctrina, quæ hic ſupponitur, *ſenſus* vero earum loco congruo inſeritur, & jam multa in *lib. 1. c. 2. 6. 8.* occupavimus: *priores* vero diligentius paululum ſunt conſiderandæ.

§. 6. Pertinent autem vel ad civitatis Germanicæ *initia*, vel ad ejus *mutationem*; Illæ ſunt *conventiones inter Regem Germaniæ ſubditosque futuros initæ*, *quibus imperium & ſubjectio atque ita ipſa civitas originarie fuerunt conſtituta*, *vid. l. 1. c. 2. §. 47.*

§. 7 Sunt hæ conventiones fundamentum totius civitatis reliquarumque legum fundamentalium, vulgo tamen vix mentio earum fit, quod forte ex eo eſt, quod tales conventiones omnibus civitatibus ſint communes, ac adeo magis præſupponi, quam ſpeciatim tractari debeant.

§. 8. Cum vero Provinciarum Præfecti ad ſublimius jus ſenſim adſpiraverint, acceſſerit quoque Religionis diſſidium, hinc leges illæ fundamentales Monarchicæ interpolari

ac

Digitized by Google

ac mutari cœperunt, Religionis quoque intuitu quædam ſunt diſpoſita, atque ita ortæ ſunt leges fundamentales, *mutationem* civitatis reſpicientes, *vid. l. 1. c. 3. ſeqq.* de quibus ſolis etiam vulgo agitur, & nos quoque, indicata earum ſubordinatione, de iis tantum deinceps agemus.

§. 9. Salvo rectius ſentientium judicio eas ſic definimus: Sunt *conventiones inter Imperatorem & Status imperii initæ, quibus præſens imperii ſtatus vel in totum, vel ex parte formatur.*

§. 10. Status autem præſens, quoad præcipuam internamque mutationem, is fere eſt, quod Ordines territoria ſua proprio & peculiari regimine adminiſtrent, variisque nexibus inter ſe obſtringantur, Cæſari quoque ſua in univerſum imperium ſint jura, denique ea, quæ ad communem totius imperii ſalutem pertinent, communi Cæſaris & Statuum conſenſu ſint expedienda, prout iſta tum ex dictis *l. 1. c. 3. ſeqq.* tum ex ſequenti diſciplinæ noſtræ contextu clarius apparent.

§. 11. Eſſe leges fundamentales, *conventiones*, ex conditione eas conſtituentium ſatis liquet, amovendis autem dubiis hæc forte inſerviunt, (1) vim rei, non verborum inania eſſe ſpectanda, (2) conventiones illas in ordine ad Statuum ſubditos aliquando eſſe leges

ges poſitivas, (3) leges à noſtro tempore remotiores ex præſenti ſtatu eſſe æſtimandas, quo facto, earum conditio, licet alias dubia fuerit, ſatis patebit.

§. 12. Juxta menſuram illarum conventionum lex naturalis *jura & obligationes* producit, prout igitur illæ ſunt vel unilaterales vel reciprocæ, ita hæc quoque nunc ad ſolum Imperatorem, nunc ad eum & Status omnes, nunc ad quosdam pertinent, eſt de cætero eadem Imperatorem & Status obligandi ratio, quod jejune à quibusdam negatur, *vid.* VITRIAR. *J. J. P. l. 4. tit. 1. §. 103.*

§. 13. Scilicet Statuum imperii obligatio quoque non ex *mandato Cæſareo*, ſed ex *libero conſenſu* reſultat, adeoque illi non ex *lege* ſed *pacto* tenentur: Vel enim leges fundamentales ineuntur cum *Cæſare futuro, aut turbido Reipublicæ Statu*, vel cum *Cæſare conſtituto ac pacata civitate*, illo caſu Status imperii, Cæſari ſunt æquales, quia vel nullum civile vinculum adhuc interceſſit, vel iterum abruptum eſt, hoc vero, ex capitulationibus libertatem ſuam nacti, Coimperantes, atque ita Cæſari itidem æquales ſunt, hinc eadem obligandi ratio quoad eos merito aſſeritur.

§. 14. Ex quibus etiam liquet, quod Status imperi germanici longe differant à Proceribus regni limitati, vel Civibus Ariſtocra-

ticis

ticis aut Democraticis, nam non tantum in actu legis condendæ, ſed etiam hac lata, & Comitiis ſolutis, libertate & imperio civili gaudent. Atque hæc ratio utique prævalet *formulis imperioſis*, quibus leges publicæ promulgari ſolent, quasque alii in contrarium allegant, *vid.* VIND. VITRIAR. CASTIG. §. *80. ſeqq. conf.* LEHM. *Chr. Spir. l. 5. c. 58.*

§. 15. Diſtinguntur leges fundamentales in *Expreſſas*, quæ conſenſu verbis declarato, & *Tacitas*, quæ tacito, ex factis colligendo, conſtituuntur.

CAP. II.

De Receſſibus Imperii.

SUMMARIA.

Leges expreſſæ dicuntur Receſſus §. 1. ſed nomen eſt ambiguum §. 2. tripliciter debet ſupponi §. 3. 4. 5. Receſſus pro legibus fundamentalibus accepti, ſunt conventiones §. 6. 7. quas ineunt Cæſar & Status imperii §. 8. 9. 10. intuitu Reipublicæ §. 11. quomodo §. 12. & qua lingva §. 13. Receſſuum effectus §. 14. 15. 16. & duratio §. 17. 18. Receſſus, pro decretis tranſitoriis §. 19. legibus privatis accepti, quid §. 20. 21. ad quos Receſſuum obligatio pertineat §. 22. ſeqq. Receſſus privati à Statibus poſſunt mutari §. 27. Receſſuum diviſio §. 28. origo §. 29. collectiones §. 30. 31.

§. I.

LEges publicæ expreſſæ, dicuntur *Receſſus Imperii*, quod tamen vocabulum alia quoque notat, hinc ejus ambiguitas probe evolvenda.

§. 2. Id vulgo notant, Receſſus aliquando generaliter omnes imperii Conſtitutiones, adeoque Auream Bullam, pacem profanam & religioſam &c. notare, aliquando ſtrictiori ſenſu his opponi, *vid.* MAURIT. *diſſert. de Receſſ. Imp.* §. *7. 8. 9.*

§. 3. Sed iſta obſervatio, in penitiorem rei cognitionem, nondum ſatis non deducit, quare id magis obſervari meretur, Receſſus ſumi (1) pro legibus publicis fundamentalibus, (2) decretis, quibus ad negotia tranſitoria expedienda Cæſar & Status ſe obſtringunt, (3) legibus privatis, ad Statuum ſubditos pertinentibus.

§. 4. Triplicem iſtam acceptionem revera occurrere, ex materia Receſſuum probe conſiderata, facile liquet, oppido autem eadem diſtingui debet, ſiquidem ſolidum de hac re formare velis conceptum, licet vulgo id haut fiat.

§. 5. Juxta hæc etiam manifeſtum eſt, quod Receſſus, Auream Bullam, reliquasque famo-

ſiores

ſiores legum publicarum ſpecies, non tantum complectantur, ſed &, quod his poſſint opponi, nam in illa oppoſitione Receſſus, decreta tranſitoria ac leges privatas, potiſſimum notabunt.

§. 6. Noſtræ conſiderationis jam ſunt Receſſus primo ſenſu ſuppoſiti i. e. *Conventiones ab Imperatore & Statibus initæ, quibus præſens imperii ſtatus, vid. c. 1. §. 9. formatur.*

§. 7. Receſſus eſſe *conventiones*, non tantum patet ex ratione data *d. c. 1. §. 11.* ſed & ipſis Receſſuum formulis, **haben uns mit und gegen einander deshalben in** contracts **weiſe vereinigt / verpflicht und verſchrieben /** *vid. R. J. 1500.* confirmatur, nam his, cum cætera conſentiant, vis probandi utique ineſt.

§. 8. Perſonæ paciſcentes ſunt *Imperator*, vel ejus vice, *Rex Romanorum, Vicarii & Status imperii, MAURIT. d. l. §. 14. ſeqq.* Poſſunt etiam hæ perſonæ ex libertate vices ſuas paucis demandare, hinc ſunt Receſſus Deputationum & Viſitationum, MAURIT. *d. l. §. 11. 12*, & Capitulationes, rarior tamen iſta per paucos paciſcendi ratio erit, quoad res magni momenti ultimato definiendas.

§. 9. In caſu diſſenſus Cæſaris & Statuum, neque ille ſolus ſtatuere, quod vult STAM-

LERUS *aliique*, nec hi ſoli concludere poſſunt, ceu contendit HIPPOLITUS à LAPIDE *vid. diſſert. de Ration. Stat. p. 1 c. 4. n. 5. c. 17.* ſed nihil agitur, ceu recte PAURMEISTERUS, CARPZOVIUS ALIIQUE docent, quod poſt *J. P. art. 8. §. 2.* dubio carere videtur.

§. 10. Qui judicium hic ſuſpendendum eſſe cenſent, ut poſt alios *MAURITIUS d. l. §. 20.* illi profecto fluctus in ſimpulo movent, ac dum votum Statuum deciſivum diſſimulant, perinde iis graves ſunt, ac ſi omnino id negent, imo ipſe MAURITIUS ſui immemor *d. l. §. 34. 37.* non obſcure amplectitur deciſionem *§. præc.* datam.

§. 11. Materia Receſſuum eſt *præſens imperii ſtatus, in totum vel ex parte formandus*, *vid. J. P. art. 8. §. 2. 3.* qui, citra diverſam ſuppoſitionem antea notatam, uno conceptu Receſſus comprehendunt, illi latius quidem objectum Receſſibus aſſignant, ut tamen modo adductum, *ordinarium & principale* fateantur *MAURIT. d. l. §. 21.* ſed rectius diverſa diverſis conceptibus proponuntur.

§. 12. *Modus* Receſſus *conficiendi* & *promulgandi* ex doctrina Comitiorum infra apparebit, interim vid. MAURIT. *d. l. §. 22.* Id tamen hic nota, promulgationem, ſolo Cæſaris nomine factam, receſſuum naturam non mutare, ſed eſſe innoxium priſtini ſtatus indici-

dicium, nec adeo definitioni inſerendam, ceu recte contra *Fibigium* obſervat *MAURIT. d. l.* §. *6.*

§. 13. Concipiuntur Receſſus lingua *germanica* aut *latina*, qui idiomatis uſus non ex *neceſſitate ſed libertate* dependere videtur MAURIT. *d. l.* §. *28. 29.* niſi forte *obſervantiam* cauſari velis, vid. LEHM. *Chr. Spir. l. 5. c. 107.*

§. 14. *Effectus* Receſſuum eſt *jus & obligatio*, Cæſari & Statibus, pro modo conſenſus dati, inhærens, ſic aliquando ſolus Cæſar obligatur v. g. in capitulationibus, aliquando ſoli Status v. g. ad petendam inveſtituram, aliquando utrique v. g. ad tolerandam religionem quandam, aliquando uni Statui jus competit, Cæſar & reliqui Status obligantur.

§. 15. Obligari autem tam Cæſarem quam Status per *modum conventionis*, nobis certum videtur per ea, quæ diximus *c. 1.* §. *12. ſeqq. add.* SCHWED. *introd. ad jus publ. part. gen. c. 3.* §. *7.* Quodſi tamen per majora vota Receſſus conſtituatur, diſſentientem magis ex lege quam pacto teneri conceſſerim.

§. 16. Alii Status ex pacto & lege ſimul obligari cenſent, ut MAURIT. *d. l.* §. *32.* cujus ſententiam non ſatis aſſecutus videtur KULPIS. *ad Monzamb. p. 2. c. 5.* §. *26. pag. 179.*

 ſed

ſed illa duplex obligandi ratio ſimul eodem reſpectu ſtare nequit. Alii à parte Cæſaris, *conventionem*, à parte vero Statuum, *legem poſitivam*, crepant, *vid. c. 1. §. 12.* id quod non tantum *conditio perſonarum*, ſed & *natura rei* repudiat, idem enim actus *ex parte* conventio & lex eſſe nequit, licet *totus actus*, hoc reſpectu, indolem *conventionis*, alio vero, *legis* habere poſſit, vid. VIND. CASTIG. §. *85. ſeqq.*

§. 17. Durat Receſſuum effectus, quamdiu ſubſiſtit conſenſus, hinc tempore elapſo, vel voluntate contraria tacita & expreſſa tollitur, idque vel in totum vel ex parte.

§. 18. Inter modos autem Receſſum tollendi non recte refert *MAURITIUS d. l. §. 33. defectum cauſæ finalis*, nam confunditur *interpretatio reſtrictiva*, cum *mutatione*, parum recte etiam ad leges civiles, in hac tractatione, provocat, cum communes ratiocinandi regulas ex iis incongrue probet.

§. 19. Contextus poſtulat, ut verbo etiam tangamus Receſſus ſecundo & tertio ſenſu *v. §. 3. h.* ſuppoſitos. Nimirum *illi* ſunt *conventiones quibus Imperator & Status, ad certum aliquod tranſitorium negotium*, v. g. ad milites certo numero conſcribendos, *ſe mutuo obſtringunt, & ſi materia in ſubditos mediatos quadret, eos quoque ad iſtius rei obſervationem obligant.*

§. 20.

§. 20. *Hi* vero ſint *leges poſitivæ privatæ ab Imperatore & Statibus eo fine latæ, ut ſubditi mediati actiones ſuas juxta eas componant*, ejus generis ſunt, quæ quantitatem uſurarum definiunt, aut minores invitos curatoribus ſubjiciunt &c.

§. 21. Hodie, poſt jus legislatorium Statibus tam liquido confirmatum, iſtiusmodi receſſus rariores erunt nec locum habebunt, niſi in caſu ubi Statuum intereſt, ut ſubditi iisdem legibus vivant, exemplum præbet *R. J. de anno 1654. §. 170. ſeq.*

§. 22. His ita diſtinctis, liquido explicari poteſt quæſtio, *an præter Cæſarem & Status, etiam ſubditi mediati Receſſibus obligentur?* quam negat OBRECHTUS, communiter vero affirmant, *vid.* MAURIT. *d. l. §. 30.* utrosque errare neceſſum eſt, dum diverſam Receſſuum ſuppoſitionem non diſtinguunt, quare ſic habe.

§. 23. Receſſus pro legibus fundamentalibus accepti, regulariter ad Cæſarem & Status tantum pertinent, ſi tamen materia ad ſubditos mediatos quadret, hos quoque, velut leges poſitivæ, obligant, exemplum eſt in pace religioſa.

§. 24. Receſſus pro decretis tranſitoriis ſuppoſiti; pro diverſitate materiæ, nunc ſolum Cæſarem & Status obligant v. g. ſi decre-

tum fiat de conferenda certa pecunia, vel conſcribendo milite, nunc etiam ſubditos mediatos v. g. ſi commercia cum hoſtibus prohibeantur.

§. 25. Receſſus autem pro legibus privatis ſumti ſolos ſubditos mediatos obligant, Cæſarem enim & Status qua tales, aut ſaltem præſuppoſito cum imperio, citra ſubjectionis conditionem, ſpectatos, *vid. l. 1. c. 1. §. 59. ſeqq.* Majeſtas & Superioritas territorialis ab obligatione illarum ſolvit.

§. 26. Poſſes adeo brevius dicere: Receſſus imperii, pro materie varietate, nunc ſolum Cæſarem, nunc ſolos Status, nunc Cæſarem & Status, nunc ſolos ſubditos mediatos, nunc Cæſarem, Status & ſubditos obligare.

§. 27. Alia quæſtio eſt, *an Status privatas leges in ſuis territoriis præciſe conſervare teneantur?* quam, ſepoſita conventione ſpeciali, negandam eſſe cenſeo, aliis licet diſſentientibus, *vid. l. 1. c. 1. §. 59.* nam aliud eſt; *legem cum aliis, pro re nata, condere, & : facultate mutandi ſeu imperio ſe abdicare.*

§. 28. Diſtinguuntur Receſſus (1) in *veros & ſuſpectos* (2) in *univerſales & particulares* (3) in *primarios & ſecundarios* Maurit. *d. l. §. 10. 13.* quæ diviſiones ad Receſſus, quovis modo ſuppoſitos, videntur quadrare.

§. 29.

§. 29. *Originem* Receſſuum repetunt ab eo tempore, quo germanorum gens in unam civitatem ſe compoſuit, *MAURIT. d. l. §. 1. ſeqq.* verum Receſſuum, *voto* Statuum *deciſivo* factorum, quomodocunque de cætero ſupponantur, origo, deduci debet ab eo tempore, quo Status in communionem imperii recepti ſunt, *VITRIAR. l. 1. tit. 2. §. 10.*

§. 30. Prima Receſſuum Collectio anno 1527. facta cenſetur, quam plures deinceps ſecutæ ſunt, quas tandem ultima 1660. excepit *MAURIT. d. l. §. 36.* ſed hodie recentior de anno 1692. occurrit, cui etiam Receſſus imperii 1654. cum Inſtrumento Pacis Weſtphalicæ, inſertus eſt.

§. 31. De cætero omnes illæ Collectiones vitiis ſuis laborant, dum multos Receſſus omittunt, ac inſuper erratis typographicis inquinantur *MAURIT. d. §. 36. ſeqq. conf. DATT. de pac. public. l. 4. c. 1. n. 111. ſeqq.* Ultimæ tamen cæteris præſtant in eo, quod nonnullos Receſſus, antea omiſſos, adducant, ſingulos in paragraphos, numeris diſtinctos dividant, ac ſummaria inſuper indicesque neceſſarios exhibeant MAURIT. *d. l. §. 38.*

CAP. III.

De Aurea Bulla.

SUMMARIA.

Connexio §. 1. Aurea Bulla quid §. 2. 3. ejus autores & materia §. 4. 5. quo tempore & loco, tum ob quam cauſam condita §. 6. Aureæ Bullæ effectus §. 7. duratio §. 8. ſeqq. utilitas §. 13. 14.

§. I.

OMnia legum publicarum exempla exponere, opus non eſt, cum pleriſque intelligendis generalis pactorum doctrina ſufficere poſſit, famoſiores igitur earum ſpecies, ad Statum Reipublicæ præcipue ſpectantes, nunc ſaltem breviter perſequemur.

§. 2. Inter eas occurrit *Aurea Bulla* cujus nominis ratio paſſim exponitur, *vid.* SCHWED. *introd. ad jus publ. part. gener. c. 2.* §. *1.* ut alias nunc taceamus. Eſt autem *conventio ab Imperatore Carolo IV. & Ordinibus imperii inita electionem Imperatoris, jura Electorum ac alia ad imperium pertinentia definiens.*

§. 3. Placet nobis terminus *conventionis* præ termino *pragmaticæ ſanctionis* vulgo uſitato,

tato, per rationes ſolennes, *c. 1. §. 11.* datas. Inprimis tamen illud nomen meretur A. B. ſi ex præſenti tempore æſtimetur juxta monitum tertium *d. c. 1. §. 11.*

§. 4. Conventionis *Autores* & *materiam* ſatis indicat definitio, *add.* LEHM. *Chron. Spir. l. 7. c. 34. 35.* quod ſi *hanc* magis diſtincte expendamus, apparebit, pleraque ad ſtatum publicum pertinere, adeoque Auream Bullam, titulum legis fundamentalis, maximam partem mereri.

§. 5. Intercurrunt tamen quædam, quæ vel communem ſocialitatem ſaltem reſtituunt & confirmant, ut quæ de ſalvo conductu *c. 1.* de omittendis diffidationibus *c. 7.* diſponuntur; vel legem privatam, ut diſpoſitio *c. 14. 24.* vel conſilium continent, quorſum pertinet *c. 30.* horum igitur intuitu, exquiſite loquendo, Aurea Bulla, lex fundamentalis dici nequit.

§. 6. Condita eſt Aurea Bulla anno *1356.* Norimbergæ & Meti, ad tollendas Electorum diſſenſiones, lingva Latina. Inſtrumenta ejus ſunt vel Originalia, vel Transſumta hæcq; vel Latina vel Germanica. Autographum Francofurtenſe, celebratiſſimum eſt, cujus formam externam ac cætera, quæ hic tetigimus, capita, paſſim exponunt, *vid.* SCHWED. *d. c. 2. §. 5. 6. 7.* VITRIAR. *J. J. P. l. 1.*

l. 1. tit. 2. §. 13. PACIF. *à* LAPID. *ad Monzamb. D. 10. c. 4. in fin.* ac inprimis *LIMN. in Obſervat. ad A.B.* THULEMAR. *de Bull.*

§. 7. Ad Exemplum aliarum conventionum, Aurea Bulla quoque, juxta modum ſuum, *jus & obligationem* producit, quæ tamdiu *durant*, donec illa legitime fuerit *mutata*.

§. 8. Mutationem autem non a *ſolo Cæſare*, licet eo fine frigidæ rationes congeri ſoleant, *vid.* ARUM. *ad A.B. diſcurſ. 1. §. 7.* ſed a *Cæſare & Statibus ſimul* fieri demum poſſe, tam ex generali pactorum natura, quam Statuum juribus liquet, poteſt de cætero conſenſus contrarius *expreſſe* & *tacite* declarari, quanquam in hoc aſſerendo, ut alibi, ita hic etiam, caute ſit incedendum.

§. 9. A *mutatione* autem probe diſtingui debet *genuina interpretatio doctrinalis*, quæ a quovis fieri poteſt. Sic Electores Proteſtantes Miſſæ hodie non interſunt, non quod A. B. mutata ſit, licet ita videatur SCHWEDERO *d. c. 2. §. 8.* ſed quod *præſentiam* non aliter requirat, quam ſub *conditione religionis Pontificiæ*, quæ in Proteſtantibus deficit.

§. 10. Ita terminum trium menſium in A. B. *c. 1. §. 19.* ſtatutum Electores extendere & coarctare poſſe, non male dicitur, *vid.* SCHWED. *d. tr. part. ſpec. Sect. 1. c. 2. §. 12.* ne-

neque tamen eo ipſo Auream Bullam eos mutare, ſed ſaltem recte interpretari, dicendum eſt, nec enim momenta temporum captare par eſt, ſed ejusmodi definitiones Reipublicæ utilitatibus attemperandæ ſunt. Sic rectius forſitan hoc expoſueris, quam ſi cum AUTORE *Vitriar. illuſtrat. l. 1. tit. 6. §. 8.* inter *abrogationem* & *alienam obſervantiam* diſtingvas.

§. 11. Pro mutatione etiam hic haberi non debet, ſi quid non *contra*, ſed *præter* Auream Bullam conſtituatur, ejus enim arbitrium penes Cæſarem & Electores eſſe poteſt. Exemplum, ſed controverſum, eſt in inſtitutione novi Electoratus, hæc enim ex ſententia Statuum, eſt contra A. B. adeoque non niſi omnium conſenſu fieri poteſt, ſed ex Cæſaris ac Electorum, ſaltem præter eam, adeoque hi ſuo arbitrio illam vindicant.

§. 12. Imperio vacante, a ſolis Statibus A. B. mutari poſſe, in aprico eſt, Electores tamen ſoli, ne quidem quoad *negotium electionis*, eam mutare poſſunt, nam *electio* quidem, ſed non *electionis norma* illorum arbitrio commiſſa eſt.

§. 13. Adæquatam quidem legem fundamentalem A. Bulla non exhibet, ex hypotheſi tamen illorum temporum fuit *utiliſſima*, nec hodie ſua deſtituitur utilitate.

§. 14.

l. 7. c. 27. 29. 30. 43. 47. 48. ſeqq. 63. ſeqq. c. 86. 89. 91. 92. 98. 103. 109. ſeqq. conſignata reperiuntur.

§. 5. Tandem auſpiciis Maximiliani I. in Comitiis Wormatienſibus anno 1495. habitis, pax perpetua eſt confecta eaque eodem Autore deinceps aucta Auguſtæ Vindelicorum 1500. quod ab aliis quoque Imperatoribus poſtea factum, *vid.* SCHWED. *d. tr. c. 3. §. 10.* OSTERMAN. *jus Camer. diſp. 7. §. 17.* ac inprimis DATT. *in Volum. Rer. germ. ſeu de Pac. imper. public.* qui totius rei ſeriem operoſe recenſet.

§. 6. Pacem profanam eſſe *conventionem* ex turbato Reipublicæ Statu & *libertate* Statuum, in quam jam tum evaſerant, & quæ hodie penitus confirmata eſt, ſatis liquet.

§. 7. Quoad ſubditos tamen mediatos, *lex poſitiva privata* eſt, quæ commune vinculum, quod ex prima ſubjectione, tam quoad Imperantem, quam concives, oritur, repetit ac ſanctione pœnali confirmat, ſuam igitur ſedem in Jurisprudentia privata, in *tractatu* de *vi publica*, ſortitur.

§. 8. Partes pacis profanæ, ſunt duæ, *Definitiva*, quæ quid fieri vel omitti debeat, oſtendit, & ſummatim ad duo capita redigi poſſe videtur, vel enim *ſocialitatem confirmat*, vel *controverſias etiam juſtas proprio arbitrio*

bitrio terminari probibet, *vid.* SCHWED. *d. l.* §.*12.* & *Vindicativa*, quæ pœnam delinquentibus irrogat SCHWED. *d. l.* §. *15*.

§. 9. Senſum utriusque partis exponere diſtinctius, hujus loci non eſt, licet id plerumque hic moliantur, *vid.* SCHWED. *d. l.* §. *13. 14. 15.* BOECLER. *N. J. l. 12. c. 4.* quoad ſubditos enim mediatos, id ſuo loco exequitur Jurisprudentia privata, quoad Status autem, in altera parte juris publici, quæ *argumentum* legum publicarum tradit, illa tractatio loco congruo inſtitui debet.

§. 10. Ex his liquet, pacem profanam, quatenus ad ſubditos mediatos refertur, non eſſe *legem fundamentalem*, ſed *privatam*, ut modo diximus; quatenus autem ad Status pertinet, adhuc *lex fundamentalis non eſt*, dum *ſocialitatem* ſaltem *reſtituit* & *firmat*, neque enim ea ad formandam civitatem ſpectant, dum vero *Status judicio alicui ſubjicit iisque pœnam præſtituit*, titulum *legis fundamentalis* utique *meretur*.

§. 11. Ex iſta conventione Imperator & Status *obligantur* ad promiſſa fideliter ſervanda, ſubditi quoque mediati velut aliqua lege inde *obſtringuntur*.

§. 12. *Durat* obligatio, donec communi conſenſu conventio fuerit ſublata, clauſulæ interim, de controverſiis in judicio tractan-

ſed illa duplex obligandi ratio ſimul eodem reſpectu ſtare nequit. Alii à parte Cæſaris, *conventionem*, à parte vero Statuum, *legem poſitivam*, crepant, *vid. c. 1. §. 12.* id quod non tantum *conditio perſonarum*, ſed & *natura rei* repudiat, idem enim actus *ex parte* conventio & lex eſſe nequit, licet *totus actus*, hoc reſpectu, indolem *conventionis*, alio vero, *legis* habere poſſit, vid. VIND. CASTIG. §. *85. ſeqq.*

§. 17. Durat Receſſuum effectus, quamdiu ſubſiſtit conſenſus, hinc tempore elapſo, vel voluntate contraria tacita & expreſſa tollitur, idque vel in totum vel ex parte.

§. 18. Inter modos autem Receſſum tollendi non recte refert MAURITIUS *d. l. §. 33. defectum cauſæ finalis*, nam confunditur *interpretatio reſtrictiva*, cum *mutatione*, parum recte etiam ad leges civiles, in hac tractatione, provocat, cum communes ratiocinandi regulas ex iis incongrue probet.

§. 19. Contextus poſtulat, ut verbo etiam tangamus Receſſus ſecundo & tertio ſenſu *v. §. 3. b.* ſuppoſitos. Nimirum *illi* ſunt *conventiones quibus Imperator & Status, ad certum aliquod tranſitorium negotium*, v. g. ad milites certo numero conſcribendos, *ſe mutuo obſtringunt, & ſi materia in ſubditos mediatos quadret, eos quoque ad iſtius rei obſervationem obligant.*

§. 20.

§. 20. *Hi* vero ſint *leges poſitivæ privatæ ab Imperatore & Statibus eo fine latæ, ut ſubditi mediati actiones ſuas juxta eas componant,* ejus generis ſunt, quæ quantitatem uſurarum definiunt, aut minores invitos curatoribus ſubjiciunt &c.

§. 21. Hodie, poſt jus legislatorium Statibus tam liquido confirmatum, iſtiusmodi receſſus rariores erunt nec locum habebunt, niſi in caſu ubi Statuum intereſt, ut ſubditi iisdem legibus vivant, exemplum præbet *R. J. de anno 1654. §. 170. ſeq.*

§. 22. His ita diſtinctis, liquido explicari poteſt quæſtio, *an præter Cæſarem & Status, etiam ſubditi mediati Receſſibus obligentur?* quam negat OBRECHTUS, communiter vero affirmant, *vid.* MAURIT. *d. l.* §. *30.* utrosque errare neceſſum eſt, dum diverſam Receſſuum ſuppoſitionem non diſtinguunt, quare ſic habe.

§. 23. Receſſus pro legibus fundamentalibus accepti, regulariter ad Cæſarem & Status tantum pertinent, ſi tamen materia ad ſubditos mediatos quadret, hos quoque, velut leges poſitivæ, obligant, exemplum eſt in pace religioſa.

§. 24. Receſſus pro decretis tranſitoriis ſuppoſiti; pro diverſitate materiæ, nunc ſolum Cæſarem & Status obligant v. g. ſi decre-

tum fiat de conferenda certa pecunia, vel conſcribendo milite, nunc etiam ſubditos mediatos v. g. ſi commercia cum hoſtibus prohibeantur.

§. 25. Receſſus autem pro legibus privatis ſumti ſolos ſubditos mediatos obligant, Cæſarem enim & Status qua tales, aut ſaltem præſuppoſito cum imperio, citra ſubjectionis conditionem, ſpectatos, *vid. l. 1. c. 1. §. 59. ſeqq.* Majeſtas & Superioritas territorialis ab obligatione illarum ſolvit.

§. 26. Poſſes adeo brevius dicere: Receſſus imperii, pro materie varietate, nunc ſolum Cæſarem, nunc ſolos Status, nunc Cæſarem & Status, nunc ſolos ſubditos mediatos, nunc Cæſarem, Status & ſubditos obligare.

§. 27. Alia quæſtio eſt, *an Status privatas leges in ſuis territoriis præciſe conſervare teneantur?* quam, ſepoſita conventione ſpeciali, negandam eſſe cenſeo, aliis licet diſſentientibus, *vid. l. 1. c. 1. §. 59.* nam aliud eſt; *legem cum aliis, pro re nata, condere, & : facultate mutandi ſeu imperio ſe abdicare.*

§. 28. Diſtinguuntur Receſſus (1) in *veros & ſuſpectos* (2) in *univerſales & particulares* (3) in *primarios & ſecundarios* MAURIT. *d. l. §. 16. 13.* quæ diviſiones ad Receſſus, quovis modo ſuppoſitos, videntur quadrare.

§. 29.

§. 29. *Originem* Receſſuum repetunt ab eo tempore, quo germanorum gens in unam civitatem ſe compoſuit, MAURIT. *d. l. §. 1. ſeqq.* verum Receſſuum, *voto* Statuum *deciſivo* factorum, quomodocunque de cætero ſupponantur, origo, deduci debet ab eo tempore, quo Status in communionem imperii recepti ſunt, VITRIAR. *l. 1. tit. 2. §. 10.*

§. 30. Prima Receſſuum Collectio anno 1527. facta cenſetur, quam plures deinceps ſecutæ ſunt, quas tandem ultima 1660. excepit MAURIT. *d. l. §. 36.* ſed hodie recentior de anno 1692. occurrit, cui etiam Receſſus imperii 1654. cum Inſtrumento Pacis Weſtphalicæ, inſertus eſt.

§. 31. De cætero omnes illæ Collectiones vitiis ſuis laborant, dum multos Receſſus omittunt, ac inſuper erratis typographicis inquinantur MAURIT. *d. §. 36. ſeqq. conf.* DATT. *de pac. public. l. 4. c 1. n. 111. ſeqq.* Ultimæ tamen cæteris præſtant in eo, quod nonnullos Receſſus, antea omiſſos, adducant, ſingulos in paragraphos, numeris diſtinctos dividant, ac ſummaria inſuper indicesque neceſſarios exhibeant MAURIT. *d. l. §. 38.*

CAP. III.

De Aurea Bulla.

SUMMARIA.

Connexio §. 1. Aurea Bulla quid §. 2. 3. ejus autores & materia §. 4. 5. quo tempore & loco, tum ob quam cauſam condita §. 6. Aureæ Bullæ effectus §. 7. duratio §. 8. ſeqq. utilitas §. 13. 14.

§. I.

OMnia legum publicarum exempla exponere, opus non eſt, cum pleriſque intelligendis generalis pactorum doctrina ſufficere poſſit, famoſiores igitur earum ſpecies, ad Statum Reipublicæ præcipue ſpectantes, nunc ſaltem breviter perſequemur.

§. 2. Inter eas occurrit *Aurea Bulla* cujus nominis ratio paſſim exponitur, *vid.* SCHWED. *introd. ad jus publ. part. gener. c. 2. §. 1.* ut alias nunc taceamus. Eſt autem *conventio ab Imperatore Carolo IV. & Ordinibus imperii inita electionem Imperatoris, jura Electorum ac alia ad imperium pertinentia definiens.*

§. 3. Placet nobis terminus *conventionis* præ termino *pragmaticæ ſanctionis* vulgo uſitato,

tato, per rationes ſolennes, *c. 1. §. 11.* datas. Inprimis tamen illud nomen meretur A. B. ſi ex præſenti tempore æſtimetur juxta monitum tertium *d. c. 1. §. 11.*

§. 4. Conventionis *Autores* & *materiam* ſatis indicat definitio, *add.* LEHM. *Chron. Spir. l. 7. c. 34. 35.* quod ſi *hanc* magis diſtincte expendamus, apparebit, pleraque ad ſtatum publicum pertinere, adeoque Auream Bullam, titulum legis fundamentalis, maximam partem mereri.

§. 5. Intercurrunt tamen quædam, quæ vel communem ſocialitatem ſaltem reſtituunt & confirmant, ut quæ de ſalvo conductu *c. 1.* de omittendis diffidationibus *c. 7.* diſponuntur; vel legem privatam, ut diſpoſitio *c. 14. 24.* vel conſilium continent, quorſum pertinet *c. 30.* horum igitur intuitu, exquiſite loquendo, Aurea Bulla, lex fundamentalis dici nequit.

§. 6. Condita eſt Aurea Bulla anno *1356.* Norimbergæ & Meti, ad tollendas Electorum diſſenſiones, lingva Latina. Inſtrumenta ejus ſunt vel Originalia, vel Transſumta hæcq; vel Latina vel Germanica. Autographum Francofurtenſe, celebratiſſimum eſt, cujus formam externam ac cætera, quæ hic tetigimus, capita, paſſim exponunt, *vid.* SCHWED. *d. c. 2. §. 5. 6. 7.* VITRIAR. *J. J. P. l. 1.*

l. 1. tit. 2. §. 13. PACIF. *à* LAPID. *ad Monzamb. D. 10. c. 4. in fin.* ac inprimis LIMN. *in Obſervat. ad A. B.* THULEMAR. *de Bull.*

§. 7. Ad Exemplum aliarum conventionum, Aurea Bulla quoque, juxta modum ſuum, *jus & obligationem* producit, quæ tamdiu *durant*, donec illa legitime fuerit *mutata.*

§. 8. Mutationem autem non a *ſolo Cæſare*, licet eo fine frigidæ rationes congeri ſoleant, *vid.* ARUM. *ad A. B. diſcurſ. 1. §. 7.* ſed a *Cæſare & Statibus ſimul* fieri demum poſſe, tam ex generali pactorum natura, quam Statuum juribus liquet, poteſt de cætero conſenſus contrarius *expreſſe* & *tacite* declarari, quanquam in hoc aſſerendo, ut alibi, ita hic etiam, caute ſit incedendum.

§. 9. A *mutatione* autem probe diſtingui debet *genuina interpretatio doctrinalis*, quæ a quovis fieri poteſt. Sic Electores Proteſtantes Miſſæ hodie non interſunt, non quod A. B. mutata ſit, licet ita videatur SCHWEDERO *d. c. 2. §. 8.* ſed quod *præſentiam* non aliter requirat, quam ſub *conditione religionis Pontificiæ*, quæ in Proteſtantibus deficit.

§. 10. Ita terminum trium menſium in A. B. *c. 1. §. 19.* ſtatutum Electores extendere & coarctare poſſe, non male dicitur, *vid.* SCHWED. *d. tr. part. ſpec. Sect. 1. c. 2. §. 12.* ne-

neque tamen eo ipſo Auream Bullam eos mutare, ſed ſaltem recte interpretari, dicendum eſt, nec enim momenta temporum captare par eſt, ſed ejusmodi definitiones Reipublicæ utilitatibus attemperandæ ſunt. Sic rectius forſitan hoc expoſueris, quam ſi cum AUTORE *Vitriar. illuſtrat. l. 1. tit. 6. §. 8.* inter *abrogationem* & *alienam obſervantiam* diſtingvas.

§. 11. Pro mutatione etiam hic haberi non debet, ſi quid non *contra*, ſed *præter* Auream Bullam conſtituatur, ejus enim arbitrium penes Cæſarem & Electores eſſe poteſt. Exemplum, ſed controverſum, eſt in inſtitutione novi Electoratus, hæc enim ex ſententia Statuum, eſt contra A. B. adeoque non niſi omnium conſenſu fieri poteſt, ſed ex Cæſaris ac Electorum, ſaltem præter eam, adeoque hi ſuo arbitrio illam vindicant.

§. 12. Imperio vacante, a ſolis Statibus A. B. mutari poſſe, in aprico eſt, Electores tamen ſoli, ne quidem quoad *negotium electionis*, eam mutare poſſunt, nam *electio* quidem, ſed non *electionis norma* illorum arbitrio commiſſa eſt.

§. 13. Adæquatam quidem legem fundamentalem A. Bulla non exhibet, ex hypotheſi tamen illorum temporum fuit *utiliſſima*, nec hodie ſua deſtituitur utilitate.

§. 14.

§. 14. Quædam tamen ejus capita hodi
vel plane ſunt ſublata, vel ob mutata tempo
ra rarius uſum exſerunt, vel plenius ſunt de
finita, *vid.* SCHWEDER. *d.l.§.3.* LIMN. *ad A. E*
obſerv. prælim. 7.8.

CAP. IV.

De Pace profana.

SUMMARIA.

Pax publica quid §. 1. ejus occaſio §. 2.3. eam anteceſſe
runt pacificationes temporariæ §. 4. facta eſt Autore
Maximiliano I. §. 5. eſt conventio §. 6. lex tamen po
ſitiva quoad ſubditos mediatos §. 7. ejus partes. §. 8.9
indoles §. 10. effectus §. 11. duratio §. 12.

§. I.

INter exſtantiores legum publi
carum ſpecies, deinde occur
rit *Pax profana* ſ. *publica* der
Landfrieden; quæ eſt *conven*
tio Imperatoris & Statuum con
ſenſu inita, qua omnis hoſtilita
in imperio prohibetur, modus agendi, quoa
Status, ortis controverſiis, definitur, ac in
eos, qui conventionem violant, pœna aliqua
conſtituitur.

§. 2. Nomen pacis, inter ejusdem Rei
publicæ membra occurrentis, dubio procu
infau

infauſtum eſt, ac magnum civitatis morbum, ſeu turbidum ejus Statum arguit. Atque in talem olim Germania inciderat, in eoque, à temporibus Henricorum, ac inprimis, poſt fatale interregnum, Seculo XIII. ſecutum, usque ad initia Seculi XVI. atque ita fere per quadringentos annos fluctuavit, Pontifice Romano turbas illas vel excitante vel fovente, quo ita in turbidis, quod ajunt, piſcari ac hierotyrannidem magis ſtabilire poſſet.

§. 3. Tum igitur non tantum *vinculum civile*, ſed & propemodum *communis ſocialitas* per frequentiſſimas invaſiones & deprædationes erant ſublata. Uti autem levibus ſæpe ex cauſis Reipublicæ germanicæ membra inter ſe collidebantur, ita pro ruditate illorum temporum, conſervandæ exiſtimationi aut evitandæ infamiæ ſatis eſſe putabatur, modo bellum futuro hoſti denunciaretur **und wil deß mine Ehr gegen uch und den uwern bewahrt han / mit dieſem minem offen Brieffe verſiegelt** *vid.* LEHM. *Chr. Spir. l. 7. c. 89. 103. A. B. c. 17.*

§. 4. Reſtituendæ igitur utcunque amicitiæ, ſæpe pax temporaria ac ad certa loca reſtricta, quam **Sühne** vocabant, *v.* LEHM. *Chr. Spir. l. 7. c. 29. 110. in addit. p. 879.* fuit inita, eidemque defendendæ, varia fœdera percuſſa, qua de re nonnulla apud LEHM. *d. tr.*

l. 7.

bitrio terminari prohibet, *vid.* SCHWED. *d. l.* §.*12.* & *Vindicativa*, quæ pœnam delinquentibus irrogat SCHWED. *d. l.* §. *15.*

§. 9. Senſum utriusque partis exponere diſtinctius, hujus loci non eſt, licet id plerumque hic moliantur, *vid.* SCHWED. *d. l.* §. *13. 14. 15.* BOECLER. *N. J. l. 12. c. 4.* quoad ſubditos enim mediatos, id ſuo loco exequitur Jurisprudentia privata, quoad Status autem, in altera parte juris publici, quæ *argumentum* legum publicarum tradit, illa tractatio loco congruo inſtitui debet.

§. 10. Ex his liquet, pacem profanam, quatenus ad ſubditos mediatos refertur, non eſſe *legem fundamentalem*, ſed *privatam*, ut modo diximus; quatenus autem ad Status pertinet, adhuc *lex fundamentalis non eſt*, dum *ſocialitatem* ſaltem *reſtituit* & *firmat*, neque enim ea ad formandam civitatem ſpectant, dum vero *Status judicio alicui ſubjicit iisque pœnam præſtituit*, titulum *legis fundamentalis* utique *meretur*.

§. 11. Ex iſta conventione Imperator & Status *obligantur* ad promiſſa fideliter ſervanda, ſubditi quoque mediati velut aliqua lege inde *obſtringuntur*.

§. 12. *Durat* obligatio, donec communi conſenſu conventio fuerit ſublata, clauſulæ interim, de controverſiis in judicio tractan-

dis, ac de pœna, rarius quoad Status Poten-
tiores, uſum ſuum exſerere videntur.

CAP. V.

De Pace religioſa.

SUMMARIA.

*Pax religioſa §. 1. occaſione reformationis religioſæ cona-
ta §. 2. conventio & lex poſitiva eſt §. 3. ejus argu-
mentum §. 4. non reſpicit Pontificem & Germania
§. 5. 6. ſed Germanos inter ſe §. 7. neceſſitas & juſtit
ejus, juxta ſingula contenta oſtenditur, atque vera
nonnullarum ſanctionum ſententia ſimul exhibetur §.
ſeqq. valori conventionis non obeſt nonnullorum Pon-
tificiorum diſſenſus §. 20. 21. diſſentientes tamen ma-
nent in Statu hoſtili §. 22. quouſque pax religioſa
lex fundamentalis §. 23. an illa jus Sacrorum, Statib
dederit vel reſtituerit §. 24. 25. ejus interpretatio au-
thentica ad Comitia pertinet §. 26. ſancte ſervari de-
bet §. 27. fruſtra diſſentientibus Pontificiis §. 2
ſeqq. valor hactenus laudatus non pertinet ad Reſer-
vatum Eccleſiaſticum §. 37. 38. 39. pacis religioſæ Scri-
ptores §. 40.*

§. I.

SUccedit *Pax religioſa*, quæ eſt *con-
ventio Imperatoris ac Statuum con-
ſenſu inita, qua tolerantia religio-
nis Pontificiæ & Proteſtantium, n
non poſſeſſio bonorum Eccleſiaſticorum, ratior
imp*

imperii Germanici, definitur, ac Jurisdictio Pontificia, quoad Proteſtantes, ſuſpenditur.

§. 2. Occaſionem huic paci dedit religionis, in imperio noſtro, reformatio, quæ, ob nundinationes indulgentiarum *Tezelianas*, auſpiciis *Lutheri anno 1517. d. 31. Octob.* Wittebergæ cœpit, cum enim mox apertum ſchiſma, imo bellum, autore *Carolo V.* Cæſare, ſequeretur, tandem prudentia & felicitate *Mauritii Electoris Saxoniæ*, transactio Paſſavienſis 1552. fuit obtenta, ex qua poſtea, in Auguſtanis Comitiis, anno 1555. *Ferdinandi*, Regis Romanorum ac Cæſarei Vicarii, & Statuum conſenſu, pax religioſa confecta eſt, quæ omnia ex autoribus propriis plenius diſcenda, *vid.* SCHWED. *d. l.* §. *17. 18. 19.*

§. 3. Pacem hanc, eſſe *conventionem*, non tantum *ex ratione generali* patet, ſed & *propria*, à conditione perſonarum belligerantium, petita, nec non *formulis* ipſius Receſſus §. 13. 31. confirmatur. Ratione tamen ſubditorum mediatorum pax religioſa, *lex proprie dicta* eſt, eosque in tantum obligat, in quantum materia pacis in eos cadit.

§. 4. Summatim hæc continet (1) ut Pontificii & Proteſtantes ſe mutuo tolerent (2) bona Eccleſiaſtica occupata Proteſtantibus relinquantur (3) Jurisdictio Pontificiis quoad eosdem ſit ſuſpenſa (4) violatores pacis

huius, pœna fractæ pacis publicæ coërcean-
tur.

§. 5. Quo vero conventionis huius & na-
tura & iuſtitia penitius intelligatur, obſer-
vandum eſt, eam non reſpicere *Pontifice*
Romanum & Germaniam, ſed *Germanos in-*
ter ſe. Poſtquam enim Proteſtantes à Papa-
tu diſceſſerunt, cum Pontifice quidem Roma-
no conventio aliqua neceſſario ipſis non fu-
ineunda.

§. 6. Si enim iniuſti hoſtis (qualem Pon-
tificem Romanum eſſe *l. 1. c. 7.* ſatis oſtendi-
mus) vincula evadas, tum ad ſecuritater
quidem majorem facere poteſt, ſi eo nomi-
ne cum illo paciſci queas, ſed ad libertati
obtentæ juſtitiam conventio non eſt neceſſa-
ria, verum ſufficit, quod in tutum ſubductus
vim eluſam albis velut dentibus ridere poſ-
ſis, id quod exemplo aliorum Regnorum u
Angliæ & Sveciæ &c. intelligi etiam poteſt.

§. 7. Quia vero, facta ſeceſſione, artibu
aulæ papalis, bellum in Germania excitaba-
tur, ac membra Ejusdem inter ſe collideban-
tur, ideo, hoc rerum Statu, conventione opu
fuit, cujus indoles, valor & juſtitia liquido
apparet, ſi, quid illa cautum ſit, per parte
ſpecialius expendamus.

§. 8. Nimirum (1) conventum eſt, *u*
inter Reipublicæ germanicæ membra pax ſit

At-

Atqui hoc jam communia legis naturalis decreta exigunt, nihil enim commiſerant Proteſtantes, ob quod ſocialitate eſſent indigni! hinc conventio hactenus nihil novi continet, ſed Pontificios ſaltem bonam fidem agnoſcere & communem humanitatis ſenſum reſumere jubet, neque igitur de valore conventionis, ex præſcripto juris divini neceſſariæ, dubitari poteſt.

§. 9. Quod autem Proteſtantes nullius criminis hic fuerint rei, liquet, ſi facta eorum propius conſideremus. *Uſi ſunt libertate religionis*, hoc licitum eſſe, ex indole religionis patet, imo cum religionem corruptiſſimam deſeruerint, ac aliam, verbo divino convenientem ſint amplexi, ideo non tantum licitum ſed & neceſſarium id fuiſſe, manifeſtum eſt.

§. 10. Porro *excuſſerunt imperium papale*, ſed nec huic auſui crimen ineſt, cum papatus vel verbo divino repugnet, vel ſaltem nullo jure nitatur, ceu *l. 1. c. 7.* probatum, imo ſi calculum recte ſubducas, etiam hoc Proteſtantium factum non tantum licitum ſed &, ex præſcripto juris divini, neceſſarium eſt.

§. 11. Denique *jus Sacrorum ſibi aſſeruerunt ac abuſus, ſub religionis ſpecie, in damnum Reipublicæ invectos ſuſtulerunt.* Verum

& hoc, ſi non neceſſarium, ſaltem licitum exiſtimari debet, cum penes Status imperii, jam tum aliquod fuerit imperium, aut, ſi hoc nondum ſatis liquidum cenſeri potuit, tamen iis, pro ratione iſtorum temporum id licuit, cum Cæſar & imperium officium ſuum negligerent.

§. 12. Ex his ſatis apparet innocentia Proteſtantium, & licet Pontificia Reipublicæ germanicæ membra, dum in eos arma moverunt, ob contumax ſuperſtitionis præjudicium, excuſari quodammodo queant, ipſum tamen bellum fuit injuſtiſſimum ac conventio, quæ pacem reſtituit, neceſſaria adeoque validiſſima.

§. 13. Porro (2) cautum eſt, ut cum *religione papali, Proteſtantium religio toleretur*, hoc vero licitum imo neceſſarium quoque eſſe, ex ante dictis jam conſtat, hinc conventio, quæ tolerantiam illam ſancit, dubio procul valida eſt. De cætero iſta ſanctione, aliarum religionum tolerantia non *ſimpliciter* (prout quidem videri poteſt ex *R. J. 1555. §. 17.* atque ita communiter accipitur, *vid.* SCHWEDER. *Introd. ad jus public. part. gen. c. 3. §. 21.*) ſed ſaltem *ratione neceſſitatis* excluditur, ne ſcilicet ex conventione alias religiones tolerare debeant Status.

§. 14.

§. 14. Nam ſanctio illa ex ſententia & affectu Pontificiorum, qui ejus conſtituendæ autores fuerunt, explicari debet: Cum enim his, ex inſociabilis ſuæ religionis principiis, male perſvaſum eſſet, ſe hæreticos, quos vocant, tolerare *non poſſe*, & illi tamen Auguſtanæ confeſſioni addictos conventione religioſa tolerare *juberentur*, ideo, ne *tolerandi neceſſitas* ad alios diſſentientes extenderetur, clauſula illa ſibi proſpicere voluerunt. Dum igitur Proteſtantes eam admiſerunt, ideo *neceſſitas* excluſa cenſeri debet, *jus* autem *tolerandi*, iis ademtum non eſt, qui, ex ſanioribus principiis, illud ſibi competere intelligunt.

§. 15. Ulterius (3) conventum eſt ut *imperium Pontificis ſit ſuſpenſum*, ſed & hoc vel neceſſarium vel licitum eſt, adeoque nec validitas conventionis, hoc ſenſu in dubium vocari poteſt. De cætero iſta pacti pars non eſt referenda ad *Pontificem* (hujus enim reſpectu pacto opus non fuit, ſed ſolo diſceſſu in perpetuum ejus poteſtas eſt eliſa, ceu §. 5. 6. admonitum) ſed *Status imperii pontificios*, ne ſcilicet hi papatui Proteſtantes denuo ſubjicere conentur.

§. 16. Eſt autem illa *ſuſpenſio*, revera *totalis papatus abolitio*, ſuſpenſa enim eſt poteſtas Pontificis in eventum religionum, legi-

 timis

timis mediis conciliandarum, i.e. in eventum nunquam exſtiturum, hinc res eodem recidit, ſive poteſtatem aliquam ſimpliciter tollas; ſive ſub conditione, nunquam exſtitura ſuſpendas.

§. 17. Interim, ob contumax Pontificiorum præjudicium, conventio de ſola ſuſpenſione erat concipienda, cui ſtilo ne reluctarentur Proteſtantes, gravem utique habuerunt cauſam, ne ſcilicet, ſecus faciendo, conſilia pacis in Pontificiis plane extinguerent. Solentur igitur ſuperſtitionem ſuam ſpe eventus nunquam exſtituri Pontificii, libertati Proteſtantium inde nihil decedit.

§. 18. Denique (4) *jus Sacrorum ac in ſpecie jus diſponendi circa bona Eccleſiaſtica, Statibus Proteſtantibus eſt tributum*, hoc etiam arbitrio paciſcentium ſubfuit, nam penes Germaniam revera erat Jus illud, utut membra ejus nonnulla, præ nimia ſuperſtitione illud vel non intelligebant, vel non credebant, quod veritatem non mutat: Licuit ergo Germaniæ de ſubjecto juris Sacrorum ſpecialius quid conſtituere, ac Statibus imperii jus illud vel confirmare vel conferre.

§. 19. Nec eſt, quod dicas, *eousque jus illud non potuiſſe extendi, ut Clerus papalis bonis eccleſiaſticis ejiceretur, cum ex hypotheſibus Proteſtantium, etiam falſa religio toleranda*

da ſit, nam munus Cleri præſupponit Conditionem certæ religionis, hac igitur mutata, illud ultro evaneſcit, præterea Clerus ille injuſtas Pontificis partes ſequebatur, adeoque, velut Reipublicæ hoſtis, recte ejiciebatur, neque enim religionis libertas eousque eſt extendenda, ut ejus prætextu ſocialitas & ſocietas civilis turbari queat.

§. 20. Ex dictis ſequitur, nec illos Pontificios, qui in pacem non conſenſerunt, in Proteſtantes aliquid jure moliri poſſe, nam licet ex pacto non obligentur ad omittendam læſionem, obligantur tamen ex abſolutis ſocialitatis præceptis, neque etiam illorum contumacia impedire potuit, quo minus alii neceſſariam & licitam conventionem inirent: aliter BURGOLD. *ad J. P. W. p. 2. Diſcurſ. 7.*

§. 21. Laudet igitur *OSTERMANNUS jur. Cam. diſp. 8. n. 33. 51. in fin.* proteſtationem *Ottonis Truchſeſii*, Cardinalis & Epiſcopi Auguſtani, velut factum heroicum, in rei veritate tamen injuſta fuit contumacia nec Proteſtantium cauſæ juſtæ quicquam detrahere potuit.

§. 22. Interim fatendum eſt, quod illi, qui non conſentiunt (quales quidem hodie reperiri haut crediderim) in Statu hoſtilitatis, ſed injuſtæ, maneant, hinc eorum perin-

de ac ipſius Pontificis, cujus caſtra hac ratione ſequuntur, nulla habenda ratio, nec conventio cum iis neceſſario erit ineunda, nam libertatem obtentam, etiam ſine hac eſſe legitimam, §. *5. 6.* oſtendimus.

§. 23. Ex dictis etiam intelligi poteſt, an & in quantum conventio religioſa titulum *legis fundamentalis* mereatur? Quatenus pacem ſolum reducit, eatenus nomen illud non adeo ei competit, bene vero, quatenus definit, quis Reipublicæ Germanicæ membrum eſſe queat, nec ne, aut jus Sacrorum ſpecialius diſpenſat, ea enim ad formandam civitatem pertinere, manifeſtum eſt.

§. 24. Non minus etiam intelligi poteſt, an Jus Sacrorum conventione religioſa Statibus imperii, ſit *datum* vel *reſtitutum*, circa quod non adeo conſentire ſolent Scriptores *vid.* STRYK. *de Jur. papal. Princ. Evang. c. 1.* §. *10?* Illud in hac diſquiſitione cavendum, ne à Pontifice verum aliquod jus derivemus, quo vulgaris docendi ratio non raro inclinat, nec enim ille aliquid juris habuit, nec, ſi habuiſſet, conventione, in quam non conſenſit, amittere potuiſſet.

§. 25. Hoc præſuppoſito, Jus Sacrorum illa aliaque prædicata ſimul ferre poteſt. Licebit illud dicere *vindicatum*, dum Germania id ab injuſto poſſeſſore, ſi non in ſolidum

ſal-

ſaltem ex parte, vindicavit; Dici poterit *reſtitutum*, dum jus, quod, facta mutatione, ad Status imperii jam aliquo modo pertinebat, ſed à Papa interceptum erat, ipſis Reſpublica reddidit: Recte etiam vocabitur *confirmatum*, nam ex conventione, jus competens, majus accepit robur, denique nec *dati juris* appellatio hic plane exulat, nam plus juris utique conventionibus religioſis accepere, à Republica & Cæſare, Status imperii, quam antea habuerunt.

§. 26. Interpretatio pacis religioſæ *authentica*, ad Cæſarem & Status imperii, ſimul pertinet, cujus etiam ſpecimina, in Inſtrumento pacis Weſtphalicæ, exſtant. Ex ſententia nonnullorum Pontificiorum, *vid.* OSTERMAN. *Jus Camer. Diſp. 8. n. 54. 55.* interpretatio *particularis* ad judicia imperii pertinet, *generalis* vero Cæſari competit, ſi pax religioſa, ut *pragmatica ſanctio* conſideretur, ſi vero ut *tranſactio*, Cæſari & Statibus ſimul, ut tamen & majora valeant, & in caſu diſſenſus irreconciliabilis, Cæſaris ſententia prævaleat, quæ omnia abſurditatis & improbitatis ſunt manifeſta.

§. 27. Ob pacem religioſam *jura* & *obligationes reciprocas* lex naturalis introducit, ac promiſſa ſancte ſervari jubet. Neque quem incontrarium moveant objectiones Pon-

Pontificiorum, quibus vel *pacem ab initio invalidam*, vel *ex poſt facto ſublatam* eſſe contendunt, nam ad hæc duo genera omnes revocari poſſunt.

§. 28. Nimirum (2) *cum Proteſtantibus valida conventio iniri non potuit, quia ſunt hæretici, vid.* OSTERMAN. *d. diſp. 8. n. 2. 56.* ſed neque hæretici ſunt, *vid.* MONTESPERAT. *in Vindic. pac. Oſnabrug. §. 7. 8. 9.* neque, ſi eſſent, hæreſis crimen eſt, ob quod quis puniri vel perpetuo bello peti poſſit aut debeat, hoc enim ex libertate religionis ultro patet, nec contrarium probabunt Pontificii, niſi propriis domeſticisque teſtimoniis, quo probandi genere nihil eſt ſtultius.

§. 29. Deinde (2) *valide paciſci non potuerunt Germani, quia jus Sacrorum ac ſpeciatim imperium in bona Eccleſiaſtica, ad Papam pertinet, adeoque materia pacis eorum non ſubfuit arbitrio.* Verum Papæ imperium nullo jure niti, & Germaniam, ſicut quamvis Rempublicam, quoad jus Sacrorum, eſſe ſui juris valideque de hoc diſponere poſſe *l. 1. c. 7.* ſatis probatum *add.* CONRING. *animadv. ad Bull. Innocent. c. 8.* MONTESPER. *Vind. pac. Oſnabr. §. 4.*

§. 30. Neque etiam *tranſactio Henriciana*, anno *1122.* cum Calixto II. vel *concordata Nationis Germanicæ*, anno *1447.* cum Nicolao

lao V. inita, quæ *l.1.c.7.§.31.* innui, ſolidum aliquod jus Pontifici tribuunt, nam uti pacta illa ſunt particularia, nec tam amplum jus, quale Papa ſe habere putat, continent, ita in genere ſunt invalida.

§. 31. Sunt enim dolo Pontificum elicita, quod hiſtoria illorum temporum docet, præterea Pontifices nunquam ea ſervandi, niſi quatenus hoc ipſis utile fuerit, habuerunt propoſitum, *vid.* BRANDEN. *ad concord. nation. German. qu. 8.* imo ipſo actu eadem violarunt, quod tot Germanorum querelæ probant, vid. CONRING. *de conſtit. Epiſcop.* §. 70. denique ſub conditione Vicedeatus ſunt inita, adeoque, hac ceſſante, corruunt.

§. 32. Neque vero illa vitia tolluntur per Capitulationes Cæſareas, quibus Cæſar efficere rogatur, quo *Pontifex Concordata obſervet*, nam ut taceam, iſtum Capitulationum articulum, omnium Electorum conſenſu non concipi, continet ille ſolum ratihabitionem concordatorum, quoad *exceſſus Pontificis ſecutos*, non *vitia eorum intrinſeca.*

§. 33. Sed eſto quod materia pacis paciscentium ſubfuerit arbitrio, attamen (3) *conventio non erit valida, quia vi à Proteſtantibus eſt extorta*, ſed id falſum eſt, vid. SCHWED. *introd. ad jus publ. part. gener. c. 3. §. 20.* & ſi verum eſſet, vis iuſta fuit, quæ conſenſum, ad

ad excitandam obligationem, haut reddit inhabilem.

§. 34. Deinde cauſantur Pontificii, pacem religioſam, vim ſuam, ſi quam habuit, ex poſtfacto amiſiſſe (1) *quia Proteſtantes conventioni non ſteterunt, vid.* OSTERMANN. *jus cameral. diſp. 8. n. 57.* verum id falſo & impudenter jactatur (2) *quia per concilium Tridentinum, illa ſublata* ID. *d. l.* Enim vero pax quidem ad illam usque conditionem inita eſt, donec controverſiæ religionis, legitimo modo fuerint terminatæ, ſed Concilio Tridentino, peſſimo illo conciliabulo, conditionem iſtam eſſe impletam, quis credat? vid. D. RECHENBERG. *Diſſert. de Obſtac. progreſſ. Reform. §. 19.*

§. 35. Quo loco obſervandum, nullum concilium, licet legitimum, controverſias religionis ita decidere poſſe, ut ad ejus decreta admittenda diſſentientes cogi, ac, ob negatum obſequium, malo aliqui affici queant, quare licet per Concilium aliquod legitimum, religio altera, vera, altera, falſa, in Germania pronuncietur, tamen eo ipſo pax religioſa haut foret ſublata, ſed tamdiu utique duraret, donec diſſentientes amica transactione litem compoſuerint.

§. 36. Quod igitur Proteſtantes, exorta Reformatione, toties ad Concilium aliquod pro-

provocaverint, id non ea intentione feciſſe exiſtimandi ſunt, quaſi diſſidium religionis, violentis deciſionibus confici poſſe crediderint, ſed quia cauſæ ſuæ in tantum confidebant, ut, ejus veritatem & bonitatem, cordatis & honeſtis judicibus, per legitima media, ſeſe eſſe adprobaturos, ſperarent *add.* SPECIM. JUR. ECCLES. *l.1. c.3. §.31. 32. c.5. §.17. ſeqq.*

§. 37. Quæ hactenus de juſtitia & valore conventionis religioſæ iximus, illa non pertinent ad *Reſervatum Eccleſiaſticum*, quo religionis Pontificiæ Prælati aliique Clerici, ſub jactura beneficiorum Eccleſiaſticorum, religionem Proteſtantium amplecti prohibentur *R. J. 1555. §.18.* nam id multis nominibus nullum eſt, omnique obligandi virtute deſtituitur.

§. 38. Repugnat enim legibus divinis, dum libertatem religionis tollit, imo falſam religionem, ut & papatum, i.e. imperium voluntati Dei contrarium, nullo jure ſubnixum ac Germaniæ intolerabile, mediis violentis conſervat: Præterea illud, aulæ papalis aſtutia, Cæſari & Pontificiis Germaniæ Proceribus eſt perſvaſum, Proteſtantibus vero invitis obtruſum ac ab his perpetuo improbatum, deceptorum igitur & reluctantium, nullus ad validam obligationem producendam eſt conſenſus.

§.39

& hoc, ſi non neceſſarium, ſaltem licitum exiſtimari debet, cum penes Status imperii, jam tum aliquod fuerit imperium, aut, ſi hoc nondum ſatis liquidum cenſeri potuit, tamen iis, pro ratione iſtorum temporum id licuit, cum Cæſar & imperium officium ſuum negligerent.

§. 12. Ex his ſatis apparet innocentia Proteſtantium, & licet Pontificia Reipublicæ germanicæ membra, dum in eos arma moverunt, ob contumax ſuperſtitionis præjudicium, excuſari quodammodo queant, ipſum tamen bellum fuit injuſtiſſimum ac conventio, quæ pacem reſtituit, neceſſaria adeoque validiſſima.

§. 13. Porro (2) cautum eſt, ut cum *religione papali, Proteſtantium religio toleretur*, hoc vero licitum imo neceſſarium quoque eſſe, ex ante dictis jam conſtat, hinc conventio, quæ tolerantiam illam ſancit, dubio procul valida eſt. De cætero iſta ſanctione, aliarum religionum tolerantia non *ſimpliciter* (prout quidem videri poteſt ex *R. J. 1555. §. 17.* atque ita communiter accipitur, *vid.* SCHWEDER. *Introd. ad jus public. part. gen. c. 3. §. 21.*) ſed ſaltem *ratione neceſſitatis* excluditur, ne ſcilicet ex conventione alias religiones tolerare debeant Status.

§. 14.

§. 14. Nam ſanctio illa ex ſententia & affectu Pontificiorum, qui ejus conſtituendæ autores fuerunt, explicari debet: Cum enim his, ex inſociabilis ſuæ religionis principiis, male perſvaſum eſſet, ſe hæreticos, quos vocant, tolerare *non poſſe*, & illi tamen Auguſtanæ confeſſioni addictos conventione religioſa tolerare *juberentur*, ideo, ne *tolerandi neceſſitas* ad alios diſſentientes extenderetur, clauſula illa ſibi proſpicere voluerunt. Dum igitur Proteſtantes eam admiſerunt, ideo *neceſſitas* excluſa cenſeri debet, *jus* autem *tolerandi*, iis ademtum non eſt, qui, ex ſanioribus principiis, illud ſibi competere intelligunt.

§. 15. Ulterius (3) conventum eſt ut *imperium Pontificis ſit ſuſpenſum*, ſed & hoc vel neceſſarium vel licitum eſt, adeoque nec validitas conventionis, hoc ſenſu in dubium vocari poteſt. De cætero iſta pacti pars non eſt referenda ad *Pontificem* (hujus enim reſpectu pacto opus non fuit, ſed ſolo diſceſſu in perpetuum ejus poteſtas eſt eliſa, ceu §. *5.6.* admonitum) ſed *Status imperii pontificios*, ne ſcilicet hi papatui Proteſtantes denuo ſubjicere conentur.

§. 16. Eſt autem illa *ſuſpenſio*, revera *totalis papatus abolitio*, ſuſpenſa enim eſt poteſtas Pontificis in eventum religionum, legi-

timis mediis conciliandarum, i.e. in eventum nunquam exſtiturum, hinc res eodem recidit, ſive poteſtatem aliquam ſimpliciter tollas; ſive ſub conditione, nunquam exſtitura ſuſpendas.

§. 17. Interim, ob contumax Pontificiorum præjudicium, conventio de ſola ſuſpenſione erat concipienda, cui ſtilo ne reluctarentur Proteſtantes, gravem utique habuerunt cauſam, ne ſcilicet, ſecus faciendo, conſilia pacis in Pontificiis plane extinguerent. Solentur igitur ſuperſtitionem ſuam ſpe eventus nunquam exſtituri Pontificii, libertati Proteſtantium inde nihil decedit.

§. 18. Denique (4) *jus Sacrorum ac in ſpecie jus diſponendi circa bona Eccleſiaſtica, Statibus Proteſtantibus eſt tributum*, hoc etiam arbitrio paciſcentium ſubfuit, nam penes Germaniam revera erat Jus illud, utut membra ejus nonnulla, præ nimia ſuperſtitione illud vel non intelligebant, vel non credebant, quod veritatem non mutat: Licuit ergo Germaniæ de ſubjecto juris Sacrorum ſpecialius quid conſtituere, ac Statibus imperii jus illud vel confirmare vel conferre.

§. 19. Nec eſt, quod dicas, *eousque jus illud non potuiſſe extendi, ut Clerus papalis bonis eccleſiaſticis ejiceretur, cum ex hypotheſibus Proteſtantium, etiam falſa religio toleranda*

da ſit, nam munus Cleri præſupponit Conditionem certæ religionis, hac igitur mutata, illud ultro evaneſcit, præterea Clerus ille injuſtas Pontificis partes ſequebatur, adeoque, velut Reipublicæ hoſtis, recte ejiciebatur, neque enim religionis libertas eousque eſt extendenda, ut ejus prætextu ſocialitas & ſocietas civilis turbari queat.

§. 20. Ex dictis ſequitur, nec illos Pontificios, qui in pacem non conſenſerunt, in Proteſtantes aliquid jure moliri poſſe, nam licet ex pacto non obligentur ad omittendam læſionem, obligantur tamen ex abſolutis ſocialitatis præceptis, neque etiam illorum contumacia impedire potuit, quo minus alii neceſſariam & licitam conventionem inirent: aliter BURGOLD. *ad J. P. W. p. 2. Diſcurſ. 7.*

§. 21. Laudet igitur OSTERMANNUS *jur. Cam. diſp. 8. n. 33. 51. in fin.* proteſtationem *Ottonis Truchſeſii*, Cardinalis & Epiſcopi Auguſtani, velut factum heroicum, in rei veritate tamen injuſta fuit contumacia nec Proteſtantium cauſæ juſtæ quicquam detrahere potuit.

§. 22. Interim fatendum eſt, quod illi, qui non conſentiunt (quales quidem hodie reperiri haut crediderim) in Statu hoſtilitatis, ſed injuſtæ, maneant, hinc eorum perin-

de ac ipſius Pontificis, cujus caſtra hac ratione ſequuntur, nulla habenda ratio, nec conventio cum iis neceſſario erit ineunda, nam libertatem obtentam, etiam ſine hac eſſe legitimam, §. *5. 6.* oſtendimus.

§. 23. Ex dictis etiam intelligi poteſt, an & in quantum conventio religioſa titulum *legis fundamentalis* mereatur? Quatenus pacem ſolum reducit, eatenus nomen illud non adeo ei competit, bene vero, quatenus definit, quis Reipublicæ Germanicæ membrum eſſe queat, nec ne, aut jus Sacrorum ſpecialius diſpenſat, ea enim ad formandam civitatem pertinere, manifeſtum eſt.

§. 24. Non minus etiam intelligi poteſt, an Jus Sacrorum conventione religioſa Statibus imperii, ſit *datum* vel *reſtitutum*, circa quod non adeo conſentire ſolent Scriptores *vid.* STRYK. *de Jur. papal. Princ. Evang. c. 1.* §. *10?* Illud in hac diſquiſitione cavendum, ne à Pontifice verum aliquod jus derivemus, quo vulgaris docendi ratio non raro inclinat, nec enim ille aliquid juris habuit, nec, ſi habuiſſet, conventione, in quam non conſenſit, amittere potuiſſet.

§. 25. Hoc præſuppoſito, Jus Sacrorum, illa aliaque prædicata ſimul ferre poteſt. Licebit illud dicere *vindicatum*, dum Germania id ab injuſto poſſeſſore, ſi non in ſolidum, ſal-

ſaltem ex parte, vindicavit; Dici poterit *reſtitutum*, dum jus, quod, facta mutatione, ad Status imperii jam aliquo modo pertinebat, ſed à Papa interceptum erat, ipſis Reſpublica reddidit: Recte etiam vocabitur *confirmatum*, nam ex conventione, jus competens, majus accepit robur, denique nec *dati juris* appellatio hic plane exulat, nam plus juris utique conventionibus religioſis accepere, à Republica & Cæſare, Status imperii, quam antea habuerunt.

§. 26. Interpretatio pacis religioſæ *authentica*, ad Cæſarem & Status imperii, ſimul pertinet, cujus etiam ſpecimina, in Inſtrumento pacis Weſtphalicæ, exſtant. Ex ſententia nonnullorum Pontificiorum, *vid.* OSTERMAN. *Jus Camer. Diſp. 8. n. 54. 55.* interpretatio *particularis* ad judicia imperii pertinet, *generalis* vero Cæſari competit, ſi pax religioſa, ut *pragmatica ſanctio* conſideretur, ſi vero ut *transactio*, Cæſari & Statibus ſimul, ut tamen & majora valeant, & in caſu diſſenſus irreconciliabilis, Cæſaris ſententia prævaleat, quæ omnia abſurditatis & improbitatis ſunt manifeſta.

§. 27. Ob pacem religioſam *jura* & *obligationes reciprocas* lex naturalis introducit, ac promiſſa ſancte ſervari jubet. Neque quem incontrarium moveant objectiones

Pon-

Pontificiorum, quibus vel *pacem ab initio invalidam*, vel *ex poſt facto ſublatam* eſſe contendunt, nam ad hæc duo genera omnes revocari poſſunt.

§. 28. Nimirum (2) *cum Proteſtantibus valida conventio iniri non potuit, quia ſunt hæretici, vid.* OSTERMAN. *d. diſp. 8. n. 2. 56.* ſed neque hæretici ſunt, *vid.* MONTESPERAT. *in Vindic. pac. Oſnabrug. §. 7. 8. 9.* neque, ſi eſſent, hæreſis crimen eſt, ob quod quis puniri vel perpetuo bello peti poſſit aut debeat, hoc enim ex libertate religionis ultro patet, nec contrarium probabunt Pontificii, niſi propriis domeſticisque teſtimoniis, quo probandi genere nihil eſt ſtultius.

§. 29. Deinde (2) *valide paciſci non potuerunt Germani, quia jus Sacrorum ac ſpeciatim imperium in bona Eccleſiaſtica, ad Papam pertinet, adeoque materia pacis eorum non ſubfuit arbitrio.* Verum Papæ imperium nullo jure niti, & Germaniam, ſicut quamvis Rempublicam, quoad jus Sacrorum, eſſe ſui juris valideque de hoc diſponere poſſe *l. 1. c. 7.* ſatis probatum *add.* CONRING. *animadv. ad Bull. Innocent. c. 8.* MONTESPER. *Vind. pac. Oſnabr. §. 4.*

§. 30. Neque etiam *tranſactio Henriciana*, anno *1122.* cum Calixto II. vel *concordata Nationis Germanicæ*, anno *1447.* cum Nicolao

lao V. inita, quæ *l.1.c.7.*§.*31.* innui, ſolidum aliquod jus Pontifici tribuunt, nam uti pacta illa ſunt particularia, nec tam amplum jus, quale Papa ſe habere putat, continent, ita in genere ſunt invalida.

§. 31. Sunt enim dolo Pontificum elicita, quod hiſtoria illorum temporum docet, præterea Pontifices nunquam ea ſervandi, niſi quatenus hoc ipſis utile fuerit, habuerunt propoſitum, *vid.* BRANDEN. *ad concord. nation. German. qu. 8.* imo ipſo actu eadem violarunt, quod tot Germanorum querelæ probant, vid. CONRING. *de conſtit. Epiſcop.* §. *70.* denique ſub conditione Vicedeatus ſunt inita, adeoque, hac ceſſante, corruunt.

§. 32. Neque vero illa vitia tolluntur per Capitulationes Cæſareas, quibus Cæſar efficere rogatur, quo *Pontifex Concordata obſervet*, nam ut taceam, iſtum Capitulationum articulum, omnium Electorum conſenſu non concipi, continet ille ſolum ratihabitionem concordatorum, quoad *exceſſus Pontificis ſecutos*, non *vitia eorum intrinſeca.*

§. 33. Sed eſto quod materia pacis paciſcentium ſubfuerit arbitrio, attamen (3) *conventio non erit valida, quia vi à Proteſtantibus eſt extorta,* ſed id falſum eſt, vid. SCHWED. *introd. ad jus publ. part. gener. c. 3.* §. *20.* & ſi verum eſſet, vis iuſta fuit, quæ conſenſum,

ad

ad excitandam obligationem, haut reddit
habilem.

§. 34. Deinde cauſantur Pontificii, pace
religioſam, vim ſuam, ſi quam habuit, ex po
facto amiſiſſe (1) *quia Proteſtantes conventi
non ſteterunt, vid.* OSTERMANN. *jus camer
diſp. 8. n. 57.* verum id falſo & impudent
jactatur (2) *quia per concilium Tridentinun
illa ſublata* ID. *d. l.* Enim vero pax quide
ad illam usque conditionem inita eſt, don
controverſiæ religionis, legitimo modo fu
rint terminatæ, ſed Concilio Tridentin
peſſimo illo conciliabulo, conditionem
ſtam eſſe impletam, quis credat? vid. D. R
CHENBERG. *Diſſert. de Obſtac. progreſſ. Refor
§. 19.*

§. 35. Quo loco obſervandum, nullu
concilium, licet legitimum, controverſi
religionis ita decidere poſſe, ut ad ejus decr
ta admittenda diſſentientes cogi, ac, ob n
gatum obſequium, malo aliqui affici quean
quare licet per Concilium aliquod legi
mum, religio altera, vera, altera, falſa,
Germania pronuncietur, tamen eo ipſo p
religioſa haut foret ſublata, ſed tamdiu u
que duraret, donec diſſentientes amica tran
actione litem compoſuerint.

§. 36. Quod igitur Proteſtantes, exor
Reformatione, toties ad Concilium aliqu

pr

provocaverint, id non ea intentione feciſſe exiſtimandi ſunt, quaſi diſſidium religionis, violentis deciſionibus confici poſſe crediderint, ſed quia cauſæ ſuæ in tantum confidebant, ut, ejus veritatem & bonitatem, cordatis & honeſtis judicibus, per legitima media, ſeſe eſſe adprobaturos, ſperarent *add.* *Specim. Jur. Eccles. l. 1. c. 3. §. 31. 32. c. 5. §. 17. ſeqq.*

§. 37. Quæ hactenus de juſtitia & valore conventionis religioſæ iximus, illa non pertinent ad *Reſervatum Eccleſiaſticum*, quo religionis Pontificiæ Prælati aliique Clerici, ſub jactura beneficiorum Eccleſiaſticorum, religionem Proteſtantium amplecti prohibentur *R. J. 1555. §. 18.* nam id multis nominibus nullum eſt, omnique obligandi virtute deſtituitur.

§. 38. Repugnat enim legibus divinis, dum libertatem religionis tollit, imo falſam religionem, ut & papatum, i.e. imperium voluntati Dei contrarium, nullo jure ſubnixum ac Germaniæ intolerabile, mediis violentis conſervat: Præterea illud, aulæ papalis aſtutia, Cæſari & Pontificiis Germaniæ Proceribus eſt perſvaſum, Proteſtantibus vero invitis obtruſum ac ab his perpetuo improbatum, deceptorum igitur & reluctantium, nullus ad validam obligationem producendam eſt conſenſus.

§. 39

§. 39. Ex quo liquet quam putidum
commentum OSTERMANNI *jur. Cam. diſ*
*n.33.*aliorumque, quo proteſtationem,
ſervato oppoſitam, ideo invalidam dic
quod præjudicaverit toti Eccleſiaſtico Ordini a
deo ab ejus Primatibus haut ſit admiſſa, præ
dicabat ſane, ſed quoad rem injuſtiſſima
falſam ſcilicet religionem ac imperium
luntati divinæ contrarium! hinc prote
tionem non admittere, nihil aliud erat, qu
iniquitatem iniquitati addere.

§. 40. De cætero uti Scriptores Pon
ficii Pacem religioſam, quatenus rebus
adverſa erat, impugnare vel evertere con
ſunt, ita nec defuerunt Proteſtantes, qui
jus hiſtoriam, indolem & moralitatem tra
derint, quos laudat BOECLER. *N. J. l. 12.*
quibus noviſſime acceſſit SCHILTERI *Li*
ſingularis de Pace religioſa 1700. Hodie rem
ſiori cura hoc agi ſolet, cum ob pacem We
phalicam recentiorem, ad Religioſ
non adeo recurrendum ſit, interim huju
indolem ex genuinis principiis habe-
re cognitam, utile omnino
eſt.

CA

CAP. VI.
De Pace VVeſtphalica.

SUMMARIA.

Pax Weſtphalica §. 1. ejus occaſio §. 2. eſt conventio §. 3. 4. conſtat parte definitiva & vindicativa §. 5. ſeqq. quousque ſit lex fundamentalis §. 11. eſt lex valida §. 12. & utilis §. 13. Papa eam impugnat §. 14. cui varii reſponderunt §. 15. ſed non, per omnia, ſatis apte §. 16. 17. non tantum ob caſum neceſſitatis §. 18. ſed abſolute vel neceſſaria vel licita & valida dicenda eſt §. 19. 20. objectiones Pontificiorum ſunt nullius momenti §. 21. an jus Sacrorum dederit vel reſtituerit, & penes quem ejus interpretatio §. 22. Reſervatum Eccleſiaſticum pace hac vulgo cenſetur eſſe confirmatum §. 23. ſed immerito §. 24. 25. 26. nam qualemcunque ſaltem defenſionem contra ejus iniquitatem, ſibi velut ſtipulati ſunt Proteſtantes §. 27. hinc præſules Pontificii nulla lege religionem mutare prohibentur, bene tamen, manente Reſervati iniquitate, Proteſtantes §. 28.

§. I.

PAX Weſtphalica Cæſareo-Svecica eſt *conventio inter Imperatorem Regem Sveciæ ac Status imperii inita, qua poſt reſtitutam pacem, negotium religionis, ac alia ad imperium germanicum pertinentia, definiuntur, nec non Contro-*

verſiæ, ad ſtatum publicum non adeo ſpectantes, determinantur.

§. 2. Solenniter quidem pax religionis ſancita erat, ſed ideo tacita odia mutuæque ſuſpiciones non ceſſabant, donec 1618. in bellum illa erumperent, cui cum Rex Sveciæ & Galliæ immiſceretur, tandem an. 1648. Oſnabrugis cum Svecis, & Monaſterii Weſtphaliæ, cum Gallis pax facta eſt, hinc Inſtrumentum Pacis *Cæſareo-Svecicum & Cæſareo-Gallicum* innotuit, nos illud ſolum conſideramus, cum hoc ſtatum Germaniæ non adeo attineat, ac ei intelligendo, generalis pactorum bellicorum doctrina ſufficere poſſit.

§. 3. Eſſe illud inſtrumentum, *conventionem*, ex *natura belli & formulis art. 17. §. 2.* certum eſt, quoad ſubditos tamen mediatos, rationem *legis proprie ſic dictæ* habet.

§. 4. Novo conſenſu pax iſta firmata eſt, in receſſibus præparatorio & principali, Norimbergæ 1649. 1650. circa ejus executionem, factis, quæ omnia denuo, cum ipſa pace, inſerta ſunt receſſui imperii, anno 1654. Ratisbonæ facto.

§. 5. Conſtat pax Weſtphalica *ſeptendecim articulis*, quorum tenor verſibus memorialibus repræſentari ſolet, vid. Rhet. *J. J. P. in append.* Alias in *partem definitivam & vindicativam* ſeu *ſanctionem* illa non incongrue

Digitized by Google

grue diſpeſci poteſt. Prior pars, poſt reſtitutam pacem *art. 1. 16. n. 1.* & ſancitam amneſtiam *art. 2. 4. n. 13. art. 15. n. 1.* ſummatim vel *Rempublicam format*, vel *alia, pro ratione iſtorum temporum neceſſaria, determinat.*

§. 6. Ad primum genus pertinet reſtitutio Statuum læſorum *art. 3. 4.* inſtitutio Electoratus octavi *art. 4. n. 5.* definitio gravaminum religioſorum *artic. 5.* oppignorationum imperialium perpetuitas *art. 5. n. 27. 28.* Judiciorum imperii Reformatio *art. 5. n. 53. ſeqq.* confirmatio libertatis Helveticæ *art. 6.* pacis religioſæ ad Reformatos extenſio *art. 7.* plena juris Territorialis & ſuffragii Comitialis confirmatio *art. 8.* commerciorum reſtitutio *art. 9.* Regis Sveciæ in numerum Statuum cooptatio *art. 10.* ſatisfactio Electori Brandenburgico, *artic. 11.* Ducibus Megapolitanis *art. 12.* Brunſvicenſibus *art. 13.* Landgraviis Haſſiæ *art. 14.* præſtita.

§. 7. Ex ſecundo genere ſunt remiſſio debiti à Bavaro Auſtriacis facienda *art. 4. n. 4.* annullatio contractuum violentorum *art. 4. n. 46. ſeqq.* reſtitutio bonorum ſubditis mediatis ablatorum *art. 4. n. 51. ſeqq.* conceſſio Canonicatuum Duci Megapolitano facta *art. 12. n. 1. 2.* extinctio debitorum nonnullorum *art. 13. n. 11. 12.* promiſſio præbendarum Ducis Auguſti filiis facta *art. 13. n. 13.*

§. 8. Eo quoque pertinet ſolutio pecuniæ à Cæſare in Palatinos facienda *art.4.n.12.15.* valoris ſententiarum tempore belli latarum definitio *art. 4. n. 49.* innoxia renovationis inveſtituræ omiſſio *art.4.n.50.* promiſſio deciſionis in cauſa Iuliacenſi *art.4.n.57.* emendationis judicii Cameralis & abolitionis judicii Rohtwilenſis *art.5. n. 53.56.*

§. 9. Non minus etiam ad idem genus referri debent, quæ de comitiis habendis, emendandis variis defectibus & levamine obæratis debitoribus concedendo diſpoſita ſunt *art. 8.n.3.5.* ut & ſolutio pecuniæ ab Epiſcopis Oſnabrugenſibus facienda *art.13.n.2.* proviſio Chriſtiano Wilhelmo facta *art.14.* conventio de certa pecuniæ ſumma Landgraviæ Haſſiæ ejusque filio ſolvenda *art.15.n.4.ſeqq.* exauctoratio militum, locorum evacuatio & promiſſio pecuniæ eo nomine Svecis facta *art.16.n.7.ſeqq.* & ſi quæ alia ejus generis occurrunt.

§. 10. Sanctio pacis videtur his contineri (1) modo executionis præſcripto *art.16.n.1.2.3.4.5.6.* (2) repetita promiſſione contrariorumque remotione *artic.17.n.1.2.3.* (3) applicatione pœnæ fractæ pacis *art. 17.n.4.7.9.* (4) mutua Guarantiæ promiſſione *artic.17.n.5. 6. 8.*

§. 11. Ex his liquet, Inſtrumentum Pacis ea-

Digitized by Google

eatenus ſaltem habere rationem *legis fundamentalis*, quatenus Statum Imperii format, quoad reliquas vero Præſtationes vel *pacis* ſaltem, vel *alius conventionis* inſtar eſt, qua obſervatione ejus ſanctimoniæ nihil detrahitur, ſed indoles ſolum recte exponitur.

§. 12. Nam omnia, quæ illud complectitur, quæque animo obligandi conſtituta ſunt, juxta conſenſum datum, ſervari jubet lex divina naturalis adeoque *jura & obligationes* paciſcentibus eo nomine tribuit ac imponit.

§. 13. Cum autem Inſtrumentum pacis, in multis Statum imperii dubium diſtinctius efformaverit, illudque, ſanctius obſervatum fuerit, quam ulla conventio religioſa, ideo *lex utiliſſima* merito cenſetur eamque ob cauſam variis elogiis vulgo exornatur, vid. SCHWED. *introd. ad jus publ. p. gen. cap. 3. §. 26.*

§. 14. Sine ſuffragio tamen Pontificis, nam is potius ejus validitatem *proteſtatione & Bulla* impugnavit, imo illud in Comitiis Ratisbonenſibus 1653. annullari petiit, vid. PACIF. à LAPID. *ad Monzamb. diſcurſ. 9. §. 2. in fin.* RHED. *J. J. P. l. 1. tit. 2. §. 137.* duplicem inprimis ob cauſam (1) quod Electoratus octavus ſit inſtitutus (2) de religione eique connexis, in ſui præjudicium, transactum.

§. 15. Ex profeſſo Bullæ iſti ſe oppoſuerunt

runt HORNBECKIUS, BLONDELLUS ſub nomine AMANDI FLAVIANI, LUDOVICUS DE MONTESPERATO, CONRINGIUS, data autem occaſione, ſcriptores juris publici proteſtantes, in iſtum conatum pontificium animadvertere ſolent.

§. 16. Equidem ille prætextus Pontificis, de Electore octavo, ſine ſuo conſenſu conſtituto, evidenter ineptus eſt, *vid.* MONTESPER. *Vindic.* §. *17. ſeqq.* CONRING. *animadv. ad Bull. Innocent. c. 10.* ſed qui negotium religionis concernit, ſpecie juſti non deſtitui videtur, & in iis, quæ opponuntur, non eſt nihil quod vel in *ordine demonſtrandi,* vel in *ipſis demonſtrationibus* deſideres.

§. 17. Inprimis vero illud argumentum Proteſtantibus hodie intolerabile eſt, quo, *ob inevitabilem neceſſitatem, pax licita & toleranda* dicitur, nam ut hoc excuſet Pontificios, quod in pacem tandem conſenſerint, Proteſtantes tamen à flagitio non abſolvit, utpote qui huic neceſſitati cauſam præbuerunt, præterea Proteſtantium facta, extra caſum neceſſitatis, *illicita* eſſe, evidenter innuit.

§. 18. CONRINGIUS quidem ſub nomine IRENÆI EUBULI *in Conſultatione Catholica, de Pace perpetua Proteſtantibus danda,* prudenti conſilio id ſolum demonſtran-

Digitized by Google

ſtrandum ſibi ſumſit, tum temporis enim non tam quid bonitas cauſæ Proteſtantium exigeret, quam quid faſtidioſus Pontificiorum animus ferret, eosque ad pacem ineundam permovere poſſet, oſtendi debebat, & ſatius erat, etiam cum aliqua flagitii opinione pacem obtinere ab hominibus male pertinacibus, quam Rempublicam internecino bello ulterius objicere.

§. 19. Aſt obtenta pace, in eo non ſubſiſtendum, ſed fortiori philoſophia oſtendendum, quod, ſepoſita etiam omni neceſſitate, conventio Weſtphalica, quatenus pacem reſtituit, jure divino fuerit *præcepta* & *neceſſaria*, quoad cætera vero capita, minimum *licita*, adeoque omni reſpectu *valida*.

§. 20. Nimirum Proteſtantes nullo facinore ſe ſocialitate reddiderunt indignos, ſed injuſtiſſimo bello ſunt petiti, hinc ex præſcripto juris divini, pax ipſis neceſſario fuit concedenda, id quod explicatius oſtendi *cap. præc. §. 8. ſeqq.* quæ tota tractatio huc etiam pertinet. Quæ autem de tolerantia Proteſtantium, ut & de Jure Sacrorum amplius in Conventione Weſtphalica ſunt diſpoſita, illa omnia ſubfuerunt arbitrio Germaniæ, hinc eorum intuitu, conventio minimum licita cenſeri debet ſecundum ea, quæ *cap. præc. §. 13. ſeqq.* latius dixi.

§. 21. Quibus præſuppoſitis, objection Pontificiorum facile etiam ſolvuntur. E jis, quæ *cap. præc.* retuli, duæ §. *28. 29.* relat huc pertinent, ſed cum illæ ibidem jam ſa ſint diſcuſſæ, hic quidem nihil aliud adde dum, quam ut pacem Weſtphalicam ex c ctamine juris divini vel neceſſariam vel citam, & nulli validæ objectioni obnoxian pronunciemus *validiſſimam.*

§. 22. De cætero de pace illa etiam rec dicitur quod jus Sacrorum *vindicaverit, reſ tuerit, confirmaverit* & *dederit* ſecundum n tata *cap. præc.* §. *24. 25.* Ejus quoque inte pretatio *authentica* Cæſari & Statibus impe eſt adſcribenda juxta tradita *cap. præc.* §. *26.* ſ *doctrinalis* etiam privatis hominibus comp tit, licet hoc negare videatur MEVIUS *p. 1. D 67.* eo nomine notatus RHETIO *J. J. P. l. 1. t 1.* §. *80. ſeqq.*

§. 23. De Reſervato Eccleſiaſtico ſpeci liter quædam notari merentur. Usque a pacem Weſtphalicam illud nullius fuiſſe v loris *cap. præc.* §. *37. ſeqq.* ſatis probavimu ſed in hac *art. 5. n. 15.* cautum eſt, *ut, ſi ta Catholicus, quam Auguſtanæ Confeſſioni add ctus Prælatus vel Canonicus religionem mut ſuo jure & beneficio ſtatim excidat*, quod con muniter ita accipitur, quaſi iſta qualis qua æqualitatis ſanctione, Reſervatum illud

conf

Digitized by Google

confirmatum, imo hoc, velut *neceſſarium conſectarium*, ex reſtitutione bonorum Eccleſiaſticorum, juxta poſſeſſionem anni *1624.* ejusquè primæ diei, *d. art. 15. n. 14.* facta, ultro fluat, *vid.* RHED. *J. J. P. l. 2. tit. 1. §. 53. 54.*

§. 24. Enim vero licet, quod ultimum attinet, non negem, *d. art. 5. n. 15.* ita eſſe conceptum, quaſi ejus contenta, ex præcedente *n. 14.* ultro fluant, attamen ſi penitius omnia expendas, facile liquet, nullam omnino iſtius conſecutionis eſſe neceſſitatem, nam ex eo, quod Prælatus Pontificius vel Auguſtanæ confeſſioni addictus in bona, quæ die *1. Januarii*, anni *1624* poſſedit, reſtituatur, non magis ſequitur, quod religionem mutare non poſſit, quam ex reſtitutione v. gr. Ducis in Ducatum antea obtentum, religionis immutabilitas fluit, ut probabile ſit, iſtum conventionis Weſtphalicæ ſtilum, ad callida Cleri papalis commenta, pertinere.

§. 25. Sicut autem nulla laudatæ conſecutionis eſt neceſſitas, ita nec hoc recte dicitur, quod Reſervatum Eccleſiaſticum, quoad Pontificios, ſit *confirmatum* ac *obligatorium redditum*. Sane velut conventio, inter Proteſtantes & Pontificios inita, illud valere non poteſt, quis enim credat, illos, ſub jactura bonorum, hos obligaſſe, ne, deſerta religione pontificia, ſuam amplectantur?

§. 26. Neque etiam dici poteſt, hactenu Proteſtantes in Reſervatum conſenſiſſe, u illud, vel tanquam pactum vel ſtatutum, Pon tificios inter ſe obliget, nam cum illud leg divinæ ſit contrarium, ceu *cap. præ.* §. *38*. oſten di, adeoque vis obligandi conſenſu humano c conciliari nequeat, hinc nec in id eo ſenſ conſenſiſſe Proteſtantes exiſtimari poſſunt.

§. 27. Nihil igitur aliud egerunt, quan ut contra rem iniquam, & cujus abolitionem nullatenus obtinere poterant, qualemcun que defenſionem ſibi velut ſtipularentur Pro teſtantes, cum enim Prælati Pontificii, reli gionem mutantes, bonis Eccleſiaſticis pri ventur, non conſultum erat, Proteſtantibus ad papatum relapſis, bona relinquere, cun ita præmiis aliisque artibus, Clero papali uſi tatis, illa facile papatui iterum ſubjici potuiſ ſent, interim fatendum eſt, quod remedi um hoc, malo per Reſervatum introducto non ſatis medeatur.

§. 28. Juxta hæc igitur, etiam poſt pacem Weſtphalicam, Pontificii prælati non *jure*, ſed *juris* ſaltem *terriculamento* religionem Proteſtantium amplecti impediuntur, iisque religionem mutantibus, injuſta vi ſolum bon adimuntur. Interim ſtante illa iniquitate, ta lio Proteſtantium juſta eſt, quæ tamen, ill ſublata, etiam ceſſare debet.

CAP

CAP. VII.

De Capitulatione Cæſarea.

SUMMARIA.

Capitulatio Cæſarea §. 1. 2. eſt pactum §. 3. initur ab Imperatore & Electoribus §. 4. excluſo Rege Bohemiæ §. 5. 6. 7. cæteri Status Electoribus jus capitulandi negant §. 8. 9. 10. 11. J. P. controverſia non eſt deciſa §. 12. 13. an nomine totius Imperii Capitulationes ineantur §. 14. capitulationum materia §. 15. quantitas §. 16. ordo §. 17. partes §. 18. 19. acceſſoria §. 20. modus §. 21. effectus §. 22. 23. non obligat Regem Romanum §. 24. nec in caſu neceſſitatis §. 25. 26. an mutet habitum Reipublicæ §. 27. 28. capitulationis ſanctio §. 29. cognata §. 30. duratio §. 31. moralitas §. 32. origo §. 33. 34. 35. Scriptores §. 36. 37. capitulatio perpetua §. 38. 39. 40. quid ejus intuitu, in J. P. cautum §. 41. modus concipiendi §. 42. utilitas §. 43. 44. impedimenta §. 45. epicriſis de hac controverſia §. 46.

§. I.

INſignis quoque lex fundamentalis eſt *Capitulatio Cæſarea*, cujus indolem peculiari diſſertatione expoſuerunt CONRINGIUS & RACHELIUS quem ſuppreſſo nomine, totum fere exſcripſit GULICH. *ad Capitul. Joſephi.*

§. 2. Teſte *Goldaſto* alias *Lex Palatina* [...] *citur* & eſt *pactum inter deſignatum* aut, ſi m[...] vis, conditionaliter *electum Imperatorem* [...] *Regem Romanum*, *ac Electores*, *nomine tot*[...] *Imperii germanici initum*, *quo futuri Impera*[...] *ris poteſtas ſtatui reipublicæ germanicæ attem*[...] *ratur*. Alii aliter.

§. 3. Capitulationem eſſe *pactum*, vel id[...] minus dubii habet, quod ineatur cum Imp[...] ratore *futuro* vel *conditionaliter & imperfec*[...] *electo*, hinc etiam ſemper eo nomine exp[...] mitur in capitulationum proœmiis, vulg[...] tamen hic quoque tricatur, ceu refert SCHW[...] DER. *J. ad Jus Publ. p.gen. c. 2. §. 12. VITRIA*[...] *J. J.P. l. 1. tit. 7. §. 5.*

§. 4. Capitulationem ineunt *Imperat*[...] *aut Rex Romanorum deſignatus* vel *conditional*[...] *ter electus*, de cujus requiſitis in materia ele[...] ctionis agendum, & *Electores*.

§. 5. Regem tamen Bohemiæ a negoti[...] capitulationis vulgo excludunt *vid. RACHE*[...] *d. differt. c. 5. §. 7.* ſed in capitulatione *Joſeph*[...] Legatus Regis Bohemiæ inter cæteros Ele[...] ctores occurrit, quod in aliis ſecus eſt.

§. 6. Res ita ſe habet: Ad conceptione[...] Capitulationis nec antea, nec in nuperrim[...] Joſephi electione, Rex Bohemiæ fuit admiſ[...] ſus. Uti autem admiſſionem ſæpius petii[...] ita ad eam, fortaſſis aliquando obtinendam[...]

viam

Digitized by Google

viam, data occaſione, ſibi velut ſternere non oblivifcitur.

§. 7. Hinc nuperrime monita quædam, capitulationi inſerenda exhibuit, atque eadem forſitan intentione, Bohemi inter cæteros Electores, in Capitulationis Procemio, expreſſio obtenta eſt, quamvis ex jure Bohemo jam competente, quo capitulationis oblationi, juratæque Cæſaris promiſſioni intereſt, Huncque non aliter, quam ſub conditione acceptandæ Capitulationis, eligit, adeoque re ipſa juxta Capitulationem obſtringit, repeti poſſit, *vid.* MULDNER. *Capit. Harmon. in præfat.*

§. 8. A tempore Electionis *Matthiæ* poteſtatem concipiendi capitulationes Electoribus negarunt reliqui Status, *vid.* RACHEL. *d. l. c. 3. §. 2. 3.* Grundfeſte *p. 3. c. 3.* hinc diverſæ ſcriptorum ſententiæ exortæ. Sed forte intereſt, utrum *per capitulationes ſtatui imperii jam conſtituto, poteſtas Cæſaris ſaltem ſit attemperanda*, an *articulus aliquis dubius in iisdem definiendus.*

§. 9. Primo reſpectu jus concipiendi capitulationes Electoribus negari nequit, cum enim mediante electione *imperium* poſſint deferre, cur non etiam Imperatorem ſtatui Germaniæ convenienter *obligare?* imo ipſam imperii delationem, obligatio tacita ſem-

ſemper comitatur, cur igitur expreſſe & per multos articulos Cæſarem obſtringere Electoribus non liceret? neque etiam hoc ſenſu poteſtatem illam unquam in dubium vocarunt reliqui Status, prout ex eorum proteſtationibus videre eſt.

§. 10. Sed ſecundo reſpectu capitulationum conceptioni obnituntur reliqui Status ac *monita ſua* obſervari volunt, cum enim illa definitio ſit extra electionis ſphæram, univerſo Statuum Ordini eandem reſervatam exiſtimant, Electoribus *obſervantiam* in contrarium allegantibus.

§. 11. An igitur *à tempore litis conteſtatæ, capitulationes vim legis fundamentalis habeant*, varie diſputatur, dum alii ajunt, alii negant, alii judicium ſuſpendunt, *vid.* KULPIS. *ad Monzamb. c.5. §.2.* forte juxta datam diſtinctionem pronunciandum.

§. 12. Inſtrumento Pacis *artic. 8. n.3.* controverſia hæc deciſa non eſt, neque conſtitutum, ut *capitulatio ab Imperatore & Statibus omnibus fiat*, licet pravo judicio ita exiſtimet *VITRIAR. J. J. P. l.1. tit. 2. §. 14. in fin. l. 3. tit. 4. §. 8.* nam *deliberatio* ſolum & ſi fieri poteſt, *deciſio promittitur*, ſalvis interim juribus, quæ utraque pars ſe habere exiſtimat. *vid. VINDIC. VITRIAR. CASTIGAT. §. 96. usque ad 107.*

Digitized by Google

§. 13. Inepta ergo quæſtio eſt *an capitulationes Ferdinandi IV. & Leopoldi (adde Joſephi) juxta normam J. P. ſint confectæ? vid.* Grundfeſte/ *p.3.c.3.p.m.183.* ubi enim nulla norma ibi actus ei neque convenire neque contrariari poteſt.

§. 14. Capitulationes concipiuntur *nomine totius imperii*, ſi electionis *naturam & ſcopum*, Electorum *ſententiam* ac Capitulationum *Ferdinandi IV. Leopoldi & Joſephi verba* conſideres, ſi vero *mentem & diſſenſum* Statuum attendas, *non indiſtincte totius imperii nomine* conceptæ dici poſſunt; ita litem RACHELII & OLDENBURGERI, *vid. Diſſert.* RACHELII *c.3.§.5.* facile compoſueris.

§. 15. Capitulationum *materia* eſt *ſtatus Imperii germanici jam formatus*, huic enim, mediante capitulatione, *Poteſtas* Cæſaris attemperatur, ac ne majorem accipiat, quam Germanorum libertas ferre poſſit, efficitur, quod ſi capitulationibus *ſtatus dubius* in quibusdam *efformetur*, id, niſi ex conſenſu Statuum fiat, perpetuæ obnoxium eſt contradictioni.

§. 16. Eſt de cætero diverſa velut capitulationum latius ſuppoſitarum, quantitas, nam ab initio perpaucis articulis videntur illæ conſtitiſſe, imo forte non ſemper ſcriptis comprehenſæ, ſed in *Carolo V.* major eorum numerus

merus prodiit, quod inſtitutum deinceps retentum.

§. 17. Ordo articulorum eſt *arbitrarius*, ſummatim autem hoc diſponitur (1) *quid Cæſarem facere vel omittere oporteat* (2) *quid in caſu obligationis neglectæ debeat obtinere.* Quodſi adæquate capitulatio concipienda ſit, prior pars ſtatui Imperii per omnia attemperanda erit, poſterior vero diverſos ſanciendi modos complecti debebit.

§. 18. Sicut quævis electio duabus partibus conſtat, *delatione Imperii* & *futuri Imperantis juxta finem civitatis obſtrictione*, ita etiam electio Germanica, cujus alteram partem exhibet capitulatio. Hujus igitur *forma* in eo conſiſtit, quod Poteſtas Cæſaris per eam, juxta ſtatum Germaniæ, & libertatem Procerum circumſcribatur. *conf.* RACHEL. *d. diſſert. c. 4. §. 1*

§. 19. Cum autem nihil interſit, ſive primo deferatur imperium, ſub conditione ſubeundi obligationem, capitulatione contentam, ſive ante imperii delationem capitulationis acceptatio exigatur, ideo hactenus in Germania prius obtinuit, adeo ut inter *delationem imperii* & *capitulationis acceptationem* longum ſatis tempus aliquando interceſſerit, *vid.* GULICH. *ad Cap. Joſeph. cap. 4. §. 7.*

§. 20.

§. 20. Firmandæ obligationi additur jusjurandum, quod ad *naturalia* capitulationis merito retuleris. Ex quibus omnibus liquet, capitulationem, ſequi ſtatum Civitatis publicum, ergo ad *illius* indolem intelligendam *hic* probe cognoſci debet.

§. 21. *Modus* Capitulationem conficiendi, conſiſtit in earum (1) conceptione (2) oblatione juratаque acceptatione (3) pleniori ejus conſcriptione ac (4) exemplarium pro numero Electorum, eam concipientium, confectione, *vid.* RACHEL. *d. diſſert. cap. 3. §. 4. 5.*

§. 22. Ob capitulationem initam, Imperator *obligatur* ex lege naturali, ad promiſſa debite ſervanda, cui obligationi major efficacia addito jurejurando conciliatur.

§. 23. Verba ſollen und wollen / non innuunt, capitulationem eſſe *legem* & *pactum*, ut inepte quidam; nec *pactum* & inde *ortam obligationem* notant, ceu vult RACHEL. *d. l. c. 4. §. 3.* repugnat enim verborum ordo, ſed indicant Cæſaris *obligationem*, Ejusque hanc implendi *ſtudium*, generoſi ſcil. animi eſt, ea, quæ præſtari debent, promte facere.

§. 24. An *vivo Imperatore imperiumque adminiſtrante, Rex Romanus capitulatione adſtringatur? vid.* SCHWED. *d. cap. 2. §. 17.* otioſa quæſtio eſt, cum enim actuale imperium

nondum habeat, nec actu poteſt obligari.

§. 25. An *in caſu neceſſitatis obligatio Cæſaris ceſſet?* diſputari ſolet, *vid. LIMN. ad Capitul. proleg. ſect. 8. n. 29.* paucis ita: obligatio affirmativa non tantum ceſſat in caſu neceſſitatis, ſed & in univerſum non ſtringit, niſi poſita commoda agendi occaſione.

§. 26. Negativa etiam obligatio ceſſabit, ſi vera neceſſitas ſubfuerit, nam ſalus totius civitatis, juribus cujusvis Status eſt præponenda, cæterum talis neceſſitatis caſus, in imperio non temere exſtiterit, hinc prætextibus clauſula oppoſita **dawider nicht zu thun/ in einige Weiß oder Wege/ wie die möchten erdacht werden.**

§. 27. An *capitulatio efficiat ne Imperator totam Majeſtatem conſequatur?* varie diſputant, *vid. MONZAMB. c. 5. §. 4. ibique KULPIS. in not.* ſed quæſtio a propoſito aliena eſt, ſi eadem in aliquo Juris Publici Syſtemate explicanda ſit, quid enim Poteſtatis Cæſar accipiat necne, id non ex *capitulatione*, ſed *juribus Statuum*, ad quæ ſe refert capitulatio, intelligendum, hinc de Cæſaris Poteſtate demum judicari recte poteſt, poſtquam jura Statuum, ex univerſa juris publici diſciplina, cognita ſunt.

§. 28. Æque impertinens altera eſt quæſtio: *an capitulatio faciat ſtatum mixtum?*

quæ

quæ juxta conſueta carmina decidi ſolet, *vid.* VITRIAR. *l. 1. tit. 7. §. 6.* nam de forma civitatis non ante judicari poterit, quam cognitis omnibus Cæſaris ac Statuum juribus, *vid.* VIND. VITRIAR. CASTIG. *§. 109.*

§. 29. In caſu obligationis neglectæ, nulla *clauſula commiſſoria* conſtituta eſt, ſed ſolum *nullitas actus ſuſcepti* ſancita, quam ſanctionem, non ad quemvis obligationis neglectum, vim ſuam extendere manifeſtum eſt.

§. 30. Cum capitulationibus conveniunt *literæ reverſales*, quarum meminit capitulatio *Joſephi* §. 47. aliaque Imperantium *promiſſa*, ſub initium regiminis inita.

§. 31. Si capitulatio ſemel præſcripta, tollenda, aut illa in futuris electionibus omittenda ſit, id non niſi omnium Statuum conſenſu effici poſſe, manifeſtum videtur, *conf.* GULICH. *ad C. Joſephi. c. 17. §. 6.*

§. 32. Eſſe de cætero *licitum* capitulationem etiam juratam cum futuro Imperatore inire, nec non, ex hypotheſi ſtatus præſentis conſervandi, *utile*, nemo cum ratione facile negaverit, *vid.* GULICH. *d. l. c. 4. §. 3.* RACHEL. *d. diſſ. c. 5. §. 10.*

§. 33. Circa *originem* capitulationum varie ſentiunt, *vid.* RACHEL. *d. l. c. 2.* forte ita habendum: ſi de origine capitulationum

germanicarum ſimpliciter quæratur, qualemcunque demum eæ præſupponant ſtatum, à primordio civitatis germanicæ, per unum vel quosdam gubernatæ, illa erit repetenda.

§. 34. Si vero de iis capitulationibus quæratur, quæ ſtatum, qualis hodie eſt, præſupponunt, tum ad ea tempora reſpiciendum, quibus ille ſtatus introduci cœpi VITRIAR. *d. tit. 7. §. 1.* quod quidem ſenſim, non uno velut impetu factum, de quo dixi *l. 1. c. 4. 5.*

§. 35. Quodſi denique de capitulationibus ea forma externa, qualem hodie præ ſe ferunt, ſpectatis quæras, ultra tempora *Caroli V.* in explicanda earum origine non erit aſcendendum, imo cum prolixioribus hiſce pactis libertas Statuum inprimis confirmari, ac præſens Reipublicæ Status produci cœperit, ideo iis, ſi non unice, certe ſecundum excellentiam, Capitulationum nomen tribuendum eſſe, cum BOECLERO & KULPISIO *ad Monzamb. c. 5. §. 1.* dicendum videtur.

§. 36. Alia quæſtio eſt, an capitulationes Imperatorum, *Carolum V.* antecedentium, ſcriptis comprehenſæ ſint, de qua *vid.* RACHEL. *d. Diſſert. cap. 2. §. 6.* SCHWED. *d. c. 2. §. 14.* VITRIAR. *d. tit. 7. §. 1.* Omnes autem capitulationes à *Carolo V.* usque ad *Leopoldum*, commentario proſecutus eſt *Limnæus*, quod opus

Digitized by Google

opus pro ſcripto ejus doctiſſimo quidam habent, *Kulpis. d. l. §. 1.* noviſſimam *Josephi* commentatione illuſtravit *Johann Dietrich* von Jülich.

§. 37. Iis vero, qui ipſas capitulationes legere cupiunt, inprimis commendanda eſt *Capitulatio Harmonica*, quam noviſſime publicavit Halæ L. Muldener, nam inſigni artificio effecit, ut legendo Capitulationem Josephi, novem Capitulationum præcedentium argumentum ſimul intelligas.

§. 38. Cum in Inſtrumento Pacis ſpes *certæ* & *conſtantis capitulationis* facta ſit, operæ pretium fuerit, de hac pauca addere. Non notat illa *immutabilem aliquam pacti formulam*, ceu male exiſtimat *Monzamb. c. 5. §. 2. Rachel. d. l. c. 5. §. 10. 12.* poteſt interim abſurdus ille ſenſus, velut ex ratione ſtatus jactari ab iis, qui capitulationem talem averſantur, dimovendis ſcil. ab iſto propoſito, per hanc rationem, aliis.

§. 39. Sed dicitur *certa* & *conſtans* partim ratione *dubiorum præſentium*, quæ per illam circa ſtatum publicum decidenda ſint, partim *perſonarum concipientium*, quarum reſpectu nulla amplius contradictio eſſe debeat. Ita omnino dicendum, ſi *fundamenta* Capitulationis perpetuæ ſpectes, aſt ſi etiam ratione *formulæ* definitionem exigas, tum dicerem.

Digitized by Google

§. 40. Ex mente Statuum imperii, Capitulatio perpetua eſt, *quæ in Comitiis concipitur, & ſemel concepta, quoties opus, in iisdem quoque mutatur*, ſed ex ſententia Electorum, eſt *formula ſemel in Comitiis concepta, ſed jure adcapitulandi, ab Electoribus, pro ratione temporum, varianda, add.* VINDIC. VITRIAR. CASTIG. *§. 180.*

§. 41. Uti autem illi errant, qui *J. P.* dubium quoad *perſonas concipientes* deciſum putant, *vid. §. 12.* ita nec hoc pure eodem conſtitutum, ut in proximis comitiis perpetua capitulatio concipiatur, nec hactenus uſitatæ, poſt illa comitia amplius valere ullo modo debeant, ſed, illa non ſecuta, hæ in priſtino ſtatu relinquuntur, *vid.* RHET. *J. J. P. l. 1. tit. 4. §. 41.*

§. 42. Eo autem modo concipienda fuerit capitulatio, ut per eam & ſtatus, ubi dubius eſt, efformetur, & obligatio Cæſaris univerſo ſtatui, addita ſanctione, attemperetur, in quo ſane non levis erit difficultas, quæ ei tollendæ, ex ſuis myrotheciis de *duplici limitandi modo*, in imperiis limitatis uſitato, depromere voluit RACHEL. *d. l. c. 5. §. 12.* ea a ſcopo abludunt, nam nec ille modus ad imperium quadrat, nec in *modo limitandi*, ſed *materiæ certa definitione & digeſtione* difficultas poſita eſt.

§. 43.

§. 43. Eſſe de cætero capitulationem conſtantem, imperio *utilem*, manifeſtum eſt, cum dubia civitatis conditio, & diſſidia Statuum, per eam tollantur, quæ hic opponit RACHEL. *d. c. 5. §. 12.* non valde urgent, dum autem illa utilis dicitur, capitulationibus hactenus uſitatis utilitas non denegatur.

§. 44. Imo id obſervari meretur, utilitatem capitulationis perpetuæ, non in eo poſitam eſſe, quod eadem *ab omnibus Statibus concipiatur*, ſed quod *dubia Civitatis conditio & Procerum diſſidia per eam tollantur*, hæc vero utilitas etiam ſine Capitulatione, ab omnibus concipienda, obtineri poteſt; quando igitur iſtam concipiendi rationem, ex voto Statuum, Electores non admittunt, utilitatibus imperii ſeſe oppoſuiſſe exiſtimari nequeunt.

§. 45. Negotium perpetuæ capitulationis plene eſſe confectum, aliquando rumor fuit, ſed falſus, *vid.* KULPIS. *ad Monz. d. c. 5. §. 2.* Impedimenta ſane maxima ſubſunt, tam ratione *perſonarum* quam *materiæ*, *vid.* RACHEL. *d. diſſert. c. 5. §. 11.* ut parum abſit, quin *ejus confectio*, inter *moraliter impoſſibilia* referri debeat, *vid.* MONZAMB. *c. 5. §. 2.*

§. 46. Videtur ſane Capitulationis conceptio, cum jure eligendi tam arcte eſſe connexa, ut illa tolli nequeat, quin hoc ſimul

turbetur ac imminuatur. Satius igitur eſſet, dubia, quæ circa Reipublicæ Statum occurrunt, ac Capitulationibus materiam controverſam nonnunquam ſuppeditant, in Comitiis ſimpliciter decidere, quam Electoribus jus concipiendi Capitulationes diſputare.

CAP. IIX.

De Obſervantia imperiali.

SUMMARIA.

Ob defectum legum expreſſarum invaluit Obſervantia §. 1. hujus definitio §. 2. 3. Autores §. 4. requiſita §. 5. 6. materia §. 7. 8. 9. probatio §. 10. interpretatio §. 11. 12. 13. effectus §. 14. Origo §. 15. incertitudo §. 16.

§. I.

SÆpe in rebus agendis, deficiunt Legum expreſſarum definitiones, hinc *Tacita lex* in ſubſidium vocari, ex eaque qualiscunque deciſio repeti ſolet, inde innotuit *Obſervantia Imperialis*, des Reichs Herkommen/ peculiari diſſertatione, *Argentorati 1685.* a KULPISIO explicata. Ut de ea agamus, uti contextus nunc expoſtulat, *vid.*

c. 1.

c. 1. §. 15. ita pro inſtituti ratione, hæc jam nobis placent.

§. 2. Eſt *tacita conventio, ab Imperatore & Statibus, vel aliquando ab his ſolis, diuturno uſu inita, qua varia, totius Imperii vel Statuum res nec non operandi modum, concernentia determinantur*, quæ definitio indolem Obſervantiæ clarius exprimere videtur, quam ſi *regulam traditione inductam*, cum KULPIS. *d. diſſert. §. 10.* illam dicas.

§. 3. Dum *conventio* eſt, ab *obſervantia* legum latarum, neç non *conſuetudine* tam *inductiva* quam *interpretativa* diſtinguitur, licet conſuetudinem in eo imitetur, quod vel de novo quid conſtituat, vel dubium declaret, *add.* KULPIS. *d. l. §. 5. 6.*

§. 4. Initur aliquando, pro diverſitate materiæ, ab Imperatore & Statibus, aliquando ab his ſolis, aliquando ab aliquibus tantum v. g. ſi controverſia inter duos Status per obſervantiam determinetur, *add.* KULPIS. *d. l. §. 7.*

§. 5. Oritur Obſervantia (1) ex *actibus pluribus*, ex uno enim voluntatem obligatoriam vix colligere licet (2) *uniformibus*, nam difformitatem conſenſui obligatorio obeſſe, palam eſt (3) *juris & obligationis introductivis*, quæ qualitas adeſſe videtur, ſi alter intentione acquirendi jus, actum ſuſcipiat, ac al-

ter, cujus intereſt, vel ſimpliciter ex certa ſcientia taceat, vel quod certius eſt, a facta contradictione deſiſtat (4) *rationabilibus*, quæ enim legibus divinis repugnant, ea nec velle poſſumus, nec adeo velle cenſemur.

§. 6. Cumque memoratorum actuum exercitium, aliquem temporis tractum requirat, hinc hactenus *diuturnum tempus* ad introducendam obſervantiam etiam requiritur, certum vero temporis ſpatium nec poteſt nec debet aſſeri, *add.* Kulpis. *d. diſſert.* §. 7.

§. 7. Varia autem per obſervantiam definiuntur v.g. qualitas Imperatoris eligendi, jus Electorum, Stilus Curiæ, *vid.* Grundfeſte/*p. 1. c. 2.* Kulpis. *d. l.* §. 7. 17. *ſeqq.* omnia tamen ad ſtatum publicum ſpectare debent, hinc *obſervantiam privatam*, quam ſcriptores camerales conſignare ſolent, *vid.* Kulpis. *d. l.* §. 11. hinc excludimus.

§. 8. Uti vero vel de novo aliquid per obſervantiam conſtitui, vel jam quacunque ratione conſtitutum, tolli poteſt, ita in univerſum ejus determinatio eſt incertiſſima; cum enim multi actus ex libertate ſuſcipiantur, vel ob reſpectum politicum, vel mera conſtent uſurpatione, non temere ex iis placitum obligatorium colligi poteſt, *add.* Kulpis. *d. l.* §. 13.

§. 9.

Digitized by Google

§. 9. Hinc ſolet in *veram* ac *putativam* diſtingui obſervantia, diviſionis tamen ad exempla applicatio ob rationem modo datam eſt perdifficilis, *vid.* KULPIS. *d.l.* §. *12.13.* ITTER. *de F. J.c. 2* §. *8.c.19.* §. *8.*

§. 10. Probandæ obſervantiæ requiritur, ut *veritas* actus oſtendatur, &, quod idem *placitum obligatorium* involvat, monſtretur, de cætero *communi modo* probatio fieri poteſt, KULPIS. *d.l.* §. *33.34.*

§. 11. Interpretatio authentica, obſervantiæ dubiæ *generalis*, ad *Imperatorem & Status* ſimul, *ſpecialis* vero, ad *eos*, *quorum intereſt*, pertinet. Si in contentionem judicialem res erumpat, adhuc interpretatio obſervantiæ, iſti principio erit aſſerenda, nam leges vel conventiones in judicio non conſtitúuntur, ſed conſtitutæ ſaltem applicantur.

§. 12. Equidem KULPIS. *d.l.* §. *32.* hoc caſu deciſionem Imperatori aſſerit, ſed confundit *controverſias ex obſervantia decidendas*, cum *ipſa obſervantia*, illas judicio Cæſaris ſubeſſe probat, non vero hanc.

§. 13. Nimirum jus decidendi controverſias præcedentiæ, ad Reſervata Imperatoris referri ſolet, hic igitur oſtendit laudatus AUTOR, quod etiam ex obſervantia deciſio queat deſumi, quod vero obſervantiam, ſi in dubium

bium illa vocetur, Cæſar pro autoritate interpretari queat, non perinde probat.

§. 14. Ex obſervantia probata, velut alio pacto, juxta menſuram conſenſus dati, *jus* & *obligatio* naſcitur, id quod ſine ulla difficultate aſſeri poteſt, ſed obſervantiam probare, ſemper erit difficillimum.

§. 15. Originem ejus *a genio populi Germanici*, omni tempore conſuetudines amantis, repetit KULPISIUS *d. l.* §. *8. 9.* ſed ut valeat illa ratio qûoad quædam exempla, potiſſima tamen ratio ab *imperii mutatione, alium agendi modum deſiderante*, arceſſenda videtur, *vid. d. diſſert.* §. *29.*

§. 16. Id interim liquet, obſervantiam imperialem, nexus male firmi non incertum eſſe indicium, ac ſæpius inane nomen, quo nunc pro affectu ſuo quis utatur, nunc illud repudiet. Imo auſim dicere, ne unicum forte Obſervantiæ, certum jus ac obligationem conſtituentis, exemplum occurrere, nam quæ laudari ſolent, vel dubia ſunt, vel expreſſa conſtitutione deinceps ſecuta, aut aliqua ratione Status fulciuntur.

CAP.

Digitized by Google

CAP. IX.

De Legum privatarum Germanicarum, & Extranearum, in diſciplina juris publici, autoritate & uſu.

SUMMARIA.

Connexio §. 1. antiquiſſimarum legum germanicarum nulla videtur eſſe autoritas in Jure publico §. 2. bene tamen juris feudalis Saxonici & Suevici §. 3. leges extraneæ triplices §. 4. circa jus Romanum duplex quæſtio diſtingvenda §. 5. cognitio juris Romani utilis, quoad Jus publicum §. 6. uſus legum eſt vel legalis vel dogmaticus §. 7. leges Romanæ publicæ uſum legalem, in Germania regulariter non habent §. 8. 9. 10. nec privatæ §. 11. 12. 13. 14. illarum & harum comparatio §. 15. uſus dogmaticus utrisque tribui poteſt, ſub certis conditionibus §. 16. 17. 18. 19. multi aliter ſentiunt §. 20. in ſpecie Tabor autoritatem juris publici Romani aſſerit §. 21. ſed argumentis infirmis §. 22. 23. ſeqq. alii etiam juris Romani privati autoritatem propugnant §. 29. ſed doctrina oppido inconcinna §. 30. ſeqq. disquiſitionis concluſio §. 41. 42. Jus Canonicum, quoad Status pontificios Eccleſiaſticos, habet autoritatem §. 43. ſeqq. cæteræ ejus conſtitutiones regulariter non valent §. 48. 49. circa applicationem juris Longobardici, cautionibus opus §. 50. 51. valet illud quoad feuda Germaniæ illuſtria §. 52. 53. 54.

§. I.

§. 1.

SUpereſt ut de legum privatarum germanicarum, ut & extranearum, qua publicarum, qua privatarum, in Diſciplina juris publici, autoritate & uſu diſquiramus, cujus diſquiſitionis fundamenta uti *l. 1. c. 1. §. 42. usq; ad 64.* exhibuimus, ita eo major ejus videtur eſſe neceſſitas, quo magis Scriptorum vulgus allegatione legum extranearum abuti ſolet.

§. 2. De legum germanicarum origine, progreſſu & varietate diſſerere, nimis prolixum & ab inſtituto noſtro alienum eſt, hinc omnis iſta res jam ſupponitur. Id ſolum notandum, quod antiquarum legum, quas LINDENBROGIUS collegit, in diſciplina Juris publici nulla videatur eſſe autoritas & uſus, cnm in genere earum valor dudum deſierit *vid. CONRING. d. O. J. G. c. 25. ITTER. de feud. imper. c. 2. §. 1.*

§. 3. Quod vero attinet Jus Saxonicum & Svevicum *Provinciale*, nec ejus magnus uſus in Diſciplina noſtra eſſe videtur, cum ea utriusque ſit indoles, ut ad publica negotia non adeo quadret. Aliter dicendum de *feudali*, nam in iis, quæ modum habendi ſpectant, etiam quoad feuda illuſtria autoritatem legalem habere, ac in dubio juri extraneo

neo præferendum eſſe videtur, cum enim conditio Vaſallorum illuſtrium olim tam ſplendida non fuerit, ſicut hodie, præterea laudati juris tradita etiam ad Territoria Germaniæ quadrent, hinc non immerito quoad hæc quoque autoritas illis tribuitur, *ad d* ITTER. *d. c. 2. §. 2. c. 10. §. 9.* SCHILTER. *J. J. P. l. 1. tit. 2. §. 17.*

§. 4. Per leges extraneas intelligimus Jus *Romanum*, *Canonicum* & *Feudale Longobardicum*, quæ qua ratione in Germaniam penetraverint, ejus rei hiſtoria alibi traditur & hic ſupponitur.

§. 5. Primo diſpiciendum de *Legibus Romanis*, ubi duplex quæſtio ſummatim occurrit (1) *an legum illarum cognitio utilis ſit ad ſtudium juris publici eo facilius excolendum?* (2) *an in quæſtionibus juris publici decidendis illæ uſum habeant?*

§. 6. Prior ſane affirmanda eſt, nam quo plures leges quis cognoverit, eo aptior redditur aliis intelligendis, hinc aliarum gentium inſtituta, probe cognita, eo ſenſu uſum quoque habere poſſunt, atque eo pertinet ſententia RHETII *comm. jur. feud. proœm. n. 91.* licet ultra meritum, erga leges Romanas, ſit benigna.

§. 7. Quoad poſteriorem obſervandum, uſum, in decidendis quæſtionibus, duplicem eſſe

eſſe poſſe, vel *legalem*, ut quæſtio neceſſario inde decidenda ſit, vel *dogmaticum*, ut inde ratio confirmans vel illuſtrans deſumi poſſit, quemadmodum eo ſenſu alii etiam Autores allegari ſolent.

§. 8. Hoc poſito de *utroque uſu*, idque vel ratione legum Romanarum *publicarum*, vel *privatarum* videndum. Quoad illas ita putamus, *leges publicæ juſtinianeæ, in quæſtionibus ſtatum Germaniæ publicum concernentibus, nullam habent autoritatem* legalem, *niſi in ſpecie, receptio doceatur.*

§. 9. Nam leges Romanæ cum germanicis vel *conveniunt*, tum iis non indigemus, quia propriæ adſunt, vel iis *contrariantur*, tum valere omnino non poſſunt, vel *præter eas aliquid diſponunt*, tum autoritatem habere poſſunt, ſi receptæ ſint

§. 10. Probandæ vero iſti receptioni non ſufficit tacita illa juris Romani in Scholas ac Forum admiſſio, quia tota illa, quanta quanta eſt, ad controverſias privatas adeoque jus privatum pertinet, ſed ſpeciale teſtimonium requiritur.

§. 11. Quoad has ſic arbitramur: *leges privatæ juſtinianeæ in materia noſtra itidem nullam habent autoritatem* legalem *niſi in quantum ſpecialis receptio poteſt oſtendi.*

§. 12. Omnem illius juris autoritatem debere

bere deduci ex *receptione*, id puto extra dubium eſt, jam demus tantiſper, generaliter leges privatas eſſe receptas, illud tamen omne intuitu rerum, ad Jurisprudentiam privatam pertinentium, factum eſt.

§. 13. Patet id ex *indole juris recepti*, privatum eſt, ergo ad privata pertinere, in dubio cenſendum; ex *receptionis modo*, tacite in Scholas & Forum, circa res privatas occupatum, ſe inſinuavit, igitur ejus autoritas iis limitibus merito circumſcribitur.

§. 14. Porro ex *conditione Imperantium*: legibus privatis ſoluti ſunt, hinc illos his ſubjicere non licet, niſi factæ ſubmiſſionis liquidiſſima proſtent indicia; denique ex *habitudine legum privatarum*, raro ad publica quadrant aut quoad hæc neceſſariæ ſunt, itaque nec eorum intuitu temere receptæ dici poſſunt, ſed receptio ſpecialis ſemper oſtendi debet, *add. l. 1. c. 1. §. 59. ſeqq.*

§. 15. Eſt igitur inter jus Juſtinianeum *publicum* & *privatum* ea differentia, illud omnino receptum cenſeri non poteſt, niſi in quantum ſpecialis probatio receptionem oſtendit, hoc vero generaliter quidem receptum eſt, ſed quoad cauſas privatas, ergo adhuc publicorum negotiorum ratione ſpecialis receptio docenda eſt, ſiquidem autoritatem habere debeat.

§. 16. *Uſum autem* dogmaticum *utrique juri, tam publico quam privato, tribui* poſſe negandum non eſt, modo *certæ conditiones* obſerventur.

§. 17. *Primo* ut concedatur, nullam ita eſſe juris Romani prærogativam præ Turcico, Perſico aut alius gentis jure, vel etiam alio rerum politicarum ſcriptore, nam horum omnium quoque poteſt eſſe uſus dogmaticus.

§. 18. *Secundo*, ne placita Romana ultra vim *rationum illuſtrantium* extendantur, quodſi diſſimulata ratione vera, ab illuſtrante omnis rei veritas repetatur, iſto abuſu non ſimplex ineptitudo, ſed capitalis error, qualis in hoc genere committi poteſt, committitur, quia ſolida cognitio eodem impeditur.

§. 19. *Tertio*, ne temere jure Romano utamur, ſi enim aſſertionem quamvis, ſuis rationibus ſatis conſtantem ac perſpicuam, allegatione textuum Romanorum, in quibus vel levis ſimilitudo occurrit, indiſtincte ſtipes, ille uſus jure optimo ridiculus ac ineptus cenſebitur.

§. 20. Quod multi hic diſſentiant, ac neſcio quem juris Romani uſum crepent, id partim eſt a nimia juris illius admiratione, quæ multos velut morbus epidemicus corripuit, partim ab ignorantia limitum, quibus juris

Digitized by Google

juris publici ſtudium continetur ac à privato diſcernitur.

§. 21. In ſpecie *TABOR de metat. c.5. n. 4. ſeqq.* contra *CONRINGIUM* pro *autoritate juris publici Romani* depugnat, ſed magna argumentorum & *infirmitate* & *confuſione.*

§. 22. Quædam ejus placita, (ſic enim in ordinem aliquem digeri poſſunt,) pertinent ad *aptitudinem*, quam cognitio legum Romanarum tribuat, quamque §. *5. n. 1.* innuimus. Licet autem iſtum uſum non omnino negemus juri Romano, glorioſius tamen eum jactat TABOR quam veritas rei admittit.

§. 23. Inprimis illud falſum eſt, *quod de rebus populi, de bonis civitatum, de fluminibus, ripis &c. nemo certius quid definire poſſit quam JCtus juſtinianeus;* nam Romani & falſas, & a placitis germanicis abhorrentes, habuerunt hypotheſes, hinc in iis rebus, juxta uſum Germaniæ definiendis, nemo magis ineptit, quam JCtus juſtinianeus, quod exemplo *metallorum* oſtendimus, *in diſſert. de jure metallor. hab. Lipſ. 1695.*

§. 24. Porro quædam ſpectant ad *uſum legalem*, nimirum cauſatur *TABOR leges ſacras, municipales, epidemeticas*, quibus addunt, *tributarias, fiſtales*, quæ magnum hodie quoque habeant uſum.

§. 25. Eſto, ſunt leges privatæ, pertinent

enim ad ſubditos conſtitutos, vel Imperantes citra Imperium ſpectatos, quod certiſſimum legum privatarum eſt indicium, nihil igitur inde ad uſum legum publicarum, *vid. l.1.c.1.§.52.ſeqq.*

§. 26. Denique quædam concernunt *uſum dogmaticum;* hunc admiſimus quidem, ſed parum abeſt, quin exempla Taborica, conditiones antea datas offendant, adeoque non *uſus* ſed *abuſus* legum Romanarum occurrat.

§. 27. Nam contendit, *ex jure Romano intelligi, quod jus publicum ſit id, quod ad ſtatum reipubl. ſpectet,* quaſi vero iſta non intelligantur citra jus Romanum, & vel levis aliqua ratio poſtulet, ut iſti rei probandæ vel illuſtrandæ, ad jus Romanum provocetur!

§. 28. *Quod jus publicum ſit vel ſacrum, vel profanum;* juxta conſueta principia politica, apud Romanos quoque ſub ſtatu inprimis Monarchico, occurrentia, jus ſacrum, ſpecies *privati* eſt, quod vero idem in Germania ſuo modo ſit *publicum,* id à propriis inſtitutis dependet, quæ ex jure Romano neque probari, neque commode illuſtrari poſſunt.

§. 29. Pro magna quoque *juris Romani privati autoritate* vulgo decertare ſolent, & ne putes ad antiquos gloſſatores hoc pertine-

nere, vel ſola diſputatio: *de uſu juris Romani in controverſiis juris publici germanici decidendis*, quæ ſub præſidio *D. ENGELBRECHTII Helmſtad. 1692.* prodiit, facile effecerit; quicquid enim allegationum Romanarum unquam prodiit, id omne in eam, velut locum Communem conductum, auctumque magis ac interpolatum eſt.

§. 30. Videtur quidem AUTOR ille *uſum legalem*, idque intra certos ſaltem limites, adſtruere velle, quando contendit, *deficientibus legibus germanicis, rectæ rationi conſentaneum eſſe, ut ad jus juſtinianeum, quod inter Europæas gentes, in ipſis gentium controverſiis decidendis, adhiberi poſſit & debeat, confugiamus.*

§. 31. Sed in ipſa tractatione longe latius excurrit, quando nulla facta *uſus legalis* & *dogmatici* diſtinctione, quam forte etiam ignoravit, vel neceſſariam non credidit, promiſcue jus civile allegat, atque ita ejus uſum oſtendere conatur.

§. 32. Propoſitum non patitur, ut inſtituti illius abſurditatem, ex profeſſo perſtringamus, ſummas igitur reſponſiones, & quidem juxta diverſitatem uſus modo indicatam, ſaltem nunc exhibebimus.

§. 33. Quoad *uſum* igitur *legalem* falſa eſt regula quam §. *30.* retulimus, nam *uſum* illum

ſubſidiarium, ſuo tamen modo *generalem*, rectæ rationi non convenire ſed contrariari ſatis oſtenſum §. *12.13.14.* quod autem *jus Juſtinianeum, in genere inter gentes Europæas, earumque controverſiis decidendis, adhiberi poſſit & debeat,* id ſolida aliqua ratione probari debuiſſet.

§. 34. In exemplis, quæ probando illi uſui adducuntur, his modis peccatur (1) *contra manifeſtam veritatem applicantur controverſiis illuſtribus leges privatæ civiles* v. g. quando Status legibus teſtamentariis ſubjiciuntur.

§. 35. Vel (2) *afferuntur leges judiciariæ;* atqui Status, quatenus per modum imperii, contra eos in judiciis communibus proceditur, veri ſubditi ſunt, adeoque cum legibus judiciariis ad Jurisprudentiam privatam pertinent.

§. 36. Vel (3) *adducuntur leges, ad Statuum matrimonia, aut contractus pertinentes & ſimiles,* verum & hoc reſpectu Imperantes ad Jus privatum pertinent, quamvis ne quidem in Jurisprudentia privata, leges humanæ iis applicari regulariter queant, ob præſuppoſitam imperandi conditionem, de quo explicatius actum *l. 1. c. 1. § 59. ſeqq.*

§. 37. Vel denique (4) *allegatur diſpoſitio ſpecialiter recepta* v. g. definitio majorennitatis;

Digitized by

tatis; verum a particulari ad univerſale male infertur, aut (5) *committitur fallacia cauſæ*, dum theſi, alias veræ, otioſa additur probatio v. g. quando requiſita Imperatoris Germanici ex *l. 7. C. de incol. l. 3. C. de municip.* probantur.

§. 38. *Uſum dogmaticum*, quem in effectu quoque AUTOR ille adſtruit, admittimus quidem, ſed ſub conditionibus antea memoratis; contra quas tamen, certo ineptitudinis indicio, *IDEM* perpetuo fere impingit.

§. 39. E. g. *p. 1.* §. *2.* dicit: *ſi dubium circa Auream Bullam aliasque leges publicas occurrat, interpretationem petendam a Principe l. fin. C. de LL. l. 11. ff. eod. &c.* quis hanc allegationem excuſandam arbitretur, nam veram rationem, ab imperii noſtri autonomia dependentem, diſſimulat, aliam vero ſubſtituit, quæ neque probat, neque illuſtrat, ſed incautos potius ſeducit?

§. 40. Ejus furfuris ſunt fere reliqua omnia, erubeſcendus ſane & intolerabilis error eſt, rationes patrias ſolidiſſimas omittere, ac frigidiſſimam probationem, ex ruderibus Jurisprudentiæ Romanæ, arceſſere.

§. 41. Ex his jam ſatis liquet, juris Romani tam publici quam privati, oppido exiguum eſſe uſum ſive legalem, ſive dogmaticum in decidendis quæſtionibus publicis germani-

cis, ac adeo ſcriptum juris publici eo abſurdius cenſendum eſſe, quo magis allegationibus juris Romani abundat.

§. 42. Qui autem ſtudio partium leges illas urgent, cum tamen autoritate eas deſtitui non neſciant, eorum inſtitutum & *ineptum* & *injuſtum* cenſeri debet.

§. 43. Quoad *jus Canonicum* diſtinguendum inter *diſpoſitiones quæ Clericos reſpiciunt, ex quorum claſſe Status imperii* ECCLESIASTICI *ſunt, ac reliquam legum ſ. Canonum farraginem.*

§. 44. Prioris generis diſpoſitiones Canonicæ *autoritatem* legalem *habent quoad Status Eccleſiaſticos Pontificios, niſi legibus germanicis fuerit iis derogatum.*

§. 45. Habent autem illam autoritatem non ex *aliquo imperio Pontificis*, ſed *ultronea Statuum ſubmiſſione*, hinc uti iis decretis ex parte poſſunt derogare Status, quod vult addita exceptio, ita in univerſum ea tollere poſſunt, Pontifice nequicquam ringente.

§. 46. In nuperrima igitur electione Archiepiſcopi Colonienſis, Princeps Bavaricus *Joſephus Clemens*, pro ſua *electione*, contra Cardinalis *Fürſtenbergii poſtulationem*, recte allegavit *c. 40. X. de elect.* & notum eſt, quod in quavis Status Eccleſiaſtici conſtitutione, disquiri ſoleat, utrum *canonice* ſit facta, nec ne.

§. 47.

§. 47. Porro Electores Eccleſiaſtici ea, quæ *ordinis* ſunt, *vid. A. B. c. 23.* antea peragere nequeunt, quam juxta *c. 4. X. de translatione epiſc. c. 15. X de elect.* fuerint conſecrati.

§. 48. De poſterioris generis *diſpoſitionibus Canonicis, idem plane arbitramur, tam quoad uſum* legalem, *quam* dogmaticum, *quod exiſtimavimus circa jus civile* §. *8. 16. ſeqq. 41. 42.*

§. 49. Hinc *v. g.* remedium Canonis *Redintegranda, 3. qv. 1. C. 3.* quatenus ſimpliciter ſpoliatum reſtitui vult, etiam *juſte*, vel *injuſtitia non adeo evidenti* dejectum, inter Status imperii locum non habet; nam talis dejectio, æſtimatione mere civili, delictum eſt, ſed Statuum imperii delicta, ex jure naturali, & legibus germaniæ fundamentalibus æſtimanda ſunt *vid l. 1. c. 1.* §. *63. 64.*

§. 50. Circa *leges longobardicas*, duo præmonenda (1) *eas ratione Germaniæ revera eſſe leges extraneas*, hinc male illæ, non ſecus ac ſi propriæ ac domeſticæ eſſent, rebus Germaniæ a quibusdam applicantur, ſpecimen exhibet Arum. *ad A. B. diſcurſ. 4.* §. *10. diſcurſ. 6.* §. *45.*

§. 51. Quoties (2) *juri Longobardico germanicum contrariatur, non recte dici, ab illo per hoc eſſe receſſum, niſi evidenter conſtet, quod poſt juris Longobardici receptionem, leges*

germanicæ prodierint, nam alias in hiſtoriam impingitur, cujus ἀνιστορησίας duo egregia ſpecimina iterum ſiſtit ARUM. *d. tr. diſcurſ. 6. §. 33. diſcurſ. 4. §. 16. in fin.* ut alios nunc taceam.

§. 52. His præmonitis, de *uſu legali* ita habendum: *leges poſitivæ, quæ admodum habendi feuda, i. e. ad eorum acquiſitionem, conſervationem & amiſſionem ſpectant, quoad feuda Germaniæ illuſtria* autoritatem legalem *habent*, nam cum ad hæc quoque applicari queant, & conditio feudorum illuſtrium aliquamdiu fluctuaverit, videntur in genere quoad omnia feuda receptæ.

§. 53. *Niſi tamen vel legibus germaniæ res jam deciſa*, tum enim longobardicis non indigemus, *vel contrarium diſpoſitum*, tum leges extraneæ patriis cedere debent in dubio.

§. 54. Reliquorum longobardicorum *uſus dogmaticus* eſſe poteſt, juxta conditiones antea memoratas, quæ ſi negligantur, allegationem juris longobardici vel noxiam, vel minimum ineptam, arbitramur.

LIBER

Digitized by Google

LIBER TERTIUS.

CAP. I.

De Statibus Imperii.

SUMMARIA.

Sequentium partitio §. 1. in territoriis Germaniæ occurrunt Imperantes & Subditi, illi Status audiunt §. 2. ex quo Status vulgo æſtimetur §. 3. quæſtionis præſuppoſita §. 4. ipſa quæſtio §. 5. tria ad Statum imperii requiruntur §. 6. 7. 8. refellitur ſententia vulgaris §. 9. ſeqq. Status definitio, ex noſtra ſententia §. 26. requiritur ad eum, jus territoriale §. 27. 28. jus ſuffragii, quod ex illo regulariter profluit §. 29. ſeqq. & nexus fere ſocialis §. 39. 40. quæ ſententia a poſteriori etiam probatur §. 41. comparatio communis & noſtræ ſententiæ §. 42. ſeqq. uſus noſtræ, & incommoda communis doctrinæ §. 48. 49. 50. minus probabiles opiniones §. 51. cum epicriſi §. 52.

§. I.

PRogrediendum eſt ad *argumentum legum publicarum germanicarum*, ſive *jura & obligationes*, quæ ex his dependent, *vid. l. 1. c. 1. §. 68.*

§.68. l.2.c.1. §.2. cumque mutationem Germaniæ internam, eo evaluiſſe oſtenderim *l.1. c.3.4.5.* ut Proceres Territoria ſua proprio jure teneant, omnibus vero, velut Caput, Cæſar præſit, denique totius Reipublicæ ſua etiam ſint jura ac nexus peculiaris, hinc ordine maxime naturali tota decurret tractatio, ſi primo Territoria, poſtea commune Caput ſeu Cæſarem, denique totius Reipublicæ jura & nexum expendamus.

§. 2. In Territoriis occurrunt *Imperantes* & *Subditi*, de quibus eatenus nunc agendum, quatenus Eos, ad Juris publici Diſciplinam ſpectare oſtendi *l.1.c.1.§.50.51.* Imperantes, de quibus primo agere par eſt, receptiſſimo nomine, *Status Imperii* Reichs-Stånde dicuntur, *vid.* KULPIS *de jure Legat. c. 4. §.1. ſeqq.* SCHWED. *introd. ad jus publ. part. ſpec. Sect. 2. c.1. §.1.*

§. 3. Quoad rem ipſam, non levis Scriptorum eſt diſſenſio, ſed qui accuratiſſime eſſentiam Status imperii exponere volunt, ex *jure Seſſionis* & *Voti* eam æſtimant, quæ ſententia fere in Scholis dominatur, ſed cur unicum illud requiſitum, *eſſentiale* exiſtimari debeat, ejus rei idonea ratio fortaſſis non ſuppetit.

§. 4. Deſero ſententiam receptiſſimam, quo igitur Status controverſiæ eo rectius formetur,

Digitized by Google

metur, prænotandum (1) quod nomen *Status*, ſit *titulus imperioſus* ac in Proceribus Germaniæ, *communionem imperii civilis* eique innexam *conditionem publicam* notet (2) quod in Proceribus Germanicis, ſi non omnibus, certe plerisque, tria occurrant, ſcilicet *Superioritas Territorialis, Jus ſuffragii* ac *obligatio, qua toti Reipublicæ connectuntr.*

§. 5. Quibus præſuppoſitis, quæritur, utrum *eſſentia & nomen Status ex ſolo jure ſuffragii*, an *ex tribus illis, quæ laudavimus, conjunctim æſtimari debeat, & an adeo is, in quo tria illa ſimul adſunt, titulum Status imperii in ſolidum, in quo alterum occurrit, ex parte mereatur?* Communis ſententia prius aſſerit, ſed mihi poſterius, ſi, prout par eſt, quæſtionem ad præſentia referamus tempora, probabilius videtur.

§. 6. Ratio meæ ſententiæ ex publico totius Reipublicæ germanicæ Statu dependet, in tali enim civitate, in qua ſinguli Proceres domi ſuæ imperium civile exercent, communi vero Patriæ, communibus conſiliis & auxiliis ſuccurrunt, qualis regiminis habitus in Germania utique occurrit, omnia illa jura æquali æſtimatione proſequi, ac titulum Procerum imperioſum inde repetere par eſt.

§. 7. Nam inter ea jura naturalis eſt connexio,

nexio, ac unum ex altero regulariter profluit, vel ſingula ſe mutuo conſequuntur aut præſupponunt, & qui in parte Rempublicam regit, in commune vero cum cæteris conſulit ac decernit, is demum Rempublicam *ſiſtere*, aut de iis quæ ad imperium civile pertinent, *ſtatuere*, ac legitimam perſonam *ſtandi* ubique habere, atque ita *Status* & *pars integrans* dici poteſt.

§. 8. Inprimis mirum foret, ſi quis in hac æſtimatione, *jus ſuffragii* velit *juri Territoriali* præferre, illud enim, calculo recte ſubducto, hujus vel pars vel effectus eſt, præterea ab hoc ſplendidiores utique operationes tota die profluunt, quam ab illo, cujus inſuper exercitium, Comitiis vel non inſtitutis, vel negligenter habitis, per aliquot annos quieſcere poteſt.

§. 9. Pro communi ſententia tria potiſſimum urgentur argumenta, quæ tamen elidere, non fuerit difficile. Laudant (1) *varios imperii Receſſus, in quibus, à jure ſuffragii, eſſentia Status repetatur* e. gr. R. J. *1500. tit. 52.* R. J. *1512. in proœm.* R. J. *1544. §. 101.* R. J. *1548. §. 56. 105.* R. J. *1555. §. 19.* R. J. *1559. §. 84.* R. J. *1564. §. 29.* R. J. *1566. §. 139. 179.* R. J. *1570. §. 163.* R. J. *1576. in proœm. §. 112.* R. J. *1654. §. 197.* quos pleroſque allegavit *ARUM. de Comit. c. 4. n. 1.* quem ſublegiſſe videtur *SCHWEDER.*

DER. introd. ad jus publ. P. Sp. Sect. 2. c. 1. §. 3.

§. 10. Verum illi textus ſolum oſtendunt, quod Statibus imperii jus ſuffragii competat, quod vero in eo, eſſentia Status poſita ſit, id non adſtruunt, aut, ſi multum iis tribuere velis, docent ſaltem, quod jus ſuffragii, ſit *requiſitum Status*, non autem, quod *unicum*, hinc in illis *denominatio particularis*, minime vero, *adæquata & accurata Status definitio* occurrit.

§. 11. Quare autem, in legibus præcipue antiquioribus, Proceres Germaniæ, à jure ſuffragandi, Status dicantur, ejus rei ratio inde dependet, quod ut plurimum, quando illa denominatio occurrit, intuitu rerum Comitialium conſiderentur, præterea olim jus ſuffragii, eo jure, quod in Territoriis, Proceribus competiit, ſplendidius fuit viſum.

§. 12. Interim non deſunt alii textus, in quibus Proceres Germaniæ, tam intuitu *immedietatis & juris ſuffragii ſimul*, quam *illius tantum*, Status dicuntur, ut iſto probandi genere meam ſententiam quoque confirmare mihi liceat.

§. 13. Prius patet ex R. J. 1548. §. 56. *ibi.* dem auſziehenden Stand ohne Mittel unterworffen/ keine Stimme und Stand in Reichs-Verſamlungen/ auch keine Lehn im Reich hätte. Poſterius vero liquet ex R. J. 1555.

1555. §. 19. *ibi.* welche denjenigen / ſo dem Reich ohne Mittel unterworffen / und Reichs-Stände ſind / nam ultima verba non *diſtinguunt & opponunt*, ceu vult ARUMÆ. *de Comit. c. 4. n. 1.* ſed potius præcedentia *explicant*, ac Proceres ab immedietate, Status dici, oſtendunt.

§. 14. Idem colligi poteſt ex R. J. 1566. §. 146. *ibi.* die Stände .. als ob ſie den Reich gäntzlich entzogen / ex R. J. 1600. §. 44. ubi Status, in fraudem Conſtitutionum, ſibi damnum intuliſſe perhibentur, quod itidem ad immedietatem reſpicit.

§. 15. His accedunt leges recentiores, nam in Inſtrumento pacis Weſtphalicæ, frequenter Proceribus Germaniæ, nomen *Status* tribuitur, quando ſine reſpectu ad Comitia, ſaltem ratione juris Territorialis conſiderantur, probabili indicio, ad *immedietatem* non *jus ſuffragii* tum reſpici.

§. 16. Sic e. gr. *Status turbati art. 5. §. 15. bona Statibus interverſa §. 25. oppignorationes Statibus immediatis confirmandæ §. 26.* quidam *Statibus, reſpectu territorii, ſubjecti §. 28.* leguntur. *Statibus immediatis, cum jure territorii, jus reformandi exercitium religionis* aſſeritur §. 29. 30.

§. 17. In ſpecie *Status in libero juris territorialis exercitio* confirmantur *artic. 8. §. 1.*

postea

Digitized by Google

poſtea *jus ſuffragii* ipſis tribuitur §. 2. cur non igitur nomine Status, & *immedietatem*, & *jus voti* ſignari exiſtimemus.

§. 18. Non minus comitialis conſenſus requiritur, *ſi nova munimenta, intra Statuum ditiones, exſtruenda ſint d.* §. 2. an igitur in immediati, jure tamen ſeſſionis deſtituti, ditione, munimenta, ſine Conſenſu Comitiali, exſtruere licebit? non eſt probabile, hinc Status ibi notat immediatum! *add. art. 16.* §. *14.* R. J. *1654.* §. *180.*

§. 19. Nec eſt quod dicas, *leges publicas, quando Proceribus Germaniæ, nomen* Status, *intuitu* juris ſuffragii *tribuunt, exquiſite & proprie, quando autem ratione* immedietatis, *improprie minusque accurate loqui, aut etiam titulo, à jure ſuffragii dependente, velut notiori, membra imperii immediata notare*, nam ita ex præconcepto præjudicio ſaltem ſupponitur id, de quo quæritur & quod ſolida ratione probari nequit.

§. 20. Leges publicæ potius, uti accuratam Status definitionem nullibi exhibent, ita, æquali loquendi genere, nunc hujus, nunc illius requiſiti intuitu, prout occaſio & ſubſtrata materia fert, titulum illum immediatis Germaniæ membris applicant.

§. 21. Ex quo etiam dubium, quod *Status nonnunquam, immediatis opponantur* ut

in R. J. *1564. §. 29.* facile tollitur, nam cum, ut hactenus oſtenſum, denominatio Status plerumque ſit particularis, ideo etiam immediati, particulariter ſaltem Status eſſe negantur.

§. 22. Sic igitur liquet, quod leges publicæ ſententiam communem non tueantur, nec noſtræ obſint ſed eam potius confirment. Quodſi compendioſe & fortiter philoſophari velis, recte dixeris, probatione inartificiali hic non licere defungi, nec ex captatis Receſſuum formulis quæſtionem hanc determinari poſſe, cum earum Autores, Statum imperii definire nec voluerint, nec pro lubitu poſſint, cum omnis illa res, ex *conditione Reipublicæ, juriumque Proceribus competentium habitu,* ſit definienda.

§. 23. Urgent (2) *ex communione imperii civilis, Statum æſtimandum eſſe,* admittimus hanc rationem, ſed eadem ſententiam communem non probari, verum everti putamus, cum ea admiſſa, nihil omnino afferri queat, cur, in æſtimanda qualitate imperioſa, Juris Territorialis obligationisque ei connexæ, nulla ſit habenda ratio, *vid.* §. *8.*

§. 24. Evidentior fit rationis huc applicatæ infirmitas, ac totius ſententiæ communis inconcinnitas, ſi expendas, quod (3) ex *definitione Civis Ariſtocratici aut Democratici*

ci Ariſtotelica, ſpiritum traxerit, hac nititur CONRING. *de Civ. imper.* §. 5. *ſeqq.* ac ejuſdem imitatione, omnem iſtam philoſophiam exortam eſſe, in genere aſſerit SCHWEDER. *in introd. ad jus publ. P. Sp. Sect. 2. c. 1.* §. 3.

§. 25. Nam Civi quidem Ariſtocratico vel Democratico, non alio reſpectu, *titulus imperioſus* convenire poteſt, quam quatenus Comitiorum membrum eſt, domi ſuæ enim privatam agit vitam, ſed iſta ad Proceres Germaniæ maligne applicantur, qui non tantum in Comitiis, ſed & Territoriis ſuis, imperio civili gaudent.

§. 26. Juxta hæc igitur non *unum, ſed tria requiſita eſſentialia,* Status imperii adæquate ſuppoſiti, ſunt, hinc Status, in ſua perfectione ſpectatus, eſt *Perſona moralis, ſimplex vel compoſita, jure Territoriali, & hinc orto jure ſuffragii in Comitiis gaudens, ac Cæſari totique Imperio, ad ferenda inprimis Reipublicæ onera, nexu fere ſociali obſtricta.*

§. 27. Requiritur itaque (1) *jus Territoriale,* hoc fundamentum eſt reliquorum, niſi enim domi, tui juris ſis, ad comitia adſpirare & ærarium provinciale præterire tibi non licebit.

§. 28. Omnis ergo Status, eſt *immediatus,* & ob *immedietatem* quoque, *nomen Status* meretur, quod poſterius vulgo negant, *vid.*

SCHWED. d. l. §. 2. niſi tamen cætera requiſita accedant, immediatus, *plene* Status non eſt.

§. 29. Poſtea (2) neceſſarium eſt *jus ſuffragii*, quo omnem Status eſſentiam contineri, vulgo exiſtimant, ſed forte perperam ob hactenus dicta, facit quidem Statum jus ſuffragii, ſed non unice.

§. 30. Præſupponit autem hoc *jus* regulariter, *jus territoriale*, nam ſi quis alii ſubjectus ſit, eum Dominus ad jus ſuffragii contendere non patietur, ſi vero ſui juris quidem ſit, bonis tamen immediatis in quo jus territoriale exerceat, deſtituatur, itidem ad comitia non admittetur, prout leges expreſſæ *R. J. 1654.* §. *197. Capitul.* Ferdin. IV. *art. 45.* Leopold. *art. 44.* & Principum noviter creatorum exempla luculenter oſtendunt, vid. *KULPIS. ad Monzamb. c. 2.* §. *9. p. 525.*

§. 31. Non antecedit vero jus territoriale, velut *cauſa ſine qua non*, ſed potius tanquam *cauſa efficiens*, ex qua jus ſuffragii profluat. *vid. VINDIC. VITRIAR. CASTIG.* §. *121. ſeqq.*

§. 32. Neque enim territorii limitibus illud circumſcribitur, ſed uti vim ſuam extendit ad exteros, dum fœdera ineuntur, Legati mittuntur, bellum geritur, ita ad Comitia quoque, ejus virtus porrigitur, hinc à quo tem-

tempore Status territoria *proprio jure* regere cœperunt, ab eo quoque tempore ſuffragium comitiale, in *deciſivum* mutari debuit, manifeſto connexionis indicio.

§. 33. Id tamen non aſſerimus, quaſi jus territoriale, ſemper jus ſuffragii pariat, res enim morales arbitrio humano ſunt diviſibiles, hinc uti jus ſuffragii, ſpeciali Procerum germanicorum voluntate, alicui tribui poſſet, licet jus territoriale non haberet, ita hoc, ſine illo, etiam adeſſe poteſt & ſolet.

§. 34. Illos autem plane falli arbitramur, qui jus territoriale, putant eſſe juris ſuffragii *conſecutivum*, *vid.* SCHWED. *d. l.* §. *10.* KULPIS. *d. l.* §. *6.* cujus præpoſteræ philoſophiæ origo deſcendit ex falſa hypotheſi, quo jus ſuffragii, pro *Majeſtatico*, Territoriale vero, pro *Non-majeſtatico & ignobiliori jure* habetur, quam nullo ſolido niti fundamento, ex accurata harum rerum conſideratione, facile liquet.

§. 35. De cætero *jus ſuffragii*, non *ejus exercitium* ſeu *poſſeſſio*, ad Statum requiritur, hæc enim non ad *eſſentiam*, ſed *qualemcunque probationem* pertinet, KULPIS. *d. l.* §. *8. ſeqq.*

§. 36. Ex dictis facile etiam explicatur vulgaris quæſtio: *an jus ſuffragii ſit patrimonii qualitas*, an *perſonæ dignitas?* nimirum per-

ſonæ utique inhæret, prout ex natura rerum moralium facile liquet, nemini tamen competit, niſi qui, in patrimonio immediato, jus territoriale exercet, quo amiſſo, & jus ſuffragii perit, vid. *SCHWED. d. l. §. 2. 9. KULPIS. ad Monzamb. c. 2. §. 1. in fin.*

§. 37. Cæterum quæ de connexione Juris Territorialis & ſuffragii dixi, ea non alio ſenſu accipienda ſunt, quam quod, ex habitu horum jurium, ac præſenti Reipublicæ Statu, ita pronunciandum videatur. Interim certum eſt, quod jus Territoriale, ſine jure ſuffragii, & hoc, ſine illo, eſſe queat, ac aliquando etiam ſit, ceu jam admonui §. *33.*

§. 38. Inprimis quoad Proceres Eccleſiaſticos, laudata illa jura, ſeparata eſſe poſſunt, cum enim olim, nam tam ex neceſſitate, quam ſuperſtitione potius, conſilii cauſa, Comitiis illi admoti fuerint, hinc fieri potuit, & forte non raro factum eſt, ut eorum nonnulli jus ſuffragii obtinuerint, eodemque etiam hodie gaudeant, qui tamen nunquam ad jus Territoriale adſpiraverunt, ſed ſemper alii Domino Territoriali ſubfuerunt, quod rerum germanicarum periti penitius intelligent. Neutiquam igitur ex mea ſententia, a jure Territoriali, ad jus ſuffragii, vel ab hoc, ad illud, tuto inferri poteſt, ſed hæc omnis res, quoad ſingulos Germaniæ Proceres,

res, ex propriis rationibus, definienda eſt.

§. 39. Denique ad Statum requiritur (3) *ut nexu fere ſociali, ad ferenda inprimis civitatis onera, Cæſari totique Imperio ſit obſtrictus*, nam ſine hac obligatione, præcedentia jura nemini regulariter conceduntur, hinc, ob hanc Connexionem, illa, pro requiſito Status, merito habetur: Illud interim facile liquet, de dignatione Status nihil decedere, ſi in aliquo, obligatio illa, quatenus oneroſa eſt, deficiat.

§. 40. Illud obſervandum, quod nexus ille Communis, maximam partem, ſit ſocialis, i. e. Status imperii, velut ſocios, Reipublicæ conjungat: Et licet, in nonnullis Vaſallagium accedat, aut etiam tenues ſubjectionis reliquiæ, adhuc ſuperſint, attamen prior ille nexus prævalet, ejusque, in æſtimandis Statuum officiis, potior eſt habenda ratio, contra quod a nonnullis peccari, jam admonui in *Jur. Feudal. German. c.2.§. 8. ſeqq.*

§. 41. Tria illa, quæ exegimus requiſita, ſatis etiam confirmant exempla Statuum, ſine controverſia talium, in iis enim omnia conjunctim occurrunt, ut, a poſteriori, eſſentiam Status, conjectura non inſubita, inde colligere liceat.

§. 42. Quodſi noſtram ſententiam cum

altera contendas, utraque in eo conſentit, quod jus territoriale, ſuffragii & obligatio paulo ante memorata, ſi in ſe ſpectentur, plane differant.

§. 43. In eo etiam utriusque eſt conſenſus, quod illa jura non ſemper cohæreant, hinc, juxta meam quoque ſententiam, verum eſt, quod *non omnis immediatus, gaudeat jure ſuffragii*, ut &, quod *is, qui jure ſuffragii gaudet, non ſemper ſit immediatus*, denique quod *obligatio, ad ferenda onera, ceſſare poſſit, licet jus territoriale & ſuffragii adſit.*

§. 44. Tandem licet, ex mea hypotheſi, *Immediati*, & in ſpecie *Nobiles immediati*, ſuo modo dici poſſint Status, non plus juris tamen iis ideo tribuo, quam juxta communem ſententiam habent.

§. 45. Omne igitur diſcrimen in diverſa *jurium illorum æſtimatione ac denominatione* conſiſtit, mihi enim propoſitum fuit, diverſa jura propius inter ſe contendere, ac ex *æquali habitu* eorum, *conceptum* & *nomen Status* formare, infra quam æſtimationem, communis ſententia, dum, ex ſolo jure ſuffragii, titulum Procerum imperioſum repetit, ac jus Territoriale illo ignobilius exiſtimat, videtur ſubſediſſe.

§. 46. Ex quo etiam liquet, non ſubeſſe hic

hic inanem logomachiam, quaſi ſcilicet vulgo, nomine Status, ſtrictius utantur, mea autem ſententia ſenſum laxiorem ſectetur, adeoque quivis, ſine veritatis præjudicio, ſenſu ſuo abundare poſſit.

§. 47. Nam eſt quidem controverſia de nomine, ſed juxta veram jurium in Proceribus Germaniæ occurrentium, indolem adhibendo, quæ diſquiſitio utique realis eſt, hinc etiam concedi non debet, quod hic æquale nominis uſurpandi jus ſit, nam licet alias, circa terminos, magna ſit libertas, attamen iſta vocabuli acceptio, quæ ex errore procedit, ac errandi cauſam amplius præbet, tolerari non debet.

§. 48. Uſus igitur noſtræ ſententiæ in eo conſiſtit, quod eadem, jura Procerum Germanicorum vere æſtimet, titulum imperioſum inde convenienter afferat ac explicandis legibus publicis, diverſo ſenſu, Status nomen uſurpantibus, ſit aptiſſima, cum e contrario ſententia communis & a vera jurium illorum æſtimatione abeat, titulumque imperioſum minus recte formet, & leges publicas, ex præjudicio ſuo, ſæpe non interpretetur ſed calumnietur.

§. 49. Ultimum hoc, exemplo controverſiæ inter *HIPPOLYTHUM A TREISBACH* (*vid. MAURIT. diſſert.* de nobilit. hab. Tubing.

 1660.

1660. §. 29. KULPIS. *ad Monzamb. c. 2. §. 14. de jur. Legat. c. 14. §. 29.)* & LIMNÆUM *Tom. 1. addit. ad l. 6. c. 3. n. 10. add.* VITRIAR. *J. J. P. l. 4. c. 1. §. 33.* agitatæ illuſtrari poteſt. Nimirum in Reſcripto quodam Rudolphi II. de *anno 1610. d. 18. Mart.* in literis Electorum & Principum quorundam de *dato Mülhuſii d. 21. Mart. 1620.* denique in Capit. Ferdinandi II. *art. 13.* Ferdinandi III. *art. 17.* Nobiles immediati, non obſcure *Status* dicuntur.

§. 50. Inde colligit *HIPPOLYTHUS*, quod ſeſſione & voto in Comitiis gaudeant, hoc vero cum non admittendum videretur *LIMNÆO*, id omnibus modis egit, quo Nobilibus prædicatum illud eriperet. Uterque eodem laborat præjudicio, *ILLE* ex eo, male colligit, *HIC* contorte interpretatur. Ex noſtra ſententia nulla ſubeſt difficultas: Nobiles immediati, dicuntur *Status*, ratione *immedietatis*, hinc nec ſequitur; quod ſeſſione & voto gaudeant; nec prædicatum illud, ipſis eſt eripiendum.

§. 51. Sed de his ſatis. Cum iis qui ad Statum imperii requirunt, *relationem in matriculam*, aut *in circulum*, vel *convocationem ad comitia*, facile tranſigi poſſe, quidam cenſent, ſi eos non tam de *eſſentia* Status, quam *qualiquali probatione* ſollicitos eſſe dicamus vid. *KULPIS. de Legat. d. c. 4. §. 5. SCHWED. d. l. §. 5. 6. 7.*

§. 52.

§. 52. Addendum tamen fuerit, probationem illam non de *rei veritate*, ſed *affectu utentis* eſſe exaudiendam, nam qualitatem Status, nullo modo inde probari poſſe, certum eſt, de quo loco proprio pluribus.

CAP. II.

De Statuum Imperii Varietate.

SUMMARIA.

Statuum imperii varietas §. 1. 2. Status ſeculares, ſunt quadruplices §. 3. ſub Principibus continentur Duces §. 4. 5. Comites Palatini §. 6. Marchiones §. 7. Burggravii §. 8. Landgravii §. 9. Principes in ſpecie §. 10. Comites principali dignitate fulgentes §. 11. monita generalia quoad hos Proceres §. 12. 13. 14. ſub Dominis qui contineantur §. 15. urbium imperialium diviſio & varietas §. 16. 17. 18. Nobilium immediatorum diverſæ claſſes §. 19. 20. Status Eccleſiaſtici, ſunt duplices §. 21. ſub Epiſcopis continentur Archiepiſcopi & Epiſcopi §. 22. 23. 24. ſub Abbatibus, Abbates principales & ſimplices §. 25. ſeqq. circa ſingulos Status, quouſque novis definitionibus opus §. 28. ſeqq. Statuum numerus eſt incertus §. 38. 39. monitum de ratione docendi vulgari §. 40. 41.

§. I.

§. I.

HAnc tetigi, cum Statuum imperii origo explicanda eſſet *l. 1. c. 4. 5.* ſed nunc quoad tempora præſentia, hæc res ſpectanda. Status ergo diſtinguuntur (1) *a munere diverſo* in *Seculares* & *Eccleſiaſticos* (2) a *religione*, in *Pontificios* & *Proteſtantes, vid.* SCHWED, *d. l. §. 12.* (3) ab *exiſtimatione, in Superiores & Inferiores* KULPIS. *d. l. §. 12.* (4) ab *ætate, in veteres & recentiores* ID. *d. l. §. 13.* (5) a *Superioritatis Territorialis diverſa quantitate, in Majores ſeu Armipotentes & minores Dynaſtas, add.* SCHWED. *d. Sect. 2 c. 1. §. 14.*

§. 2. Neque vero hæc ultima CÆSARINI FURSTENERII diviſio adeo abſurda eſt, ut cum legibus publicis conciliari vix queat, ceu exiſtimat KULPIS. *d. l. §. 14.* nam uti ipſe propria applicatione *d. tr. c. 10. §. 7. ſeqq.* ejus bonitatem agnoſcit, ita quæ *d. §. 14.* objicit, nullo negotio dilui poſſunt, *conf.* ID. *ad Monzamb. c. 2. §. 8.*

§. 3. Prima diviſio explicatius nonnihil proponenda eſt. *Status Seculares*, in *Principes*, *Dominos*, *Urbes*, *imperiales* & *Nobiles immediatos*, ex mea ſententia, diſcerni poſſunt, ceu *l. 1. c. 4.* jam retuli, ubi etiam *Principis* nomen fuit explicatum, quod nunc ſupponi-

ponitur, *add. LIMN. de jur. public. l. 4. c. 2.*

§. 4. Sub Principibus continentur (1) *Duces;* Familiarum autem Ducalium, quæ in ſolo hoc nomine perſtant, novem numerari ſolent, nimirum Saxonica, Bavarica, Brunſvigo-Lüneburgenſis, Würtembergica, Mecklenburgica, Holſatica, Lauenburgica, Sabaudica & Lotharingica.

§. 5. Cæterum ſicut duæ ultimæ à rationibus germanicis ſeparatæ videri volunt, ita Lauenburgica etiam deſiit. Alias Ducatus Sveviæ, Stiriæ, Carinthiæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, Pomeraniæ, Franconiæ, Burgundiæ, aliique laudantur, ſed, propriis familiis extinctis, vel ſunt diſtracti, vel à poſſeſſoribus, alio inſuper axiomate ſplendentibus, detinentur, vel ex bonis Eccleſiaſticis noviter ſunt exorti, *vid. LIMN. de. jur. publ. l. 4. c. 3. SCHWED. introd. ad Jus publ. P. Sp. Sect. 2. c. 7. §. 8. ſeqq.*

§. 6. Pertinent huc (2) *Comites Palatini*, qui titulus hodie Ducibus Bavariæ, ac Palatinis Rhenanis adhæret, ſed olim pluribus competiit, ac in ſpecie etiam Duci ac Electori Saxonico, *vid. SCHWED. d. c. 7. §. 14. ſeqq. COCCEJ. J. P. P. c. 15. §. 16. ſeqq. add. ſupr. l. 1. c. 4. §. 11.*

§. 7. Sequuntur (3) *Marchiones* quales ſunt Marchio Brandenburgicus (quem à cæteris

teris ſeparandum cenſet *COCCEJ. d. l. §. 24.* cum ſimul Dux fuerit) Badenſis, Hochbergenſis, Miſniæ, Moraviæ, Luſatiæ ac forte alii *vid. SCHWED. d. l. §. 16. COCCEJ. d. l.*

§. 8. In hunc cenſum etiam referuntur (4) *Burggravii*, quorum præcipui ſunt Magdeburgenſis, quem titulum Electores Saxoniæ gerunt, & Norimbergenſis, qui eſt familiæ Brandenburgicæ, *vid. LIMN. Jus Publ. l. 4. c. 4. n. 83. ſeqq.* præterea etiam Strombergenſis, Reineccenſis aliique laudari ſolent, *vid. SCHWED. d. c. 7. §. 18. COCCEJ. d. l. §. 25.*

§. 9. Huc etiam referendi (5) *Landgravii*, quales ſunt Landgravii Haſſiæ & Thuringiæ, nec non Lichtenbergenſis, Alſatiæ, Suſenbergiæ & Nellenburgicus aliique ſed conditionis inferioris, *vid. SCHWED. d. c. 7. §. 17. COCCEJ. d. l. §. 23. 26.*

§. 10. Succedunt (6) *Principes ſpecialisſime ſic dicti*, ut Anhaltini, Principes Sveviæ, Rugiæ, Halberſtadienſis, Mindenſis, Caminenſis, Schwerinenſis, Ratzeburgenſis, & Hirſchfeldenſis, quibus accedunt Principes noviter creati, quorum nonnulli etiam in numerum Statuum imperii recepti, *vid. SCHWEDER. d. c. 7. §. 19. ſeqq. COCCEJ. d. c. 15. §. 27.*

§. 11. Denique hac claſſe cenſendi (7) *Comites dignitate Principali fulgentes* Ge-

für-

fürſtete Graffen ut Comites Hennebergici, Mompelgardenſes aliique, qui etiam inter Principes ſuffragia ferunt, ſed aliorum dignitas ſaltem perſonalis eſt, ac jure ſuffragandi, vel omnino carent, vel eodem, inter Comites, utuntur, *vid. SCHWED. d. c. 7. §. 20. in fin. COCCEJ. d. c. 15. §. 28. add. LIMN. Jus publ. l. 4. c. 4.* quod ultimum fortaſſis, etiam quoad Principem Schwartzenburgicum, noviter hac dignitate decoratum, dicendum eſt.

§. 12. Tria autem circa Principes hactenus breviter repræſentatos, notanda (1) Marchiones, Burggravios ac Landgravios nonnullos dignitate Principum non frui, *vid. COCCEJ. d. c. 15. §. 26.* (2) Duces Auſtriacos ſublimiori Archiducum exiſtimatione gaudere, quo titulo ſplendidiori, Ducis nomen eſt expunctum, illique in Principum Ordine, Electoribus exceptis, ſummo fruuntur honore, *vid. SCHWED. d. ſect. 2. c. 7. §. 3. ſeqq. COCCEJ. d. c. 15. §. 14. 15.* Magni autem Duces in Germania non occurrunt, *vid. BOECLER. N. J. l. 7. c. 8. PAURMEIST. de Jurisdict. imp. Rom. l. 2. c. 9. n. 3.*

§. 13. Deniq; (3) quosdam Duces, Comites Palatinos & Marchiones ſuo tempore conſecutos eſſe jus eligendi Cæſarem, de cujus rei origine uti circa electionem imperatoriam agen-

agendum eſt, ita Proceres hi, ſub *Electorum* nomine, ſummam inter omnes imperii Status, obtinent exiſtimationem, ac peculiarem conſtituunt ordinem, Eccleſiaſticis tamen Electoribus, de quibus deinde, poſtponuntur.

§. 14. Inhæret axioma illud Electorale regno Bohemiæ, Ducatui Bavarico, Saxonico, Marchionatui Brandenburgico, Comitatui Palatino Rhenano, ac, cui noviſſime communicatum, Ducatui Brunsvicenſi Hannoverano, *vid.* LIMN. *J. P. l. 3. c. 7. ſeqq.* SCHWED. *Introd. ad J. P. P. Sp. Sect. 2. c. 2. ſeqq. add.* ARUM. *de Comit. c. 2. n. 31. c. 4. n. 40.*

§. 15. In ſecunda Statuum ſecularium claſſe ſunt *Domini*, ſub quibus *Comites*, *Barones & Domini in ſpecie* continentur, *vid. ſupr. l. 1. c. 4. §. 13. ſeqq.* de cætero haut exiguus eorum eſt numerus, ſolentque illi juxta quatuor Scamna Comitialia, *Wetteravicum*, *Svevicum*, *Franconicum & Weſtphalicum* repræſentari, *vid.* SCHWED. *Introd. ad J. P. P. Sp. Sect. 2. c. 8.* LIMN. *J. P. l. 4. c. 4. 5. conſ.* BOECLER. *N. J. lib. 6. ſeqq.*

§. 16. Tertiam claſſem conſtituunt *Urbes imperiales*, quæ intuitu Comitiorum, in duo Scamna, *Rhenanum & Svevicum*, ſeparantur, ac ſolent diſtingui in *Civitates imperiales*, Reichs-Städte & *liberas civitates imperiales* freye Reichs-Städte quæ diviſio, pro diverſa

ſa

ſa explicatione, rejici *v.* SCHWED. *d. Sect. 2. c. 9.* & defendi poteſt, *vid.* SCHILTER. *J. J. P. l. 1. tit. 23. §. 2.* COCCEJ. *J. P. P. c. 17. §. 7. 8.* hodie tamen in genere nullius amplius eſt uſus.

§. 17. Ex ſententia COCCEJ. *d. c. 17. §. 9. ſeqq.* Civitates immediatæ ſeu imperiales ſunt triplicis generis, quædam ſunt tales (1) *ſua natura*, quæ ſcilicet in terris immediatis, Svevia, Francia, Terra Rhenenſi & Weſtphalia reperiuntur (2) *quæ terris mediatis ſpecialiter exemtæ (3) Civitates Bavariæ & Saxoniæ, quæ diſtractis his, ſub Henrico Leone, provinciis, Principibus non ceſſerunt.*

§. 18. Cæterum uti illud diſcrimen, præſentem, Civitatum imperialium Statum earumque jura non attingit, ita in ſe etiam non ſatis certum eſt, nam differentiam Provinciarum immediatarum & mediatarum, ex qua hoc conſectarium repetitur, usque ad ea tempora, quibus Procerum libertas cœpit, inconcuſſe ſtetiſſe, probari nequit, *vid. l. 1. c. 3. §. 25. ſeqq. c. 4. §. 36. 54. add.* LIMN. *J. P. l. 7. ibique addit.* Ubi fuſe ſatis hiſtoriam juraque Civitatum imperialium perſequitur.

§. 19. Denique ad Status Seculares referimus, *Nobiles immediatos*, licet enim jus ſuffragii non habeant, quia tamen immediati ſunt ac jure territoriali gaudent, de quo ſuo

loco amplius videbimus, ideo juxta meam hypotheſin, ad Status imperii, ſuo modo pertinent, quod multo magis de *Ganerbinatu Fridbergenſi* aſſerendum, utpote qui jure ſuffragii etiam gaudet, ſi fides SCHWEDERO *d. P. Spec. ſect. 2. c. 18. §. 6.* quamvis iſtam ſententiam lubricis rationibus tueatur LIMN. *J. P. l. 6. c. 3. n. 31. 32.* refutatus TEXTORI *in Jur. publ. Stat. imper. tit. 15. n. 73. ſeqq.*

§. 20. Diſtinguuntur Nobiles immediati in tres claſſes, *Svevicam*, *Franconicam* & *Rhenanam*, ſolet adjici quarta, *Alſatica*, ſed hodie fortaſſis ſine aliquo juris effectu. Ex tribus prioribus ſingulæ in certa *Loca* amplius diſpeſcuntur, quorum incolæ peculiaribus nexibus inter ſe obſtringuntur, cum enim ſingulorum prædia, in ordine ad cæteros Status, ſuſtinendo & exercendo juri territoriali, non ſatis ſint valida, ideo rei neceſſitas aliquam conjunctionem exigit. De cætero Nobiles immediati non ſemper bona immediata poſſident, *vid.* LIMN. *J. P. l. 6. c. 3.* SCHWED. *d. P. Spec. ſect. 2. c. 18.* KULPIS. *ad Monzamb. c. 2. §. 14.*

§. 21. Status Eccleſiaſtici, ſunt vel *Epiſcopi* vel *Abbates*, illi *Principibus*, hi *Dominis* annumerantur, ac in ſuo Ordine ſecularibus præferuntur, ſi Archiduces Auſtriæ excipias *vid. §. 12.* eos tamen ſine contradictione, præroga-

ativa ſemper frui, nolim aſſerere.

. 22. Epiſcopi Status, ſunt vel *Archiepi-*
i, nempe Moguntinus, Trevirenſis,
onienſis qui etiam munere & dignitate
ſtorali gaudent, *vid.* LIMN. *J. P. l. 3. cap. 1.*
. Salisburgenſis & Veſontinus, *vid.* CON-
G. ad Lamp. p. 3. c. 6. §. 4. n. 1. 2. RHET. *J.*
. l. 1. tit. 16. §. 32. vel *Epiſcopi ſimplices*, qui
hiepiſcopis, quoad munus eccleſiaſticum,
unt, ac eo reſpectu *Suffraganei* vocantur
RING. d. l. n. 2.

. 23. Quidam Epiſcopi à Jurisdictione
hiepiſcopali ſunt *exemti* ut Bambergenſis
Iiſnenſis (cujus tamen hodie alia plane
ditio) quorum Eccleſiæ ideo *ingenuæ* di-
tur *CONRING. d. l.*

24. De cætero quidam Epiſcopatus im-
o exemti ſunt, ut Metenſis, Tullenſis &
dunenſis, vid. RHET. *d. tit. 16. §. 35.* qui-
ad conditionem Statuum provinciali-
à Statibus Potentioribus redacti, dubia
en ſæpe ſorte, quidam ſeculariſati, ut Ar-
piſcopatus Magdeburgenſis & Bremen-
uo ipſo, quantum ad jura Status, non res,
ei nomen, ac externa Schemata, ſaltem
ata cenſeri debent CONRING. *d. l. n. 3.*

25. Abbates Status, intuitu imperii no-
diſtinguuntur in *Abbates Principum di-*
te fulgentes, ut ſunt Fuldenſis aliique,

S 2 qui-

quibus etiam annumeratur Supremus Magiſter Equitum Ordinis Johannitici ſeu Prior per Germaniam, **der oberſte Meiſter in Teutſchland**/ ſed Magiſter Ordinis Teutonici, inter Archiepiſcopos & Epiſcopos medius eſt, *vid. l. 1. c. 5. §. 19. & Abbates ſimplices*, hi exquiſite loquendo dicuntur *Prælati.*

§. 26. Ad hos referuntur etiam indiſtincte *omnes Abbatiſſæ immediatæ*, licet principali dignitate fruantur, & *Commendatores immediati, vid.* PAURMEISTER. *de jurisdict. l. 2. c. 1. 10.* SCHWED. *p. ſp. ſect. 2. c. 6. §. 10. c. 18. §. 14.*

§. 27. Occurrit autem quoad Abbates & Abbatias eadem mutatio, quam circa Epiſcopatus annotavimus §. 24. Sic Abbatia Hirſchfeldenſis, Principatus titulo à Landgraviis Haſſiæ, vigore Inſtrumenti pacis, tenetur, *add.* SCHWEDER. *Introd. ad J. P. p. Sp. Sect. 2. c. 3. 6.*

§. 28. In omnibus Statibus hactenus enumeratis, definitio Status, *cap. præc.* data, ſupponenda, in quantum eam ſinguli admittunt, ut non opus ſit, circa Electores, Principes cæteroſque, novam definitionem otioſe moliri, quod quibusdam ſolenne eſt, VITRIAR. *l. 1. tit. 16.*

§. 29. Id quoque notandum, vulgarem definitionem qua v. gr. *Dux* dicitur, *qui de*

Duca-

Ducatu eſt inveſtitus, nullius eſſe momenti, nam obſcurum per æque obſcurum exprimit, præterea ad Statum, atque ita in ſpecie, Ducem, Comitem &c. non requiruntur præciſe bona feudalia, *vid. RHET. ad jus feud. l. 1. tit. 1. p. 65. & tit. 3. p. 188.* denique non ab inveſtitura, ſed lege fundamentali, jus Status oritur.

§. 30. Sed quo ſenſu repetitionem definitionum improbem, id ex allegatione Vitriarii, ac ſubjecto exemplo intelligi velim, improbo ſcilicet definitiones *generales & falſas*, de quo in *VINDIC. VITRIAR. CASTIGAT.* §. *142 usque ad 149.* plura dixi. Alias ſi quis poſt definitionem generalem, ſingula Statuum genera, ſpecialibus definitionibus, rite formatis, illuſtret, id adeo non improbo, ut nunc ipſe tales ſpeciminis loco afferre velim.

§. 31. Nimirum definitum definitionis generalis, in ſpecialibus, Generis locum ſubire debet, cui deinceps differentiæ, quæ ſingulos à cæteris diſcernant, addendæ. Juxta hæc igitur Principes Seculares ſunt *Status, jure territoriali Monarchico, ſuffragioque perſonali gaudentes, ac antiquo Ducum, Marchionum ſimilive munere: eique innexa dignitate, Regali proxima, ſuisque gradibus iterum diſtincta, à cæteris ſeparati.*

§. 32. In ſpecie Archidux eſt *Status, Princeps* (quo nomine contenta præcedentis definitionis, in quantum huc pertinent, innuuntur) *antiquo munere Ducali, aliquo exiſtimationis gradu, aucto inſignitus ac a cæteris Proceribus, hac nota diſtinctus.*

§. 33. Elector ſecularis (quo nomine non ad electionem Cæſaream præciſe reſpicitur, ſed eodem, velut exſtantiori & notiori, ſummi Principes ſignificantur) *eſt Status Princeps, antiquo Ducis, Comitis Palatini aut Marchionis munere præditus, ac ob accedens electorale aliudque Archiofficium nec non alias prærogativas, ſumma inter Proceres Germaniæ, exceptis Electoribus Eccleſiaſticis, exiſtimatione gaudens &c.*

§. 34. Domini ſunt *Status, regimine territoriali ſingulari, non ſatis ſplendido, & voto curiato instructi ac ſub veteri Comitum Baronumque munere, dignitate principali proxima gaudentes.*

§. 35. Urbes imperiales ſunt *Status, jure territoriali polyarchico, non adeo ſplendido, ac ſuffragio, in ſuo ſenatu perſonali, proximaque poſt Comites & Barones, dignitate inſtructæ.* Nobiles immediati ſunt *Status imperfecti, jure territoriali, polyarchice exercendo, minusque ſplendido ac inferiori Nobilitate præditi.*

§. 36.

Digitized by Google

§. 36. Epiſcopi ſunt *Status jure territoriali monarchico ac ſuffragio perſonali gaudentes, munere epiſcopali eique adjuncta dignitate principali, ſecularem regulariter antecellente, a cæteris Proceribus diſtincti.*

§. 37. Abbates ſimplices ſunt *Status jure territoriali ſingulari, non adeo ſplendido, & voto, in Senatu Principum, curiate inſtructi, ſub antiquo Abbatum munere eique adhærente Dominorum exiſtimatione, ſecularem hujus ordinis dignitatem vincente, a reliquis ſeparati &c.*

§. 38. In hunc modum rectius forte, quam vulgo fieri ſolet, definitiones Statuum ſpeciales formantur. De cætero quantus Statuum, quorum diverſa *genera* hactenus tradidimus, ſit *numerus vid.* PAURM. *de J. J. R. l. 2. c. 1. p. 415. c. 2. p. 511.* CONRING. *de civ. imper. §. 40. ſeqq.* id dictu non adeo expeditum, imo fortaſſis impoſſibile eſt, ſi incertitudinem Status publici conſideres.

§. 39. Nolim igitur hactenus tradita ita accipi, quaſi omnes Principes, Domini, Epiſcopi & Abbates, pro Statibus imperii haberi debeant, nam uti nomina illa hodie ſæpe nudã ſine ulla poſſeſſione, denotant dignitatem, ita certum etiam eſt, quod eorum multi poſſideant ſaltem terras mediatas, aliorumque imperii Statuum, ſint ſubditi & Status provinci-

vinciales. Quando igitur ad ſpecialia devenitur, cujusvis conditio prudenter æſtimanda eſt, quo loco ſententiam, *l. 1. c. 4. §. 35. 36. c. 5. §. 30.* propoſitam, etiam repeto, *add. CONRING. ad Lampad. p. 3. c. 6. §. 4. n. 1.*

§. 40. Solent alias Scriptores, quando Statuum imperii varietatem recenſent, valde prolixi eſſe, quod inſtitutum tamen, ex regulis artis, non plane probari poteſt: nam Genealogica & mere hiſtorica, ad propriam diſciplinam, *vid. KULPIS. ad Monzamb. c. 2. §. 3.* pertinent, quanquam, ſi operi prolixo ac in varios uſus confecto, eadem inſerantur *vid. LIMN. J. P. l. 5.* id improbare nolim.

§. 41. Omnia autem jura Statuum, in hunc locum referre, incongruum eſt, cum eadem, juxta diverſos reſpectus, quos deinde oſtendam, expendenda ſint. Quare tractationi diffuſiori, generalia ſaltem, ad originem unius aut alterius Status, vel habitum territoriorum in genere pertinentia, ſimiliaque, aptam præbere poſſunt materiam.

CAP. III.

De Matriculis Imperii.

SUMMARIA.

Ad deſignandos Status, matriculæ ſunt confectæ, ex vulgari ſententia §. 1. 2. quæ rejicitur §. 3. oſtenſa erroris origine

gine §. 4. 5. 6. hinc etiam corruit diſtinctio Limnæi §. 7. verus matricularum ſcopus §. 8. ſed inadæquatus §. 9. 10. adæquatus, cum definitione matriculæ §. 11. id quod amplius probatur §. 12. 13. ac cum R. J. conciliatur §. 14. comparatio communis & noſtræ ſententiæ §. 15. hujusque, per exemplum aliquod, illuſtratio §. 16. matricularum origo §. 17. neglectus & occaſio §. 18. an earum amiſſio ſit exitiale peccatum §. 19. matricularum progreſſus §. 20. Autores §. 21. materia §. 22. vis probandi ex communi ſententia §. 23. 24. 25. quam à ſcopo abludere oſtenditur §. 26. 27. hinc etiam corruit jactata authentia matriculæ Wormatienſis §. 28. 29. 30. 31. ceſſat quoque quæſtio de uſu matricularum antiquiorum §. 32. 33. 34. matricularum cognata §. 35. imperfectio §. 36. 37. 38. emendationis nulla ſpes §. 39. 40.

§. I.

MAtriculas imperii *vid.* MAURIT. *diſſert. de matricul. §. 1. 2.* eo *fine* confectas eſſe, ut *Status imperii germanici definite exhibeant*, communis fere Scriptorum eſt ſententia, ex eoque præſuppoſito multa deinceps, quoad matricularum, in probanda Status qualitate, effectum, diſputantur, aut generalius tota earum doctrina ex illo inſtruitur.

§. 2. Liquet ſane hoc ex vulgaribus matricularum definitionibus, quæ, prout illum finem exprimunt aut omittunt, laudari vel

rejici ſolent, hinc in ſpecie MAURITIUS matriculam ait eſſe *libellum publica authoritate deſtinatum, ut in eo deſcribantur nomina omnium imperii Civium ſeu Statuum, & quantum quisque eorum ad uſus communes contribuat d. diſſert. §. 3. 4. 5.*

§. 3. Eandem ſententiam ipſe etiam aliquando ſecutus ſum, ſed Summi cujusdam Viri admonitu, de eadem dubitare cœpi, ac, re penitius expenſa, deprehendi, nimis liberale, &, ex ſuperficiaria rei præſentis conſideratione, exortum, præſuppoſitum eſſe, quo finis modo memoratus, matriculis aſſignatur.

§. 4. Videntur Scriptores, in æſtimandis matriculis, duo confundere, (1) *an utile ſit, ut exactus Statuum imperii catalogus conficiatur, & (2) an, poſita Status publici incertitudine, talis factus ſit, aut ejus faciendi propoſitum efficax Proceres Germaniæ habuerint?* prius dubio procul aſſerendum, ſed non poſterius, quod tamen vulgo etiam faciunt.

§. 5. Cum enim tot lites ſubſint circa conditionem publicam vel immedietatem nonnullorum Procerum, quis credat, dubiis illis non ſublatis, matriculum Statuum vel confectam eſſe, vel Proceres Germaniæ, eam conficere potuiſſe aut voluiſſe?

§. 6. Hinc quæ MAURIT. *d. diſſert. §. 5.* poſtquam finem illum, ex vulgari præjudicio, laudave-

Digitized by Google

daverat, addit: *licet hactenus fortaſſis deſit Imperii matricula, quæ omnium Imperii Civium nomina, nullis admixtis alii mediate ſubjectis, exacte exprimat, dubio tamen procul ſit, ſaltem intentione Imperatoris & Ordinum imperii, huic fini deſtinari matriculam*, non ſatis cohærent, nam fruſtra, in rebus agendis, aſſerimus intentionem, quæ in actum deduci nequit!

§. 7. Ex quibus etiam ultro patet, male comparatum eſſe cum diſtinctione LIMNÆI, qua alias matriculas, Status Imperii ſine, alias, cum onere referre cenſet *J.P.l.1.c.7. n.94. Tom.1. Addit.l.4.c.7.n.67. vid. MAURIT. d. diſſert. §.11.12.* nam uti ille ſuſpectum fortaſſis ſectatur exemplar, ita definitam Statuum recenſionem, ullam matriculam intendere, nondum probatum eſt.

§. 8. Faceſſat igitur præſuppoſitum, quod tam amplum finem matriculis aſſignat! Proprius acceſſeris ad veritatem, ſi occaſionem matricularum conficiendarum conſideres, de his ſcilicet cogitatum eſt, quando ſumtus publici fuerunt conferendi, ergo eo *fine* matriculas concinnatas dicemus, ut ſint *indices contribuentium*.

§. 9. Verum hoc utique eſt, ſed caveri tamen debet ne in alterum extremum prolabamur, ac, in matricularum confectione, à qua-

qualitate Status penitus abſtrahi, exiſtimemus, nam nec hoc veroſimile eſt, ſi enim certo conſtet, aliquem non eſſe Statum aut ſaltem immediatum, is matriculis haut inſeretur, manifeſto indicio, immedietatis conſiderationem hic non plane ſeponi.

§. 10. Accedit, quod nemo jus ferendorum onerum imperii habeat, niſi qui immediatus eſt, hinc index contribuentium, ſine im̃edietatis conſideratione, confici non poſſe videtur. Idem oſtendunt contradictiones, quæ matriculis conficiendis opponuntur, hæ enim non ex alio fundamento fiunt, quam quod inſerendus, pro immediato non habeatur: denique ſi appareat, inſertum non eſſe immediatum, is in matricula delebitur, quæ omnia ſatis oſtendunt, ab immedietate, in catalogorum illorum confectione, non plane abſtrahi.

§. 11. Media igitur eaque vera ſententia aderit, ſi dicas, circa matriculas *præſupponi*, aliquem eſſe Statum imperii vel ſaltem immediatum, ſed non *definiri*, ac ex illa hypotheſi, in medio relicta, ob urgentem neceſſitatem, ſaltem inferri, quod ad onera ferenda ſit obſtrictus, hinc matricula eſt *index contribuentium, ex præſuppoſita, ſed non probata aut definita, immedietate procedens.*

§. 12. Veritas mediæ hujus ſententiæ, ex accu-

accurata circumſtantiarum conſideratione eluceſcit. *Neceſſitas publica exigit ſumtus*, ergo index contribuentium confici debet, *hos autem jure nemo ferre poteſt niſi immediatus*, igitur hæc conditio præſupponenda, *quia vero immedietas eſt ſæpe dubia*, ideo à definitione abſtinendum.

§. 13. Si quis igitur, qui matriculæ inſertus reperitur, bonis rationibus Status ſit, ille impoſterum quoque talis erit, ſi quis vero dubiæ ſit conditionis, ille ejusdem etiam deinde manebit, ſi denique quis plane Status non ſit, ſed malis rationibus pro tali fuerit habitus, is per relationem in matriculam, in iſtum cenſum non evehetur, maxime ſi alius inſertioni iſti contradixerit.

§. 14. Atque ex his locutiones Receſſuum, quæ matriculas dicunt **Anſchläge der Stände** / *vid. R. J. 1576. §.* **wen auch** *99. R. J. 1594. §.* **wen auch bey** 122. in verbis: **Alle und iede Stände darinne begriffen / bey derſelben Anſchlägen zu laſſen** / *add. MAURIT. de matr. §. 41.* facile explicantur, nam præſupponitur utique eum, qui matriculis inſeritur eſſe Statum, hinc hactenus etiam ita ille vocari poteſt, ſed non definitur.

§. 15. De diſcrimine communis & meæ ſententiæ vix aliquid admonendum, cum ex hactenus dictis ſatis id intelligatur. Vulgo ſcili-

ſcilicet, circa confectionem matricularum, *animum definiendi*, in Conficientibus aſſerunt, ſed *hunc* ego nego, hinc ex ſententia communi, ad probandam Status qualitatem, matriculis uti licet, ſed ex mea hypotheſi, ad illam probationem, hæ ſunt ineptæ.

§. 16. Poſſunt hactenus dicta exemplo aliquo privato illuſtrari. Qui actionem familiæ erciſcundæ contra aliquem inſtituit, is adverſarium cohæredem eſſe, *præſupponit*, ex eoque præſuppoſito diviſionem *urget*, ſed præſuppoſitum non *probat* nec adverſarium cohæredem *fatetur*, *vid. l. 37. fam. erciſc.* OBSERVAT. AD LAUTERB. *Obſerv. 277.* Ita etiam matriculæ, ex præſuppoſita immedietate, onera requirunt, ſed præſuppoſiti veritatem aut falſitatem in medio relinquunt.

§. 17. His præſtructis, cætera facile explicantur. Quæſtio de *origine* matricularum utrique ſententiæ, vulgari & meæ, communis eſt: Solet autem ad tempora *Sigismundi* Imperatoris referri, matricula enim, quæ hujus auſpiciis *anno 1431.* in Comitiis Norimbergenſibus, facta eſt, prima & antiquiſſima cenſetur, *vid.* LEHM. *Chron. Spir. l. 7. cap. 80.* MAURIT. *de matric. §. 6. 7.* KULPIS. *ad Monzamb. c. 2. §. 2.*

§. 18. Hoc ſi eſt, cauſa tamdiu neglectæ matriculæ vel à fluctuante turbidoque Reipubli-

publicæ Statu vel etiam ex eo, quod primis temporibus, ubi major Cæſaris erat poteſtas, non adeo neceſſarius ejusmodi index fuerit habitus, repetenda videtur. Primæ autem anſam præbuiſſe cenſetur *bellum Huſſiticum* MAURIT. *de diſſert.* §. 8. & promovit dubio procul illud negotium *libertas Procerum, magis magisque ſe exſerens ac imperata tributa averſans.*

§. 19. Ex ſententia CONRINGII *de civ. imper.* §. 44. *exitiali peccato per aliquot ſecula, neglecta fuit publici Ordinum Albi confectio, & certa in illud omnium nominum inſertio* quod probat MAURIT. *d. diſſert.* §. 7. Verum ſicut catalogus, qualem præſens Reipublicæ Status exigit, olim omnino confici non potuit, ita peccatum non tam in omiſſione ejusmodi indicis, quam potius mediorum, quibus Civitas vel formari, vel formata conſervari debet, conſiſtit, non valde abludente ipſomet CONRINGIO *d. l.* denique, ſi omnino aliquod peccatum in neglecta albi confectione latet, non putandum eſt, quaſi per matriculas hactenus confectas, malo illi remedium ſit allatum, cum nec hæ certam Statuum determinationem exhibeant.

§. 20. Primam matriculam aliæ deinceps, ob ſimiles fere cauſas, ſunt ſecutæ, quas indicat

dicat *MAURIT. d. l. §. 8. 36. add. LEHMAN. Chr. Spir. l. 7. c. 112. 118. 120.* omnibus tamen aliis præſtare, imo *authentica* eſſe cenſetur, quæ *anno 1521.* Wormatiæ facta eſt, *vid. MAURIT. d. l. §. 39. KULPIS. ad Monzamb. c. 2. §. 2.* ſed id falſum, & falſæ hypotheſeos conſectarium eſſe, deinde oſtendam. Interim ex toties repetita matricularum confectione liquet id, quod ſæpe diximus, in matriculis ſcilicet, non definiri ſed utcunque præſupponi, aliquem eſſe Statum.

§. 21. Conficiuntur matriculæ in Comitiis, à Cæſare & Statibus, Comitiorum jus habentibus, *vid. MAURIT. d. differt. §. 13.* in quo capite utraque ſententia iterum conſpirat, cum tamen, ex mea hypotheſi, intentio definiendi, an quis Status ſit, in Conficientibus deficiat, hinc conſequitur, quod, licet quis, unanimi conſenſu matriculis inſeratur, tamen inde jus Status ſibi aſſerere nequeat, multo minus igitur hoc facere poterit, ſi alius inſertioni iſti contradixerit.

§. 22. In matriculam referuntur (1) *imperii noſtri Status* (2) *onera ſingulorum.* Ita vulgo, hinc hac occaſione, multa de *indole Status imperii* diſputari ſolent, *vid. MAURIT. d. differt. §. 14. ſeqq.* Sed, ex mea ſententia, Status eo referuntur non *determinative*, ut tales declarentur, ſed *præſuppoſitive*, ſi ita loqui

qui licet, ut ex ea conditione, neceſſitas ſolvendi onera', ſaltem inferatur, veritate aut falſitate præſuppoſiti in medio relicta.

§. 23. Circa *effectum* matricularum præcipuus labor eſt, nam *qualis probatio* inde ſumi queat, ſi de *qualitate Status* controverſia oriatur, non in Scholis tantum, ſed & in Foro, inter Proceres, diſputatum eſt, ut iſtam rem, duorum proxime elapſorum Seculorum, *Pomum Eridos* dixerit MAVRITIVS *d. diſſert.* §. 31.

§. 24. Quidam contendunt, *qualem qualem ſuſpicionem*, pro qualitate Status inde oriri, alii, *præſumtionem juſtam*, quæ onus probandi in adverſarium transferat, quidam *probationem ſemiplenam*, nonnulli *plenam* matriculis tribuunt, prout illa cum Autoribus ſuis plenius recenſet, ac ſecundam ſententiam fere approbat MAURIT. *d. diſſert.* §. 31. *ſeqq.*

§. 25. Ut tamen aliquam probandi vim habeant matriculæ, conſtare debet, eas *autoritate Imperatoris & Statuum* eſſe confectas, quod quidem inprimis perſvadere cenſetur earum ex *archivo imperii deſumtio*. Præciſe tamen, ad autoritatem iis conciliandam illarum *in archivum relatio*, aut *ex eo facta deſumtio*; neceſſaria non exiſtimatur, ſicut nec *ſubſcriptio* aut *ſignatio Autorum* ſimplici-

ter requiritur, multo minus *à chartæ elegantia*, vel *Notarii teſtiumque interventu*, vis probandi ſuſpendi debet, prolixius illa iterum tradente MAVRITIO *d. l. §. 13. 28. ſeqq.*

§. 26. Ita vulgo! Sicut autem illa disquiſitio argumentis legalibus moleſtiſſimis inſtrui ſolet, ita totam eſſe otioſam ineptamque, ex noſtris præſuppoſitis, ultro ſequitur: Fruſtra diſputatur, qualis probatio ex matriculis deſumi queat, cum nulla inde peti poſſit; præſupponunt quidem matriculæ, inſerendum vel inſertum eſſe immediatum, aſt talem non declarant, ſed præſuppoſitum illud in medio relinquunt, hinc an quis reverà immediatus ſit necne, id non relatione in matriculam, ſed rationibus propriis, extra hanc habendis, conficiendum eſt.

§. 27. Dixeris forte, referendam ergo eſſe vim matricularum probatoriam ad has quæſtiones (1) *an hic vel ille aliquando matriculis ſit inſertus* (2) *an in uſus imperii quid contulerit* (3) *an jus ſolvendi illa onera habeat?* Fui aliquando ejus fere ſententiæ, ſed nunc hanc etiam deſero, nam duarum priorum quæſtionum nullus in jure publico eſt uſus, hinc fruſtra illæ vel moventur vel probantur, ad tertiam vero probandam matriculæ non pertinent, nam, ut aliquoties dictum, jus tale non definiunt, ſed ex rationibus,

bus, bonis vel malis, utcunque ſaltem præſupponunt.

§. 28. Ex dictis etiam corruit jactata *matriculæ Wormatienſis authentia, cujus §. 20.* feci mentionem, nam nec huic matriculæ propoſitum fuit, definire, quis ſit Status, hinc nec exinde aliqua probatio, multo minus authentica, deſumi poteſt, imo ipſi, qui authentiam ei tribuunt, ejus *imperfectionem* agnoſcunt, quæ etiam ex falſo, quod nonnunquam ſequitur, præſuppoſito, ſatis patet, *vid. MAURIT. d. diſſert. §. 38.* quomodo igitur, in probanda Status qualitate, poterit eſſe certa & authentica? *authentia imperfecta* contradictionem aperte ſatis involvit.

§. 29. In *R. I. 1576.* §. wen auch 99. vocatur gerechte und gewiſſe matricul, quemadmodum etiam legendum videtur in *R. J. 1594.* §. wen auch bey 122. cum in cæteris exacte verba prioris Receſſus referat. Ergo ſenſus eſt, *matriculam Wormatienſem inter incertas eſſe, quoad præſuppoſitum, certiſſimam,* ex qua locutione comparante, nulla *certitudo* vel *authentia*, ſed aliqua ſaltem *prærogativa* inferri poteſt.

§. 30. Videtur autem hæc in eo conſiſtere, quod aliqui, quorum immedietas dubia vel nulla fuit deprehenſa, ſint *omiſſi*, aut forte alii, quibus immedietas competere videba-

tur, *inſerti*, & quod utrobique matricula Wormatienſis, certiores forſitan, quoad præſuppoſitum ſuum, rationes ſit ſecuta, quam cæteræ.

§. 31. Interim cum Status publici incertitudo, ac rei determinandæ difficultas hic ſemper interpellet, hinc haut exiſtimandum eſt, quaſi certo definitum ſit, quis impoſterum pro Statu imperii haberi debeat, ſed potius putandum, quod illa conditio ex rationibus, prout tum viſæ ſunt, probabilioribus, ſit, ſine animo definiendi, ſaltem ſuppoſita, hinc ſi omiſſus, bonis rationibus immedietatem probare queat, omiſſio ei haut oberit, quemadmodum inſertio haut juvabit inſertum, ſi ſolidis argumentis, ex immediatorum claſſe, poſſit expungi.

§. 32. An *antiquiorum matricularum, poſt Wormatienſem illam, nullus amplius ſit uſus, ſed illæ potius abrogatæ ſint*, quæri etiam ſolet? quidam uſum illarum negant, alii vero aſſerunt, ceu in utramque partem, rationes cum Autoribus refert, ac poſteriori ſententiæ accedit MAURIT. *d. l.* §. *36*.

§. 33. Sed hanc etiam controverſiam eſſe futilem otioſamque, ac falſi præſuppoſiti confectarium, facile liquet: Fruſtra diſputatur de uſu alicujus rei durante vel abrogato, qui nunquam fuit: Nulla matricula definit, quis ſit

ſit Status, ſed omnes, ex rationibus nonnullis, quæ tum adfuerunt, ſine definiendi intentione, id præſupponunt, iis igitur aliisque quæ ſuppetunt, non inſcriptionis ac omiſſionis matricularis argumento, expediendum eſt, an aliquis ſit Status imperii, nec ne.

§. 34. Neque etiam controverſia hæc ad quæſtiones, §. *27.* memoratas, referenda eſt, uti enim duarum priorum nullus eſt uſus, ceu ibidem dixi, ita tertia, nec ex matricula Wormatienſi definiri poteſt, nec adeo hujus, hoc ſenſu, aliqua erit prærogativa, nam, ut antea in genere dictum, hæc non in *certiori definitione*, vel *majori vi probandi*, ſed *probabiliori præſuppoſito* conſiſtit.

§. 35. A *matriculis imperii*, de quibus hactenus, diſtingui debet *matricula Cameræ imperialis*, quamvis enim & hæc, *imperii matricula* ſit, a *ſpeciali* tamen *uſu*, peculiare ſortitur nomen aliamque habet indolem, *vid. R. J. 1654. §. 9.* ab omnibus autem differt *Album Cameræ*, monente MAURITIO *d. diſſert. §. 10.*

§. 36. Matriculas imperiales, eſſe *imperfectas*, paſſim admonetur. Aliter tamen de imperfectione videtur judicandum, ſi ſpectes *finem, quem illæ hactenus habuerunt*, & ſi conſideres *ſcopum, quem, juxta Reipublicæ utilitatem, habere debebant.*

§. 37. Primo reſpectu, imperfectio in eo ſaltem conſiſtit, quod *onera inæqualiter nimis ſæpe ſint diſtributa*, non etiam in eo, quod *Status exacte in iis non recenſeantur*, ceu vulgo, ex falſa hypotheſi, contendunt, *vid.* MAURIT. *d. diſſert.* §. 40. 41. hactenus enim id propoſitum matriculæ non habuerunt, ergo ejus rei omiſſio ad imperfectionem referri nequit.

§. 38. Sed ſecundo reſpectu ad imperfectionem utique pertinet *exactæ Statuum recenſionis omiſſio:* nam utilitas Reipublicæ talem definitionem vel maxime requirit, licet hactenus, ob rei difficultatem, dari illa non potuerit. De cætero, omnis imperfectionis cauſam, eſſe *fluctuantem Reipublicæ Statum*, ac *incertam Procerum nonnullorum conditionem*, facile patet, hæc vero quomodo evenerint, id prolixius eſt, quam ut hic obiter, & velut in transcurſu, oſtendi poſſit aut debeat *v.* MAURIT. *d. diſſert.* §. 40. *add.* VITRIAR. *J. J. P. l.* 1. *tit.* 12. §. 14.

§. 39. Sæpe autem de matriculis emendandis fuit deliberatum, cujus rei hiſtoriam texit MAURIT. *d. diſſert.* §. 41. *ſeqq.* ſed in deliberationibus omnis res hactenus ſubſedit. Eſt autem emendatio vel *qualis qualis*, quæ inæqualitatem onerum tollit, vel *ſolida*, quæ inſuper Status vel immediatos exacte recenſet.

§. 40.

§. 40. Illa, manente Status publici incertitudine, difficilis, hæc impoſſibilis, utriusque autem exigua vel nulla ſpes eſt, ut matriculæ emendatio, ſolenne & non temere expediendum, Comitiorum futura videatur argumentum.

CAP. IV.

De Superioritate Territoriali in genere.

SUMMARIA.

Jura Statuum in quatuor claſſes diſpeſci poſſe videntur §. 1. nomen ſuperioritatis territorialis §. 2. difficultates quoad rem ipſam §. 3. 4. dupliciter illa conſiderari poteſt §. 5. 6. 7. ſuperioritatis T. definitio §. 8. genus §. 9. fundamentum §. 10. qualitas §. 11. 12. 13. libertas §. 14. ſubjectum §. 15. 16. 17. conditio habendi quoad Status Eccleſiaſticos §. 18. 19. 20. objectum §. 21. effectus §. 22. diviſio §. 23.

§. I.

His expeditis, diſtinctius deinde Jura Statuum imperii conſiderari debent. Reſpiciunt illa vel (1) *Territorium* vel (2) *alios extra illud* vel (3) *Imperatorem qua talem*, vel (4) *totum Imperium*, nam, juxta hos

quatuor reſpectus, omnia jura diſponi poſſe & debere, exiſtimo. Quia vero magna illorum jurium pars, ambitu *Superioritatis Territorialis* continetur, ideo de hac in genere primo agendum erit.

§. 2. Sicut *Res ipſa* ſenſim invaluit, ita præciſe oſtendi non poteſt, quo tempore terminus *Superioritatis Territorialis* fuerit exortus: interim hodie uſitatiſſimus eſt, eique aliæ plures denominationes, licet forte non omnes ſatis congruæ, accedunt, *vid.* BOECLER. *N. J. l. 5. c. 2.* SCHWED. *ſect. 2. c. 10. §. 2.*

§. 3. Quoad *ipſam rem*, maxima ſubeſſe creditur difficultas, partim *ob ceſſantem legis publicæ definitionem, partim ignorantiam principiorum politicorum* BOECLER. *d. l.*

§. 4. Sed cum iſtis facile forſitan transegeris, nam quoad primum, licet *S. T.* conceptis verbis, in legibus publicis, definita non ſit, ejus tamen *vis* & *natura*, ſatis in illis indicatur, alterum vero non probat, quod hæc res *in ſe* ſit difficilis, ſed ſolum, quod *imperitis* talis ſit.

§. 5. Id etiam obſervari meretur poſſe *S. T.* conſiderari, vel juxta *leges Germaniæ*, vel *generalia principia politica*, quale ſcil. elogium juxta hæc mereatur, *ſitne jus Majeſtaticum nec ne?* circa poſteriorem reſpectum tantæ difficultates vulgo occurrere creduntur.

§. 6.

Digitized by Google

§. 6. Atqui poterat ille reſpectus plane ſeponi, ſiquidem ea parte res hæc adeo difficilis &, ut alii addunt, odioſa eſt, ac popularibus & indifferentibus terminis natura *S. T.* ex legibus Germaniæ, ſimpliciter explicari!

§. 7. Illud certum eſt, duplicem iſtam disquiſitionem non debere confundi, ſed eo potius ordine inſtitui, ut primo, ex legibus Germaniæ, vis *S. T.* oſtendatur, deinde eadem ad regulas politicas exigatur. Priorem itaque hic ſaltem inſtituemus, poſterioris dijudicandæ fundamenta ſuo loco propoſituri.

§. 8. Juxta leges Germaniæ ſic dicendum arbitramur: *Superioritas Territorialis* eſt *Poteſtas, Statibus imperii lege fundamentali tributa, qua ſinguli ſuo nomine Territoria regunt, eorumque intuitu, actus bellicos & pacificos, cum exteris ſuſcipiunt, nec non cum Imperatore & cæteris Statibus, de communibus imperii negotiis, ſtatuunt, ita ut actus, ex illa poteſtate profluentes, & legibus fundamentalibus non contrarii, neque ab Imperatore, neque Imperio toto, poſſint irriti reddi, aut eorum nomine ratio poſtulari.*

§. 9. Eſſe ſuperioritatem Territorialem ex genere *rerum moralium*, adeoque eam, nomine *poteſtatis*, poſſe exprimi, dubio forte

caret, adhibendus autem fuit terminus indifferens, quia a reſpectu, ad regulas politicas generales, hactenus abſtrahimus, licet interim cavere nec poſſimus nec velimus, quo minus periti jam intelligant, quid eo reſpectu, de jure Territoriali dicendum veniat.

§. 10. Dependet eadem ex *legibus fundamentalibus*, quibus vel Cæſar conſtituendus vel conſtitutus obſtringitur, ad eam Statibus relinquendam *Capitul. Leopoldi art. 3. J. P. art. 8. §. 1. 2.* ut importunum ſit, ſi, ei extenuandæ, *privilegia*, ex antiquo ſeculo, hodie allegentur.

§. 11. Exercent illam Status *ſuo*, non *Imperatoris*, aut *Imperii* nomine, quod experientia docet, ac a Kulpisio in has partes alias non ſatis proclivi, quoque conceditur ad *Monzamb. p. 2. c. 5. §. fin.* Exinde ſequitur, eſſe illam, Statuum *jus proprium*, quod negare voluit *Kulpisius d. l.* ideo, quod ſit *jus beneficiarium & dependens.*

§. 12. Sed uti liquido deinde probabimus, inveſtituram Cæſaream jus hoc *non conferre*, ſed *jam competens* velut *agnoſcere*, & *ſolenniter confirmare* (id quod etiam, vel ex §. *10. h.* intelligi poteſt) ita id hic ſaltem annotamus, inter jus *beneficiarium dependensque*, ac *proprium* non eſſe ubique juſtam oppoſitionem.

§. 13.

§. 13. Donet mihi aliquis mille imperiales, *beneficium* eſt, quod ab ejus beneplacito *dependet*, ſed quis de *proprietate* rei donatæ dubitaverit? Hinc patet, *beneficiarium* tum demum recte *proprio* opponi, ſi idem notet, quod *precarium*, ſed ſententiæ, ſuperioritatem territorialem, *jus precarium dictura*, inſolentiam, leges publicæ, puto, haud tulerint.

§. 14. Porro non ſubjacent actus, ex eadem profecti, & legibus fundamentalibus non contrarii, *Imperatori* vel *toti Imperio*, quod duriuſculum forte quibusdam videbitur, ſed ejus veritatem *J. P. art. 8. §. 1.* & ipſa experientia ſatis oſtendit, dubiis, quæ moveri poterant, infra, ubi de *affectionibus S. T.* agendum erit, ſatisfaciemus.

§. 15. Competit *S. T. Statibus Imperii* & in ſpecie quoque *Civitatibus Imperialibus*, nam litem, quam iis KNICHENIUS inprimis, aliquando movere voluit, eſſe de *termino*, recte admonuit KULPIS. *ad Monzamb. c. 2. §. 13.*

§. 16. Aſſerenda quoque eadem eſt *Nobilitati immediatæ*, quod *effectus* etiam a poſteriori oſtendit, qui diſſentiunt, falſa nituntur hypotheſi, quaſi ex jure ſeſſionis, Superioritas profluat, quam indoli horum jurium repugnare, jam diximus *c. 1. §. 34. add.* MAURIT. *diſſert. de Nobilit. hab. Tubing. 1660. §. 49.*

conf.

Digitized by Google

conf. KULPIS. *ad Monzamb. c. 2. §. 15. p. 594.*

§. 17. Non tamen omnibus Statibus *æquali plenitudine & ſplendore* competit *S. T.* nam ſicut non omnia omnibus conveniunt, ita etiam jus territoriale, in ſua perfectione ſpectatum, *habile ſubjectum* requirit, quam habilitatem imprimis *potentia* producit, ut notando illi diſcrimini non abſurde adhibeatur diſtinctio *Suprematus & Superioritatis T. in ſpecie.*

§. 18. Quoad Status Eccleſiaſticos, ad *conditiones habendi* Superioritatem Territorialem, pertinere cenſetur religio *Pontificia* vel *Proteſtantium*, nam ſi Status Pontificius amplectatur religionem Evangelicam, omne jus cum Territorio amittit, idem eſt ſi Status Evangelicus Romano-Catholicam aſſumat *J. P. W. art. 5. §. 15.*

§. 19. Ita plerumque pronunciari ſolet *vid.* RHET. *J. J. P. l. 2. tit. 1. §. 54.* nec negari poteſt, quin ita ſcriptum ſit, imo non dubitandum, ſanctionem iſtam, caſu eveniente, ſervatum iri. Interim ſi ſenſum *Inſtrumenti Pacis* ac rei hujus moralitatem, penitius expendas, Reſervatum Eccleſiaſticum, quoad Status Eccleſiaſticos Pontificios, religionem mutaturos, mera injuſtitia eſt, ſed quoad Proteſtantes, ſtante illa iniquitate, juſta talio, de quo explicatius actum *l. 2. c. 5. §. 37. ſeqq. c. 6. §. 23. ſeqq.*

§. 20.

§. 20. Status ſeculares, nullo vel jure, vel juris terriculamento religionem mutare impediuntur, quod etiam dicendum de Epiſcopis Seculo redditis, de quibus *J. P. art. 10. §. 7. art. 11.* In Civitatibus tamen imperialibus, in quibus, tempore pacis Weſtphalicæ, Senatus ex membris Catholicis & Proteſtantibus conſtitit, æqualitas introducta, ac adeo libertas religionem mutandi, quodammodo reſtricta eſt *art. 5. §. 3. ſeqq.* id quod eodem ſenſu, quo Reſervatum Eccleſiaſticum, accipiendum videtur.

§. 21. Verſatur Superioritas T. plene ſuppoſita, non tantum circa *Territorium*, quod vulgo notant, *vid.* SCHWED. *Introd. ad J. P. Sect. 2. c. 10. §. 13.* ſed *Exteros* etiam reſpicit, imo ad *Comitia aliosque Conventus* quoque porrigitur, ceu ſequentia oſtendent.

§. 22. Quæ *vis* ſit *S. T.* ex partibus mox recenſendis liquidius conſtabit: Ei autem exprimendæ, vulgaria Dd. Brocardica, à SCHWEDERO *d. l. §. 14.* etiam relata, parum conducunt, cum vel omnino falſa, vel minimum ambigua ſint.

§. 23. Superioritatem *T.* dividit SCHWEDER. *d. l. §. 5.* ratione (1) *ſubjecti*, in *S. T.* Ducum, Principum &c. (2) *formæ*, Monarchicam, Ariſtocraticam & Democraticam. (3) *exer-*

§. I.

POſthæc de partibus Superioritatis Territorialis diſpiciendum, quæ *Regalium* ſive *Regaliarum* nomine vulgo veniunt, cujus vocabuli originem, ab initiis regni Francici, repetit CONRING. *de urb. german.* §. 59.

§. 2. Quo autem illas partes aliquo ordine recenſeant Scriptores, de ſummis, ſive generibus, ſive ſpeciebus, ſolent eſſe ſolliciti, ad quas ſingulas deinde referant, ſed plerumque inter eas juſta oppoſitio non eſt, *vid.* SCHWED. *J. ad J. P. p. Sp. Sect. 2. c. 13. §. 1.* VITRIAR. *J. J. P. l. 3. tit. 16. §. 5.*

§. 3. Nobis nulla partitio accuratior, ac juſtiori membrorum oppoſitione, conſtans videtur, quam ea, cui duplex ille reſpectus, qui in omni Imperio occurrit, velut fundamentum ſubſternitur, nimirum ſuperioritas T. vel reſpicit territorium, vel alios extra illud, illa *immanens*, hæc *tranſiens* dicitur.

§. 4. Circa *immanentem*, quæ primo conſiderari debet, porro obſervandum, quod omnia, quæcunque intuitu Territorii agit Imperans, ad hæc duo capita revocentur: Vel *ipſe agit*, vel *ſubditorum actiones dirigit*; hinc, niſi fallor, univerſa Superioritas immanens,

nens, eſt vel *libertas civilis complexa* (ſic enim eam dicere liceat) vel *imperium*, illa actiones Imperantis proprias, hoc, Subditorum reſpicit. Utraque pars generalis, ab objectis ſpecialibus, magis diſtinguitur, & ſæpe in eodem objecto concurrit.

§. 5. Antequam vero Libertatis & Imperii partes, juxta varietatem objectorum, ſpecialius recenſeamus, id fundamenti loco videtur præſupponendum, quod, probandis ſingulis partibus, non præciſe requiratur peculiaris probatio, ſed ſufficiat generale Superioritatis *T.* argumentum.

§. 6. Nam cum inter partes, ad regimen territorii pertinentes, ſit naturalis velut connexio, adeo ut, poſita una, reliquæ, nativa quaſi proclivitate, ſequantur, ideo, ſub nomine ſuperioritatis territorialis, complexus omnium jurium, ad regimen territorii neceſſariorum, contineri cenſendus eſt, niſi in quantum reſtrictio doceri queat.

§. 7. Quod quidem eo promtius dici poteſt, poſtquam jus territoriale *indefinite* confirmatum eſt *J. P. art. 8. §. 1. 2.* iſtaque confirmatio ſecutis capitulationibus repetita *add.* RHET. *J. J. P. l. 2. tit. 1 §. 11.*

§. 8. Id etiam prænotandum, ſolam Superioritatem *T.* pertinere ad doctrinam juris publici, *leges* vero & *inſtituta*, quæ ab ea proficiſ-

ficiſcuntur, ad Jurisprudentiam privatam referri debent, cujus circulos nimis, in hac tractatione, turbant etiam noviſſimi juris publici Scriptores.

§. 9. Ut ad rem veniamus, verſatur *libertas* & *imperium*, vel circa *Sacra*, & dicitur *Jus Sacrorum*, de quo *capp. ſeqq.* agemus, vel circa *negotia ſecularia*, ſeu *profana*, quod adeo *Jus Seculare* recte dixeris, quodq; juxta varietatem objectorum, ſpecialius paululum hic expendemus.

§. 10. Omnia autem negotia ſpecialia adducere non licet, quia eorum numerus, ſi non *infinitus*, certe *indefinitus* eſt, hinc ſatis erit, eadem ita diſtinxiſſe, ut ſi magis ſpeciale occurrat, id tamen locum ſuum, in iſta partitione, inveniat.

§. 11. Quædam itaque Superioritatis T. immanentis partes reſpiciunt (I.) STATUM CIVITATIS MAGIS FORMANDUM, huc pertinet (1.) *jus exigendi homagium*, de ipſo homagio *l. 4. c. 10.* agemus (2) *jus ſubditos alibi exiſtentes avocandi ſeu advocandi*, quodſi tamen ſubjectionis vinculum, legitime diſſolutum ſit, illud ceſſabit.

§. 12. (3) *Jus recipiendi Judæos aliosque infideles*, nam horum eadem eſt ratio, quod hodie non amplius ex ſpecialibus *privilegiis vid.* LEHM. *Chron. Spir. l. 7. c. 42.* anxie de-

U duci

duci debet, ſed ex *Superioritate T.* ſecurius derivatur, *vid.* VITRIAR. *J. J. P. l. 3. tit. 17. §. 81. ſeqq.* (4) *Jus recipiendi alios*, non tamen Pfalburgeros *A. B. c. 16.* *vid.* BOECL. *N. J. l. 11. c. 5.* LEHM. *Chr. Spir. l. 7. c. 70.*

§. 13. Præter *Pfalburgeros*, antiquis temporibus, etiam occurrebant *Usburgeri* & *Glevenburgeri*, de quibus omnibus profeſſa opera egit JAC. WENCKER in *peculiari tractatu Argentor. 1698. publicato.* diſcrimen eorum breviter etiam retuli in OBSERV. AD LAUTERBACH. *Obſerv. 1466.*

§. 14. Alias de nomine *Gleven*, quid olim notaverit, res parum expedita eſt. Alii eo nomine quatuor vel quinque equites armatos notari cenſent, ſed alii pedites eodem ſignificari malunt, *vid.* MAURIT. *diſſert. de matric. §. 25.* ETBEN. *in add. ad diſſert. de Tit. Nob. p. 155.* Priorem ſententiam conſvetudini Civitatis Argentinenſis antiquæ eſſe conformem docet WENCKER. *d. tract. diſqu. 3. p. 65.* Apud LEHMANNUM non infrequenter Gleven & Glenen memorantur, *vid. Edit. noviſſim. l. 7. c. 52. 53. 54. 66. 80.* ut neſciam, an illa diſtingvi debeant. In *l. 7. c. 103.* opponuntur Reiſige / Schützen & Glenen *add. d. l. 7. c. 123. p. m. 945.*

§. 15. Quædam partes concernunt (II.) ACTIONES SUBDITORUM VARIA

RIA

RIA RATIONE DIRIGENDAS. Eo pertinent. (1) *Poteſtas Legislatoria*, quæ generales leges ſubditis præſcribit, eoq; ſenſu recte, pro parte Superioritatis T. habetur. De cætero, ejus virtute, Status, leges provinciales condunt, in Camera etiam imperiali, ſi forte hominum provincialium lites, ad eam devolvantur, valituras *O. Cam. p. 1. tit. 57.* nec confirmatio Cæſaris eſt *neceſſaria* aut *Statibus utilis.*

§. 16. Uti autem id manifeſtum eſt, quod poteſtas illa, ad convellendas leges divinas, aut leges fundamentales Germaniæ, nequeat extendi, ita certum nobis videtur, leges extraneas imo ipſos receſſus Imperii, quatenus leges privatas notant, Status pro lubitu poſſe mutare, niſi pacto ſpeciali facultas ſit reſtricta, licet alii aliter ſentiant, *vid.* SCHWED. *ſect. 2. c. 13. §. 2. vid. ſupr. l. 1. c. 1. §. 59. l. 2. c. 2. §. 27.*

§. 17. An Status *proprio arbitrio* leges ferre queant, an vero *placitum Ordinum Provincialium* adhibere teneantur, id una regula definiri nequit, ſed juxta propria pacta dijudicari debet, *vid.* SCHWED. *d. l. §. 3.*

§. 18. (2) *Poteſtas publicandi Edicta, mandata, inhibitiones & Reſcripta, vid.* FRITSCH. *in add. ad Limn. l. 4. c. 8. n. 256.* (3) *concedendi privilegia.* Hæ duæ partes *particulariter* actiones ſubditorum dirigunt, ſicut poteſtas

legislatoria, *generaliter*, quo nomine etiam illæ, huic recte opponuntur.

§. 19. Apparet hoc diſcrimen etiam ex eo, quod in iis quoque regionibus, in quibus leges generales, non niſi cum conſenſu Statuum provincialium, ferri poſſunt, tamen partes proxime memoratæ Principis arbitrio ſoleant eſſe reſervatæ, quamvis differentia illa, ſaltem accidentalis ſit, ac res aliter ſe habere poſſit. De cætero tota privilegiorum materia hoc loco haut effundi, ſed potius juris privati Diſciplinæ reſervari debet.

§. 20. Quædam (III.) EXERCITIUM ALIARUM PARTIUM IMPERII, quo ſpectat *jus indicendi Diætas provinciales*, Land-tage auszuſchreiben / quæ tamen pars incognita eſt in iis territoriis, ubi abſolutius imperium Statibus competit.

§. 21. *Quotuplices* autem ſint Diætæ, aut ipſi Status Provinciales, tum quæ ſit Diætarum inſtitutarum *ratio & modus*, ejus rei tractatio rectius juri publico ſpeciali reſervatur, certe modus inſtituti noſtri eam non capit *vid.* SCHWED. *ſect.* 2. *c.* 13. §. 16. *ſeqq.*

§. 22. Quædam (IV.) CONTROVERSIAS SUBDITORUM, eo refertur (1.) *poteſtas judiciaria*, cui omnes ſubditorum actiones, etiam crimen fractæ pacis, ſubjacent, quod ultimum male aliqui negant per

Ordin.

Ordin. Cam. p. 2. tit. 9. vid. ARUM. *ad A. B. D. 5. §. 12.* THEODORIC. *Colleg. crim. c. 6. §. 9. n. 1.* dum vim ſuperioritatis T. vel non advertunt, vel non intelligunt.

§. 23. Extenditur quoque ad exteros in territorio delinquentes, vel delicto alibi commiſſo, eo fugientes, quod ex *natura imperii* patet. Sæpe tamen hoc caſu delinquens remitti, ac ab aliis Statibus, *deductio per territorium illorum, ex lege humanitatis*, concedi ſolet, neceſſitas vero deductionis concedendæ, abſurde ex *l. 11. C. de ſervit.* deducitur, *v. VITRIAR. d. tit. 17. §. 48. vid. VINDIC. VITRIAR. CASTIG. §. 173. ſeqq. add. OBSERV. ad LAUTERBACH. Obſerv. 155.*

§. 24. Iſta poteſtas non debet a Cæſare & Imperio turbari *evocatione* ſubditorum ad tribunalia imperii, niſi leges fundamentales hoc permiſerint, neque a ſubditis, *ſubjectione* alii facta, neque a Conſtatibus *jurisdictionis uſurpatione, vid.* SCHWED. *d. c. 13. §. 13.* LEHM. *Chr. Spir. l. 7. c. 102.*

§. 25. (2) *Jus inſtituendi Magiſtratus* & *Dicaſteria*, his, ſub nomine *jurisdictionis*, poteſtas judiciaria certo modo delegari ſolet. Debet autem Imperans ex generali obligatione, hanc etiam partem recte exercere, adeoque dignis ſaltem illa munera conferre: venditio munerum, iſti obligationi non ſim-

pliciter repugnat, licet hoc putet *SCHWED. d. c. 13. §. 7. ſeqq.* morbum tamen Reipublicæ illa arguit.

§. 26. (3.) *Jus relaxandi juramenta ad effectum agendi* quod intelligendum eſt, de juramentis invalidis, quæ tranquillandæ conſcientiæ timidæ & dubiæ remittuntur, nam juramenta, validam obligationem præſupponentia remittere, injuſtum fuerit.

§. 27. Quædam (V.) FIDEM RERUM GESTARUM, quo referendum (1.) *jus archivi inſtituendi, vid. SCHWED. d. l. §. 14.* (2.) *jus creandi Notarios*, nam hoc utique Statibus quoque, intuitu territorii ſui, competit, quod, in tractatione Reſervatorum Cæſareorum, amplius confirmabimus.

§. 28. Quædam (VI.) COMMERCIA, quo ſpectat (1.) *jus conſtituendi pondera, menſuras & ulnas*, qua in re Imperans voluntatem ſuam non tantum *verbis*, ſed & *rei ipſius confectione* ac *publica expoſitione*, oſtendere ſolet. *vid. SCHWED. d. c. 13. §. 6.*

§. 29. (2.) *Jus dirigendi rem annonariam*, hoc magna ſollicitudine Imperantibus exercendum eſt, quia ſub ſpecie recti, enormiter hic ſubditi divites & potentes delinquere ſolent.

§. 30. (3.) *Jus inſtituendi nundinas*, & nihil impedire videtur, quo minus iisdem privile-

vilegiis advenientes donent Status, quibus in nundinis ſolennibus gaudent, licet diſſentiat *VITRIAR. l.3. tit.19. §. 20.*

§. 31. (4.) *Jus dirigendi commercia* (5.) *remittendi ſolennia contractuum* (6.) *concedendi inducias moratorias*, debitoribus, etiam, contra extraneos creditores, in territorio concedentis, profuturas.

§. 32. Quædam (VII.) RERUM PRETIA, huc ſpectat (1.) *jus definiendi pretium annonæ* (2.) *jus cudendi monetam*, quod Status non vigore *juris territorialis*, ſed ex *ſpeciali* Cæſaris *gratia* habere contendit *VITRIAR. tit. 17. §. 56.* nec abludit *SCHWED. ſect. 2. c. 15. §. 7.* ſed inepte & falſo, *vid. VIND. VITRIAR. CASTIG. §. 181. uſque ad 195. add.* LEHM. *Chr. Sp. l. 7. c. 104.*

§. 33. Sicut autem hoc jus in quibusdam Statibus plane deficere, aut non in eodem, quo cæteris, gradu competere poteſt, *vid. SCHWED. ſect. 1. c. 22. §. 2. 4.* ita qui eo fruuntur, ejus exercitium utilitati territoriorum totiusque imperii attemperare debent.

§. 34. Hinc certus *pes*, in cudenda moneta obſervandus, conſtitutus eſt, *v. VITRIAR. d. tit. 17. §. 58.* juris hujus locatio & venditio prohibita *R. J. 1551. 1559. 1570.* pœna amiſſionis in abutentes conſtituta *R. J. 1559.* Circulis, Statibusque in genere, cura rei moneta-

riæ exacte injuncta *vid. VITRIAR. d. l. SCHWED. ſect. 1. c. 25. §. 9. ſeqq.*

§. 35. Iſtis tamen non obſtantibus, ſummus omni fere tempore, rei monetariæ fuit abuſus, cujus mali *cauſam*, *remedium*, *futurique præcautionem* multis exponere, inſtituti anguſtia non permittit, quædam dixit *SCHWED. d. c. 25. §. 7. ſeqq.*

§. 36. De cætero facile patet, curam hujus rei *univerſalem* pertinere ad Imperatorem & imperium. *SCHWED. d. l. §. 9.* ſed *particularem* ad Circulos & ſuo modo, ſingulos Status.

§. 37. De novo jus cudendi monetam nemini Cæſar concedere poteſt, niſi conſentientibus Electoribus. *Capit. Leopold. art. 34.* in quam Electorum prærogativam, reliqui Status videntur conſenſiſſe, *vid.* Grund-feſte *p. 3. c. 3. art 35. p. 211.*

§. 38. Quædam (VIII.) EXISTIMATIONEM SUBDITORUM. Ex hoc numero eſt (1.) *jus legitimandi*, non tamen in præjudicium juris aliis quæſiti, niſi hi conſentiant (2.) *famam reſtituendi*, *vid. RHET. J. J. P. l. 2. tit. 9. §. 1. 5.* (3.) *dignitates conferendi in territorio valituras*, licet hoc ex ſolenni hypotheſi alii negent.

§. 39. Quædam (IX.) DIVERSUM SUBDITORUM STATUM, huc ſpectat (1.) *jus*

Digitized by Google

jus veniam ætatis concedendi (2.) *collegia opificum confirmandi.* Quædam (X.) ALIOS SUBDITORUM ACTUS, cujus generis ſunt (1.) *jus diſpenſandi in matrimonialibus*, in quantum hoc leges divinæ permittunt (2.) *remittendi ſolemnia teſtamentorum* nempe *futurorum*, non *factorüm*, *vid.* VITRIAR. *J. J. P. l. 3. tit. 17. §. 110.* (3.) *concedendi facultatem teſtandi*, *vid.* RODENB. *de jur. Conjug. tit. 2. c. 3. n. 4. c. 4. p. 47. ſeqq.*

§. 40. Aliæ (XI.) SUBDITORUM DELICTA, ut (1.) *jus puniendi* (2.) *Aſyli erigendi*, non tamen invitis legibus divinis, aut in præjudicium Conſtatuum (3.) *aggratiandi* (4.) *decumandi*, vel alio ſortis genere, veniam concedendi, *add.* VITRIAR. *d. l. §. 119.*

§. 41. Sed hæ diſpenſationes ſaltem locum habent, quoad pœnas humana lege conſtitutas, nam pœnæ lege divina univerſali conſtitutæ, ſunt indiſpenſabiles, ad hanc tamen claſſem male refertur pœna adulterii & delictorum in Deum admiſſorum *v.* SCHWED. *ſect. 2. c. 14. §. 6.* VITR. *d. tit. 17. §. 114. 115. vid.* VIND. VITRIAR. CASTIG. *§. 196.*

§. 42. Aliæ (XII.) PATRIMONIUM SUBDITORUM QUOAD MODUM HABENDI EOQUE UTENDI, ex hoc genere eſt, (1.) *jus ferendi leges ſumtuarias* (2.)

definiendi modum acquirendi, conſervandi & amittendi res.

§. 43. Aliæ (XIII.) MUNERA PERSONALIA CIVITATEM VEL EXTEROS RESPICENTIA, quo ſpectat *jus cogendi ſubditos ad tutelam*, *legationes* aliaque, in utilitatem Reipublicæ, ſuſcipienda.

§. 44. Quædam (XIV.) ITINERA ET PEREGRINATIONES, ut (1) *jus conducendi per vias publicas* (2) *indagandi viarum infeſtatores* (3) *jus Poſtarum.*

§. 45. De Statibus majoribus res ſatis certa eſt, quod jure Poſtarum, in ſuis Territoriis, excluſive gaudeant, ſed Statibus minoribus, ac præcipue, Civitatibus imperii, id a Cæſare dubium reddi ſolet, ſub nomine reſervati, ſibi illud unice adſcribente.

§. 46. Pro Statibus tamen omnino facit indefinite acquiſita Superioritas T. quod ſi alicubi Cæſar ſibi ſoli illud jus transſcripſit, aut minimum in ejus exercitio concurrit, exinde ſuperioritatem, aliquo modo limitatam, agnoſcere debemus.

§. 47. Quædam (XV.) BONA SUBDITORUM, INTUITU SUMTUUM PUBLICORUM, hæ generali nomine *juris fiſci inſtituendi* i. e. ex bonis ſubditorum perpetuorum vel temperariorum, patrimonium publicum comparandi, comprehenduntur.

§. 48.

§. 48. Ex hac claſſe ſunt (1.) *jus detrahendi aliquid de bonis emigrantium*, quando ſcil. voluntarie domicilium mutant, non ex neceſſitate a ſuperiore illata.

§. 49. (2.) *Jus exigendi tributa*, quod quidem jejunius hodie ex eo deduxeris, quod, ob onera imperii, Status ſuos ſubditos ſubcollectare poſſint, *vid. SCHWED. ſect. 1. c. 26. §. 12.* cum ad Superioritatem T. ſecurius provocetur.

§. 50. (3.) *Jus occupandi bona vacua* (4.) *confiſcandi in pœnam* (5.) *exigendi vectigalia legitime inſtituta.* Nova autem vectigalia Status inſtituere non poſſunt, *vid.* LEHM. *Chron. Spir. l. 7. c. 120. in addit.* ſed ad hoc requiritur conſenſus Cæſaris & Electorum *capit. Leopold. art. 21. J. P. art. 9. VITRIAR. l. 3. tit. 4. §. 4. 6. 7.* niſi plenius jus acquiſierint *v.* LIMN. *Tom. 1. addit. ad l. 5. c. 7. n. 136. ad Capit. Maxim. II. art. 9.* RHET. *J. J. P. l. 1. tit. 6. §. 24. tit. 13. §. 4.*

§. 51. Quædam (XVI.) BONA SUBDITORUM IN CASU NECESSITATIS, quo pertinet *dominium eminens*, quod cum conſueto temperamento hic intelligendum, nempe ut verus neceſſitatis & utilitatis publicæ adſit caſus, ac, ceſſante periculo, damnum læſo regulariter reſarciatur.

§. 52. Quædam (XVII.) BONA PUBLICA

CA, quorum ſcil. dominium eſt originarie penes civitatem. Ex hoc genere eſt (1.) *jus pacem, in locis publicis, certa pœna ſanciendi* (2.) *imperium circa ſylvas iisque connexa* (3.) *cura viæ publicæ* (4.) *ædificiorum publicorum* (5.) *jus rem metallariam* (6.) *aquaticam dirigendi* (7.) *jus Grutiæ.*

§. 53. Quædam (XVIII.) BELLUM, nam non omnis Superioritas, quæ bellum reſpicit, tranſiens eſt, ſed ex parte immanens cenſeri debet, quatenus nimirum territorium & ſubditos ad bellum diſponit.

§. 54. Huc ſpectat (1.) *jus armandiæ* (2.) *jus ſubditis arma imponendi, auferendi ac in his eos exercendi* (3.) *jus ſequelæ*, quod tamen extra caſum neceſſitatis, nec *utiliter* nec *juſte* exercetur.

§. 55. *Jus milites conſcribendi*, circa quod fruſtra ex antiquis temporibus, *conſenſus Cæſaris, prægnans cauſa* ac *conſenſus circuli Ducis* requiritur hodie, *VITRIAR. l. 3. tit. 19. §. 64. vid. VIND. VITRIAR. CASTIG. §. 197. ſeqq.* (5.) *fortalitia exſtruendi* (6.) *præſidiorum ac excubiarum* (7.) *jus angariarum & parangariarum, vid. l. 4. §. 1. de veteran. l. fin. C. de fabric.* (8.) *jus metatorum* (9.) *dandi obſidem civem invitum.*

§. 56. Quædam (XIX) REM LITERARIAM, ut (1.) *jus inſtituendi Scholas* (2.) *Aca-*

Academias in territorio valituras (3.) *cenſendi libros*, poſſunt etiam hæ partes ad jus Sacrorum referri.

§. 57. Quædam denique (XX.) RELIQUARUM PARTIUM DEFENSIONEM, *ut jus habendi viſitationes provinciales*, quod etiam circa ſacra occurrit, *vid.* SCHWED. *ſect. 2. c. 13. §. 20.*

CAP. VI.

De Jure Sacrorum.

SUMMARIA.

Jus Sacrorum quid §. 1. imperantes ſeculares ejus ſunt capaces §. 2. 3. 4. 5. olim fuit penes totam Rempublicam germanicam §. 6. inde in Status imperii translatum §. 7. hinc male, à Pontifice, à nonnullis, repetitur §. 8. ſeqq. competit Statibus imperii §. 15. 16. 17. norma juris Sacrorum §. 18. non includit imperium in ipſam religionem §. 19. 20. legitimi juris duæ partes §. 21. Prima pertinet ad religionis inquiſitionem §. 23. ac, in caſu conſenſus, jus formandi Eccleſiam §. 24. 25. diſponendi circa adiaphora §. 26. ſeqq. conſtituendi miniſtros Eccleſiæ §. 33. 34. ſimiliaque jura §. 35. ſeqq. includit, in caſu vero diſſenſus, involvit jus tolerandi & recipiendi diſſentientes §. 39. ſeqq. tentandi conciliationem §. 50. convertendi diſſentientes §. 51. horum ſacra circumſcribendi §. 52. dirigendi §. 53. 54. 55. Secunda juris Sacrorum pars reſpicit abuſus, ſub

reli-

religionis ſpecie vel introducendos, vel introductos §. 56. hinc ejus virtute Imperans læſiones impedit §. 57. 58. 59. jam factas emendat §. 60. eo pertinet etiam jus papale Statuum imperii §. 61. 62. ejus origo §. 63. minus recte à Papa repetitur §. 64. ſeqq. duplici modo exerceri poteſt §. 71. juxta modum Papæ olim adhibitum §. 72. hinc habent Status jus conferendi beneficia in menſibus papalibus §. 73. proviſionum extraordinariarum §. 74. primariarum precum §. 75. ſeqq. dandi expectantias §. 83. confirmandi beneficia collata §. 84. exigendi annatas §. 85. diſpenſandi de Statutis capitularibus §. 86. quo cum temperamento §. 87. jus papale, proprio ex arbitrio exercitum, involvit jus definiendi requiſita eorum qui præbendis fruuntur §. 88. 89. diſpenſandi circa illorum matrimonia, exigendi tributum §. 90. tollendi capitula & præbendas §. 91. ſeqq. in genere ea, quæ Territoriorum utilitas exigit, faciendi §. 97. jus Sacrorum omnibus Statibus competit §. 98. Pontificii tamen eodem non adeo utuntur §. 99. limitibus Territorii circumſcribitur §. 100. appellationi non ſubjacet, nec Epiſcopi perſonam, in Principibus proteſtantibus, efficit §. 101. jus ſubditorum quoad Sacra §. 102. cujus eſt regio, ejus etiam eſt religio §. 103. 104.

§. I.

JUs Sacrorum, quod velut eximia, nec usquequaque ſatis liquida Superioritatis immanentis pars, ſeorſim conſiderari meretur juxta monitum *§. 9. c. pr.* eſt *jus externum religio-*

gionis exercitium dirigendi, ac, ne ejus prætextu, ſocietas humana & civilis lædatur, proſpiciendi. Circa illud duo ſummatim ſpectanda (I.) *unde hoc jus habeant Status* (II.) *quid eo nomine ipſis competat*.

§. 2. Reſpublicas & Imperantes Seculares, eſſe legitimum ac habile juris Sacrorum ſubjectum, patet (I.) *ex natura rei*, jus circa ſacra, in ſe ſpectatum, eſt res mere ſecularis, ac ex conſenſu futurorum ſubditorum, ſicut omne reliquum imperium, generatur.

§. 3. Deinde (2.) ex *intentione ſubditorum*, hi enim generaliter Civitati & futuro Imperanti ſe ſubjiciunt, quare ſicut ante iſtam ſubmiſſionem, libertas aliqua & circa religionem & negotia profana, ipſis competebat, ita poſt eam, Reipublicæ & Imperanti, utroque reſpectu, quæſitum eſt imperium.

§. 4. Imo cum ex diviſo per diverſa ſubjecta independentia imperio, non poſſit non exiſtere civitas biceps, qualis Status, ad finem ejus obtinendum, non ſatis idoneus, hinc talem diviſionem ſubditos futuros voluiſſe, tamdiu recte negatur, donec contrarium liquido probetur.

§. 5. Denique (3.) ex *exemplis*, quæ in omnibus rebus publicis proſtant, quorum quidem legalitati, ob præſuppoſitas rationes, nunc nihil poteſt objici.

§. 6. Juxta hæc igitur uti jus Sacrorum, in Imperio noſtro, ſemper fuit penes Rempublicam, ita tum pertinuit ad *Imperatorem*, cum vera Monarchia in eo obtinuit, quando id tandem fuerit, de quo etiam eo minus dubitandum, quo magis illud exempla Cæſarum, imo oppoſitæ machinationes Pontificum confirmant.

§. 7. Quo poſito, facile patet, *unde Status imperii, hoc jus habeant*, nempe *ab ipſo Imperio* & *Imperatore*, ſicut enim ſenſim, variis mediis, Superioritatem ſecularem inde nacti ſunt, ita etiam jus Sacrorum, eodem modo, ſunt conſecuti, donec capitulationes, pax religioſa & inſtrumentum pacis, complementum ita adderent, ut illa omnia, à Cæſare quidem, ſed non Cæſareo beneficio, hodie habeant.

§. 8. Poterant iſta ſatis plana eſſe, niſi machinationes Pontificiæ, uti olim Germaniam, ita nunc multorum conceptus turbarent, ut parum dextre hanc rem explicent.

§. 9. Nimirum certum eſt, quod jam olim Pontifex ſi non omne, certe magnam juris Sacrorum partem, ſibi arrogaverit, & quod etiam quædam conventiones eo intuitu fuerint interpoſitæ, prout inprimis *Concordatorum* nomen hic notum eſt, *vid. l. 2. c. 5. §. 30. LINCK. diſſert. de Concord. Nation. Ger-*

German. hab. Altorf. 1680. LIMN. *ad Capit. Carol. V. mantiſſ. 6.*

§. 10. Ergo à *Pontifice* non *Cæſare*, jus Sacrorum in *Status* eſſe translatum, aliqui exiſtimant, ſed peſſime, quia iſta doctrina & confeſſionem juris Pontificii continet, & eadem opera Status facit malæ fidei poſſeſſores, cum nunquam Pontifex in translationem juris conſenſerit.

§. 11. Quare dicendum potius, Pontificem fuiſſe tantum juris Cæſarei uſurpatorem, nunquam vero jus legitime acquiſiviſſe, nam pacta eo fine interpoſita eſſe invalida ſatis oſtenſum *d. l. 2. c. 5. §. 30. ſeq.* hinc omne jus penes Cæſarem manſiſſe ac ſenſim ab eo in Status eſſe devolutum.

§. 12. Fateor, ipſos fortaſſe Cæſares & Status, à Pontifice ſeductos, exiſtimaſſe, jus Sacrorum Papæ legitime eſſe acquiſitum, ſed iſta *opinio* non mutat *veritatem*, ſed malitiam ſolum Pontificis, Germanis tam proterve illudentis, intendit.

§. 13. Poſtquam igitur, exorta reformationis luce, quidam Status divitias proprias agnoſcerent, ac jus ſacrorum ſibi competens exercerent, Pontifex vero non tantum acriter reniteretur, ſed & Cæſarem & Status Pontificios, in injuſtas partes ſuas, pertraheret, ſecuta tandem eſt pax religionis & Inſtrumentum pacis.

§. 14. Quæ non eo pertinuerunt, ut quicquam juris à Pontifice in Status transferrent, ſed ut Cæſarem ſaltem Statusque Pontificios, ab injuſtis partibus, retraherent, ac Proteſtantibus pacem naturaliter jam debitam, plenamque juris Sacrorum, imo omnis Superioritatis T. confirmationem, à Cæſare ac Imperio obtinerent, *vid. d. l. 2. c. 5.* §. *24. ſeqq. cap. 6.* §. *22.*

§. 15. Hæc vera eſt juris Sacrorum, Statibus competentis, origo, ex qua patet, recte illud, pro parte Superioritatis T. haberi. Hinc porro liquet, illud Electoribus, Principibus ac civitatibus imperialibus competere, *J. P. art. 5.* §. *29. art. 8.* §. *1.*

§. 16. Imo ipſi Nobilitati immediatæ *d. art. 5.* §. *28.* nam quod huic jus Sacrorum, *non ut partem S. T. ſed poteſtatem ex perſonali privilegio deſcendentem*, attribuendum quidam exiſtiment, *vid.* SCHWED. *ſect. 2. c. 12.* §. *3.* id plane inſipidum eſt, quia inter illa duo non eſt juſta oppoſitio, præterea jus Nobilitatis immediatæ, non *ſolo privilegio*, ſed & *Inſtr. Pacis* nititur.

§. 17. Cæterum Status Pontificii jus Sacrorum ſibi non adeo aſſerere ſolent, licet hoc optimo jure facere poſſint, nam generale alibique probatum principium eſt: *Imperium Pontificis nullo jure niti, & , in ſpecie, omnes*

con-

conventiones cum Pontifice, qua tali initas, *eſſe nullius momenti*, omnes enim *conditionem Vicedeatus* præſupponunt, quæ nunquam adeſt, ut de vitiis earum nihil nunc dicam.

§. 18. Poſthæc videndum, quid Statibus, *nomine juris ſacrorum competat*, circa quod prænotandum, omne illud jus, vel ex *jure naturæ abſoluto*, vel *pactis Germaniæ fundamentalibus*, vel *conventionibus Statuum & Subditorum ſpecialibus*, eſſe æſtimandum, nam ipſa reiligio, illud jus non format, ſed *hoc* ex principiis modo nominatis exortum, circa *illam* ſaltem verſatur, ex accurata tamen religionis conſideratione intelligitur, quid juris Imperantibus non competat, quo ſenſu illi, etiam inter principia, aliquis locus eſt.

§. 19. Quo autem menſura juris Sacrorum recte conſtituatur, primo præſupponendum, quod, uti nulli Imperanti, ita nec Statibus reipublicæ germanicæ, imperium aliquod in *ipſam religionem*, ſive veram, ſive falſam competat: nam religio quævis, internum pectoris applauſum requirit, hunc autem cum imperium humanum producere nequeat, hinc apparet, illam extra hujus limites eſſe conſtitutam, adeoque legem naturalem prohibere, ne Imperantes, in Reſervata Dei, proterve involent.

§. 20. Exinde ſequitur, quod Status im-

perii non habeant (1) *jus peculiarem cultum introducendi* nec (2) *revelatum imperandi* aut (3) *controverſias religioſas, ad coactionis & pœnæ effectum, decidendi*, ad effectum tamen peculiaris Eccleſiæ efficiendæ, deciſio Imperantibus competit, modo non ob quemvis diſſenſum leviorem, quem ab Eccleſia excludant, atque ita, ſine neceſſitate, ſectas excitent.

§. 21. Legitimum autem imperium ſummatim verſatur vel circa *externum religionis exercitium*, vel *amicitiam humanam & civilem, religionis intuitu, conſervandam*, ceu in definitione, §. *1.* data, indicatum.

§. 22. Juxta primum reſpectum in genere Imperantibus, ac adeo Statibus imperii, competit *jus ea faciendi, ad quæ, religionis virtute obſtringuntur*, deinde *ea diſponendi, quæ extra legum divinarum obligationem ſunt conſtituta*, prius, *neceſſarium*, hoc, *voluntarium*, non male dixeris, ex utroque varia jura ſpecialia fluunt.

§. 23. Competit igitur Statibus imperii (1) *jus inquirendi in veritatem religionis, tam juxta principia naturalia, quam revelata, ac ejusmodi inquiſitionem dirigendi*, cui juri, nulla præſcriptione, aliove inſtituto humano, præjudicium fieri poteſt, *add.* OLDENBURG. *ad J. P. W. p. 2. D. 15. p. m. 126.*

§. 24.

§. 24. Poſita religionis libertate aliquando *conſenſus*, aliquando *diſſenſus* adeſt, qui duo caſus, in dijudicando jure Sacrorum, non immerito ſeparantur. Illo caſu obtinet (2.) *jus religionem publicandi* (3) *compoſita fidei formula, viſibilem Eccleſiam formandi*, ex quo tamen nulla obligatio, in iſta ſententia perſeverandi, enaſcitur.

§. 25. Non minus locum habet (4) *jus proſpiciendi, quo alii, in religione probata, recte erudiantur*, mediis ſcil. legitimis ac religionis indoli convenientibus (5.) *jus ordinandi liturgiam* tam in genere quam in ſpecie.

§. 26. Inprimis ergo huc pertinet (6.) *jus diſponendi circa adiaphora* i. e. ritus & ceremonias, circa cultum externum occurrentes, & verbo divino, juxta ſeriam ſubditorum opinionem, nec præceptas nec prohibitas. In definitione adiaphororum, omnes conſentire poſſunt, licet in exemplis maximopere differant.

§. 27. Habere autem Imperantem, & conſequenter Status imperii poteſtatem de adiaphoris diſponendi i. e. ea inſtituendi & abrogandi, ex ipſa adiaphororum definitione ſatis liquet. Eo ipſo enim dum extra legis divinæ præceptionem & prohibitionem ſunt conſtituta, arbitrio humano ſubjacent, hinc ſicut in ſtatu naturali, unusquisque, proprio

 bene-

beneplacito, eadem definiret, ita in ſtatu civili illud jus ad Imperantem pertinet.

§. 28. Quæ autem hic vel in *theſi* vel in *hypotheſi* objiciuntur, ea multis referre nihil attinet, cum cuivis adiaphororum perito, ad ea reſpondere facile ſit.

§. 29. Licet autem *natura* adiaphororum, facultatem mutandi indulgeat Imperanti, non tamen ideo pro lubitu eadem mutare poteſt, nam habet etiam jus mutandi leges, quis vero illam probaverit levitatem, qua pro lubitu leges figeret & refigeret?

§. 30. Quare ſi nulla utilitas mutationem adiaphororum poſtulet, aut de iis retinendis, tacitus aut expreſſus conſenſus datus ſit, vel eadem, ſi non ſemper, tamen certo tempore, habeant rationem indiciorum, veram Eccleſiam a falſa diſtinguentium, Imperantem eadem mutare non poſſe exiſtimem.

§. 31. Ut nobis falli & fallere videantur, qui ex eo, quod adiaphora *mutabilia*, ſint, eadem *mutanda* eſſe contendunt, nam non tantum conſiderandum, quid natura *objecti* indulgeat, ſed &, quid *aliæ circumſtantiæ*, quarum diverſo tempore, diverſa eſt æſtimatio.

§. 32. Ne tamen in alteram partem temere peccetur, recte faciet Imperans, ſi miniſtris Eccleſiæ injungat, quo de natura adiaphororum

Digitized by

rum Imperantisque circa illa poteſtate, populum erudiant, ne vero doctrina illa manca ſit, vincula quoque externa, quæ Imperantis libertatem aliquando conſtringant, ſimul recte explicanda erunt. *add.* BRUNEM. *J. E. l. 1. c. 2. §. 31.*

§. 33. In hunc cenſum etiam referendum (7.) *jus conſtituendi miniſtros Eccleſiæ*, quamvis hic nonnulli aliter ſentiant, *vid.* SCHERZER. *Antibellarm. diſput. 6. theſ. ſpec. 1. p 397.* verum uti hoc jus, pro diverſo Eccleſiæ Statu, diverſimode ſe habere poteſt, ita in Statu civili, ipſi Civitati Ejusque Imperanti originitus recte tribui videtur.

§. 34. Non minus (3) *jus, in certam fidei formulam, miniſtros Eccleſiæ, jurata promiſſione obſtringendi*, qui enim in Eccleſia, docentis aliudve munus vult obire, in eo utique, religio, cœtui illi probata, velut conditio, requiritur, hinc hactenus recte juramentum exigitur, ut vel receptæ fidei formulæ aſſentiatur, vel munere abſcedat.

§. 35. Porro (9.) *jus inquirendi in cognitionem & profectus Subditorum* (10.) *defectus deprehenſos emendandi* (11.) *indicendi Synodos provinciales* (12.) *habendi viſitationes* (13.) *manuducendi cives ad pietatem*, nam hoc jus recte etiam Imperanti tribuitur, licet nonnulli, menſuram imperii civilis illud excedere, arbitrentur.

X 4 §. 36.

§. 36. *Imperium* (14.) *in res Sacras & Eccleſiaſticas*, nam has, uti dominio Eccleſiæ, ita imperio civili ſubeſſe, certum eſt, utut Clerus papalis fucum faciat. De cætero imperii civilis cura eo dirigi debet, ut bona illa finem intentum, exercitium ſcilicet cultus divini, promoveant, non opprimant.

§. 37. *Jus* (15.) *inſtituendi Dicaſteria Eccleſiaſtica*, ut Conſiſtoria, Senatum Eccleſiaſticum ſimiliaque (16.) *Juriſdictio ſumma in Clericos, ac Eccleſiaſtica Laicorum negotia* (17.) *jus puniendi impietatem*, quatenus ſocietates humanas turbat, aut Deum externo actu contemnit, non vero quatenus, in omiſſione cultus honorantis, conſiſtit.

§. 38. Denique (18.) *Jus Patronatus eminens*, ſeu *defendendi religionem & Eccleſiam*, quam defenſionem etiam armis fieri poſſe, indubium eſt, cum enim quamvis læſionem injuſtam, vi propulſare liceat, nulla apparet ratio, cur non etiam arma ei opponi poſſint, qui nos, quoad religionem, læſurus eſt, *add. SCHWED. Sect. 2. c. 12. §. 2. vid. diſſert. D. RECHENBEG. de relig. arm. defenſ. in Volum. Diſſert. p. 2. n. 15.*

§. 39. Quodſi circa religionem *diſſenſus* ſit, *vid. §. 24.* tum inprimis de *tolerantia* aut *receptione* diſſentientium, quæri ſolet, de quo juxta merum jus naturale, ita breviter haben-

bendum videtur (1.) *ſi religio tranquillitatem civilem non turbet, ejus aſſeclæ poſſunt tolerari & recipi.* Eſt tamen etiam (2.) *licitum, eos non recipere, aut emigrationem iis injungere, dummodo hoc fiat, ſine emigrantium damno, illique alibi commode habitare queant*, quam doctrinam etiam principiis religionis chriſtianæ convenire arbitror.

§. 40. Sed juxta pacta Germaniæ, ex ſententia communi, ſic dicendum: *Præter religionem catholicam, Lutheranam & Reformatam, nulla in imperio tolerari debet R. J. 1555. §. 17. J. P. art. 7.* alius igitur religionis conſortes neque recipiendi, neque tolerandi ſunt, de cujus conventionis admiſſæ *moralitate* ex *§. præc.* judicari poteſt. Sed verius eſt, conventiones religioſas, aliarum religionum tolerantiam aut receptionem *non prohibere*, ſed ſaltem, in earum favorem, *nihil diſponere, v. l. 2. c. 5. §. 13. 14.*

§. 41. Quoad religiones, conventionibus religioſis ſubnixas, porro duplex caſus diſtinguendus eſt, vel enim *Catholici & Proteſtantes in genere, ad ſe invicem referuntur*, vel *Proteſtantes inter ſe ſpectantur.*

§. 42. De illo ita tenendum: *quicunque 1624. aliqua anni parte, exercitium religionis habuerunt, illos dominus Territorii tolerare debet, qui vero, eo tempore, in poſſeſſione exercitii*

tii religionis non fuerunt, illos vel tolerare poteſt, vel jubere, quo ſine damno emigrent, J. P. art. 5. §. 30. ſeqq. vid. RHET. *J. J. P. l. 2. tit. 1. §. 20. ſeqq.*

§. 43. Eſt igitur poſt *J. P.* emigratio, *voluntatis*, quoad eos, qui *anno 1624.* in poſſeſſione fuerunt, *neceſſitatis* ratione illorum, qui poſſeſſione dicti temporis fuerunt deſtituti.

§. 44. De Proteſtantibus inter ſe ſpectatis hoc obſervandum: *Si poſt pacem Weſtphalicam, Status Lutheranus, quocunque modo accipiat Subditos Reformatos, vel vice verſa, tum eos in quieto religionis exercitio relinquere debet J. P. art. 7.*

§. 45. Quoad tempus vero pacem antecedens, *nulla reſtrictio poſita eſt*, *nec attendendus annus 1624.* hinc Dominus diverſæ religionis, indiſtincte ſubditis ſuis, qui ante *J. P.* tales fuere, neceſſitatem emigrandi imponere poteſt, *vid.* RHET. *d. l.* §. *47.* obſervato tamen temperamento, quod merum jus naturæ introducit, de quo §. *39. h.* Imo non improbabilis eſt eorum ſententia, qui tacite, & indefinite, quoad tempus pacem Weſtphalicam, antecedens, tolerantiam ſancitam eſſe, contendunt.

§. 46. Id notandum, ex tolerantia generali trium religionum memoratarum, non fe-

ſequi, quod v. gr. Dominus Lutheranus, Catholicos aut Reformatos neceſſario in territorium recipere, aut ad honores & munera admittere debeat, & vice verſa, hinc, ſalvis conventionibus fundamentalibus, iſta diverſæ religionis conſortibus negari poſſunt.

§. 47. Quodſi v. gr. Status catholicus leges fundamentales violet, ſubditos proteſtantes injuſte expellendo, aut honeſtam ſepulturam iis negando, jus retorſionis contra Subditos catholicos Status Proteſtantis, aut ipſius transgreſſoris, locum non habet, neque enim unius religionis conſortes, corpus aliquod morale, eo ſenſu, conſtituunt, ut unius delictum, reliquis poſſit indiſtincte imputari, hinc talis retorſio, eſſet revera nova legis transgreſſio.

§. 48. Contra ipſum tamen transgreſſorem, ſi occaſio ferat, jus talionis exerceri poterit, licet nonnunquam ſatius ſit, generoſo contemtu, vel transgreſſorem, vel alios in transgreſſionem proclives, in ruborem dare, quam retorquendo, animum vilem aut affectus male compoſitos, oſtendere.

§. 49. In univerſum autem diverſæ religionis conſortes, cujuscunque demum ſint conditionis, debere inter ſe pacem colere, non tantum ex communibus ſocialitatis præceptis notum eſt, ſed & idem diſerte cautum *J. P. art. 5. §. 35. 50.*

§. 50.

§. 50. Quod ſi in eodem territorio diverſæ religionis ſubditi occurrant, tum competit Domino (3.) *jus tentandi conciliationem*, per amicas ſcil. collationes, ſine ulla coactione. Quo fine adeo Synodi cogi, aliaque media adhiberi poſſunt. De cætero uti ejusmodi conciliandi conatus, ſæpe ſubdoli, ita plerumque, ſi non ſemper, ſine effectu eſſe ſolent.

§. 51. Id autem non tam ex *imperio*, quam *libertate & placitis religionis Chriſtianæ* eſt, quod, data occaſione, quis ſuam de religione ſententiam aliis poſſit proponere, eosdemque ad eam aſſumendam hortari, quod adeo non tantum Statibus Imperii, ſed & privatis, idque erga alienos quoque ſubditos, licitum cenſeri debet, nec obſtat *R. J. 1555. §. 23. J. P. art. 5. §. 30.* quin tamen (4.) *jus hæc dirigendi*, ad partes imperii civilis pertineat, dubitandum non eſt.

§. 52. Illud etiam recte dici videtur, quod (5.) imperans habeat *jus, cultum diſſentientium externum circumſcribendi vel etiam plane prohibendi*, modo hoc, ſine odio civili, ob juſtas cauſas fiat, hinc etiam habebit locum (6.) *jus reluctantes puniendi.*

§. 53. Non minus tamen etiam diſſentientibus (7.) *liberum religionis exercitium, cæteraque ſubditorum conſentientium commoda,*

conce-

concedi poſſe videntur, quemadmodum etiam (8) *jus dirigendi Sacra diſſentientium* Imperanti recte aſſeritur.

§. 54. Hinc jura, §. *24. ſeqq.* relata, hic etiam locum inveniunt, in quantum ſcilicet ea, tam Imperantis, quam diſſentientium Conſcientia admittit. Sæpe tamen vel ex intempeſtivo odio, vel ſuperſtitione, dominantis Religionis Imperantes directionem illam averſantur, quo caſu eadem Diſſentientium Eccleſiæ accreſcit.

§. 55. In hunc fere modum, jura, religionis exercitium concernentia, repræſentari poſſunt, numerum tamen, iſta recenſione, præciſe non definio, nec, quo minus illa accuratius quis partiatur, intercedo. Interim crediderim, quod jura magis ſpecialia, facile locum aliquem, in allata repræſentatione, ſint ſortitura.

§. 56. Poſtea conſiderandum jus, quod reſpicit amicitiam humanam & civilem, religionis intuitu, conſervandam, *vid.* §. *21.* Hoc ſummatim in eo conſiſtit, quod *Imperantes*, ac in ſpecie, *Status imperii proſpicere poſſint & debeant, ne, religionis prætextu, Socialitas lædatur, ac læſio, ſi jam invaluit, quantum fieri poteſt, iterum tollatur.*

§. 57. Habent igitur (1) *jus impediendi ne ob religionem aliquis lædatur*, ne ſcilicet

certæ

certæ alicujus Eccleſiæ ſacra turbentur, aut ejus membra ludibrio habeantur vel conviтiis proſcindantur; Ex quo capite, *elenchus perſonalis*, quem vocant, recte etiam prohibetur, quamvis in hac prohibitione papatus nonnunquam emineat.

§. 58. Non minus etiam ipſis competit (2) *Jus proſpiciendi, ne per religionem*, ſeu *ſub hujus ſpecie, aliis injuria inferatur.* Hæc læſio late patet, jam enim aliis religio propria eripitur, ac invitis alia obtruditur, iisque, ſi injuſtis ejusmodi auſibus obſequi nolint, periculum vitæ & bonorum intentatur, id quod exemplo religionis Clero-papalis intelligi poteſt.

§. 59. Jam ſub ſpecie religionis, liberis Rebuspublicis & Corporibus, jus Sacrorum aufertur, aut immenſæ opes, in præjudicium Reipublicæ ac cæterorum ſubditorum, corraduntur, quod lædendi genus, in Monachatu, aliisque otioſorum ac improborum hominum Societatibus vel Ordinibus, occurrit: Has igitur ſimilesve læſiones, Imperans impedire poteſt & debet.

§. 60. Quodſi læſio invaluerit, competit (3) *jus eam tollendi.* Ex hoc fundamento Monachi, aliaque ejus notæ inutilia Reipublicæ pondera, recte ejiciuntur, aut ipſis laborandi neceſſitas imponitur: Non minus

etiam

etiam bona callide ſubtracta, ac exercitium cultus divini non juvantia, ſed opprimentia, Reipublicæ iterum vindicantur, ſeu, ſtilo conſveto, ſeculariſantur, nec præciſe illa in alium uſum ſacrum impendi debent, ſed ſufficit, ſi ad utilitatem Reipublicæ adhibeantur.

§. 61. Atque ex hiſce fundamentis etiam repetendum puto (4.) *Jus papale Statuum, præcipue Evangelicorum*, quod vocant, quodque circa *Clericatum Pontificium* vel *ejus reliquias, puta capitula, ac cœnobia mediata*, nec non *Commendas Equitum Marianorum & Johanniticorum* verſatur, quo pertinet *diſſert. de jure papali Principum Evangelic. ſub Præſid.* STRYKII *hab. Hal. 1694.*

§. 62. Competere Statibus imperii etiam hac parte aliquod jus, ex eo manifeſtum eſt, quod Capitula cæteraque bona, ſint in eorum territorio, hinc merito huc quoque imperium extenditur, niſi reſtrictio liquido doceatur, atque id ſatis confirmat *J. P. art. 8. §. 1. art. 5. §. 26. 48.*

§. 63. Ejus vero *origo* eodem modo explicanda, ſicut juris Sacrorum in genere, nempe ab Imperio & Cæſare ſenſim hoc jus ſunt conſecuti Status, adeoque merito pro parte Superioritatis T. habetur juxta *§. 7. ſeqq. h.*

§. 64. Haut igitur placet eorum philoſophia,

phia, qui hanc partem in ſpecie, a Pontifice, in Status derivandam eſſe cenſent, ita ut *tranſactione* & *Inſtrumento Pacis*, demum à Papa eam Illi obtinuerint, hinc porro eam, *jus papale*, illo ſenſu, dicunt, & partem *Superioritatis T.* eſſe negant.

§. 65. Cum enim, in conventiones religioſas, nunquam conſenſerit Pontifex, ſane jus legitime quæſitum (quod hæc hypotheſis ſupponit) ei auferre illæ non potuerunt, hinc neceſſario Status erunt, alieni juris uſurpatores, & malæ fidei poſſeſſores, à quo vitio, philoſophiæ hujus Sectatores, eos liberare haut valent.

§. 66. Haut juvat hanc ſententiam, quod *Cæſar nihil juris habuiſſe*, ac *adeo ab eo nihil repeti poſſe* dicatur, nam hoc credunt ſaltem ii, qui æra lupinis diſcernere non poſſunt, contrarium oſtendimus §. *11. ſeqq.*

§. 67. Sunt tamen, qui hanc juris Sacrorum partem, Statibus omnino negandam cenſent, quia *Pontificis jurisdictio ſaltem ſit ſuſpenſa art. 5. §. 19. 48.* nam hæc locutio non tantum *confeſſionem juris Pontificii* involvere ſed &, non *jus*, ſed *exercitium* ſaltem ſublatum eſſe, innuere videtur,

§. 68. Verum loquitur Inſtrumentum Pacis, de poteſtate Pontificis, non juxta *rei veritatem*, ſed *opinionem Pontificiorum*, nam in rei

rei veritate nihil juris Pontifici competere, adeoque nihil poſſe ſuſpendi, invictis rationibus alias demonſtratur.

§. 69. Prudenti autem conſilio, iſtam & ſimiles locutiones tum tolerarunt Proteſtantes, cum, ſi acrius Stilum, rei veritati attemperandum, urſiſſent, conſilia pacis, in hominibus miſere ſuperſtitioſis, facile potuiſſent extinguere, *vid. l. 2. c. 5. §. 15. 16. 17.*

§. 70. Quod ſi in ſpecie argumentum illud jactetur *à Subditis*, eludendo Statuum juri, iis etiam, ex *hypotheſi juris Pontificii admiſſi*, ſatisfieri poteſt, nam *ſuſpenſio* illa non *privative* ſed *translative* foret intelligenda, *vid. diſſert.* STRYCK. *c. 2. §. 9.* quod ex *ſcopo* patet, excludendus enim erat Pontifex, non Subditis libertas danda, perinde ſicut diſcipulis feriæ non conceduntur, licet pædagogus ab officio ſuſpendatur.

§. 71. His poſitis, videndum *in quo jus illud*, Statibus hactenus aſſertum *conſiſtat*, circa quod obſervandum, poſſe illud à Statibus exerceri vel *juxta modum Pontificibus & certo reſpectu, Cæſari adhibitum*, vel *proprium beneplacitum, utilitati tamen territorii attemperatum.*

§. 72. Primo reſpectu generalis definitio eſt: *omnia poſſe Status imperii, in capitulis mediatis facere, quæ olim Pontifex juxta teno-*

rem Concordatorum, & Cæſar in iis fecere, ſed eadem anno 1624. die 1. Jan. non amplius exercuerunt, nam hæc norma hactenus, ex hypotheſi inſtituendæ imitationis, erit admittenda.

§. 73. Poſſunt igitur (1.) Status *conferre beneficia in menſibus papalibus ſeu extraordinariis*, Januario *ſcil.* Martio, Majo, Julio, Septembre, Novembre *vacantia*, etiam in capitulis Pontificiis, ſi Pontifex *anno 1624. die 1. Jan.* in poſſeſſione conferendi haut fuit *J. P. art. 5. §. 26. v. d. diſſert. c. 4.* Quod ſi tamen *beneficium*, muneris cujusdam ſit appendix, collatio illa extraordinaria ceſſabit.

§. 74. In *menſibus* autem *ordinariis nempe* Februario, Aprile, Junio, Auguſto, Octobre, Decembre, *quibus collatio eſt penes Capitulum*, habent Status (2.) *jus proviſionum extraordinariarum*, nempe ſi, in aula Principis, aut ab ea, intra duas diætas, moriatur Canonicus, vel, ob irregularitatem, beneficio excidat, jus conferendi eſt penes Principem, *vid. diſſert. citat. c. 3. §. 1. ſeq.*

§. 75. Porro (3.) *jus primariarum precum*, quod non, ad imitationem *Pontificis*, ſed *Cæſaris*, Status exercent, & eſt *pars Superioritatis T. qua Status electione & ſucceſſione ad imperium evecti, in capitulis ſibi ſubjectis, ſemel, unam perſonam, ſecundum naturam beneſi-*

neficii idoneam, ad ben ficium, in menſibus ordinariis vacans, præſentant.

§. 76. Exercent hoc jus ſaltem ii Status, qui una perſona conſtant, adeoque mutari poſſunt, tam *Catholici, vid. SCHILTER. de libert. Eccleſ. Germ. in addend ad l. 6. c. 5. §. 11.* quam *Proteſtantes*, ceu Sereniſſimi Electores Brandenburgici, ſuo exemplo potiſſimum oſtendunt, quod dudum *Precibus Electoralibus* originem præbuit.

§. 77. Exerit ſe hoc jus, poſt ſuſceptum regimen, *ſemel* tantum, in *omnibus* tamen capitulis, non autem *primo* ſtatim *regiminis anno*, aut *beneficio primo vacante*, præciſe exerceri debet, ſed quando Principi viſum fuerit, quod ſi tamen aliquem ad beneficium præſentare velit, intra *menſem*, a die cognitæ vacantiæ, id fieri debet, *vid.* FRITSCH. *de primar. prec. Mantiſſ. 2.*

§. 78. Poſſunt hoc jus Principes etiam *mediate* exercere, & ſæpe illud ſereniſſimis Conjugibus, intuitu Conventuum ſequioris ſexus, delegant, quæ etiam in iis hoc jus exercent, *vid.* SCHILTER. *d. l.*

§. 79. Præſentanda tamen eſt omni caſu, perſona *habilis* i. e. talis, quam neque leges imperii fundamentales, neque pacta ſpecialia, cum capitulis inita, repudiant.

§. 80. Habet autem locum hoc jus, tan-

tum in *menſibus ordinariis*, non ob juris *defectum*, ſed *abundantiam*, quia enim, in menſibus extraordinariis omnis collatio eſt penes Status, ideo majus hoc jus, minus primariarum precum, velut abſorbet; ex hypotheſi tamen *illius* ultro neglecti, *hoc* in extraordinariis quoque locum inveniet.

§. 81. Præfertur *Preciſta* omnibus, etiam antiquiorem expectantiam habentibus, quod ad eos referendum videtur, qui à capitulo expectantiam acceperunt, nam ſi omnis collatio ſit penes Principem, primariæ preces locum non habent.

§. 82. Ceſſat autem jus primariarum precum, ſi Imperator, in capitulis mediatis, primarias preces *anno 1624. die 1. Jan.* exercuit, easque deinde exercere velit *J. P. art. 5. §. 26.*

§. 83. Quibus caſibus collatio eſt penes Status, iis quoq; (4) habent *jus dandi expectantias*, etiam, ob juſtam cauſam, ad eludendam *v. gr.* importunam expectantiarum emendicationem, cum clauſula *anteferri, vid. diſſert.* STRYCK. *c. 3. §. 8. 9.*

§. 84. In genere aſſeri poteſt (5.) *jus confirmandi*, eos, qui beneficia obtinuerunt, cujus etiam actus peragendi, *tempus modum & impenſas* definire Status poſſunt, *d. diſſert. c. 3. §. 10.* nam taxam Cancellariæ Romanæ præciſe ſequi, nimis videtur tædioſum.

§. 85.

Digitized by Google

§. 85. Adhuc (6.) *jus exigendi annatas*, i.e. primi anni reditus, recte Statibus tribuitur, nam quod earum exactio, in Pontifice, tanquam injuſto uſurpatore damnetur, id legitimis Dominis non poterit opponi, quod ſi tamen Præbenda habeat rationem ſalarii, alias ſatis modici, exactio merito ceſſabit, *add.* STRYK. *d. diſſert. c. 4. §. 7. ſeqq.*

§. 86. Denique (7.) *jus diſpenſandi de ſtatutis capitularibus*, Status ſibi recte arrogant, v. gr. circa triennium academicum, aut circa præſentiam, in loco capituli, quæ immunitas, *beneficium a latere* dici ſolet, *v. d. diſſertat.* STRYKIAN. *c. 5. §. 3. ſeqq.*

§. 87. Ea tamen omnia, quæ hactenus de jure Statuum diximus, generalem habent limitationem, *niſi aliter cum capitulis conventum ſit*, conventione tamen ſeria, & cognitionem juris præſupponente.

§. 88. Breviter nunc videndum, quomodo imperium, *proprio arbitrio*, exercere queant Status, juxta monitum §. 71. Poſſunt igitur (1.) *definire requiſita eorum, qui bonis Eccleſiaſticis frui debeant* v. gr. ut non niſi bene natus, Nobilis, literatus, indigena ad Canonicatum perveniat.

§. 89. Certam quoque *religionem*, inter requiſita referre poteſt, adeo ut v. gr. nemo, niſi religionis Lutheranæ, bonis Eccleſiaſticis

 frui

frui queat,& religionem mutans illis excidat, *v. d. diſſert. c. 3. §. 4.* dummodo non obſtet obſervantia *anni 1624.*

§. 90. Poſſunt (2.) *diſpenſare circa matrimonium Canonicorum* (3.) *tributum ab iis exigere,* cujus exemplum,in Electoratu Brandenburgico, eſt exactio pecuniæ, rebus maritimis deſtinatæ, der marine-Gelder/*d. diſſert. c. 4. §. 9.* nec iniquum erit tributum, etiamſi annatarum exactio præceſſerit, repetenda tamen hic erit limitatio §. 85.

§. 91. Gravior eſt quæſtio, an (4.) Status *capitula vel commendas plane tollere queant? v. d. diſſert. c. 3. §. 1. c. 5. §. 1.* de quo juxta caſus diverſos, diverſimode videtur pronunciandum, forte ita:

§. 92. Si Pontificii, capitulum & bona Eccleſiaſtica, in territorio Domini Lutherani aut Reformati, vel vice verſa, tenuerunt *1624. die 1. Jan.* Dominus territorii, illa tollere non poterit, ſi vero, eo tempore, in poſſeſſione non fuerunt, libertas tollendi Domino erit aſſerenda *J. P. art. 5. §. 26.*

§. 93. Si Dominus Territorii & Canonici, vel alii bonorum Eccleſiaſticorum poſſeſſores, *anno 1624.* ejusdem fuere religionis, qualis tandem fuerit illa, Domino facultas tollendi competit, reſtrictio enim,hoc caſu,nullibi ſancita eſt legibus fundamentalibus, ergo

pro

Digitized by Google

pro libero juris territorialis exercitio, merito præſumitur, *arg. art. 8. §. 1.*

§. 94. Domini tamen Pontificii, erga Pontificios Canonicos, jus ſuum, ob reverentiam erga Papam, exercere non ſolent, quod tamen, negando juri, allegari nequit; quod ſi vero hoc caſu, de tolerantia Capitulorum, conventio ſpecialis, a Domino territorii fuerit inita, facultas memorata ceſſabit.

§. 95. Denique ſi dominus Lutheranus capitulum reformatum poſt Pacem Weſtphalicam acceperit, vel vice verſa, illud quoque in eodem ſtatu ſemper manere debebit, *J. P. art. 7. §. 1.* Ita, ex ſententia communi, dicendum videtur. Sed ſicut illa, quoad religionis tolerantiam, quodammodo deficit, ceu §. 45. notatum, ita quæ de religionis tolerantia ſancita ſunt, ad Capitula non videntur extendenda, hinc inter Proteſtantes, ſine reſtrictione, facultas tollendi Capitula, locum forte habet.

§. 96. Juxta easdem diſtinctiones reſpondendum erit ad alteram quæſtionem, *an Dominus territorii quosdam Canonicatus & præbendas extinguere poſſit?* ſi ſequaris hypotheſes, communius probatas, ſed compendioſius dixeris, facultatem tollendi eatenus competere, quatenus obſervantia anni 1624. non obſtat, *add. d. diſſert. c. 5. §. 2.*

§. 97. Generalis videtur regula: *Status imperii, circa bona eccleſiaſtica, ea omnia facere poſſe, quæ Territoriorum utilitas requirit*, & ſatius quoque erit, ſi uſum bonorum illorum, uſui Civitatis, propriis Statutis, attemperent, quam ſi circa ea, invalida & obſoleta Concordata, anxie ſequantur, cum imitatio, errandi cauſam incautis præbere, ac falſam, de aliquo Pontificis jure, ſententiam, ingenerare poſſit, *add. l. 1. c. 7. §. 76. 77.*

§. 98. Circa Jus Sacrorum, hactenus, juxta diverſos reſpectus, expoſitum, generaliter adhuc nonnulla notari debent (1.) Illud competere promiſcue cuivis Territorii Domino, erga cujusvis religionis toleratæ ſubditos; diverſitas tamen religionis, exercitium memorati juris nonnunquam temperat, ceu ex antedictis intelligi poteſt, *vid. J. P. W. art. 5. §. 26. 48. art. 7. RHET. J. J. P. l. 2. tit. 1. §. 35. 45.*

§. 99. Interim fatendum, quod (2) hactenus dicta præcipue ad Status Proteſtantes pertineant, Pontificiis enim, cum in ſervitute papali ultro perſiſtant, parum juris autocratici competere ſolet, , de quo tamen in genere nihil certi pronunciari poteſt, cum non eadem omnium ſit conditio; Præterea illi jus, erga diſſentientes in religione, ſæpe ex ſuperſtitione quadam, negligere ſolent: Ex quibus inſignis Principis Proteſtantis, præ Statu, imo abſo-

abſoluto alias Imperante pontificio, elucet, prærogativa, *vid. D. RECHENBERG. Diſſert. de Prærogat. imper. Princip. Proteſt. in Volum. Diſſert. p. 2. n. 24.*

§. 100. Eſt porro (3) Jus Statuum Proteſtantium, ſi vel inter ſe, vel intuitu Pontificiorum, ſpectentur, plenum & territorii limitibus circumſcriptum, *J. P. art. 5. §. 48.* hinc quod aliqui contendant, Equites Marianos & Johanniticos, jurisdictioni Domini Territorialis eximi & ſuo Magiſtro ſubjici, *vid. PAURMEIST. de jurisd. imper. Rom. l. 2. c. 9. §. 89. add. LEHMAN. Chron. Spir. l. 7. c. 110. in addit. p. 879.* id jam olim dubium fuit, hodie autem penitus falſum eſt, *vid. Diſſert. STRYK. c. 2. §. 10. c. 3. §. 4.*

§. 101. Non minus etiam (4) Jus illud, plane liberum ac nulli provocationi obnoxium eſt, *vid. STRYCK. d. Diſſert. c. 6.* Quæ omnia uti ſunt valde eximia, ita (5) neutiquam ob Jus Sacrorum, *perſona Epiſcopi*, in Principibus Proteſtantibus fingenda eſt, hanc enim doctrinam eſſe papalem, incongruam, ac Proteſtantibus noxiam & ignominioſam in *SPECIM. JUR. ECCLES. l. 1. c. 4. §. 18. ſeqq.* jam oſtendi.

§. 102. Id denique (6) notandum, quod, quando Imperantibus, ac in ſpecie Statibus imperii Jus Sacrorum tribuitur, id minime

ita ſit accipiendum, quaſi *Subditorum* nullum plane hic jus ſit: Nam non tantum religio ipſis, velut hominibus & Chriſtianis, neceſſarium aliquod, ac imperio civili haut obnoxium, jus largitur, *vid. §. 51. h.* ſed & in eos, pacto & lege, ſpecialia quædam jura, non raro derivantur, denique aliquando Princeps, in exercendo Jure Sacrorum, Statuum Provincialium conſilium exquirere tenetur, hinc jus Imperantium, non aliter, quam ſalvis Subditorum juribus, intelligi debet.

§. 103. Ex his liquet, quo ſenſu, in Statibus imperii, verum ſit illud: *cujus eſt regio, ejus etiam eſt religio,* nimirum eo: qui eſt Dominus Territorii, ille quoque habet jus diſponendi circa religionem eique connexa, in quantum leges divinæ, ac pacta Germaniæ fundamentalia, aut ſpeciales conventiones id permittunt.

§. 104. Qui autem axioma illud, *multum damni attuliſſe Proteſtantibus,* exiſtimant, quod, *ejus prætextu, gravis perſecutio, contra eos, a Pontificiis, ſit inſtituta,* illi, per fallaciam cauſæ, innoxio axiomati imputant, quod a malitia eodem abutentium, dependet, *add.* D. RECHENBERG. *Diſſert. An, cujus regio, ejus ſit religio in Volum. Diſſert. p. 2. n. 21.*

CAP.

CAP. VII.

De publico Statuum imperii dominio.

SUMMARIA.

Ad jura territorialia pertinet etiam dominium publicum §. 1. *quod a Dominio eminente differt* §. 2. *ejus definitio* §. 3. 4. *objectum* §. 5. *ſeqq. quod amplius, quoad exempla dubia, confirmatur* §. 17. *ſeqq. jus Romanum hypotheſes Germanorum turbauit* §. 25. 26. *ac aliquando prævaluit Germanicum* §. 27. *aliquando Romanum* §. 28. 29. 30. *hoc etiam in dubio præferendum, ex ſententia interpretum, ſed male* §. 31. *uſus dictorum* §. 32. 33. 34.

§. I.

INter jura, quæ territorium reſpiciunt, occurrit quoque *dominium publicum*, quod eo diligentius notandum, quo frigidius illud vulgo tractari, aut uo magis, cum imperio proprie dicto, conndi ſolet.

§. 2. Inter partes Superioritatis immanen-, retulimus quoque *Dominium Eminens*, ſed c proprie *imperii* pars eſt, & de dominio ni-, niſi nomen participat, adeoque huc non rtinet.

. 3. Eſt itaque dominium publicum, *jus, ob*

ob quod res quædam corporales, pleniſſimo utendi effectu, ad aliquam Imperii germanici ditionem, ejusdemque Imperantes, pertinent.

§. 4. Plane igitur hoc dominium, quoad *eſſentiam*, cum *privato* convenit, ſed per *ſubjectum* ab eodem diſcernitur. Ab *imperio* autem & *Superioritate T.* penitus differt, licet hæc ſæpius illud antecedat, concomitetur aut conſequatur.

§. 5. Res quæ ad hoc dominium referri debent, ſunt, niſi fallor, duplicis generis, *vel enim uſum actu præbent*, vel *eundem demum præſtant, ſi factum interveniat, per quod ad uſum res diſponatur.*

§. 6. Ad primam claſſem ſpectant (1) *res fiſcales*, has eſſe in dominio Statuum, nemo dubitat, de cætero nihil refert, ſive ſint mobiles, ſive immobiles, aut quocunque demum modo, Territorio acquiſitæ, dummodo titulus ſit legitimus.

§. 7. (2.) *Sylvæ, flumina cum alveis, ripis, portubus, mare cum littoribus, horumque omnium incrementis, inſulis puta & alluvionibus, viæ publicæ & ejus generis alia*, veritatem dominii mox in genere, datis rationibus, confirmabimus, de cætero experientia teſtatur, illas res ſibi Status aſſerere.

§. 8. (3.) *Palatia, muri, portæ, fortalitia & quicquid rerum mobilium, ad illa inſtruenda,*

perti-

pertinet. De hoc etiam minus dubii, quia dominii effectus liquido ſatis comparent.

§. 9. Huc vero (4.) vix retulerim *res, quæ cultui divino peragendo aut humandis mortuis inſerviunt*, & vulgo *ſacræ & religioſæ* audiunt, nam hæ potius ſunt in dominio Eccleſiæ vel privatorum, quam publico.

§. 10. Inter res autem adductas, ea eſt differentia, quod quædam præbeant uſum *multiplicem ac varium*, quædam vero *uniformem*, quæ diverſitas ipſum dominium non attinet.

§. 11. Ad ſecundam claſſem in genere pertinent *omnes res, quæ alicujus pretii in territorio reperiuntur, & in quibus, dominii aut juris alius privati effectus & indicia non comparent.*

§. 12. Ex hoc igitur genere ſunt (1.) *metalla, in terræ viſceribus hærentia*, quo nomine mnis generis foſſilia comprehendimus. Euidem de antiquis Germanis referunt, quod ietallurgia apud eos non adeo viguerit, *vid.* HET. *J. J. P. l. 1. tit. 2. §. 54. ſeq.* iſta tamen on arguunt *dominii publici defectum*, ſed ſaln *neglectum.*

§. 13. Poſt *Caroli M.* tempora, liquidiſſi dominii illius proſtant indicia, quæ retuius *in diſſert. de jur. metallor. §. 14. 18.* nec die Status illud negligunt, ſed, id ad ſe perere, ubique oſtendunt.

§. 14.

§. 14. (2.) *Feræ beſtiæ, volucres & piſces, quatenus illa territorio continentur*, harum rerum dominium ſibi attribuere Status, exceptis tamen, ſi ita viſum fuerit, beſtiis vilioribus & noxiis, experientia loquitur, recte autem illud fieri, mox in genere oſtendam.

§. 15. (3.) *Proventus aquatici, lapilli pretioſi, ſuccinum & ejus generis alia* (4.) *theſauri, vid.* GROT. *l. 2. c. 8. n. 7.* (5.) *agri deſerti* (6) *loca inculta, vid.* VITRIAR. *l. 3. tit. 18. §. 73. ſeqq.* imo poterant huc referri (7) *res mobiles, pro derelicto habitæ*, ſed harum dominium plerumque ſibi non aſſerunt Imperantes.

§. 16. Enim vero quod dominium originarium illarum rerum, quas §. 7. 12. 14. 15. retulimus, Statibus imperii merito tribuatur nunc generaliter oſtendi debet. Nimirum omnes res, ſub initium generis humani, fuere *nullius* i. e. res à Deo hominibus *deſtinatæ*, nondum vero ab aliquo, vel facto, vel minimum conſenſu, *apprehenſæ*.

§. 17. Poſtquam vero homines ſibi illas aſſerere ſenſim cœperunt, res hactenus *nullius*, factæ ſunt *alicujus*, & pro diverſitate acceptantis, v. gr. vel *communes*, vel *ſingulorum*, vel *publicæ*.

§. 18. Cum igitur homines, nexu civili conjuncti, certos terræ tractus poſſideant, non illæ tantum res, ſtatum primævæ conceſ-

ſio-

ſionis divinæ, mutaſſe cenſendæ ſunt, quæ à ſingulis actu tenentur, ſed potius exiſtimandum, totum illum tractum, omniaq; ibi contenta, dominiique privati expertia, generaliter ſibi aſſeruiſſe univerſam civitatem, adeoque dominium illarum rerum, huic, ob iſtam aſſertionem, eſſe tribuendum, *vid.* GROT. *de J. B. P. l. 2. c. 3. §. 10. c. 8. §. 9.*

§. 19. Ex quo conſequitur, idem obtinere, in diſtinctis Germaniæ territoriis, poſtquam eadem, ſuperioritate territoriali, animari cœperunt, adeo ut omnes res, quæ actu à privatis non tenentur, non ſint dicendæ amplius *nullius*, nec *privatorum*, ſed potius, ob acceptationem generalem, *publicæ*.

§. 20. Falluntur igitur, qui in civitate, v. gr. feras beſtias, dicunt *res nullius*, nam fuerunt quidem tales, ſed ſtatum mutarunt, per *acceptationem civitatis*, quam illi male prætervident.

§. 21. Idem lapſus eſt, quando res ſub fundo privato, in imis terræ cavernis, latentes, *privatorum* dicunt, *vid.* ZIEGLER. *de jur. Maj. l. 2. c. 19. §. 15.* nam privati illas nondum ſibi aſſeruerunt, aut, in præjudicium civitatis, aſſerere poſſunt.

§. 22. Alii contendunt, Principem habere quidem *jus, ut illas res*, quas §. *12. ſeqq.* adduximus, *ſolus occupare poſſit*, ſed id *proprie*

non

non eſſe dominium, cum, ad hoc conſtituendum, *occupatio* requiratur, PUFENDORF. *de J. N. G. l. 4. c. 6. §. 7.*

§. 23. Verum uti effectum illius juris ſic declarant, ut liquido ſatis dominium arguat, ita ratio, qua illud, dominium eſſe negant, plane falſa eſt, nam occupatio, eſt ſaltem *medium, quo animum habendi declaramus*, de hoc igitur ſi ex aliis indiciis ſatis conſter, etiam ſine occupatione, dominium originarium poterit acquiri.

§. 24. Sat certis igitur principiis nititur dominium publicum Statuum imperii, & fortaſſe etiam ſat certum fuiſſet, niſi jus Romanum, hypotheſes Germanorum, rectæ rationi oppido conſentientes, turbaſſet, de quo tamen diſtincte videndum.

§. 25. Nimirum Romani res *ſanctas, ſacras, & religioſas*, crediderunt res *nullius*, idque non ſimpliciter, ſed ſecundum excellentiam. Verum uti hoc commentum ipſi Romani argumentis non obſcuris refutarunt, ita in Germania re ipſa exploditur, licet fabulæ illæ à multis adhuc narrari ſoleant, *vid.* OBSERV. AD LAUTERB. *Obſerv. 35.*

§. 26. Reliquas res, quas in Germania *dominio publico* ſubjici diximus, ſi non omnes, certe plerasque, dixerunt vel *nullius*, vel *privatorum*. Hic igitur vulgo exiſtimant (1.)

pla-

Google

placita Romana, eſſe juris gentium, à quo abeant germanica, hoc falſum eſt, ut §. *16. ſeq.* oſtenſum (2) *jus Germaniæ eſſe correctorium*, hoc inſuper ridiculum, quomodo enim jus patrium & prius, externum & nuper receptum corrigere poteſt? ac (3.) *ideo ſtricte explicandum*, hoc etiam, ſine abſurda hac applicatione, in ſe ſpectatum, falſum eſt.

§. 27. Interim in illa velut juris Germanici & Romani lucta, aliquando prævaluit *Germanicum*, quod exemplo *ferarum* inprimis liquet, hinc contendunt, *jure Romano mutato, res nullius aut privatorum, in Germania adſcribi Imperantibus*, hoc abſonum eſt, ut jam diximus, præterea rationes, quibus dominii privati in Imperantes translationem oſtendunt, nullius ſunt momenti, *vid. diſp. de jur. metall.* §. *16.*

§. 28. Aliquando prævaluit *Romanum*, ſic heſauri, Germanico jure, ad dominium publicum ſpectant, quod vel ex *art. 35. l. 1.* Landr, um aliis Germaniæ juribus collato, liquet, *d.* HEIG. *l. 1. qu. 13. n. 65.* ſed in Electoratu Saxoæ, obſervatur jus Romanum *p. 2. Conſt. 53.* od forte etiam alibi fit.

§. 29. Si interpretes audias, adhuc in aliis evalere debet jus Romanum, nam metalnon *in ſolidum*, ſed ſaltem, quoad *canonem allicum*, Principibus, ob illius autorita-

tem, tribui debere, quidam exiſtimant, ſed iſtius ſententiæ abſurditatem forte ſatis oſtendimus, *d. diſſert. de jur. metall. §. 23.*

§. 30. De dominio inſulæ in Camera imperiali diſputatum, ſed tamen, & rectiſſime quidem, pro Domino territoriali, pronunciatum eſſe, ex autoribus propriis refert VITRIAR. *l. 3. tit. 18. §. 38. add. CARPZ. p. 3. C. 31. D. 13.*

§. 31. Quid igitur in dubio faciendum? *ſecundum jus* Romanum pronunciandum erit, ſi credas interpretibus, *vid. LAUTERB. C. J. de A. R. D. verb. inventio*, ſed abſurdiſſimum eſſe illud effatum, palam eſt, hinc ſine ulla hæſitatione jus germanicum obſervari debebit, *add. ZIEGLER. de jur. Majeſt. l. 2. c. 15. §. 32. ſeqq. STRYCK. E. J. F. Edit. noviſſim. c. 8. qu. 16. b.*

§. 32. Id certum eſt, nullam legem divinam, Status imperii obligare antecedenter, ut dominium rerum memoratarum præciſe ſibi aſſerant, hinc ſi quasdam vel *privatorum*, vel *nullius* eſſe ſinant, id velut injuſtum reprehendi non poteſt.

§. 33. Interim principia expoſita eo profuerint, ut oſtendant, optimo jure Imperantes, dominium illarum rerum, ſibi aſſerere poſſe, ex poſtfacto etiam, ſi forte à jure Romano ejusque interpretibus decepti, hactenus id non fecerint.

§. 34.

Digitized by Google

§. 34. Ex his omnibus liquidum eſt, quam intempeſtive TABOR uſum juris Romani, in definiendis *rebus publicis*, jactaverit, quod licet iam *l. 2. c. fin.* admonitum ſit, hic tamen, in ſede propria, præteriri non debuit.

CAP. IIX.

De partibus Superioritatis Territorialis tranſeuntis.

SUMMARIA.

onnexio §. 1. Superioritas tranſiens, tantum libertas eſt §. 2. ejus diviſio §. 3. 4. Superioritas pacifica, jus Legationum audit §. 5. partitio dicendorum §. 6. Scriptores de jure Legationum §. 7. Legati definitio §. 8. diviſio §. 9. 10. 11. 12. jus Legationum competit Statibus imperii §. 13. ſed non eodem modo §. 14. 15. 16. comprehendit ſub ſe ſex partes §. 17. 18. fœdera quid §. 19. jus fœderum ad Status pertinet §. 20. 21. 22. Superioritas bellica §. 23. ejus fundamentum §. 24. effectus §. 25. quousque Statibus competat §. 26. ſeqq. repreſſaliæ §. 38. quid §. 39. quotuplices §. 40. earum moralitas §. 41. 42. 43. objectum §. 44. effectus §. 45. 46. jus repreſſaliarum Statibus competit §. 47. 48. 49. injuſtæ tamen probibitæ ſunt §. 50. ſeqq. in bello occurrit us fœderum & mediationis §. 54. ſub illo continetur neuralitas §. 55. ſeqq. ac alia pacta bellica §. 64. ſeqq.

jus mediationis quid contineat §. *66. 67. temperamentum quoad hactenus dicta* §. *68.*

§. I.

VIdimus jura Statuum, quæ Territorium reſpiciunt, nunc juxta partitionem *c.4.§.1.* pergendum ad jura, quæ *Exteros*, i. e. extra territorium conſtitutos, concernunt, quæ vel ex *Superioritate T.* fluunt, vel ex *pacto æquali ſimilive actu* deſcendunt, de illis primo agendum, adeoque tractatio de partibus Superioritatis *T. c.5.6.* incepta, complenda erit.

§. 2. Superioritas ad alios *tranſiens*, non involvit *imperium*, ſed eſt tantum *libertas civilis complexa*, quicquid enim cum Exteris agitur, id cum æqualibus actum cenſeri debet, *vid.c.5.§.4.b.*

§. 3. Suſcipiuntur autem cum Exteris, vel actus *pacifici*, vel *bellici*, hinc Superioritatem tranſeuntem, in *pacificam & bellicam* diſpeſcere licebit.

§. 4. Pacifica reſpicit vel *Statum pacis*, vel *Statum belli*, quod nemini paradoxon videri debet, nam bellum non notat ſemper *actualem manuum conſertionem*, ſed *ſtatum juris controverſi*, hinc in bello multi actus pacifici occurrunt.

§. 5.

Digitized by Google

§. 5. Tota Superioritas pacifica, ſi *media* exerceatur, dicitur *jus Legationum*, hinc ıtet, perperam vulgo *jus legationum*, & v. gr. *varantiæ*, aut *fœderum*, velut *partes*, ſibi vicem opponi, cum inter *illud & hæc*, ſit reſpectus *Totius & partium*.

§. 6. His poſitis eo ordine Superioritatem anſeuntem ſpectabimus, ut (1.) conſidemus totam pacificam, ſub nomine juris egationum (2.) addamus ejus partes, quæ atum pacis reſpiciunt, aut utrique ſtatui nt communes (3.) adducamus Superiorita-m bellicam, & denuo (4.) pacificam, ſtatum lli reſpicientem.

§. 7. De jure Legationum multorum opeſuit ſollicita, *vid.* KULPIS. *de Legat. Statuum per. in præfat.* ſed ad ſcopum noſtrum acmmodate de eo egit modo laudatus KULPIIS, ex cujus tractatu quædam breviter, n hic, tum alibi, excerpemus, ſalva liberæ aliter ſubinde ſentiendi & partiendi.

§. 8. Legatus eſt *perſon a, ab eo, qui Majete vel Superioritate T. gaudet, cum aliqua eximatione intenſiva, ac poteſtate negotia quæ rite expediendi, ad alium, Majeſtate itm vel Superioritate præditum, legitime miſ-* add. KULPIS. d. tr. c. 1. 3. c. 11. §. 3. 16. 17.

§. 9. Juxta hodiernum Styli curialis uſum,

 di-

diſtinguuntur Legati (1.) *a diverſa exiſtimatione*, in MAJORES, qui charactere repræſentatitio gaudent, ac *Legati* in ſpecie, & *Ambaſciatores* dicuntur, & MINORES qui charactere illo deſtituuntur ac *Ablegati*, *Envoyés* audiunt.

§. 10. Deinde in PRIMARIOS, qui ſoli legationis ſplendorem ſuſtinent, & SECUNDARIOS, qui conſiliis aſſiſtunt ac abſentibus vel impeditis primariis ſubſtituuntur. Poſſes etiam, *a diverſitate officii*, hanc differentiam deducere, *add.* KULPIS. *d. tr. c. 2. §. 5.*

§. 11. (2.) A *diverſa Poteſtate*, in PLENIPOTENTIARIOS, qui liberam concludendi poteſtatem habent, & FORMULARIOS, qui ea carent. Poterit eſſe *Legatus formularius & Ablegatus Plenipotentiarius*, *add.* KULPIS. *d. c. 2. §. 1. 2.* Hodie nomen Plenipotentiarii, ſæpe generaliter, pro quovis Legato accipitur.

§. 12. (3.) A *diverſa mittentis intentione*, in *Extraordinarios*, qui certæ rei cauſa mittuntur, ac plerumque brevi negotium conficiunt, & *Ordinarios*, quibus nec brevius tempus præfixum, nec determinata cauſa commiſſa eſt. *Ablegati Ordinarii* ſolenni ſtilo audiunt *Reſidentes*, *add.* KULPIS. *d. c. 2. §. 7.*

§. 13. Jus mittendi Legatum, Statibus imperii vi *Superioritatis T.* competit, *vid.* KULPIS.

:. *d. tr. c. 6. 7.* & poſſunt legatos mittere et-
n *nondum inveſtiti*, tam *extra imperium*,
iam *in imperio*, ad *Cæſarem*, *Conſtatus*, *Co-*
tia aliosque *conventus*, *Id. c. 8. 9.*

§. 14. Soli tamen *Electores* ſine controver-
habent jus mittendi Ambaſciatores, *Prin-*
ibus illud jus diſputari ſolet, *minores Status*
ro nec audent forte mittere primi ordinis
gatum, *Id. c. 10.*

§. 15. Juxta menſuram vero juris compe-
itis, licitum eſt Statibus, unum vel plures,
sque vel ejusdem, vel diverſæ exiſtimatio-
; Legatos mittere, *Id. d. c. 10. §. 20. ſeqq. c. 2. §.*
6. ſicut etiam plures Status uni Legato
gotia demandare poſſunt, *d. c. 10. §. 30.*

§. 16. Porro *quemvis* mittere poſſunt dum-
odo regulæ *decori*, *prudentiæ* vel *leges Ger-*
nicæ non obſtent, quod nunquam præſu-
tur ſed probari debet, *vid.* Kulpis. *c. 11.*

§. 17. Jus Legationum, ſeu Superioritas
nſiens Pacifica, *Statum Pacis* præcipue re-
ciens, varias partes ſub ſe continet. Vi-
itur non incommode *ſex generaliores*, ad
is reliquæ vocari queant, conſtitui poſſe
) *jus*, *Cæſaris electionem reſpiciens*, (2.) *Jus*
ragii in Comitiis, (3.) *Jus petendi inveſtitu-*
i, *vid.* Kulpis. *d. tr. c. 6. §. 9. junct. c. 13. §. 8.*
ſingulis, loco proprio agemus.

§. 18. (4) *Jus civilitatis publicæ*, ut ſic loqui liceat, quo Status alteri, luctus aut gaudii communionem, in re adverſa vel proſpera, ſignificant, aut amicitiam vel honorem teſtantur, (5.) *Jus mediationis*, quod, circa aliorum pacta & controverſias, occupatur, utrumque, ex doctrina Legationum, ſatis intelligitur, (6.) *jus fœderum.* Quatuor priores partes, tantum pertinent ad Statum pacis, duæ poſteriores, Statui pacis & belli, ſunt communes.

§. 19. Quid fœdera ſint & quotuplicia, tum quinam, de qua re, inire eadem poſſint, porro quæ fœderum ſit interpretatio & effectus, id omne, velut alibi explicatum, & ſatis expeditum, hic ſupponitur.

§. 20. Competere autem omnibus Imperii Statibus, jus, ſine conſenſu Cæſaris, cum quovis, tam in imperio, quam extra illud, fœdera ineundi, poſt *J. P. art. 8. §. 2.* dubio caret, *vid. Capitul. Joſeph. art. 10.*

§. 21. Imperator tamen & Imperium, niſi forte animum hoſtilem injuſte, contra Status, induerint, excipi debent, imo, virtute legum fundamentalium, ſemper excepti cenſentur.

§. 22. Plurima autem fœderum exempla proſtant, tam *tranſitoriorum*, quale fuit *fœdus Chambortium, vid.* ARUM. *ad A. B. diſcurſ. 6. §. 4.*

Digitized by Google

.ſeqq. HEIG. *p.1. qu.11.* quam *permanen-m*, ex quo genere eſt *unio Electoralis*, *vid. pitul. Leopold. art. 6.* SCHWED. *ſect. 2. c. 2. §. dd.* KULPIS. *ad Monzamb. p. 2. c. 5. §. 8. vid.* HM. *Chr. Spir. l. 5. c. 92. l. 7. c. 65. ſeqq. c. 74. 84. 91. 93. 97.*

. 23. Tertio conſideranda *Superioritas nſiens bellica*, *ſeu jus belli*, *i. e. jus alios, a-us hoſtilibus, lædendi*, *vel bellantes adju-ndi*, hoc enim ſenſu tranſiens jus eſt, cum reſpectu ad Superioritatem immanen-n pertineat, *vid. c. 5. §. 53. ſeqq.*

. 24. Debet autem jus belli, Statibus npetens, omnino argumento *Superiorita-Territorialis probari*, male vero ex *diffida-ibus antiquis*, cum FURSTENERIO *de jur. em. c. 21.* aut ex *jure defenſionis naturali*, n VITRIARIO *l. 3. tit. 19. §. 82.* & KULPI-*ad Monzamb. p. 2. c. 5. §. fin.* idem dedu-is, nam *illæ* facti ſunt, *hoc* vero, in ſtatu ci-ſublatum eſt, *vid.* VINDIC. VITRIAR. CA-. *§. 210. ſeqq.*

. 25. Conſiſtit jus belli in eo, quod Status in propria perſona, aliis ſervire queat *R. 70. §.* denſelben wir / cujus rei tamen, ad Status majores, rariora hodie erunt mpla (2.) quod auxilia bellantibus ſub-iſtrare, *d. R.* (3.) hoſtibus vi & clam noce-oſſit, *vid.* SCHWED. *ſect. 2. c. 17. §. 2.*

§. 26. Injuſtum tamen bellum ſuſcipere non poſſunt Status imperii, hoc enim commune Socialitatis præceptum omnes Imperantes obſtringens, prohibet.

§. 27. Contra exteros bellum ſuſcipere non poſſunt, poſita licet juſta cauſa, ſi probabilis ſubſit metus, fore, ut totum imperium periculo exponatur, ceſſante vero illo metu, bellum licite ſuſcipiunt aut bellantibus aſſiſtunt.

§. 28. Imo ſi totum imperium bello petatur, ne juſtum quidem bellum offenſivum, contra proprium hoſtem, Status ſuſcipere, aut copias ſuas, aliis concedere poſſe videntur, hoc enim prohibet nexus, quo ſinguli Toti Reipublicæ obſtringuntur.

§. 29. Interim ita ſervari ſolet, ut juxta *modum, in legibus publicis antiquioribus præſcriptum*, modicis ſaltem auxiliis, communi Patriæ, Status, ſive proprii belli periculum immineat, ſive ceſſet, ſuccurrere, quoad cætera, diſponendi arbitrium ſibi reſervare, & aliis, copias ſuas, certo Stipendio addicere ſoleant, id quod, ad Reipublicæ morbos, non immerito retuleris.

§. 30. Ipſi etiam Cæſari, officii ſui oblito, Status reſiſtere poſſunt, quod illuſtria proximi & noſtri Seculi exempla, oſtendunt, quæ injuſtitiæ fruſtra accuſaveris.

§. 31.

31. Inter ſe vero Status bellum gerere
poſſunt, quia habent communia judicia,
men Status alterum injuſte fuerit ador-
haud conſultum fuerit, vi bellicæ proceſ-
opponere, ſed arma recte expedientur.

32. Si iſtæ reſtrictiones obſerventur,
m *ſine conſenſu Cæſaris* bellum ſuſcipere
ſunt Status. Solent quidem vulgo ad bel-
offenſivum, requirere conſenſum Cæſa-
m, SCHWED. *d. c. 16. §. 2. 3.* VITRIAR. *d. tit.*
§. 82. 83. ſed in exemplis, quæ jactant,
eſt fallacia cauſæ, ſunt enim bella illa in-
a, non *ob defectum conſenſus Cæſarei*, ſed
d contra Conſtatum ſine cauſa ſuſcipiantur.

33. Loquor de *bello offenſivo injuſto*, non
ſi *juſtum*, *cum Cæſaris conſenſu*, geri poſſe
timem, ſed *quia exempla objecta*, de *illo bel-*
rant concepta, adeoque *hanc reſponſionem*
gebant. Alias, conſenſum Cæſareum, ad
geſtionem, fruſtra requiri, plenius ſic o-
di poteſt.

34. Vel ſuſcipiendum eſt bellum *defen-*
m contra illatam vim injuſtam; hoc, ſine
ſenſu Cæſaris, fieri poſſe, certum eſt,
ulgo conceditur: Vel bellum *offenſivum*,
ſtum; hoc communes ſocialitatis regulæ
hibent, vel *juſtum*; hoc judicia conſtituta
exclu-

excludunt, ceu innui §. 31. neutrum ergo, conſenſu Cæſaris, poteſt fieri legitimum, hinc fruſtra ille exigitur.

§. 35. Confundunt, qui conſenſum Cæſaris neceſſarium dicunt, belli *geſtionem & præparationem*, ad hanc olim conſenſus Cæſaris erat neceſſarius, de quo *c. 5. §. 55.* dictum, ſed ad illam quoque eum requiri, oſtendi nequit, *vid. VINDIC. VITRIAR. CASTIG. §. 203. ſeqq.*

§. 36. Cæterum quod Status, ne quidem bellum offenſivum juſtum, ſuſcipere poſſe dixerim §. 31. id non aliter admittendum videtur, quam ex *hypotheſi judiciorum rite conſtitutorum, ſuumque officium dextre peragentium.* Alias, ſi *conſuetum proceſſuum & executionum torporem* conſideres, vix alicui verti poteſt vitio, ſi in cauſa juſta, bellum compendioſum, immortali ac inefficaci proceſſui præferat.

§. 37. In exercendo autem bello, Status quoque, communes Socialitatis regulas, obſervare debent, hinc in ſpecie exercituum tranſitus, per alterius Status Territorium, innoxius eſſe debet, quod variis etiam conſtitutionibus expreſſe cautum eſt, maximus tamen omni tempore hic fuit legum contemtus, in quem invehitur, SCHWED. *d. c. 16. §. 11. 12.*

§. 38. Bellorum vel præludia vel ſimulacra

ınt *repreſſaliæ*, quæ ſumuntur aliquando
ut arreſta & retorſionem ſeu talionem
dant, aliquando *ſtricte*.

39. Hoc ſenſu ſunt *actus, quo alterius ci-
vel Status civis, aut ejus res, propter de-
totius civitatis vel alius de iſta ſocietate ci-
ſt fruſtra petitam juſtitiæ adminiſtratio-
o fine detinentur, ut debitor ad Satisfactio-
o medio urgeatur, vel, ea non ſecuta, læſus
nde recipiat.*

40. Dividi poſſunt (1.) ab *objecto*, *in-
ales, reales & mixtas, vid.* GROT. *l.3. c.2.*
ſ. (2.) à *ſubjecto* in eas, quæ *jure indepen-
& dependente* exercentur, *vid.* SCHWED.
c.14. §.10.

.1. Licentiam repreſſaliarum, ex *jure
m voluntario*, repetit GROTIUS *d.l.§.2.*
vero intelligit *conventionem gentium
lem d. §.2. n. 2.* ſed talis conventio ne-
tur, neque ſi detur, velut *peculiaris juris*
debet juri naturali opponi.

2. Rectius igitur licentia earum, ex
e naturali, repetitur, nec obſtat, quod
iter ob factum alienum, neminem teneri,
ır GROTIUS, hoc enim verum ſaltem
hypotheſi tertii non conſentientis.

. Sed in repreſſaliis conſenſus *detenti*,
on quidem colligendus ex *ambiguo ju-
ium Grotiano*, ſed *conſtitutione cujus-*

vis

vis civitatis, vid. PUFEND. *de J. N. G. l. 8. c. 6. §. 13.*

§. 44. Ad omnes res & perſonas, repreſſaliæ extenduntur, niſi pacto quædam excipiantur, quod in Legatis contingit, *Grot. d. l. §. 7.* id quod alibi referemus.

§. 45. Exercitis repreſſaliis, & non ſecuta ſatisfactione, res detentæ læſo adjudicantur, ut tamen reſiduum dominis reſtitui debeat, *GROT. d. l. §. 7. n. 3.* perſonæ autem captæ occidi nequeunt, hanc enim licentiam ex nullo fundamento deduxeris, *Id. d. l. §. 6.*

§. 46. Damnum autem, quod quis per repreſſalias patitur, propria civitas reſarcire debet, *Id. d. §. 7. n. 4.* Sed hæc, ob dubias nonnullorum hypotheſes, hic ſaltem delibanda, alibi vero latius diſputanda ſunt.

§. 47. De Statibus imperii hoc axioma invaluiſſe docet, *RHETIUS J. J. P. l. 2. tit. 10. §. 1.* ut, *qua bellum licet inter Status imperii, ea quoque ratione repreſſalias admittere fas ſit*, quod veritati utique convenit.

§. 48. Poſſunt itaque, juxta datas antea reſtrictiones Status exercere repreſſalias contra *Exteros*, quod communiter etiam conceditur, *vid. Schwed. d. c. 14. §. 10. & Conſtatus, vid. Lehm. Chr. Spir. l. 7. c. 8.*

§. 49. Imo contra hos facilius, quam bellum, nam ſi Status Statui debitum maxime liqui-

dum & certum neget, ille tamen bellum
ipere non poſſe cenſetur, *vid. §. 36. h.* ſed
n repreſſaliis uti poſſit non dubito. Quæ
em de repreſſaliis vera ſunt, illa multo ma-
in *retorſione & arreſtis* locum habent, quo-
m æquitas evidentior eſt.

§. 50. Sunt tamen, qui repreſſalias, inter
atus, plane ceſſare exiſtimant per *R. J. 1579.* **wenn auch** *84. O. C. p. 2. tit. 22. R. J. 1641. §.* **achdem** *94. J. P. art. 9. vid.* SCHWED. *d. §. 10.* ed eos falli arbitror, nam textus loquuntur, le repreſſaliis injuſtis ac præcipue iis, quæ, de-fendendo Bullæ Brabantiæ abuſui, exercitæ ſunt, nam alias, repreſſalias licitas eſſe, patet vel ex *Capitul. Leopold. Joſeph. art. 8.*

§. 51. *Bulla Brabantina,* quæ *aurea* quoque dicitur, eſt privilegium à *Carolo IV.* anno 1349. *Johanni* Duci Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgiæ datum, quo judicum imperii jurisdictio, quoad ſubditos Brabantinos, in cauſis ſecularibus, tollitur, ac ſoli Duci aſſignatur. Accepit igitur Dux Brabantiæ, iſto privilegio, tale jus, quale hodie omnes Status habent, à quibus appellare non licet, *vid.* LEHM. *Chr. Spir. l. 7. c. 13. in fin. c. 21.*

§. 52. Abuſus Bullæ Brabantinæ potiſſimum in his conſiſtit (1.) quod Duces Brabantiæ pati noluerint, ut ſubditi Brabantini, alibi *ob contractum, delictum, & rem ſitam,* forum

ſorti-

ſortirentur (2.) quod aliorum Statuum Subditos, imo ipſos Status, in actionibus mere perſonalibus, evocare non dubitaverint, dummodo in Brabantia bona haberent.

§. 53 Priori abuſui tuendo, exercuere, contra diſſentientes, *repreſſalias*, poſteriori vero, (qui tamen, vera æſtimatione, pro abuſu haberi nequit, *vid. l. 4. c. pen. §. 13. 14. 24.*) *arreſta*, de quo valde conquesti ſemper ſunt Status, *vid.* THULEMAR. *Collectan. ad Bull. Brabant.* Grundſ. *p. 3. c. 3. art. 6. p. 194.*

§. 54. Superſunt *partes pacificæ*, quæ *Statum belli* reſpiciunt. Sunt illæ, quas jam indicavimus §. 18. nempe (1.) *jus fœderum* & (2.) *jus mediationis.*

§. 55. Jus fœderum bellicum pertinet (1.) ad *Neutralitatem*, quæ vel pro *pacto*, vel *Statu* accipitur. Hoc ſenſu eſt *Socialitas, duabus partibus belligerantibus, à tertia quadam civitate, debita.*

§. 56. Involvit neutralitas *negationem actuum hoſtilium, & poſitionem animi actuumque pacificorum*, quo ſenſu eam aliquid poſitivi eſſe, facile liquet. Civitas neutralis, *utriusque* Partis belligerantis, *amica, & neutrius* eſt *hoſtis*, quo reſpectu, nomen *Neutralitatis* invaluit.

§. 57. Obtinet autem neutralitas vel *mero jure naturali*, nam duobus bello colliſis, tertia civi-

-itas utique, juxta ſolum jus naturæ, bello ſtinere, imo quosdam actus pacificos, alte- parti nociturosſ omittere tenetur, ſi quidem ello eadem implicari nolit, vel *conventione* -*terminatur*.

§. 58. Idque triplici modo, vel ut (1.) neu- ralitas, naturaliter obtinens, ſimpliciter con- irmetur, vel ut (2.) augeatur, vel (3.) minua- ur, dum ſcil. actus quidam, alteri parti noci- turi, à civitate neutrali ſuſcipi ex conventio- ne poſſunt.

§. 59. Eſt igitur neutralitas (1.) *naturalis* & *pactitia* (2.) *plena* & *minus plena*. Quidam ipſam conventionem, qua neutralitas deter- minatur, neutralitatem dicunt, *vid.* VITRIAR. *l. 3. tit. 19. §. 139. 140.* id quod, exemplo *pacis* & *induciarum*, illuſtrari quoque poteſt, *vid.* §. 55. *h.*

§. 60. Partes belligerantes rurſus quidem civitati neutrali debent amicitiam, ſed hæc, *neutralitas* non dicitur, verum in nomine *ſimplicis amicitiæ* vel *Socialitatis* ſubſiſtit, ne- que enim belligerantes, intuitu Civitatis ami- cæ, *neutrarum partium* dici poſſunt.

§. 61. Circa neutralitatem ſummatim oc- currunt quæſtiones *juſti*, nempe (1.) quibus liceat eſſe neutralibus, (2.) quæ neutralium erga belligerantes, & (3.) horum, adverſus il-

Aa los,

los, ſint officia; & *utilis*, ſcil. quibus (1.) expediat eſſe neutrarum partium (2.) quomodo neutrales, ſtante neutralitate, ſe gerere debeant, ne damnum ſentiant, vel ut utilitatem ſibi concilient? de quibus omnibus alibi pluribus agendum eſt.

§. 62. Status imperii, *debent* eſſe neutrales, ſi bellum inter exteros geratur, ac intempeſtiva immixtio, toti imperio poſſit eſſe damnoſa, ubi hoc non metuendum, *poſſunt* eſſe neutrales, niſi forte vel pactum, vel vinculum humanitatis, bellum ab iis expoſcat.

§. 63. Si imperium bello prematur externo, non licebit Statibus eſſe neutralibus, niſi conſenſu totius Imperii, ſi autem inteſtino bello laboret Imperium, ad neutralitatem, vel bellum erunt obligati Status liberi, prout illa, vel hoc, erit medium idoneum reſtituendæ paci.

§. 64. Sub jure fœderum continetur (2.) *jus omnis generis pacta bellica ineundi* (3.) *bellum per inducias & pacem finiendi, obſidesque dandi*, quod utrumque, argumento juris belli, neceſſario Statibus aſſeritur.

§. 65. (4.) *Jus Guarantiæ*, qua pacis concluſæ fidejuſſionem ſecuritatisque ac evictionis præſtationem, in ſe, Status recipiunt, quod argumento modo memorato illis attribuitur

uitur & competit tam ratione *Conſtatuum*, quam *Exterorum*, *vid.* KULPIS. *ad Monzamb.* . 2. *c.* 5. §. 8.

§. 66. *Jus mediationis* includit *jus arbitrandi* i. e. controverſiam litigantium, ex compromiſſo, decidendi & *mediationis in ſpecie*, qua quis, reconciliandæ inter belligerantes paci, intervenit.

§. 67. Utrumque Statibus competere, tam ratione Statuum, quam exterorum, *rationibus ſolennibus & exemplis* oſtenditur, *vid.* FURSTENER. *de jur. ſuprem.* c. 27. KULPIS. *d. l.*

§. 68. Hæ ſunt fere partes Superioritatis T. ſi in ſua eadem ſpectetur integritate, poſſe tamen quasdam deficere, certum eſt, & admonitum quoque à VITRIARIO. *l.* 3. *tit.* 19. §. *fin.* imo, in Statibus minoribus, plerumque quædam deficiunt, aut modica in quantitate, vel exiguo cum ſplendore, competunt.

CAP. IX.

De Affectionibus Superioritatis Territorialis.

SUMMARIA

Superioritas gaudet certis affectionibus §. 1. *non ſubeſt alii velut Superiori* §. 2. 3. 4. *legibus poſitivis ſoluta*

§. 5. 6. 7. ac inviolabilis eſt §. 8. in eam committitur crimen leſæ Majeſtatis §. 9. 10. 11. comitatur illam eximia quadam exiſtimatio §. 12. 13. 14. 15. Status in ſuo territorio ſunt ſummi §. 16. 17. quis ordo inter ipſos §. 18. ſeqq. ordinum diverſorum comparatio §. 26. ſeqq. Statuum exiſtimatio intuitu Cæſaris §. 31. Exterorum §. 35. ſeqq. origo controverſiarum quoad exiſtimationem §. 41. moralitas §. 42. decidendi fundamenta §. 43. ſeqq. cautela §. 58. Judex §. 59. 60. 61.

§. 1.

ID conſiderandum reſtat, quid Superioritas ſuo *Subjecto* tribuat, quæ habitudo, nomine *affectionum*, venire ſolet, ad exemplum imperii civilis in genere.

§. 2. Hoc igitur Superioritas operatur (1.) *quod actus, ex ea profluentes, non ſubſint judicio Imperatoris & imperii, nec ab his poſſint irriti reddi, J. P. art. 8. §. 1. vid. c. 4. §. 14. h.*

§. 3. Equidem poteſt à quibusdam Statibus appellari ad communia imperii judicia, verum ſententiæ illæ non profluunt ex *Superioritate T.* ſed *poteſtate aliqua ignobiliori,* qualis in Magiſtratum proprie dictum cadit, (nam omnibus Statibus, æquali plenitudine, non competere *S. T.* ſed aliquando cum ea, jus aliquod ignobilius concurrere, certum eſt.

§. 4.

§. 4. Porro concedimus, Status ob delicta in judiciis imperii poſſe conveniri, ſed illa ex Superioritate T. itidem non proveniunt, nec adeo noſtram aſſertionem turbant.

§. 5. Ulterius (2.) Superioritas efficit, ut Status *legibus poſitivis humanis ſint ſoluti*, hinc ſine ſolennibus teſtantur, contractus & matrimonia celebrant &c.

§. 6. Quæ autem per modum *temperamenti*, quoad Imperantes in genere, dici ſolent, ea quoque in Statibus locum habent. Præterea in caſibus, ubi verorum ſubditorum claſſe cenſeri poſſunt, legibus poſitivis etiam ſubſunt, *vid. l. 1. c. 1. §. 59. ſeqq.*

§. 7. Id efficit (3.) *ut ea omnia*, quæ ob reſpectum ad Imperantem, *peculiariter, circa ſubditos, diſpoſita ſunt, quoad Status etiam locum inveniant* v. gr. ut teſtamentum Statibus oblatum, ſine ſolennitàte valeat &c.

§. 8. Propter *S. T.* (4.) Status ſunt *modo quodam eminentiori ſancti & inviolabiles*, hinc non tantum lædi nequeunt à ſubditis, ſi ſuo recte fungantur officio, ſed &, ſi erga eos ſint injurii, dummodo injuriæ non ſint atrociſſimæ, ac propemodum ad interitum ſubditorum ſpectent.

§. 9. Quod ſi quis contra perſonam Principis aut Territorium, hoſtile quid machine-

tur, vel jura *S. T.* ſibi aſſerat, tum committit *crimen læſæ Superioritatis Territorialis.*

§. 10. Crimen læſæ Majeſtatis hoc caſu committi, ſed non in *ipſos* Status, verum *per ipſos*, in Cæſarem, quidam exiſtimant, ARUM. *ad A. B. c.* 24. cui probando etiam *l 2. C. de falſ. monet.* allegari ſolet, VITRIAR *l. 3. tit. 17. §. 57.* ſed iſta inepta ac intolerabilia ſunt, *vid.* VINDIC. VITRIAR. CASTIG. §. 224. *ſeqq.*

§. 11. Certum eſt, quod crimen *ipſos Status*, eorumque *jus proprium* reſpiciat, an autem *Majeſtatis* dici poſſit, ejus deciſio pendet ex quæſtione præjudiciali, an *Superioritas ſit Majeſtas*? quam ſi nolis ingredi, vocabis nobiſcum id delictum, crimen læſæ S. T.

§. 12. Inprimis Superioritas T. (5.) *fundamentum eſt inſignis cujusdam exiſtimationis* Statibus competentis. Hæc eſt *exiſtimatio intenſiva ſeu Nobilitas, qua Status imperii, vel inter ſe, vel cum aliis conferri, iisque vel æquales haberi, vel præponi aut poſtponi poſſunt*, *vid* EYBEN. *Diſſert. de Titul. Nobil.* §. 7. *p.* 10.

§. 13. Exiſtimationis illius indicia ſunt, *Tituli & inſignia*, quæ tamen, ad alia etiam jura ſignificanda, pertinent, à titulis autem diſtingui debent *prædicata arbitraria.*

§. 14. In univerſum Philoſophia Titularis

is oppido inconſtans eſt, ac uſu rectius quam
præceptis addiſcitur, *vid.* EYBEN. *de titul.*
Nobil. §. 4. n. 45. 46. Inſignia vero *diſcipli-*
na Heraldica explicat, cujus cognitio licet
Cto neceſſaria ſit, ejus placita tamen juri pu-
blico male aſſuuntur, *vid. c. 2. §. 40. h.*

§. 15. Tractatio ſpecialior exiſtimationis Statuum, eſt ſatis diffuſa, incerta etiam ac delicata, quæ judicia privata non ubique ferat, hinc, primas lineas duxiſſe, hic ſatis erit. Summatim exiſtimatio Statuum conſideratur vel in ordine (1.) *ad Subditos proprios* vel (2.) *ipſos Status* vel (3.) *Cæſarem* vel (4.) *Exteros.*

§. 16. Status in Territorio ſuo ſunt *Summi*, ut neque ſinguli neque omnes ſimul ſummi ſubditi eos exiſtimatione æquent. Utuntur, intuitu Subditorum, Status majores, *vid.* EYBEN. *d. l.* §. 19. 25. 26. titulo: *Nos Dei gratia*, **wir von GOttes Gnaden.**

§. 17. Olim titulus ille non *peculiare jus*, ſed potius *modum obtinendi munus*, hujusque *piam agnitionem* notavit. Hodie vero uti Reges, *ſignificandi Majeſtati*, ita Status, *notandæ S. T.* eum adhibent, quicquid in contrarium aliqui tricentur, *vid.* VITRIAR. *I. J. P. l. 3. c. 13. §. 11. add.* SCHWED. *J. ad J. P. p. ſp. Sect. 1. c. 1. §. 14.* LIMN. *J. P. l. 4. c. 6.*

§. 18. Comparatio Statuum erga ſe invi-

cem, eſt vel *ſpecialis*, quando ejusdem ordinis Status, & *generalis*, quando diverſi ordines, inter ſe conferuntur.

§. 19. In *ſpeciali* occurrit (1.) *ordo Electorum*, horum exiſtimatio *A. B. c.* 3. 4. 22. 23. poſtea vero, accedente octavo Electoratu, plenius, Concluſo Collegii Electoralis in Comitiis 1653. facto, definita eſt, quod paſſim exponitur, *vid.* Kulpis. *de legat. c.* 14. §. 8. 9. 12. Schwed. *ſect.* 1. *c.* 10. §. 11.

§. 20. Idem ordo obſervatur inter Electorum *Legatos ſolos*, Electoribus vero *præſentibus*, aliorum *Legati* ſemper cedunt locum honoratiorem, ſalvo tamen, in caſibus habilibus, *directorio & laterum votorumque ordine*, Kulpis. *d. l.* §. 10. 11. 12.

§. 21. An, inſtituto nono Electoratu, *laterum proceſſionumque* ſchemata, qualia vulgo recenſeri ſolent, aliquam paſſa ſint mutationem, mihi hactenus non conſtat.

§. 22. Sequitur (2.) *Ordo Principum*. In eo Eccleſiaſtici cum Secularibus, & utrique inter ſe, de prærogativa certant, *vid.* Kulpis. *ad Monzamb. c.* 2. §. 10. *de Legat. c.* 14. §. 16. Schvved. *d. l.* §. 13. Eyben. *d. l.* §. 14. 23. *in fin.*

§. 23. Id certius eſt, quod abſentium Legati Principibus præſentibus regulariter cedant

ant, & quod in proceſſionibus, ad propoſi-
ionem Cæſaream, ſoli Principes præſentes
quis vehantur, KULPIS. *d. c.* 14. §. 17. *ſeq. c.* 17.
. 5. 6.

§. 24. Succedit (3.) *Ordo Comitum & Baronum*, in hoc, illi his præferuntur & rurſus variis gradibus inter ſe diſcernuntur, *vid.* EYBEN. *d. l.* §. 18. *ſeqq.* de differentia etiam *Baronum & dominorum* diſputari ſolet, *vid.* VITRIAR. *l.* 1. *tit.* 17. §. 19. SCHWED. *ſect.* 2. *c.* 8. §. 3. 4. *vid. ſupr. l.* 1. *c.* 4. §. 15.

§. 25. Quoad (4.) *Ordinem Civitatum* quædam etiam civitates de præcedentia litigant, *vid.* SCHWED. *ſect.* 1. *c.* 10. §. 13. 17. An ſimiles controverſiæ (5.) in *ordine Nobilium immediatorum* occurrant, de eo jam nihil compertum habeo.

§. 26. Quod ſi hos Ordines, comparatione *generali*, inter ſe contendas, hoc quidem in genere certum eſt, quod *primus* Ordo, omnes, *ſecundus*, tres, *tertius*, duos reliquos exiſtimatione ſuperet, ſed *quartus & quintus* de præcedentia litigant, illi tamen eam, *ob jus comitiorum* deberi, communius exiſtimatur, *vid.* VITRIAR. *l.* 3. *tit.* 14. §. 6. KULPIS. *d. tr. c.* 14. §. 29. *c.* 17. §. 4. *ſeqq.*

§. 27. Quouſque porro *Electorum* præ *Principibus* prærogativa, in *actibus externis*,

vel quoad *perſonas delegatas*, extendi debeat, id maxime controverſum eſt, Electoribus prærogativam laxe explicantibus, Principibus contra æqualitatem ambientibus.

§. 28. Sic Legati Electorales, Principes præſentes antecedunt, ſed, ad *ſolos actus collegiales & functiones ſolennes*, hoc Hi reſtrictum volunt, in aliis congreſſibus præcedentiam prætendentes, Kulpis. *d. c. 14. §. 14. 15. 35. add.* Lehman. *Chron. Spir. l. 7. c. 112. in fin.*

§. 29. Electores, Principibus jus mittendi Legatos cum charactere repræſentatitio, haut concedunt, hinc de honore *primæ viſitationis*, titulo *Excellentiæ*, *honoratiore loco*, aliisque *ceremoniis*, ad convivia communia, vel alios conventus, pertinentibus, inter Legatos Electorales & Principales, multiplex eſt controverſia, *vid.* Kulpis. *d. tr. c. 10. §. 12. ſeqq. c. 16. §. 6. 20. add.* Elect. Jur. Publ. Curios. *c. 7.*

§. 30. Rurſus Legati Principales, Electoralibus *Excellentiam* negant in *conventionibus imperii*, licet, à Cæſareis exterisque Legatis, titulus hic, illis tribuatur Kulpis. *d. c. 16. §. 16. ſeq. conf.* Limn. *J. P. l. 4. c. 9.*

§. 31. Tertio Status conſiderandi ſunt in *ordine ad Cæſarem*. Hujus reſpectu ſat ſubmiſſos

iſſos quidem gerunt aliquando titulos, *vid.* YBEN. *d. diſquiſ.* §. 9. *ibique addend.* LEHM. *br. Spir. l.* 7. *c.* 69. 100. verum eſſe eos, inno-as priſtini Status reliquias, ſplendidior tra-atio, quæ Cæſar Status proſequitur, oſten-it, quod tamen de Majoribus præcipue ex-udiendum.

§. 32. Electores coram Cæſare Baldachi-is utuntur, ipſi eorumque Legati caput te-unt, quod ipſis tantum Principibus concedi, eſtatur Grundfeſte *p.* 1. *c.* 6. *p.* 30. *v.* SCHWED. *Sect.* 2. *c.* 2. §. 10.

§. 33. Eccleſiaſticos Electores, Cæſar vo-cat *Nepotes*, ſeculares *Cognatos*, cujus denomi-nationis uſitatiſſimæ origo, certa ratione explicari nequit, *vid.* SCHWED. *d. c.* 3. §. 4. *vid.* FURSTENER. *de J. S. c.* 24. *p.* 115.

§. 34. Legati Cæſarei, imo ipſe Cæſar, ſi caſum petendæ inveſtituræ excipias, *vid.* KUL-PIS. *d. tr. c.* 13. §. 8. Legatis Electoralibus ple-num Legatorum honorem exhibent, locum tamen honoratiorem, apud ſe, neque Legatis, neque Electoribus ipſis, Cæſar concedit. Id. *d. l. c.* 16. §. 5. FURSTENER. *d. tr. c.* 8. *p.* 38. *c.* 46. *in fin.*

§. 35. Denique ſi Status imperii, cum *Ex-teris* conferas, inſignis etiam Majorum præ-cipue, exiſtimatio comparet, nam Electores,

Regi-

Regibus pares habentur nec Cardinalibus cedunt, *vid.* FREINSH. *de præced. Elector. ſup. Cardinal.* ſicut nec Legatis Regiis, & Nuntio Apoſtolico FURSTEN. *d. tr. c. 8.*

§. 36. Imo in actibus ad curiam imperialem pertinentibus, Regibus anteferuntur, KULPIS. *d. tr. c.* 14. §. 22. A Regibus, *Fratrum* vel *dilectionis* E. Liebten. titulo, honorantur, quem Principibus etiam deberi, contendit FURSTENER. *d. tr. c.* 24. 25. 36. 43. licet Rex Galliæ, *Cognatorum* nomine, erga hos ſaltem fuerit uſus.

§. 37. Legati Electorales Regiis quidem cedunt, ſed Principum Exterorum, nec non Rerumpublicarum Liberarum, ut Venetæ, Belgicæ, Legatis præferri debent, KULPIS. *d. tr. c.* 14. §. 23. *ſeq.*

§. 38. A plerisque Coronis, plenus honor Legatis Electorum exhibetur, licet Rex Galliæ *ſolennem receptionem, & tectionem capitis* nondum iis conceſſerit, *vid.* KULPIS. *d. tr. c.* 13. §. 6. 7. *c.* 15. §. 6. 16. *ſeq.* FURSTENER. *d. tr. c.* 36. imo jus, mittendi plures Legatos, cum charactere repræſentatitio, Electoribus dubium reddere voluerit, KULPIS. *d. tr. c.* 10. §. 20. *ſeqq.*

§. 39. Principibus imperii, præ omnibus Principibus Exteris, imo Rebuspublicis liberis,

, ut Veneta & Belgio, prærogativa debetur, et omnes fere renitantur, Kulpis. *d. tr. c.* §. *26. 27.*

§. 40. Imo Rex Galliæ jus mittendi Amſciatorem, plerisque Italiæ Principibus non :gatum, Principibus imperii haut concede: vult, cujus rei iniquitatem multis oſtende: voluit Furstener. *d. tr.. c. 2. 4. 58. ſeqq. Id.* Kulpis. *d. tr. c. 10.* §. *12. ſeqq. c. 16.* §. *20.*

§. 41. Hæc ſpeciminis loco ſufficiant. *Origo* ot, circa exiſtimationem, controverſiarum, à *ova Statuum ſorte*, quam omnes liquido ſa-is intelligere vel non poſſunt, vel nolunt, ac *nſtituto ceremonialis Philoſophiæ*, dependet.

§. 42. Cum autem, alia jura ſibi aſſerere, icitum ſit, hinc, de prærogativa contendere, :egulariter illicitum ac illaudabile cenſeri non poteſt, *vid.* Monzamb. c. 2. §. 8. Furstener. *de jur. Suprem. c. 24. 34.* nimia tamen iſtius rei cura, cum principalis negotii neglectu inprimis conjuncta, reprehendi ſolet, *vid.* Kulpis. *d. tr. c. 14.* §. *6. add.* Observ. Ad Pufendorf. *Obſerv. 675.*

§. 43. Quoad *fundamenta* decidendi has controverſias, obſervari meretur, quod de exiſtimatione quæratur, vel ex *hypotheſi certi alicujus juris præſuppoſiti; vel citra talem hypothe-*

certo caſu obtinet, & *conventio*, cujus exempla ſunt *alternatio & Sors*, nam, ſicut omnia jura adventitia, ex iſtis principiis, oriuntur, ita etiam exiſtimatio inde deducenda.

§. 53. Inter cauſas *impellentes* merito refertur *Potentia*, nam potentibus facile eſt, ut alia, ita etiam exiſtimationem, ſibi acquirere, *ſplendor* vero *titulorum & inſignium*, inter eos, qui communem judicem non habent, inania nomina ſunt.

§. 54. Ad *probantia* pertinet (1.) *poſſeſſio*, nam hæc arguit, legitimo modo exiſtimationem eſſe acquiſitam, plus poſſeſſioni dari non debet, ut fallantur, qui ſimpliciter omnem prærogativam inde deducendam exiſtimant, *vid.* Kulpis. *d. c. 14. §. 34.*

§. 55. (2.) *Ordo Scripturæ*, ſed levis hæc probatio eſt, quæ facile poſſit eludi, *vid.* Vitriar. *l. 4. tit. 1. §. 94.* (3.) *antiquitas*, inter *ejusdem civitatis & ordinis* litigantes.

§. 56. Nam ſi v. gr. Comes imperii creetur, hoc fit, ſalvo jure Comitum antiquorum, hinc, probandæ prærogativæ, recte allegatur *antiquitas*. Extra hunc reſpectum antiquitas, eſt inane nomen.

§. 57. Si exiſtimatio vere acquiſita ſit, quod ex præmiſſis dijudicari debet, ob ejus læſionem accedente inſigni lædentis malitia, bellum

…m quoque geri poteſt, *vid.* Kulpis. *d. c.* 14. … 30. 31.

§. 58. Exiſtimatio retinetur *conſenſu*, qui …uidem, ſi illa controverſa fuerit, *conſtanti …ſertione* declarandus eſt, quod fit, dum vel …*ctus honorem ſignificantes evitantur*, vel *iis …is ſignificativa adimitur*, vel *proteſtatio* op…onitur, ad hæc capita, omnia conſervandæ …xiſtimationis media, *vid.* Kulpis. *d. c.* 14. … 30. Schwed. *Sect.* 1. *c.* 10. §. 18. revocari poſ…ſe videntur.

§. 59. Controverſiæ *Gentium liberarum*, …vel *Statuum imperii & Exterorum*, ſola *ami…abili tractatione*, vel *tertii cujusdam arbitra…toris*, aut *electi arbitri interventu*, componi …poſſunt.

§. 60. Princeps tamen, in cujus aula, ali…orum Legati ſubſiſtunt, ſuper horum præ…cedentia, pronunciare poteſt, quam ſenten…tiam Legati vel ſequi, vel aula excedere te…nentur, *vid.* Kulpis. *d. c.* 14. §. 31. Schwed. *d. c.* 10. §. 9.

§. 61. Si inter *Status ipſos* controverſia ſit, præter *amicabilem compoſitionem*, cujus exem…pla conſignavit Kulpis. *d. l.* §. 32. datur et…iam *Judex*, nimirum Cæſari facultas judican…di competit, qui tamen conſilium Statuum ultro expoſcere ſolet, ac raro facultatem illam judiciariam exercet, *vid.* Kulpis. *d. l.* §. 33. Schwed. *d. l.* §. 15. 16. Arum. *ad A.B. diſcurſ.* 3. §. 4.

§. 5. 6. 7. ac inviolabilis eſt §. 8. in eam committitur crimen læſæ Majeſtatis §. 9. 10. 11. comitatur illam eximia quædam exiſtimatio §. 12. 13. 14. 15. Status in ſuo territorio ſunt ſummi §. 16. 17. quis ordo inter ipſos §. 18. ſeqq. ordinum diverſorum comparatio §. 26. ſeqq. Statuum exiſtimatio intuitu Cæſaris §. 31. Exterorum §. 35. ſeqq. origo controverſiarum quoad exiſtimationem §. 41. moralitas §. 42. decidendi fundamenta §. 43. ſeqq. cautela §. 58. Judex §. 59. 60. 61.

§. 1.

ID conſiderandum reſtat, quid Superioritas ſuo *Subjecto* tribuat, quæ habitudo, nomine *affectionum*, venire ſolet, ad exemplum imperii civilis in genere.

§. 2. Hoc igitur Superioritas operatur (1.) *quod actus, ex ea profluentes, non ſubſint judicio Imperatoris & imperii, nec ab his poſſint irriti reddi, J. P. art. 8. §. 1. vid. c. 4. §. 14. h.*

§. 3. Equidem poteſt à quibusdam Statibus appellari ad communia imperii judicia, verum ſententiæ illæ non profluunt ex *Superioritate T.* ſed *poteſtate aliqua ignobiliori,* qualis in Magiſtratum proprie dictum cadit, (nam omnibus Statibus, æquali plenitudine, non competere *S. T.* ſed aliquando cum ea, jus aliquod ignobilius concurrere, certum eſt.

§. 4.

§. 4. Porro concedimus, Status ob delicta in judiciis imperii poſſe conveniri, ſed illa ex Superioritate T. itidem non proveniunt, nec adeo noſtram aſſertionem turbant.

§. 5. Ulterius (2.) Superioritas efficit, ut Status *legibus poſitivis humanis ſint ſoluti*, hinc ſine ſolennibus teſtantur, contractus & matrimonia celebrant &c.

§. 6. Quæ autem per modum *temperamenti*, quoad Imperantes in genere, dici ſolent, ea quoque in Statibus locum habent. Præterea in caſibus, ubi verorum ſubditorum claſſe cenſeri poſſunt, legibus poſitivis etiam ſubſunt, *vid. l. 1. c. 1. §. 59. ſeqq.*

§. 7. Id efficit (3.) *ut ea omnia*, quæ ob reſpectum ad Imperantem, *peculiariter, circa ſubditos, diſpoſita ſunt, quoad Status etiam locum inveniant* v. gr. ut teſtamentum Statibus oblatum, ſine ſolennitate valeat &c.

§. 8. Propter *S. T.* (4.) Status ſunt *modo quodam eminentiori ſancti & inviolabiles*, hinc non tantum lædi nequeunt à ſubditis, ſi ſuo recte fungantur officio, ſed &, ſi erga eos ſint injurii, dummodo injuriæ non ſint atrociſſimæ, ac propemodum ad interitum ſubditorum ſpectent.

§. 9. Quod ſi quis contra perſonam Principis aut Territorium, hoſtile quid machine-

tur, vel jura *S. T.* ſibi aſſerat, tum committit *crimen læſæ Superioritatis Territorialis.*

§. 10. Crimen læſæ Majeſtatis hoc caſu committi, ſed non in *ipſos* Status, verum *per ipſos*, in Cæſarem, quidam exiſtimant, ARUM. *ad A. B. c.* 24. cui probando etiam *l.* 2. *C. de falſ. monet.* allegari ſolet, VITRIAR. *l.* 3. *tit.* 17. §. 57. ſed iſta inepta ac intolerabilia ſunt, *vid.* VINDIC. VITRIAR. CASTIG. §. 224. *ſeqq.*

§. 11. Certum eſt, quod crimen *ipſos Status*, eorumque *jus proprium* reſpiciat, an autem *Majeſtatis* dici poſſit, ejus deciſio pendet ex quæſtione præjudiciali, an *Superioritas ſit Majeſtas?* quam ſi nolis ingredi, vocabis nobiſcum id delictum, crimen læſæ S. T.

§. 12. Inprimis Superioritas T. (5.) *fundamentum eſt inſignis cujusdam exiſtimationis* Statibus competentis. Hæc eſt *exiſtimatio intenſiva ſeu Nobilitas, qua Status imperii, vel inter ſe, vel cum aliis conferri, iisque vel æquales haberi, vel præponi aut poſtponi poſſunt*, *vid* EYBEN. *Diſſert. de Titul. Nobil.* §. 7. *p.* 10.

§. 13. Exiſtimationis illius indicia ſunt, *Tituli & inſignia*, quæ tamen, ad alia etiam jura ſignificanda, pertinent, à titulis autem diſtingui debent *prædicata arbitraria.*

§. 14. In univerſum Philoſophia Titularis

is oppido inconſtans eſt, ac uſu rectius quam præceptis addiſcitur, *vid.* EYBEN. *de titul. Nobil.* §. 4. 11. 45. 46. Inſignia vero *diſciplina Heraldica* explicat, cujus cognitio licet Cto neceſſaria ſit, ejus placita tamen juri publico male aſſuuntur, *vid. c.* 2. §. 40. *h.*

§. 15. Tractatio ſpecialior exiſtimationis Statuum, eſt ſatis diffuſa, incerta etiam ac delicata, quæ judicia privata non ubique ferat, hinc, primas lineas duxiſſe, hic ſatis erit. Summatim exiſtimatio Statuum conſideratur vel in ordine (1.) *ad Subditos proprios* vel (2.) *ipſos Status* vel (3.) *Cæſarem* vel (4.) *Exteros.*

§. 16. Status in Territorio ſuo ſunt *Summi*, ut neque ſinguli neque omnes ſimul ſumti ſubditi eos exiſtimatione æquent. Utuntur, intuitu Subditorum, Status majores, *vid.* EYBEN. *d. l.* §. 19. 25. 26. titulo: *Nos Dei gratia*, **wir von GOttes Gnaden.**

§. 17. Olim titulus ille non *peculiare jus*, ſed potius *modum obtinendi munus*, hujusque *piam agnitionem* notavit. Hodie vero uti Reges, *ſignificandi Majeſtati*, ita Status, *notandæ S. T.* eum adhibent, quicquid in contrarium aliqui tricentur, *vid.* VITRIAR. *I. J. P. l.* 3. *c.* 13. §. 11. *add.* SCHWED. *J. ad J. P. p. ſp. Sect.* 1. *c.* 1. §. 14. LIMN. *J. P. l.* 4. *c.* 6.

§. 18. Comparatio Statuum erga ſe invi-

 cem

cem, eſt vel *ſpecialis*, quando ejusdem ordinis Status, & *generalis*, quando diverſi ordines, inter ſe conferuntur.

§. 19. In *ſpeciali* occurrit (1.) *ordo Electorum*, horum exiſtimatio *A. B. c. 3.* 4. 22. 23. poſtea vero, accedente octavo Electoratu, plenius, Concluſo Collegii Electoralis in Comitiis 1653. facto, definita eſt, quod paſſim exponitur, *vid.* KULPIS. *de legat. c. 14. §. 8. 9. 12.* SCHWED. *ſect. 1. c. 10. §. 11.*

§. 20. Idem ordo obſervatur inter Electorum *Legatos ſolos*, Electoribus vero *præſentibus*, aliorum *Legati* ſemper cedunt locum honoratiorem, ſalvo tamen, in caſibus habilibus, *directorio & laterum votorumque ordine*, KULPIS. *d. l. §. 10. 11. 12.*

§. 21. An, inſtituto nono Electoratu, *laterum proceſſionumque* ſchemata, qualia vulgo recenſeri ſolent, aliquam paſſa ſint mutationem, mihi hactenus non conſtat.

§. 22. Sequitur (2.) *Ordo Principum.* In eo Eccleſiaſtici cum Secularibus, & utrique inter ſe, de prærogativa certant, *vid.* KULPIS. *ad Monzamb. c. 2. §. 10. de Legat. c. 14. §. 16.* SCHVVED. *d. l. §. 13.* EYBEN. *d. l. §. 14. 23. in fin.*

§. 23. Id certius eſt, quod abſentium Legati Principibus præſentibus regulariter cedant

lant, & quod in proceſſionibus, ad propoſitionem Cæſaream, ſoli Principes præſentes equis vehantur, KULPIS. *d. c.* 14. §. 17. *ſeq. c.* 17. §. 5. 6.

§. 24. Succedit (3.) *Ordo Comitum & Baronum*, in hoc, illi his præferuntur & rurſus variis gradibus inter ſe diſcernuntur, *vid.* EYBEN. *d. l.* §. 18. *ſeqq.* de differentia etiam *Baronum & dominorum* diſputari ſolet, *vid.* VITRIAR. *l.* 1. *tit.* 17. §. 19. SCHWED. *ſect.* 2. *c.* 8. §. 3. 4. *vid. ſupr. l.* 1. *c.* 4. §. 15.

§. 25. Quoad (4.) *Ordinem Civitatum* quædam etiam civitates de præcedentia litigant, *vid.* SCHWED. *ſect.* 1. *c.* 10. §. 13. 17. An ſimiles controverſiæ (5.) in *ordine Nobilium immediatorum* occurrant, de eo jam nihil compertum habeo.

§. 26. Quod ſi hos Ordines, comparatione *generali*, inter ſe contendas, hoc quidem in genere certum eſt, quod *primus* Ordo, omnes, *ſecundus*, tres, *tertius*, duos reliquos exiſtimatione ſuperet, ſed *quartus & quintus* de præcedentia litigant, illi tamen eam, *ob jus comitiorum* deberi, communius exiſtimatur. *vid.* VITRIAR. *l.* 3. *tit.* 14. §. 6. KULPIS. *d. tr. c.* 14. §. 29. *c.* 17. §. 4. *ſeqq.*

§. 27. Quouſque porro *Electorum* præ *Principibus* prærogativa, in *actibus externis*,

vel quoad *perſonas delegatas*, extendi debeat, id maxime controverſum eſt, Electoribus prærogativam laxe explicantibus, Principibus contra æqualitatem ambientibus.

§. 28. Sic Legati Electorales, Principes præſentes antecedunt, ſed, ad *ſolos actus collegiales & functiones ſolennes*, hoc Hi reſtrictum volunt, in aliis congreſſibus præcedentiam prætendentes, KULPIS. *d. c. 14. §. 14. 15. 35. add.* LEHMAN. *Chron. Spir. l. 7. c. 112. in fin.*

§. 29. Electores, Principibus jus mittendi Legatos cum charactere repræſentatitio, haut concedunt, hinc de honore *primæ viſitationis*, titulo *Excellentiæ*, *honoratiore loco*, aliisque *ceremoniis*, ad convivia communia, vel alios conventus, pertinentibus, inter Legatos Electorales & Principales, multiplex eſt controverſia, *vid.* KULPIS. *d. tr. c. 10. §. 12. ſeqq. c. 16. §. 6. 20. add.* ELECT. JUR. PUBL. CURIOS. *c. 7.*

§. 30. Rurſus Legati Principales, Electoralibus *Excellentiam* negant in *conventionibus imperii*, licet, à Cæſareis exteriſque Legatis, titulus hic, illis tribuatur KULPIS. *d. c. 16. §. 16. ſeq. conf.* LIMN. *J. P. l. 4. c. 9.*

§. 31. Tertio Status conſiderandi ſunt in *ordine ad Cæſarem.* Hujus reſpectu ſat ſubmiſſos

ſſos quidem gerunt aliquando titulos, *vid.* ?BEN. *d. diſquiſ. §. 9. ibique addend.* LEHM. *r. Spir. l. 7. c. 69. 100.* verum eſſe eos, innoas priſtini Status reliquias, ſplendidior traatio, quæ Cæſar Status proſequitur, oſtent, quod tamen de Majoribus præcipue exidiendum.

§. 32. Electores coram Cæſare Baldachiis utuntur, ipſi eorumque Legati caput teunt, quod ipſis tantum Principibus concedi, eſtatur Grundfeſte *p. 1. c. 6. p. 30. v.* SCHWED. *d. 2. c. 2. §. 10.*

§. 33. Eccleſiaſticos Electores, Cæſar voat *Nepotes*, ſeculares *Cognatos*, cujus denominationis uſitatiſſimæ origo, certa ratione explicari nequit, *vid.* SCHWED. *d. c. 3. §. 4. vid.* FURSTENER. *de J. S. c. 24. p. 115.*

§. 34. Legati Cæſarei, imo ipſe Cæſar, ſi caſum petendæ inveſtituræ excipias, *vid.* KULPIS. *d. tr. c. 13. §. 8.* Legatis Electoralibus plenum Legatorum honorem exhibent, locum tamen honoratiorem, apud ſe, neque Legatis, neque Electoribus ipſis, Cæſar concedit. Id. *d. l. c. 16. §. 5.* FURSTENER. *d. tr. c. 8. p. 38. c. 46. in fin.*

§. 35. Denique ſi Status imperii, cum *Exteris* conferas, inſignis etiam, Majorum præcipue, exiſtimatio comparet, nam Electores,

Regi-

Regibus pares habentur nec Cardinalibus cedunt, *vid.* FREINSH. *de præced. Elector. ſup. Cardinal.* ſicut nec Legatis Regiis, & Nuntio Apoſtolico FURSTEN. *d. tr. c. 8.*

§. 36. Imo in actibus ad curiam imperialem pertinentibus, Regibus anteferuntur, KULPIS. *d. tr. c. 14.* §. 22. A Regibus, *Fratrum* vel *dilectionis* E. Liebten. titulo, honorantur, quem Principibus etiam deberi, contendit FURSTENER. *d. tr. c. 24. 25. 36. 43.* licet Rex Galliæ, *Cognatorum* nomine, erga hos ſaltem fuerit uſus.

§. 37. Legati Electorales Regiis quidem cedunt, ſed Principum Exterorum, nec non Rerumpublicarum Liberarum, ut Venetæ, Belgicæ, Legatis præferri debent, KULPIS. *d. tr. c. 14.* §. *23. ſeq.*

§. 38. A plerisque Coronis, plenus honor Legatis Electorum exhibetur, licet Rex Galliæ *ſolennem receptionem*, & *tectionem capitis* nondum iis conceſſerit, *vid.* KULPIS. *d. tr. c. 13.* §. *6. 7. c. 15.* §. *6. 16. ſeq.* FURSTENER. *d. tr. c. 36.* imo jus, mittendi plures Legatos, cum charactere repræſentatitio, Electoribus dubium reddere voluerit, KULPIS. *d. tr. c. 10.* §. *20. ſeqq.*

§. 39. Principibus imperii, præ omnibus Principibus Exteris, imo Rebuspublicis liberis,

ut Veneta & Belgio, prærogativa debetur, et omnes fere renitantur, KULPIS. *d. tr. c.* §. 26. 27.

§. 40. Imo Rex Galliæ jus mittendi Amſciatorem, plerisque Italiæ Principibus non gatum, Principibus imperii haut concedevult, cujus rei iniquitatem multis oſtendevoluit FURSTENER. *d. tr.. c.* 2. 4. 58. *ſeqq.* d. KULPIS. *d. tr. c.* 10. §. 12. *ſeqq. c.* 16. §. 20.

§. 41. Hæc ſpeciminis loco ſufficiant. *Origo* t, circa exiſtimationem, controverſiarum, à *va Statuum ſorte*, quam omnes liquido fas intelligere vel non poſſunt, vel nolunt, ac *ſtituto ceremonialis Philoſophiæ*, dependet.

§. 42. Cum autem, alia jura ſibi aſſerere, citum ſit, hinc, de prærogativa contendere, egulariter illicitum ac illaudabile cenſeri on poteſt, *vid.* MONZAMB. c. 2. §. 8. FURTENER. *de jur. Suprem. c.* 24. 34. nimia tamen iſtius rei cura, cum principalis negotii eglectu inprimis conjuncta, reprehendi ſolet, *vid.* KULPIS. *d. tr. c.* 14. §. 6. *add.* OBSERV. AD PUFENDORF. *Obſerv.* 675.

§. 43. Quoad *fundamenta* decidendi has controverſias, obſervari meretur, quod de exiſtimatione quæratur, vel ex *hypotheſi certi alicujus juris præſuppoſiti; vel citra talem hypothe-*

potheſin ſimpliciter, quomodo eadem oriatur.

§. 44. Primo caſu omnis deciſio, ex *præſuppoſito jure*, deſumenda, de quo ita habendum: *Si jus iſtud ſit æquale, ac exiſtimatio inde dependeat; tum æqualis exiſtimatio, ſi contrarium, expreſſe non ſit conſtitutum, recte inde aſſeritur*, v. gr. quod unius Electoris Legatis conceditur, id reliquorum inique negaretur.

§. 45. *Si vero aliquod jus pluribus quidem æqualiter competat, ſed non ſatis conſtet, an illud ſit unicum exiſtimationis fundamentum, tum; decidendis controverſiis, eſt inidoneum.*

§. 46. V. gr. FURSTENERIUS contendit, jus ſuprematus æqualiter competere *Electoribus & Principibus potentibus*, quod concedi debet, inde infert, *jus Legationis* utrisque *æquali ſplendore* quoque eſſe tribuendum.

§. 47. Sed quod *omnis ille ſplendor, à ſolo jure Suprematus* dependeat, illud per univerſum quidem tractatum ſuum, ILLE ſupponit, ſed nullibi probat, hinc qui contrarias partes defendunt, ſemper aliquid habent, quod iſti Philoſophiæ poſſint opponere.

§. 48. *Si autem in litigantibus diverſa jura præſupponantur, nec conſtet, quæ inter illa ſit pro-*

portio, aut num exiſtimatio inde ſit deducta, tum, componendis controverſiis, maxi- ſunt inidonea.

§. 49. Exemplo ſit controverſia *Legato- m Neoburgicorum & Fœderati Belgii*, quo- m illi, minuendæ horum exiſtimationi, ad- ixerunt, *antiqui Belgii conditionem*, quam b imperio Germanico, quondam habuit, d an, ex *antiqua illa conditione*, præciſe repe- nda ſit exiſtimatio, id non adeo liquidum t.

§. 50. Porro objecerunt *conditionem Sy- ematicam*, ob quam Belgium ſe comparare equeat Rebuspublicis, *unius civitatis ſpiritu* ontentis, verum an illa diverſitas quicquam onferat, ad exiſtimationem intendendam el elevandam, illud perincertum eſt, ut de pplicatione rationis hujus incongrua, nihil iunc dicam, *vid.* KULPIS. *d. tr. c.* 14. §. 27.

§. 51. Si citra *præſuppoſitum* jus de exiſtimatione diſputetur, tum varia, pro ea aſſerenda vel neganda, adducuntur, *vid.* KNICHEN. *Commentar. ad jus Saxon. p.* 73. *ſeq.* KULPIS *d. tr. c.* 10. §. 14. *c.* 14. §. 31. 32. 33. 34. ſed diſtingui debent *efficientia, impellentia & probantia*.

§. 52. Cauſa *efficiens* exiſtimationis, eſt ſola *lex poſitiva*, ſi quidem Superior adſit, quod cer-

certo caſu obtinet, & *conventio*, cujus exempla ſunt *alternatio & Sors*, nam, ſicut omnia jura adventitia, ex iſtis principiis, oriuntur, ita etiam exiſtimatio inde deducenda.

§. 53. Inter cauſas *impellentes* merito refertur *Potentia*, nam potentibus facile eſt, ut alia, ita etiam exiſtimationem, ſibi acquirere, *ſplendor* vero *titulorum & inſignium*, inter eos, qui communem judicem non habent, inania nomina ſunt.

§. 54. Ad *probantia* pertinet (1.) *poſſeſſio*, nam hæc arguit, legitimo modo exiſtimationem eſſe acquiſitam, plus poſſeſſioni dari non debet, ut fallantur, qui ſimpliciter omnem prærogativam inde deducendam exiſtimant, *vid.* KULPIS. *d. c. 14. §. 34.*

§. 55. (2.) *Ordo Scripturæ*, ſed levis hæc probatio eſt, quæ facile poſſit eludi, *vid.* VITRIAR. *l. 4. tit. 1. §. 94.* (3.) *antiquitas*, inter *ejusdem civitatis & ordinis* litigantes.

§. 56. Nam ſi v. gr. Comes imperii creetur, hoc fit, ſalvo jure Comitum antiquorum, hinc, probandæ prærogativæ, recte allegatur *antiquitas.* Extra hunc reſpectum antiquitas, eſt inane nomen.

§. 57. Si exiſtimatio vere acquiſita ſit, quod ex præmiſſis dijudicari debet, ob ejus læſionem accedente inſigni lædentis malitia, bellum

am quoque geri poteſt, *vid.* KULPIS. *d. c.* 14.
. 30. 31.

§. 58. Exiſtimatio, retinetur *conſenſu*, qui uidem, ſi illa controverſa fuerit, *conſtanti ſſertione* declarandus eſt, quod fit, dum vel *ctus honorem ſignificantes evitantur*, vel *iis is ſignificativa adimitur*, vel *proteſtatio* opponitur, ad hæc capita, omnia conſervandæ xiſtimationis media, *vid.* KULPIS. *d. c.* 14. . 30. SCHWED. *Sect.* 1. *c.* 10. §. 18. revocari poſſe videntur.

§. 59. Controverſiæ *Gentium liberarum*, vel *Statuum imperii & Exterorum*, ſola *amicabili tractatione*, vel *tertii cujusdam arbitratoris*, aut *electi arbitri interventu*, componi poſſunt.

§. 60. Princeps tamen, in cujus aula, aliorum Legati ſubſiſtunt, ſuper horum præcedentia, pronunciare poteſt, quam ſententiam Legati vel ſequi, vel aula excedere tenentur, *vid.* KULPIS. *d. c.* 14. §. 31. SCHWED. *d. c.* 10. §. 9.

§. 61. Si inter *Status ipſos* controverſia ſit, præter *amicabilem compoſitionem*, cujus exempla conſignavit KULPIS. *d. l.* §. 32. datur etiam *Judex*, nimirum Cæſari facultas judicandi competit, qui tamen conſilium Statuum ultro expoſcere ſolet, ac raro facultatem illam judiciariam exercet, *vid.* KULPIS. *d. l.* §. 33. SCHWED. *d. l.* §. 15. 16. ARUM. *ad A.B. diſcurſ.* 3. §. 4.

LIBER QUARTUS.

CAP. I.

De cœteris Statuum Juribus tranſeuntibus.

SUMMARIA.

Cæteræ Statuum jura tranſeuntia §. 1. ſunt varii generis §. 2. eo pertinet jus protectionis §. 3. ſeqq. jus Patronatus quoad Buccinatores & fabros cuprarios §. 9. jus apprehendendi delinquentes, habendi navem in alieno territorio & flumine §. 10. Jus Wildfangiatus, jus conducendi per alterius territorium, §. 11. conſcribendi milites, jus Albergariæ §. 12. 13. 14. jus aperturæ §. 15. venandi, percipiendi reditus, jura Ganerbica, fundinarum & Stapulæ §. 16. quæ ſæpe controverſa eſſe ſolent. §. 17.

§. 1.

DIximus *lib. præc.* c. 8. §. 1. quod jura Statuum, Exteros reſpicientia, vel *ex Superioritate Territoriali dependeant*, de quibus *d. c.* 8. actum, vel *ex pacto æquali, ſimilive actu peculiariter deſcendant*, de quibus nunc diſpiciendum.

§. 2.

§. 2. Sunt autem varia, nec omnibus Statibus eadem, ſed huic aut illi propria, quod per exempla illuſtraſſe ſatis erit, nam ex profeſſo, hanc partem excolere debet, jus Publicum ſpeciale, quod ſingulorum Statuum jura perſequitur.

§. 3. Huc igitur pertinet (1.) *Jus Protectionis ſeu Advocatiæ*, quod ab *objecto*, eſt vel *Seculare* vel *Eccleſiaſticum*, *à modo conſtituendi*, vel *Perſonale* vel *Hæreditarium*. Seculare, pro diverſo habendi modo, dicitur Vogten & Erb-Vogten; *Eccleſiaſticum* Kaſten-Vogten & Erbkaſten-Vogten/ *vid.* STRUV. *S. J. F. c. 4. aph.* 20. PACIF. à LAPID. *ad Monzamb. diſcurſ. 6. §. 15. p. m.* 330.

§. 4. Secularis Advocatia, eſt *jus*, *Statum in protectionem receptum, contra quamvis injuſtam vim defendendi, ac eo nomine certum protectionis cenſum*, Schutz-Geld/ *exigendi.* Sæpe tamen Protector *jus protectionis*, *in imperium*, ſenſim convertere ſolet, *vid.* KLOCK. *Tom. 1. conſ.* 37. LEHMAN. *Chr. Spir. l. 4. c. 13. in fin. Edit. noviſſim.*

§. 5. Eccleſiaſtica Advocatia, olim plenius jus notavit, quia non tantum *jus protegendi*, ſed & *inſpectionem in Eccleſiaſticos*, imo *complexum jurium Secularium, in Eccleſiaſticis Territoriis exercendorum* involvit, *vid* KLOCK. *d. l, n.* 10, ſed poſtquam Clerici jus territoriale

obtinuerunt, Advocatia hæc, ad exemplum Secularis, extenuata eſt, *vid.* STRUV. *d. l. in fin.*

§. 6. Advocatiam *Eccleſiaſticam* olim Cæſar ſæpius vicinis Ducibus aut Comitibus in feudum conceſſit, STRUV. *d. l.* quod etiam de *Seculari*, ratione civitatum imperialium aſſeritur apud KLOCKIUM. *d. l. n.* 2. 3. aliquando autem *conventione* Statuum, utraque fuit conſtituta, *quæ conſtituendi ratio* unice hodie obtinet, *add.* LINCK. *de jur. Epiſcop. in Concluſ. n.* 7. *p.* 586.

§. 7. Poſſunt igitur omnes Status, vi Superioritatis T. cum aliis Statibus, intuitu Protectionis, paciſci, etiam inſcio & invito Cæſare; *vid.* LEHM. *Chr. Spir. l.* 7. *c.* 99. 119. Externis tamen Coronis, ſepoſito caſu neceſſitatis, in protectionem ſe dare non poſſunt, quod *nexus*, quo imperio ſinguli Status obſtringuntur, facile oſtendit.

§. 8. Subditos quoque Statuum, alterius protectioni ſeſe non poſſe committere, natura *ſubjectionis* docet, licet forte turbidis temporibus aliud ſubinde factum, quamvis etiam videndum ſit, an ii, qui alterius protectionem expetierunt, alterius ſubditi revera fuerint, *vid.* ARUM. *ad A. B. D.* 6. §. 2. BURGOLD. *ad J. P. p.* 1. *D.* 21. *M.* 4. §. 19 *p. m.* 394.

§. 9. Huc ſpectant (2.) jus *Patronatus*, quod

quod Electori Saxoniæ quoad *Buccinatores* der Trompeter (3.) *jus Protectionis fabrorum Cuprariorum*, des Keßler-Handwercks/ quod Electori Palatino competit, *v.* SCHWED. *ſect.* 2. *c.* 5. §. 9. 22. *add.* EYBEN. *de titul. Nob.* §. 29.

§. 10. (4.) *Jus apprehendendi delinquentes in alieno* Territorio, quod Electori Moguntino ex privilegio *Maximiliani I.* aſſeritur, VITRIAR. *l.* 3. *tit.* 10. §. 14. (5) *Jus habendi navem forenſem*, das Marckſchiff/ *ſuper Mœno*, quod eidem tribuitur, *vid.* KLOCK. *Tom.* 1. *Conſ.* 5.

§. 11. (6.) Jus *Wildfangiatus* quod Electori Palatino in variis locis adſcribitur, *v.* BURGOLD. *ad J. P. p.* 1. *Diſc.* 26. *membr.* 2. §. 8. *p. m.* 463. VITRIAR. *l.* 3. *tit.* 12. §. 21. Ipſos Wildfangios jus privatum conſiderare debet, (7.) *Jus conducendi per alterius territorium*, VITRIAR. *d. tit.* 12. §. 29. 30. SCHWED. *ſect.* 2. *c.* 14. §. 13. *c.* 5. §. 22.

§. 12. *Jus conſcribendi milites in alieno Territorio*, VITRIAR. *l.* 3. *tit.* 19. §. 65. 66. (9.) *Jus Albergariæ*, die Atzungs-Gerechtigkeit/ cujus vi hoſpitium, eſculenta & potulenta quis ab alio petere poteſt.

§. 13. Oritur hoc jus ex *conventione*, quæ *feudalis*, *clientelaris* & *ſimplex* eſſe poteſt, cenſetur quoque idem, quoad ſubditos, ex

ſuperioritate territoriali oriri, quod vix admiſerim, cum ſit ſat grave onus, imo ſi eosdem ſæpe tangeret ſubditos, prorſus intolerabile, præterea aliis modis, à ſubditis conferri ſoleant, quæ, ad ſuſtentandos Dominos, ſunt neceſſaria.

§. 14. Sane in eo jure explicando, varias leges, antiquorum interpretum gloſſas, perſonas imperantes & parentes, diverſas civitates, antiqua ac nova tempora non raro confundunt, ut doctrina inde orta, non ubique ſana ſit, *vid.* VITRIAR. *l.* 3. *tit.* 19. §. 94. *ſeqq.*

§. 15. (10.) *Jus aperturæ*, quo quis à vicino, caſtri cujusdam aperturam petere poteſt, cujus generis *conventio* varia eſt, VITRIAR. *d. tit.* 19. §. 121. *ſeq.* SCHWED. *ſect.* 2. *c.* 16. §. 9.

§. 16. (11.) *Jus venandi* VITRIAR. *l.* 3. *tit.* 18. §. 12. 16. (12.) *percipiendi reditus ex fundationibus Eccleſiaſticis*, *vid. J. P. art.* 5. §. 45. *ſeq.* (13) *Jura Ganerbica*, quatenus inter Status imperii occurrunt, (14.) *Jus nundinarum & ſtapulæ*, quale civitati Lipſienſi, cum jure prohibendi, intra 15. milliaria, competit, *vid.* PHILIP. *Uſum Pract. l.* 1. *tit.* 2. *Eclog.* 20. aliaque, occaſione vicinitatis, exorta jura, *vid.* SCHWED. *ſect.* 2. *c.* 9. §. 4.

§. 17. Id fortaſſis obſervandum, multa, ex juribus vicinitatis, videri reſpicere antiqua tempora, & turbidum Reipubl. Statum, adeoque,

ne, poſt confirmatam liquidius Statuum ſu-
erioritatem T. forte exſpiraſſe, prolixas cer-
eo nomine agitari ſolere controverſias, ex
ffuſo illo *Conſilio* 29. apud KLOCKIUM
om. 1. patet.

CAP. II.

De Juribus Statuum, intuitu Totius Imperii.

SUMMARIA.

Jura Statuum, quæ totum imperium reſpiciunt §. 1. ſunt duplicis generis §. 2. ad primum pertinet jus ſuffragii §. 3. 4. ejus ſubjectum §. 5. 6. 7. 8. ſuffragia ſunt vel perſonalia vel Curiata §. 9. quod ſpecialius oſtenditur §. 10. ſeqq. vota perſonalia ex Territoriis æſtimantur §. 14. an facta diviſio vota augeat §. 15. ſeqq. de novo jus ſuffragii à Cæſare & Statibus imperii conceditur §. 19. 20. 21. Ad ſecundum genus ſpectant Archioffiсia Electorum § 22. eorum recenſio §. 23. 24. 25. uſus §. 26. 27. origo §. 28. ſeqq. officia Bambergenſia §. 38. 39. 40. 41. eorum origo §. 42. 43. ac cum Archiofficiis confuſio §. 44. alia imperii officia §. 45. in ſpecie vexilli gerendi §. 46. quod controverſum §. 47. 48. 49. jura dubia Prætenſionum nomine veniunt. §. 50.

§. 1.

SUperſunt juxta partitionem *l.* 3. *c.* 4. §. 1. jura Statuum, quæ *Imperatorem, qua talem,* & *totum imperium*

 reſpi-

reſpiciunt, ſed cum *illa* fere ad *inveſtituram*, Statuum *exiſtimationem*, Cæſaris *electionem* & *deſtitutionem* pertineant, adeoque de iis, alibi vel dictum, vel dicendum ſit, ideo *hæc* ſaltem, hoc loco, conſideranda reſtant.

§. 2. Sunt eadem duplicis generis, vel enim *deſcendunt* ex *ſuperioritate territoriali*, vel præter eam, ex *propriis principiis oriuntur*.

§. 3. Ad primam claſſem pertinet *jus Seſſionis & voti* in conventibus imperii, tam univerſalibus, quam particularibus, ſicut enim ſinguli Status, vi ſuperioritatis Territorialis, ſua territoria regunt, ita circa res, ad imperii ſalutem pertinentes, illius juris virtute, omnes quoque ſtatuunt *l. 3. c. 8. §. 17.*

§. 4. Ut penitus falli nobis videantur, qui ſuperioritatem T. pro aliquo juris ſuffragii *conſecutivo*, habent, nam niſi Status, in territoriis, ſublimius aliquod jus haberent, voto *deciſivo* in Comitiis, dubio procul, non fruerentur, ut manifeſtum ſit, hoc ex illo profluere, *v. l. 3. c. 1. §. 17. 31. ſeqq.*

§. 5. Habent autem jus ſuffragii *Electores, Principes* late ſuppoſiti & *Civitates Imperiales J. P. art. 8.* §. 4. Kulpis. *ad Monzamb. c. 2, §. 13.* Datt. *de pac. publ. l. 5. c. 6. Nobiles* vero *immediati* eodem deſtituuntur, poteſt enim aliqua pars juri territoriali deeſſe

add.

add. Kulpis. *ad Monzamb. c. 2. §. 14.* Limn. *J. P. l. 6. c. 3.* Datt. *d. l. 5. c. 4. 5.*

§. 6. Generalis vero illa aſſertio non eo tendit, quaſi ſinguli, qui Ordini Principum adſcribuntur, jure ſuffragii gaudeant; ob inconſtantem enim Reipublicæ habitum aliasque rationes, fieri potuit, & revera etiam forte factum eſt, ut nonnulli, ad ſuffragium comitiale, vel nunquam adſpiraverint, vel eodem iterum exciderint, id quod, uti, ex Archivis Statuum, accuratius cognoſcendum eſt, ita ſpeciminis loco nonnulla, ab aliis relata, hic adjiciemus.

§. 7. Landgravium Alſatiæ, Sauſenbergium & Nellenburgicum ſuffragio carere, ex Schutzio *l. 1. tit. 8. poſit. 5.* refert Coccejus *J. P. P. c. 15. §. 23.* idem quoque de Marchionibus Moraviæ, aliisque aſſeritur Coccej. *d. l. §. 24. c. 3. §. 65.* quia, ut Hic cenſet, *ſunt originis & Juris Slavici,* quamvis hujus rei alia etiam poſſit eſſe ratio.

§. 8. Nomine Burggravii Strombergenſis, Epiſcopus Monaſterienſis, votum petiit, Coccej. *d. c. 15. §. 25.* Sic etiam nonnulli Comites Principali dignitate donati, vel voto omnino carent, vel eodem, inter Principes, non utuntur, quo referunt Comites Habſpurgenſes, Tyrolenſes, Kiburgi & Goritiæ, *vid.* Coccej. *d. c. 15. §. 28.* Schwed. *J. ad J. P. p. ſpec. Sect. 2. c. 7. §. 20. in fin.*

§. 9. In genere autem Suffragia, ſunt vel *Perſonalia*, quæ viritima â ſingulis Statibus, vel *Curiata*, quæ per Curias, ab aliqua Statuum parte, feruntur. Quo vero diſcriminis illius uſus, eo rectius intelligatur, duplex Statuum conſideratio diſtingvenda eſt.

§. 10. Sunt ſcilicet, in Comitiis, tria Statuum Collegia, *Electorum*, *Principum late ſuppoſitorum & Civitatum*, hoc poſito, ſuffragia vel intuitu *collegiorum*, vel *ſingulorum collegii cujusvis membrorum*, ſpectantur, primo reſpectu, vota tantum ſunt *curiata*, ſecundo autem, modo *perſonalia* modo *curiata*.

§. 11. In Collegio Electorum, ſuffragia tantum ſunt perſonalia. Idem dicendum de Collegio Civitatum, nam licet hæ in duo Scamna, *Rhenanum & Svevicum* ſeparentur, *vid.* SCHWED. *ſect.* 2. *c.* 9. *§.* 12. 13. attamen, ſtante triplici Statuum Collegio, ex ſcamnis illis, neque ratione totius Imperii, neque Collegii Urbici, duo vota curiata aſſeri poſſunt.

§. 12. In Collegio Principum, vota regulariter ſunt perſonalia quoad Principes & principali dignitate fulgentes *vid.* §. 8. *h.* ſed Prælati ſimplices in duo Scamna, *Svevicum & Rhenanum*, Comites & Barones, in quatuor *Wetteravicum*, *Svevicum*, *Franconicum & Weſtphalicum* ſeparantur, *vid.* SCHWED. *d. Sect.* 2. *c.* 6. §. 10. *c.* 8. §. 5.

§. 13.

§. 13. Hinc,in ſingulis Scamnis, vota quidem etiam ſunt perſonalia, ſed illa omnia ſimul ſumta, intuitu Collegii principalis, ſex vota curiata efficiunt, qua in re deterior horum Statuum, præ cæteris videtur eſſe conditio.

§. 14. Æſtimantur Vota perſonalia ex Territoriis, in quæ jam olim imperium fuit diviſum,*vid.* KULPIS. *ad Monzamb. c.* 2. §. 1. hinc ſi plura territoria Eccleſiaſtica, vel ſecularia ab uno poſſideantur, poſſeſſor pro numero ditionum, pluribus gaudet ſuffragiis, *vid.* CONRING. *ad Lampad. p.* 3. *c.* 5. §. 5. *de civib. imper.* §. 52. KULPIS. *d. l.*

§. 15. Atque iſta ſuffragandi ratio, in Territoriis Eccleſiaſticis,ac ſecularibus, lege aut pacto indiviſibilibus,ut & Civitatibus imperialibus, ſatis expedita, imo perpetua eſt, ſed an in ſecularibus diviſibilibus, inſtituta diviſio votorum numerum augeat,quæritur.

§. 16. Negat hoc poſt alios MONZAMB. *c.* 2. §. 1. affirmat vero KULPIS. *d. l.* contendens, in caſu, ubi quivis ſucceſſor de parte ſua ſit inveſtitus, pro numero Territoriorum, vota multiplicari: totius controverſiæ ſeriem, laudatis in utramque partem autoribus, recenſet quoque ITTER. *de F. J. c.* 13. §. 15.

§. 17. Expediant hoc ii, qui, ex negotiorum publicorum tractatione, accuratius id ſunt

ſunt edocti, hoc ſaltem monendum, ſententiam Kulpisii videri dubiam, vel ex exemplis Statuum, *peculiare votum*, Territorii cujusdam intuitu, nuper ambientium, quæ Idem. *d. c. 2. §. 6. p.* 435. recenſet.

§. 18. Nam licet horum deſiderio annuerit Cæſar, voti tamen compotes non ſunt facti, evidenti indicio, ſuffragandi rationem ſolo Cæſaris, ac Status ambientis arbitrio, non poſſe variari, id quod generale libertatis, Statibus competentis, argumentum luculenter inſuper confirmat.

§. 19. De novo *jus ſuffragii* quis conſequitur, ſi Cæſaris Statuumque conſenſu, in numerum Statuum imperii, cooptetur *R. J.* 1654. *§. 197. capit. Leopold. art. 44.* nam hoc etiam laudata Procerum libertas expoſcit.

§. 20. Non recte autem, Statuum conſenſum, *cauſam ſine qua non*, cum Schützio & Kulpisio *ad Monzamb. c.* 5. §. 5. interpretaberis, nam cum, ex doctrina ipſius Kulpisii *d. tr. c. 6. §. 4. p. 206. §. 7. p. 234.* Ordines habeant *votum deciſivum*, quod, ad productionem omnium actionum publicarum, tanquam *cauſa princeps, vera, efficiens, concauſa*, concurrat, & *poſitiva efficacitate* gaudeat, nec recte in *modum aſſenſus*, aut *conditionis ſine qua non*, explicetur *de Legat. jur. c. 4. §. 6. in fin.* intempeſtive omnino, conſenſus Statuum,

tuum, in præſenti negotio, ad ſortem ignobilis cauſæ ſine qua non, deprimitur.

§. 21. De cætero urbem, Comitem, Principem imo Clericum, poſſe in numerum Statuum cooptari, manifeſtum eſt. Poteſt enim Cæſar de novo Epiſcopum creare, *vid.* RHET. *J. J. P. l. 1. tit. 16. §. 21.* eique, accedente Statuum conſenſu, jus ſuffragii largiri.

§. 22. Sequuntur ſecundi generis jura, *vid.* §. 2. *h.* Hæc quibusdam ſaltem Statibus competunt; Ex hoc numero ſunt *Archi-officia Electorum* i. e. eorum qui poſt illa officia, Electores facti, quæ hodie rectius ad *Totum Imperium*, quam *ſolum Imperatorem* referuntur.

§. 23. Electores *Eccleſiaſtici*, ſunt *Archi-Cancellarii*: Moguntinus per *Germaniam*, Trevirenſis per *Galliam ſeu regnum Arelatenſe*, Colonienſis per *Italiam*, *vid.* CONRING. *diſſert. de official. imper. §. 11. in fin. add.* LEHMAN. *Chron. Spir. l. 2. c. 7. 8. l. 5. c. 77. l. 7. c. 80.* COCCEJ. *J. P. P. c. 10.*

§. 24. Ad Electores *Seculares* pertinent *munera*, *ſplendorem vel œconomiam concernentia.* Rex Bohemiæ eſt *Archipincerna*, Bavarus, *Archidapifer*, Saxo, *Archimarſchallus*, Brandenburgicus, *Archi-Camerarius*, Palatinus, *Architheſaurarius.*

§. 25. Primi *Subofficiarius* eſt Baro de *Limpurg*, Secundi, Dominus de *Waldburg*, Tertii,

Co-

Comes de *Pappenheim*, Quarti, Comes de *Hohenzollern*, Quinti, Comes de *Sintzendorff*.

§. 26. Archicancellariatuum *uſus* manifeſtus eſt, in cauſis *juſtitiæ & Status*, Trevirenſis tamen & Colonienſis velut quieſcit, ob regionum illarum exemtionem, non tamen ideo periit, CONRING. *d. l.* §. *9. 10.*

§. 27. Omnium vero munerum illorum *uſus* conſpicitur in *Electionibus Imperatoriis* ID. *d. l.* §. *16. ſeqq.* CARPZOV. *diſp. feud. 10. qu. 2. 3. 4.* in ſpecie Archi-marſchallatus, in *Comitiis & bello*, ſe exſerit, CONRING. *d l.* §. *16.* SCHWED. *ſect. 2. c. 5.* §. *9.* KULPIS. *ad Monzamb. c. 2.* §. *8. p. 482. add.* COCCEJ. *J. P. P. c. 10. 11.*

§. 28. Quod Cancellariatus munera, Clericis fuerint tributa, ejus cauſa à priſca barbarie deſumi debet, *vid.* CONRING. *d. l.* §. *8.* quando autem eadem Archiepiſcopis, qui iisdem hodie funguntur, privative fuerint conceſſa, quæritur.

§. 29. Archi-Cancellariatus per Germaniam, Moguntino, ab *Ottone M.* datus eſt, *v.* SCHWED. *ſect. 1. c. 8.* §. *1.* nec fortaſſe dubitandum, quin *Eidem Autori*, Trevirenſis & Colonienſis, ſua officia accepta ferre debeant, *vid.* KNICHEN. *comm. ad jus Saxon. lit. provoc. neſc. c. 3.* interim, in re obſcura, non una omnium eſt ſententia, *vid.* SCHWED. *d. l.* COCCEJ. *d. c. 10.* §. *8.*

§. 30.

§. 30. Quando porro, reliqua Archiofficia, olim ambulatoria, certis illuſtribus familiis, quibus deinceps dignitas Electoralis acceſſit, propria facta ſint, id itidem dubium eſt, ſi Palatini *Archithesaurariatum* excipias, nam hunc, à tempore pacis Weſtphalicæ, eſſe repetendum, ſatis conſtat CONRING. *d. l.* §. 21.

§. 31. Vix autem dubitandum amplius cenſeo, quin ea, ſi non præciſe ab *Ottone III.* minimum tamen ante *Henricum II.* iis familiis, ad quas munus Electorale quoque, ſucceſſu temporis, pervenit, certo jure fuerint aſſignata, quam communem eſſe ſententiam dicit CARPZOV. *d. diſput. feud.* 10. *qu.* 1. *n.* 19. *add.* LEHM. *Chr. Spir. l.* 5. *c.* 3.

§. 32. Hoc enim vel ſolum inſtitutum *Henrici* illius *Sancti*, quo eadem officia in Epiſcopatu Bambergenſi, ex communi ſententia, conſtituit, docuerit; nam cum illo, inſigne ornamentum (quod Kunigundens rother ſeidener Faden vulgo dicitur) Epiſcopatui conciliare voluerit, id non adeo obtinuiſſet, niſi Archiofficia, certis perſonis illuſtribus, certo jure, jam demandata, præſupponas, licet diſſentiat, LEHM. *Chr. Spir. l.* 5. *c.* 16. *in fin.* hinc inſtitutum illud *valde ſingulare*, ac *plane mirificum* vocat EYBEN. *de titul. Nobil.* §. 42.

§. 33. Accedit, quod Archiofficia *Imperialia*

rialia & officia Bambergenſia, in iisdem ſubjectis concurrant, imo feuda à Bambergenſi recognoſcenda, in Electoratibus, per prolepſin ſic dictis, ſita ſint, quod qua ratione evenerit, non temere dixeris, niſi Stataria munera ante *Henricum II.* ſuppoſueris, certe Conringius, dum, in repetenda origine, eousque aſcendere noluit, cauſam iſtius concurſus ſe ignorare faſſus eſt *Lampad. p. 3. c. 4. §. 23. p. 162.*

§. 34. Nec obſtat, quod Idem *d. l.* officia *Bambergenſia* ab *imperialibus*, Subjecto diſtincta fuiſſe putet, id enim non ſatis liquidum, nam exempla allata, ſi vera ſunt, non evincunt, quod *Officia illa certis familiis non fuerint propria*, ſed id ſaltem oſtendunt, quod, *in iſtis familiis, fuerint ambulatoria.*

§. 35. Ex ſententia Coccej. *J. P. P. c. 12.* Archiofficia illa quatuor, Pincernatus, Dapiferiæ, Marſchallatus & Camerariatus ſemper, poſt Carolingos fuere Stataria, eorumque adminiſtrandorum hæc fuit ratio, ut, ex quinque Germaniæ Ducibus, nempe Rhenenſi ſeu Comite Palatino, Franco, Bavaro, Svevo & Saxone, uno in Regem electo, reliqui quatuor eadem obirent, ita ut viciſſitudini munerum, inter eos, locus fuerit.

§. 36. Ambulante vero, per Ducales Familias, axiomate Regio, Ducatibusque non-

nun-

nunquam conjunctis ac alias mutationes expertis, ſucceſſu temporis factum eſt, ut Marchio Brandenburgicus ac Rex Bohemiæ, deficientium locum ſubirent, qui Archiofficiorum Status, usque ad pacem Weſtphalicam duravit, quo tempore Architheſaurariatus acceſſit.

§. 37. Iſta ſententia uti non videtur improbabilis, ita, ea admiſſa, patet, præcedentem, quam antea retulimus, ſaltem in eo non peccare, quaſi nimis antiquam huic inſtituto aſſignet originem. Illud certum, quæcunq; etiam iſtius rei ſint initia, hodie illa Archiofficia, & dignitatem Electoralem, in iisdem ſubjectis, perpetuo concurrere, ac à Cæſare, velut feuda, recognoſci, *vid.* CARPZOV. *d. qu.* 1. *n.* 30.

§. 38. jam diximus, quod *Henricus II.* ſimilia officia, in Epiſcopatu Bambergenſi, inſtituerit. Eſſe *illa*, ab *Imperialibus* diverſa, ex ipſo *Objecto* ſatis patet, ac inſuper argumento *nominum* ac *Subofficiariorum diverſorum*, paſſim oſtenditur, *vid.* SCHWED. *ſect.* 1. *c.* 8. §. 2. COCCEJ. *J. P. P. c.* 11. §. 14. 15.

§. 39. Ex noſtra autem ſententia, voluit *Henricus*, ut Archiofficiales Imperii, vel ſemper, vel tum temporis jam certi, munia illa quoque obirent, ac quasdam ditiones, quas cum aliis, ab Imperatore in ſolidum, & ſucceſſu temporis, ſub nomine *Electoratus*, re-

cognoſcebant, à Bambergenſi, velut feudum recognoſcerent, *vid.* CONRING. *de Official. imper. §. 26. ad Lamp. p. 3. c. 4. §. 23. pag. 161.* SCHWED. *d. Sect. 1. c. 8. §. 2.*

§. 40. An vero *Henricus* ille, Subofficiarios quoque conſtituerit, an vero hi, proprio Officialium arbitrio, fuerint conſtituti, id mihi non liquet, quemadmodum de toto hoc inſtituto Henriciano, nolim certi quid pronunciare.

§. 41. Ex dictis ſequitur, inveſtituram Cæſaream, & Bambergenſem, *cumulative* videri intelligendam, adeoque *feuda Bambergenſia*, poſſe etiam proprie dici, *ditiones*, ſtilo recentiori, *Electorales*, quod per errorem fieri exiſtimabat, CONRING. *d. diſſert. §. 26.*

§. 42. Illud hic reticendum non eſt, quod nonnulli feuda Bambergenſia, ex *ultronea oblatione* Archiofficialium deducant, licet, ipſa munera, ex inſtituto Henrici II. eſſe, concedant, adeo ut ſub illis feudis, Praga, caſtrum Aurbacenſe Wittemberga ac Cuſtrinum contineantur, *vid.* LIMN. *ad A. B. c. 20. Obſerv. 5. c. 27. §. 6. Obſerv. 29. ad Capit. Carol. V. p. 123. ſeqq.* THOMAS. *de feud. oblat. c. 1. §. 21.*

§. 43. Cæterum ſicut exempla illa, extra controverſiam, penitus non ſunt conſtituta, nec etiam ſatis liquet, utrum Amberga illis annumerari debeat; *vid.* THOMAS. *d. l.* ita ſi

obla-

oblationem vel horum, vel aliorum feudorum admittas, ſententiæ §. 41. propoſitæ, nihil valde decedit.

§. 44. Intima illa Archiofficiorum Imperialium, iisque, ſuo tempore, accedentis dignitatis Electoralis, cum officiis Bambergenſibus, nec non feudorum iis omnibus innexorum, conjunctio, procul dubio, occaſionem quoque præbuit errori, quo, Archiofficia imperialia, imo ipſos Electoratus, à Bambergenſi Epiſcopo, velut feuda, recognoſcendos eſſe, ſtatuitur, *vid.* CONRING *de Offic. imper.* §. 26. SCHWED. *d. l.* §. 2.

§. 45. Solent etiam alia adhuc *officia imperii* commemorari, ut *Venatorum*, *Falconariorum Subvenatorum imperii*, *vid.* EYBEN. *de tit. Nob.* §. *30.* KULPIS. *ad Monzamb. c.* 2. §. *8. p. 493.* ſed illa munera hodie forte, plus nominis, quam rei habent. Id vero eximium munus cenſeri debet, quo Elector Saxoniæ, cauſas A. C. religioſas dirigit, *vid.* SCHWED. *p. ſp. ſect.* 2. *c. 5. §. 9. in fin.*

§. 46. Specialiter quoque nominari meretur *Officium* gerendi vexilli des Reichs-Sturm-Fahne, quod Ducibus Würtembergicis competit, de cujus *natura*, *origine* & *uſu* agit KULPISIUS *add. Monzamb. c.* 2. §. 8. *p.* 493. ut ſimul fateatur, ejus uſum, ob defectum occaſionis, eſſe rariorem.

§. 47. Cum noſtra ætate, inſtitutus
Elector, ad exemplum cæterorum Electo
Archiofficium aliquod ſuo Electoratui
jungi vellet, mentio facta eſt *Archibann*
tus, des Heil. Röm. Reichs Ertzba
Amtpts/ quod ſibi concedi poſſe, novu
ctor exiſtimabat.

§. 48. Sed reſtitit Dux Würtember
cauſatus, ſe hoc munere, jam ab antiqu
inveſtitum, hinc controverſia enata,
Summa in eo conſiſtit: Novus Elector
tendit, officium Würtembergicum, eſ
ticulare, nec cum Archibanneresiatu c
dere, ſed Würtembergicus muneris ſu
verſalitatem aſſerit.

§. 49. Rationes utriusque ſententia
ſcriptis publicis, hinc inde editis, pe
ſunt, exitum controverſiæ, dies docebit
dum enim quod ſciam, illa eſt comp
add. Coccej. *J. P. P. c.* 13. In eventum a
extincti octavi Electoratus, *munus &*
Archithesaurariatus, novo Electori trib
eſt. *Receſ. Imp. & Dom. Brunsv. de dat.*
1692.

§. 50. Ita, juxta diverſos reſpectus
Statuum repræſentari poſſunt, quæ rep
tatio etiam, ad penitus intelligenda jur
ceſſaria & utilis, in ſe vero, inſuper ada
cenſeri debet, cum non facile, jus al

ꝑeciale ſit occurſurum, quod in illa partitio-
e locum ſuum non inveniat.

§. 51. De cætero omnia Statuum jura, ſi ontroverſa ſint, *Prætenſionum* nomine veiunt, quarum exempla uti, ex univerſa Juris ublici Diſciplina, repeti poſſunt, ita celebre itis ſuppeditat cauſa Juliacenſis, *vid.* Burold. *ad J. P. W. p.* 1. *D.* 32. *add.* Vitriar. . *J. P. l.* 3. *tit.* 13. §. 39.

CAP. III.

De modis acquirendi Superioritatem Territorialem & jura connexa.

SUMMARIA

Acquiſitio jurium hactenus expoſitorum §. 1 *dupliciter ſpectari poteſt* §. 2. *vel ratione Territoriorum* §. 3. 4. *vel ratione Imperantium* §. 5. *ad acquiſitionem originariam pertinet feudi aperti nova collatio* §. 6. *Electoratus aperti omnium Statuum conſenſu ſunt conferendi* §. 7. *ſeqq. cætera feuda majora Cæſari ſunt ſervanda* §. 14. 15. *porro eo pertinet territorii mediati in immediatum erectio* §. 16. 17. *ut & feudi oblati acceptatio* §. 18. *acquiſitio derivativa in Civitatibus imperialibus locum non habet* §. 19. *bene vero in cæteris Statibus* §. 20. *an Cæſar* §. 21. 22. 23. 24. 25. *vel ipſe poſſeſſor territoria alienare queat* 26. *ſeqq. extincto jure poſſeſſoris, in Territoriis ec-*

 cleſia-

cleſiaſticis locum habet electio §. 31. 32. con Epiſcoporum libertati & imperio civili ſubeſt olim usque ad Henricum IV. illa fuit penes C niam §. 34. ab hoc tempore Pontifex Romani ad ſe trahere cœpit §. 35. ſeqq. quæ iniquita varios conatus §. 39. ſeqq. tandem per Re tionem, ex parte, excluſa §. 43. Epiſcopi P hodie electione & poſtulatione §. 44. 45. & ſione extraordinaria §. 46. proteſtantes e vel poſtulatione conſtituuntur §. 47. liberta teſtantium bono §. 48. ſeqq. Pontificiorum nullo jure nititur §. 52. Territoria ſecular §. 53. 54. inprimis ſucceſſione acquiruntur §. comparatio Territoriorum electitiorum & vorum §. 57.

§. I.

QUomodo Superioritas Statibus in actum de tur, id, ex habitu & re ne ſingulorum Terri rum, judicandum eſt ejus explicationem ir ti noſtri ratio admittit. Quomodo ver cum juribus connexis, qualia in Cap proxime præcedentibus exhibuimus, a ratur, id nunc expediendum eſt. Qua i ctatione, ſi de Superioritate T. forte ta loquamur, hoc tamen etiam de ju Territorio cohærere ſolitis, in quantur id admittunt, intellectum volumus.

§. 2. Quo autem hæc tractatio recte peragatur, ſtatim diſtinguenda duplex quæſtio (1.) quomodo in genere, intuitu Territoriorum Germaniæ, Superioritas introducta (2.) qua ratione in ſpecie, hujus vel illius perſonæ intuitu, eadem acquiratur.

§. 3. Prius patet ex iis, quæ *l. 1. c. 4. 5.* de origine Statuum diximus, ubi ſignate etiam *titulos* conſtitutæ Superioritatis territorialis exhibuimus, quibus hoc addendum, ad eos etiam pertinere *oppignorationes*, antiquis temporibus ſatis in imperio uſitatas, nam poſtquam *irreluibiles* factæ ſunt *J. P. art. 5.* §. *16. vid.* Schwed. *ſect. 1. c. 23.* §. *5.* utique eo ipſo, in veras venditiones, degeneraſſe cenſeri debent.

§. 4. Id quoque denuo admonendum, ex titulis introductæ *S. T.* præcipue allegari debere *Capitulationes & Inſtrumentum pacis*, nam uti per hæc, tituli antiquiores fere ſunt abſorpti, ita ex iis indoles *S. T.* demum recte intelligitur, *add.* Rhet. *J. J. P. 2. tit. 2.* §. *37.* Jura etiam connexa iisdem fundamentis hodie nituntur, utut forte ex privilegio originem habeant.

§. 5. Poſterior quæſtio proprie huc pertinet & videtur circa eam diſtinguendus duplex acquirendi modus: *originarius*, quando de novo alicui *S. T.* intuitu certi territorii, ac-

 quiri-

quiritur, & *derivativus*, quando de perſo
perſonam formaliter eadem transfertu

§. 6. Ad *acquiſitionem originariam*
net (1.) *feudi imperialis aperti nova c*
quæ quidem in Civitatibus imperialib
Statibus Eccleſiaſticis, locum non habet
ad feuda vero Secularia, diſtinguendum
Electoratus & reliqua Territoria.

§. 7. Electoratus aperti neceſſario a
peratore aliis iterum ſunt conferendi
c. 7. §. fin. quam collationem *ſolo Cæſa*
bitrio fieri poſſe quidam exiſtimant, al
ſenſum Electorum, idque vel *ſimplicite*
cum diſtinctione requirunt Schwed.
c. 23. §. 9. Itter. *de feud. imper. c. 7.*
ſeqq.

§. 8. Rectius fortaſſis *omnium St*
conſenſum neceſſarium dixeris, & hoc qu
indiſtincte, ſive Electoratus ſit confer
ei, qui jam Status eſt, ſive illa qualita
ſtituitur.

§. 9. Nam cum utroque caſu, cu
ritorio, *novum votum comitiale & jus*
rii alicui conferatur, in *cooptatione* vero
merum Statuum, qua *ſolum ſuffragii jus*
omnium Statuum conſenſus ſit neceſ
R. J. 1654. §. über dieſes 197. *Capit. L*
art. 44. Schwed. *p. ſp. ſect. 1. c. 7. §.*
c. 2. §. 19. h. multo magis idem adhib

fuerit, ubi & *jus ſuffragii & territoriale* ſimul confertur.

§. 10. Generalis ac validiſſima ratio dependet à *libertate & conditione* Statuum, cùm enim ſint Coimperantes, utique ſine eorum conſenſu, tanta res, ad imperium civile eximie pertinens, non poteſt ſuſcipi, ex quo etiam vim accipit *art. 39. in fin. Capit. Leopold.* Atque ex iſta ratione probè intellecta, diſſentientibus quoque facile reſponderi poteſt.

§. 11. Exinde etiam ſequitur, quod Cæſar ſolus, in Electoratum expectantiam concedere nequeat, quod ad alia etiam feuda, quorum collatio non eſt ſolius arbitrii Cæſarei, pertinet, nam iſta cohærere, adeo ut poſito aut negato uno, alterum quoque ponendum aut negandum ſit, facile liquet, *add.* Itter. *de F. I. c.* 10.

§. 12. Oppido tamen *à collatione Electoratus aperti*, diſtingvi debet caſus, ubi ei, qui jam Status eſt circa collationem novi voti & juris territorialis, intuitu territorii proprii, ſaltem confertur *dignitas & munus Electorale*, ſeu breviter, ubi v. gr. Ducatus in Electoratum mutatur, cujus rei illuſtre exemplum noſtra vidit ætas, de quo ſuo loco diſpiciemus, *l. 5. c. 1.*

§. 13. Id ſpeciale eſt, quod Electoratus Bavaricus, extincta Linea Wilhelmina, exſpira-

re, non alii rurſus conferri debeat, *I. P. a*
§. 9. Deinde, quod regnum Bohemiæ,
cientibus omnibus ſucceſſoribus, non I
ratori, & imperio aperiatur, ſed penes B
mos ſit novi Regis & Electoris electio.
c. 7. §. fin.

§. 14. Reliqua feuda aut Territoria a
ta, quæ alicujus momenti ſunt, Cæſar
conferre non debet, ſed potius imperio
ceſſoribusque eadem conſervare, quod
dem capitulationibus à *Carolo* usque V.
ditis, caveri cœpit, idque ſine ulla prim
ceptione, poſtea vero nova collatio à Cæ
Electorumque conſenſu ſuſpendi cœpit
pit. Leopold. art. 30. vid. Conring. *ad I*
pad. p. 3. c. 5. §. 26. p. 194. add. Monza
c. 5. §. 5. Itter. *d. tr. c. 7. §. 6. ſeqq. §. 3*
Lehm. *Chr. Spir. l. 5. c. 105.*

§. 15. Cæterum uti hac parte Capitul
nes controverſæ ſunt, *vid.* Grundfeſte
c. 3. pag. 208. art. 30. ita legem, omnium
ſenſu probatam, non niſi omnium Stat
voluntate, poſſe *limitari*, nec feuda, niſi
rum conſenſione, conferri, *& libertas*
tuum, & diſerte ipſis adſtructa *poteſtas*
latoria J. P. art. 8. §. 2. & argumentum à
tatione in numerum Statuum deſumtum
quo §. 9. oſtendere videntur, *add. capit.*
pold. art. 39. Itter. *d. c. 7. §. 10.*

§. 16. Ad *modum originarium* ſpectat (2.) *territorii mediati, in immediatum erectio*, quæ fieri poterit vel conſenſu *expreſſo*, dubio procul omnium, tam Cæſaris quam Statuum, inprimis vero ejus, cui hactenus territorium ſubfuit: Sed iſte caſus rariſſime aut forte nunquam exſtiterit, vel *tacito* ſeu *præſcriptione*.

§. 17. Nam ſi quis, qui hactenus vel Cæſari, vel alii Statui ſubfuiſſet, per immemoriale tempus, in poſſeſſione libertatis & Superioritatis Territorialis fuerit, eam deinde legitime acquiſiviſſe cenſebitur, nec opus erit vel titulo vel bona fide, *R. J. 1548. §. 56. 59.* leges civiles & in ſpecie, *l. 23. §. fin. C. de SS. Eccleſ.* abſurde hic allegantur, *vid.* VITRIAR. *l. 3. tit. 20. §. 1. vid.* VINDIC. VITRIAR. CASTIG. §. 150. *ſeqq.*

§. 18. Hunc autem modum, tam in Clericis, quam Laicis, imo etiam urbibus provincialibus, locum habere poſſe, manifeſtum eſt. Ad *modum originarium* etiam referri poteſt, (3.) *feudi oblati acceptatio*, aut generalius, *Territorii alieni, in jus civitatis germanicæ, cooptatio*, de qua dixi in JUR. FEUD. GERM. *c. 7. §. 11. 12.*

§. 19. Quoad *acquiſitionem derivativam* ſeparandæ ſunt *Urbes imperiales à reliquis Statibus*. In *illis*, propter ſubjecti *perpetuitatem*, translatio juris territorialis, locum non habet,

habet, nam licet novo Imperatori homa
præſtent, attamen illa homagii præſta
receptio, nec rationem *modi derivativi*
nec *novæ collationis* habet, quod mox pl
probabimus, ubi de inveſtitura reliqu
Statuum diſſerendum.

§. 20. In reliquis Statibus, modus de
tivus locum habet, vel *poſſeſſore primo*,
adhuc potiente, vel *eodem juribus ſuis*
vato.

§. 21. Ad illum caſum pertinet qu
an jus territoriale cum territorio poſſit a
ri, quæ vel de *Imperatore* vel de *ipſo po*
poterit accipi.

§. 22. Olim Cæſarem partes imper
lubitu alienare potuiſſe, quidam arbitra
rectius tamen alii negant, nunquam
Germania regnum fuit *patrimoniale*
uſufructuarium, in quo libertas alienand
ſat, *vid.* Schvved. *ſect- 1. c. 23.* Itter. *de*
7. §. *31*

§. 23. Exempla, quæ in contrarium j
tur, uti nihil probant, ita circa eadem
vari meretur, quod plerumque alienati
non in *exteros* ſed *ipſos ſubditos*, fuer
ctæ, quibus adeo hi ſeſe non oppoſu
cum ad libertatem eorum hoc pertin
vid. Lehman. *Chr. Spir. l. 5. c. 45. in fi*
c. 40. 41. 50.

§. 24. Hodie extra controverſiam poſi-
um eſt, quod Cæſar territorium, propria Su-
erioritate T. animatum, nequeat alienare,
ed hoc non aliter, niſi omnium Statuum, in-
rimis vero Domini Territorialis conſenſu,
ieri recte poterit, *vid. Inſtr. Pac. Gall. art.* 79.
o. nam articulus Capitulationum, qui ſolum
lectorum conſenſum requirit, controver-
us eſt, *vid.* SCHVVED. *d. l.* §. 4. Grundfeſt.
p. 3. *c.* 3. *p.* 197.

§. 25. Hinc etiam ſequitur, quod Cæſar,
vel totum Imperium, vel quædam Territo-
ria, aliis in feudum offerre nequeat, quem-
admodum nec in ſe illa transferre poteſt,
quare feuda, à Subditis Statuum ſibi oblata,
acceptare nequit, quod retuli in JUR. FEUDAL.
GERMAN. *c.* 7. §. 10. 13.

§. 26. Porro ipſe *poſſeſſor*, ſive Status Ec-
cleſiaſticus ſive ſecularis ſit, non niſi Cæſaris
Statuumque conſenſu, territorium, vel in Ex-
teros, vel Conſtatus, alienare poteſt, hoc
enim nexus ille, quo univerſo imperio ob-
ſtringitur, facile oſtendit.

§. 27. Imo propriorum quoq; ſubditorum
conſenſus videtur neceſſarius, licet hoc, argu-
mento Superioritatis T. Domino competen-
tis, alii negent, *vid.* RHET. *J. J. P. l.* 2. *tit.* 32.
§. 7. nam ab *imperio* ad *libertatem alienandi*,
non recte infertur.

§. 28.

§. 28. Præfecturas tamen quasdan
prio arbitrio oppignorare, Statibus
vid. Struv. *S. J. F. cap. 14. aph.* 29
quemadmodum etiam Territoria aliis
dum offerre, ſuo modo poſſunt, *v.* Jus
Germ. *c. 7. §. 14. ſeqq.* nec non æs ali
exigente utilitate, contrahere. Imo
ducibus Auſtriæ, deficientibus hæredib
iam fœminis, territoria alienare licet,
zamb. *c.* 2. §. 4. Lehm. *Chr. Spir. l.* ſ
in addit.

§. 29. Vulgo libertatem alienandi,
xu feudali æſtimant, hinc uti allodia
alienari poſſe putant, ita, ad alienat
feudorum, Cæſaris, velut Domini c
conſenſum ſaltem neceſſarium exiſt
quanquam alii, horum etiam reſpectu
riorem poteſtatem, Statibus imperii tr
ſoleant, *vid.* Itter *de F. I. c.* 23.

§. 30. Non videtur illud bonorum
men negligendum eſſe, cum ex dive
qualitate intelligatur, conſenſum im
lem circa quædam bona ſtatim adeſſe
alia ab initio deficere. Interim (1.) æſ
recte debet Dominus directus, quo r
§. 26. h. (2.) non putandum, quaſi imp
in perſonas, perinde alienetur, ac dom
in res, quo tendit §. 27. (3.) vinculum ſ
quo toti Reipublicæ Status obſtring

on plane erit ſeponendum, nam ex eo patet, uod allodialium alienatio, non penitus ſit bera.

§. 31. Quoad ſecundum caſum *vid.* §. 20. lenuo diſtinguendum, inter Status *Eccleſia- ticos & ſeculares*, circa illos, antiquo poſſeſ- ore, vel *mortuo*, vel ultro territorio ſe *abdi- cante*, aut, ob delictum, illud *amittente*, lo- cum habet *electio* laxius ſuppoſita, illamque ſecuti alii actus.

§. 32. Quæ omnia ut eo rectius intelligan- tur, breviter oſtendendum, quis in *Germania*, ab antiquis temporibus, ad noſtram usque ætatem, *conſtituendi Epiſcopos* (cæterorum Statuum Eccleſiaſticorum eadem eſt ratio) fuerit *modus*, quam in rem diſſertatio CON- RINGII *de Conſtitutione Epiſcoporum* laudari debet.

§. 33. Id igitur præſupponendum, *conſti- tutionem* Epiſcoporum, lege aliqua divina univerſali, neque præcipi, neque prohiberi, porro nec ejus *modum*, regula illa definiri, ſed hoc omne à *libertate humana*, ac inde compoſito *imperio civili*, dependere.

§. 34. Olim itaque, à tempore Franco- rum, usque ad *Henricum IV*. conſtitutio Epi- ſcoporum in Germania, *populi*, *Cleri & Im- peratorum* arbitrio facta eſt, ita quidem, ut penes hos inprimis eſſet *jus inveſtiendi Epi- ſcopos*

ſcopos per baculum & annulum, quæ operoſius perſequitur CONRING. *d. diſſert. §. 10. ſeqq. add.* ITTER. *de F. I. c. 9. §. 33.* BURGOLD. *ad. J P. W. p. 1. D. 20. Membr. 1. §. 4.*

§. 35. Sed *Hildebrandus ſive Gregorius VII.* Pontifex, jus inveſtiendi Epiſcopos, Imperatoribus abjudicare non dubitavit, eo inprimis prætextu, quod *ſimoniace* rem geſſerint, CONRING. *d. l. §. 50. ſeqq. add.* LEHM. *Chr. Spir. l. 5. c. 22. 23. 24. 31. 45. 67.*

§. 36. Secuti Pontifices eo tandem rem deduxerunt, ut *Henricus V.* cum *Calixto II.* in Comitiis *Wormatienſibus anno 1122*, tranſigeret, ac inveſtituram per baculum & annulum, Pontifici cederet, Epiſcoporum electione, Clero & populo ſimul, Imperatori vero, electionis diſſidia componendi facultate, relictis, ID. §. 54. *ſeqq. add.* SCHILT. *de L. E. G. l. 4. c. 5. §. 6. 7.* LEHM. *Chr. Spir. l. 5. c. 25. ſeqq. l. 7. c. 33.*

§. 37. Ut igitur aliqua Juris ſpecie acceperit Pontifex *inveſtituram* Epiſcoporum, plura tamen mera uſurpatione ſibi arrogavit, nam ejus directione, ad *ſolos Capitulares*, *electio* Epiſcoporum devenit, quam mox per *proviſiones extra ordinarias* turbavit, *vid.* LEHM. *d. tr. l. 7. c. 73. 94.*

§. 38. Aſſeruit ſibi *jurisdictionem* in Clericos, *juramento* eos ſibi obſtrinxit, onera

pal-

pallii, annatarum, ſpoliorum impoſuit, ac intolerabilem illum: *Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia*, titulum, introduxit, barbarie illorum temporum iſta omnia ſolerter promovente, CONRING. *d. l. §. 65. ſeqq. add.* LEHM. *l. 7. c. 104.*

§. 39. Tandem immanis dominatus Germaniam tædere cœpit, hinc ei infringendo prodiere *aviſamenta Conſtantienſia & Moguntina*, ac ſecutum eſt, poſt Conſtantienſe, *Concilium Baſileenſe*, quo reſervationes Pontificis ſunt abrogatæ, *vid.* SCHILT. *de L. E. G. l. 16. c. 5. 6.*

§. 40. Sed ejus decretis Germania, artibus *Æneæ Sylvii* deluſa, parum gaviſa eſt, quin potius auſpiciis *Friderici III. vid.* LEHMANN. *Chr. Spir. l. 7. c. 95.* in alia pacta cum *Nicolao V.* Papa, *anno 1447.* convenit, quæ vulgo *Concordata Nationis germanicæ* audiunt.

§. 41. Quamvis autem ſine conſenſu Procerum Germaniæ inita ſint, deinde tamen in Capitulationibus Cæſares admoniti ſunt, quo Pontificem, ad illa ſervanda, permoverent, quo ipſo tamen valor ipſis haut eſt conciliatus, ceu mox probabimus.

§. 42. Summatim vero de duobus cautum eſt, nempe *Proviſionibus Papalibus & Annatis* modus eſt poſitus, decretis autem Concilii Baſileenſis longe ſunt deteriora hæc Concor-

data, Conring. *d. diſſert.* §. 83. *vid.* Lincki. *diſſertat. de Concordat. Nation Germ. hab. Altorf.* 1680. *vid. l.* 3. *c.* 6. §. 9.

§. 43. Secuta tandem reformatione, *vid.* Conring. *d. l.* §. 84. Schilt. *d. tr. l.* 7. *c.* 2. Proteſtantes jugum Pontificium penitus excuſſerunt, quorum ſecuritati *Pax religioſa & Inſtrumentum pacis Weſtphalicæ* proſpiciunt, Statibus Pontificiis, in iſta ſervitute, remanentibus.

§. 44. Hodie igitur, quoad Status Pontificios, Epiſcopi conſtituuntur *Electione*, quando habilis, ab omnibus Canonicis, vel majore eorum parte eligitur; & *Poſtulatione*, quando is, qui per canones eligi non poterat, apud Superiorem petitur.

§. 45. Omnia hic debent fieri, ſecundum juris Canonici præſcriptum, cujus autoritatem jam *l.* 2. *c. fin.* adſtruximus, deinde ſequitur *confirmatio* Pontificis, qui aliquando etiam de canonibus *diſpenſat.*

§. 46. Eſt etiam modus conſtituendi *Extraordinarius*, quando ipſe Papa, juxta definitionem Concordatorum, Epiſcopos conſtituit, qui tamen rarior hodie eſt, *vid.* Monz. *c.* 3. §. 6. *in fin. ibique* Kulpis. Forte etiam ratio Status Pontificii jam poſtulat, ne hac in re immoderatum ſe exhibeat Pontifex.

§. 47. Proteſtantes, varios Epiſcopatus, in

in Ducatus vel Principatus ſeculares ac hæreditarios converterunt, in iis vero, qui ſuperant, *Electio & Poſtulatio* locum habet, ceſſante Pontificis *confirmatione*, nam poſtulati & electi ſtatim ab Imperatore de feudis ſuis ſunt inveſtiendi, *J. P. art. 5.* §. 21.

§. 48. Eſſe autem libertatem Proteſtantium imperio noſtro utilem, ſubjectionem vero Catholicorum ei noxiam & ignominioſam, id ſine prolixa demonſtratione patet, nam unaquæque civitas ſui juris eſſe debet, minime vero quoad præcipua membra, ab externa poteſtate, dependere CONRING. *d. diſſert.* §. 88. 89.

§. 49. In genere Canonicorum electionem abolendam cenſet, CONRING. *d. l.* §. 89. ſed ut illa abrogatio ab *iniquitate* poſſit abſolvi, videtur tamen nec *utilis*, nec, hoc rerum ſtatu, *poſſibilis*, *add.* ID. *d. l.* §. *90 91.*

§. 50. Non eſt autem quod quis Proteſtantium libertatem cum flagitio conjunctam opinetur, nam jus quod Pontifex prætendit, nullum eſt, pleraque enim mera uſurpatione conſtant, particularia vero pacta, quæ allegari poſſunt, ſunt invalida.

§. 51. Sunt enim dolo Pontificum elicita, ab iis nunquam ſincere ſervata, & ſub conditione Vicedeatus, nullibi apparente, inita, nec vitium nullitatis tollitur per Capitulationes,

 utpo-

utpote quæ non *intrinſecam nullitatem*, ſed *ſecutos Pontificis exceſſus* reſpiciunt, *vid. ſupra l. 2. c. 5. §. 29. ſeqq. conf.* KULPIS. *ad Monz. p. 2. c. 3. §. 6.* ITTER. *d. F. I. c. 9. §. 21.*

§. 52. Quibus autem argumentis juſtitia libertatis Proteſtantium oſtenditur, iisdem quoque probatur, ſubjectionem Pontificiorum, neutiquam eſſe neceſſariam, ſed potius Status Pontificios, omni tempore poſſe, imo propemodum debere jugum Pontificis excutere ac in Libertatem ſe vindicare, quæ omnia *l. 1. c. 7. l. 2. c. 5. §. 37. ſeqq. c. 6. §. 23. ſeqq.* pluribus probata ſunt.

§. 53. Circa *Status Seculares*, ad quos nunc deveniendum varii caſus diſtingvi debent, nam ſi poſſeſſor morte, delicto vel voluntaria abdicatione territorium amittat, nullis, qui in illud jus habeant, ſuperſtitibus, tum locum invenit acquiſitio *originaria* ſecundum tradita, §. 6. *ſeqq.*

§. 54. Si vero, in caſu refutationis, vel delicti, Cæſarem reſpicientium, ſucceſſores ſuperſint, tum, ſi Cæſar uti ſuo jure velit, quamdiu refutans vel delinquens vivit, fructus feudi ſibi ſervare poteſt, poſt mortem demum refutantis aut delinquentis, legitimis ſucceſſoribus concedendi, *vid.* SCHWEDER. *ſect. 1. c. 23. §. 7. vid. §. 14. 15. h.*

§. 55. In caſu autem mortis, aut refutatio-

tionis vel delicti, Cæſarem non concernentium, ſtatim locum habet ſuperſtitum *Succeſſio*, quæ eſt *actus quo is, qui legibus fundamentalibus, immediate vel mediate deſignatus eſt, territoriorum eique connexa jura, in caſibus modo memoratis conſequitur*. Eadem quoque locum invenit, ſi Cæſar in caſu priori, de quo §. 54. jure ſuo uti nolit.

§. 56. Inprimis ad caſum mortis pertinet *Succeſſio*, nam cæteri rariſſime, aut forte nunquam eveniunt. De cætero præſupponit illa *Electionem*, â legibus fundamentalibus immediate aut mediate, arbitrio ſcilicet præcedentis poſſeſſoris, in quantum aliquod ei relictum eſt, factam.

§. 57. Eſt ergo inter Territoria *Electitia* & *Succeſſiva* hoc diſcrimen. In illis *electio* ad unam perſonam reſtringitur,, quæ eam quoque *acceptat*, ſed in his aliquis cum tota ſua progenie *eligitur*, hinc non tantum Ipſe eam *amplectitur*, ſed & Ejus Poſteri ſucceſſive *acceptant*, quæ acceptatio Succeſſionis nomine venit. Ibi denominatio fit à *delatione*, hic ab *acceptatione*, quia utrobique actus hi, ſunt magis evidentes, de quo alias in theſi diſſeritur, *vid.* OBSERVAT. AD PUFENDORF. *Obſerv.* 611.

CAP. IV.

De Succeſſione in immediata Germaniæ Territoria.

SUMMARIA.

Electoratus ſunt indiviſibiles ac transmittuntur ad filium primogenitum §. 1. deficientibus liberis ad agnatum proximioris lineæ §. 2. quod etiam in regno Bohemiæ obtinet, poſſuntque plures Electoratus conjungi, aut unus filio cedi §. 3. ſucceſſio in cætera territoria, ex quo jure æſtimanda §. 4. requiſita perſonarum ſuccedentium §. 5. 6. quæ applicantur ad feuda illuſtria §. 7. jure germanico ſimultanea inveſtitura attenditur §. 8. quæ tamen juri ſanguinis attemperari ſolet §. 9. liberi adoptivi & illegitimi non ſuccedunt §. 10. nec fœminæ cum ſua progenie §. 11. an animi corporisve vitio laborantes §. 12. in territoriis illuſtribus regulariter jus primogenituræ obtinet §. 13. 14. ejus indoles §. 15. 16. 17. moralitas §. 18. introductio §. 19. ſeqq. effectus §. 25. contraria §. 26. illud conſequitur Apanagium §. 27. generalis ſucceſſionis regula quoad feuda diviſibilia §. 28. in ſuccedentibus primo attenditur genus hinc primo ſuccedunt liberi §. 29. poſtea aſcendentes §. 30. tandem collaterales §. 31. quorum proximitas vel æqualitas ex linea & gradu æſtimatur §. 32. regulæ generales §. 33. hinc ſequuntur fratres §. 34. fratrum liberi §. 35. 36. agnati proximioris lineæ §. 37. 38. varia diſtribuendi ratio §. 39. 40. ſucceſſionis teſtamentariæ uſus §. 41. ſeqq. datur etiam ſucceſſio conventionalis §. 45. ſeqq. jura fœminarum quo-

quoad feuda illuſtria §. *49. ex quo æſtimanda* §. *50. 57. Viduis quid debeatur* §. *52. ſeqq. quid conſequantur filiæ* §. *56. 57.*

§. 1.

INtelligendæ Succeſſioni, non incongrue, inter *Electoratus* ac *reliqua Territoria*, diſtingvi videtur. Electoratus ſunt indiviſibiles *A. B. c.* 24. in iisque ſuccedunt tantum *maſculi*, adeoque ex liberis *Primogenitus*, dummodo habeat requiſita legibus fundamentalibus probata, nec ſuo juri renunciaverit *A. B. c. 7. add.* ITTER. *de F. I. c. 12.* §. 22.

§. 2. Deficientibus deſcendentibus, ad *proximum agnatum* Electoratus pertinet, quæ proximitas non ex *gradu & ætate*, ſed *lineæ propinquitate* videtur æſtimanda, de quo tamen acriter aliquando diſputatum; hiſtoriam controverſiæ eoque pertinentes Autores conſignavit etiam SCHWED. *ſect. 2. c. 3.* §. *8.* VITRIAR. *l. 3. tit.* 11. §. 3. ITTER. *de F. I. c.* 15. §. *6. ſeqq.*

§. 3. Iſta ſuccedendi ratio in regno etiam Bohemiæ obtinet, *A. B. c.* 7. §. 2. *c.* 25. §. 2. SCHW. *d. l.* §. 10. nec videtur ei, qui jam Electoratu fruitur, ad alium vero, agnationis ſimilive jure, vocatur, neganda, qui etiam Electoratum,

filio cedere poterit, neutri enim caſui legis prohibitio obſtat, *vid.* SCHWED. *d. l.* §. 9.

§. 4. QUOAD reliqua Germaniæ Territoria, ſucceſſio inprimis legibus Germanicis, deinde vero etiam Longobardicis, quarum autoritatem *l. 2. c. fin.* jam adſtruximus, dirigitur, in quantum ſcilicet utræque præſenti Territoriorum Statui conveniunt. Interim negandum non eſt, quin aliquando, tam ob jurium illorum concurſum, quam deficientem nonnunquam definitionem expreſſam, ac mutatam Ditionum conditionem, dubiæ occurrant quæſtiones.

§. 5. Noſtro inſtituto ſufficiet, breviter iſta jura repræſentaſſe, ex quibus nonnulla etiam ad Electoratus pertinent. Quod igitur primo *Perſonas ſuccedentes* attinet, jure feudali vulgari, in feudis ſuccedunt, qui (1.) à primo acquirente (2.) per legitimum matrimonium deſcendunt ac (3.) ad ſervitia militaria immediate præſtanda ſunt habiles, & (4.) à talibus, ſi remotioris ſint gradus, originem ducunt.

§. 6. Sicut autem ad ſucceſſionem feudalem habiles, *pacto* vel *delicto* nonnunquam excluduntur, ita vice verſa inhabiles, per ſpecialem *conventionem*, admittuntur; prout generalia illa fundamenta pluribus illuſtravi in JUR. FEUDAL. GERMAN. *c. 21.*

§. 7.

§. 7. An vero iſtis requiſitis præciſe etiam conſtet ſucceſſio illuſtris, jam videndum. De primo dubitandum non eſt, quamdiu ſucceſſuri qualitatem *Deſcendentium* retinent, aſt ſi ultimo poſſeſſori *Collaterales* evadant, tum quæritur utrum beneficio *ſanguinis*, an *ſimultaneæ inveſtituræ* admittantur.

§. 8. De jure Longobardico ſucceſſionem niti *ſanguine*, ſed germanico, in feudis mediatis, *ſimultanea inveſtitura*, certum eſt, ceu etiam retuli in JUR. FEUD. GERMAN. *c.* 11. *c.* 23. §. 5. Ultimum quoque in Territoriis immediatis obtinere, adeo ut hoc pro regula ſupponi debeat, pluribus demonſtravit. SCHILTER. *diſſert. de ſimultan. inveſtitur. Princ. imper. add.* ITTER. *de F. I. c.* 10. §. 7. 8. 9.

§. 9. Nec tamen ideo jus ſangvinis negligendum eſt, cum ejus ordini ſimultanea inveſtitura attemperari ſoleat, ut hactenus primo requiſito ſua conſtet autoritas. Quo loco illud admonerem, naturæ Territoriorum hodiernæ magis convenire ſucceſſionem ſangvinis, quam ſimultaneæ inveſtituræ.

§. 10. Alterum etiam requiſitum attenditur, hinc non tantum liberi adoptivi, ſed & naturales, licet à Cæſare legitimati excluduntur, *vid.* ITTER. *de F. J. c.* 14. §. 1. 5. 6. 7. 8. *add.* JUS FEUD. GERMAN. *c.* 21. §. 11. 12. 13. Liberi tamen per ſubſequens matrimo-

 nium

nium legitimati, ut ex conjugio inæquali orti, regulariter pro legitime natis habentur, ITTER. *d. l.* §. 2. 3. 4. 9. 10. *add.* RHET. *J. J. P. l.* 1. *tit.* 20. §. 6. *ſeqq.*

§. 11. Tertii & quarti requiſiti hactenus etiam habetur ratio, ut maſculi regulariter tantum admittantur, filiabus cum ſua progenie excluſis. Dantur tamen etiam Feuda illuſtria, in quibus Fœminæ quoque & conſequenter cognati, ſed in ſubſidium ſaltem, ſuccedant, *vid.* ITTER. *d. c.* 14. §. 11. *ſeqq. Monzamb. c.* 2. §. 4.

§. 12. Sed an etiam alii inhabiles, ut ſurdi, muti ſimilive defectu laborantes, vi illorum requiſitorum, à ſucceſſione arceantur, quæritur? plerumque id affirmant, *vid.* ITTER. *d. c.* 14. §. 21. 22. ſed malim diſtinguere inter vitia *animi & corporis*, illa ſucceſſioni illuſtri obſtare putem, non hæc, non enim ex rationibus feudorum vulgarium, ſed liberorum Corporum, Germaniæ Territoria æſtimari debent. Ex quo fundamento etiam Clerici ad ſuccesſionem admitti poſſunt, *vid.* ITTER. *d. c.* 14. §. 23. 24.

§. 13. Ad intelligendum ſuccedendi *modum*, id generaliter præſupponi debet, quod in Territoriis Germaniæ, vel *jus primogenituræ*, vel *Succesſio plurium* obtineat. Utra vero ſuccedendi ratio, altera ſit antiquior magis

giſque uſitata, ac adeo in dubio præſumenda, id non ſatis expeditum eſt, *vid.* Itter. *de F. I. c.* 13. §. 9. 10. 11. *c.* 12. §. 13. 14.

§. 14. Noviſſime Ludolph. *de introd. jur. primog. part. gen. aph.* 11. *ſeqq.* cenſet, antiquis temporibus jura primogenituræ obtinuiſſe ſeculo autem XV. ob admiſſum fere juris Romani uſum, pernicioſas invaluiſſe diviſiones, ſed, cognito errore, in plerisque Territoriis, jura Primogenituræ eſſe reducta, ac in Territoriis, plurium ſucceſſioni obnoxiis, diſſectionem quoque caveri debere. Sed hoc ultimum conſilii ſolum, non neceſſitatis exiſtimari debet, cætera non incongrue dicta videntur.

§. 15. In multis ergo Feudis immediatis, obtinet Jus Primogenituræ, *vid.* Vitriar. *J. J. P. l.* 3. *tit.* 20. §. 42. *ſeqq.* Itter. *d. tr. c.* 12. §. 15. 16. Ludolph. *d. tr. part. gen. aphor.* 13. Vi cujus *ex æqualibus, primogenitus ſolus ſuccedit, ac poſtgenitis, cum tota ſua progenie, ſucceſſione ſingulari præfertur.*

§. 16. Eſt igitur Primogenituræ ea indoles, ut à momento nativitatis, jus, in poſteros tranſiturum, largiatur, hinc quamdiu Primogenitus, vel aliquis ex ejus progenie ſupereſt, tamdiu poſtgeniti ſucceſſionem ſperare non poſſunt. Hinc primogeniti filius, nepos cæterique deſcendentes, illius fratribus præferuntur.

§. 17.

§. 17. Porro inter ipſos Primogeniti deſcendentes, nativitatis prærogativa quoque attenditur, hinc ſi v. gr. quos ille relinquat filios, primum cum ſuis poſteris, ſecundo præferri, manifeſtum eſt. Hujus igitur ſucceſſionis ea eſt natura, ut primogenitus, ſive ſtatim talis ſit, ſive deficientibus prioribus, ex poſtfacto evadat, cum ſua progenie peculiarem velut lineam efficiat, quæ ipſa tamen in plurimas lineas ſubalternas, pro ratione plurium primogenitorum intermediorum, diſtingvatur, *add.* ITTER. *de F. I. c. 12. §. 17. ſeqq.*

§. 18. Poſſe jus primogenituræ licite introduci, facile liquet, cum nulla lex divina, ad æqualem bonorum diſtributionem, antecedenter obliget, non minus etiam manifeſtum eſt, quod illud, ad conſervanda Territoria Familiasque illuſtres, ſit utile *vid.* ITTER. *d. c. 12. §. 4. 5. 6.* LUDOLPH. *de introd. jur. primog. part. gen. aph. 15. part. ſpec. aph. 2.*

§. 19. Introducitur jus illud potiſſimum (1) *lege imperii publica*, cujus rei exempla ſunt in Electoratibus & Landgraviatu Haſſiæ, *vid.* ITTER. *d. c. 12. §. 8. 9.* (2.) *pactis familiarum illuſtrium ac* (3.) *teſtamentis.*

§. 20. Solent autem, ad valorem *illorum pactorum*, requirere conſenſum Cæſareum, *vid.* ITTER. *d. c. 12. §. 11. 12.* quem inprimis extol-

xtollit Ludolph. *de introd. primogen. part.* *ſpec. aph.* 13. adeo ut pacta licet jurata, conſenſu illo deficiente hæredes non obligare, cenſeat.

§. 21. Enimvero illa ſecurius, ex vulgaribus regulis feudalibus, aut antiquo Reipublicæ Statu, afferuntur. Alias, ſi præſentem Territoriorum libertatem, totiusque Civitatis habitum, ſerio expendamus, diſtingvendum potius videtur, utrum *jus primogenituræ intuitu ſaltem alicujus familiæ*, an *Territorii ſimpliciter ſit introducendum*, illo caſu ſolus paciſcentium conſenſus ſufficit, hoc vero, non Cæſaris tantum ſed & Imperii voluntas, inſuper requiritur.

§. 22 Eadem eſt ratio *Diſpoſitionis teſtamentariæ*. Uti autem dubium non eſt, quin, ad utramque introductionem, requiratur conſenſus Agnatorum, ita Patrem, filiis non conſentientibus, pacto vel teſtamento, jus primogenituræ, modo Cæſaris conſenſus accedat, introducere poſſe, cenſet Ludolph. *d. tr. p. ſpec. aph.* 7. 8. 14. ſed ex hypotheſi non ſatis probata *d. l. aph.* 6. quaſi feudum antiquum, ſine liberorum conſenſu, valide à Patre alienari queat.

§. 23. Alias jus primogenituræ etiam *conſuetudine* introduci poſſe dicitur, ubi quidem de ejus requiſitis valde ſolent eſſe ſolliciti

vid.

vid. LUDOLPH. *d. l. aph.* 15. ſed perperam per conſvetudinem, videntur intelligere *legem non ſcriptam*, cum potius per eam intelligatur *pactum tacitum* ſeu *obſervantia*, hinc ea, quæ *l.* 2. *c.* 8. §. 5, 6. recenſui, hic etiam exigenda eſſe videntur.

§. 24. Non minus etiam *Præſcriptio*, ad modos introducendi jus primogenituræ, referri poteſt, licet eam fere expungat LUDOLPH. *d. l.* Eſt etiam illa inſtar *pacti taciti*, ſed quod ex lapſu temporis, lege definiti, effectum habeat, ſecundum ea, quæ *c.* 3. §. 17. *h.* dixi Laudant quoque *Inveſtituram Cæſaream*, *vid.* ITTER. *d. c.* 12. §. 10. ſed illa, ſolitarie ſpectata, introducendo Primogenituræ juri, non ſufficit.

§. 25. Conſequitur laudati juris virtute, Primogenitus omnia, quæ ad Territorium dignitatemque illuſtrem pertinent, non etiam bona defuncti patrimonialia, niſi ad hæc quoque idem ſit extenſum, *vid.* ITTER. *d. c.* 12. §. 22. 23. COCCEJ. *J. P. P. c.* 27. §. 18. *ſeqq.* Eas quoque obligationes ſubire debet, quæ alias ſucceſſorem illuſtrem ſequuntur, qua de re, mox in genere agam.

§. 26. Tollitur jus Primogenituræ (1.) *renunciatione*, quæ tamen renuncianti ſolum, non aliis obeſt, hinc renunciatio Patris, filiis, ne quidem naſcituris, nocet, ITTER. *d. c.* 12. §. 24.

§. 24. 25. quod ultimum tamen, nimium videtur, eſt enim jus primogenituræ, *jus per patrem, in liberos derivandum*, patre igitur expuncto, nihil in liberos derivari poteſt (2) *delicto graviori*, ſed hoc in univerſum, exigui, quoad Status potentiores, ſolet eſſe effectus, de quo alibi iterum dicendum, *add.* LUDOLPH. *d. tr. aph.* 16.

§. 27. Jus Primogenituræ neceſſario conſequitur *Apanagium*, *vid.* SCHILT. *J. J. P. l.* 2. *tit.* 9. §. 13. quod, hoc ſub reſpectu, ad Juris publici Diſciplinam referre licet. Eſt autem *certa aliqua pecuniæ, vel aliorum redituum portio, à Primogenito, Poſtgenitis præſtanda, quo honeſte Statuique ſuo convenienter, ſe ſuſtentare queant*, de quo Scriptores proprii videri debent, *add.* ITTER. *de F. I. c.* 13. §. 1. *ſeqq.* LUDOLPH. *de introd. Jur. primog. part. ſpec. aph.* 12.

§. 28. Quodſi Territoria *ſucceſſioni plurali* ſint obnoxia, *vid.* §. 13. *h.* tum, vel unus, vel plures ſuccedunt, pro diverſa ſcilicet numeri, proximitatis aut æqualitatis ratione. Generalis igitur regula eſt: *Ex pluribus ſuccedit proximior, pares ſimul admittuntur;* proximitas vero & æqualitas ſummatim ex *genere, linea & gradu* æſtimatur.

§. 29. Primum *Genus* eſt *Liberorum*, qui, ratione ſtirpis, unam conſtituunt lineam, &

ſucce-

ſuccedunt liberi primi gradus æqualiter, modo ad ſucceſſionem habiles ſint, deficientium locum, jure repræſentationis, ſubeunt eorum liberi; Deficientibus omnibus primi gradus liberis, remotiores, ſive ejusdem, ſive diverſi ſint gradus, ſemper, jure repræſentationis, ſuccedere videntur, *add.* Jus Feud. German. *c.* 21. §. *34. 35.*

§. 30. Secundum *Genus* eſt *Aſcendentium.* Sed uti hi in feudis *novis* non, niſi ex pacto ſpeciali, ſuccedunt, ita in *antiquis* regulariter etiam nulla eorum eſt ſucceſſio. Dantur tamen nonnulli caſus, ubi in feudis mediatis aſcendentes ſuccedunt, *vid.* Jus Feud. Germ. *c.* 22. §. 1. *ſeqq.* quos ad feuda etiam immediata referre, nil vetat. *add.* Itter. *de F. I. c. 15.* §. 1.

§. 31. Tertium *Genus* eſt *Collateralium.* Hi in *novo* feudo regulariter non ſuccedunt, ſed in *antiquo* frequens eſt illorum ſucceſſio. Sicut autem proximitas & æqualitas neceſſario eſt attendenda, ſi beneficio *ſanguinis*, eos ſuccedere ſupponas, ita illa negligenda non eſt, quamvis virtute *ſimultaneæ inveſtituræ* illi admittantur, cum hæc ſangvini attemperari ſoleat, *vid.* §. 8. 9. *h. add.* Jus Feud. German. *d. c.* 22. §. *3. ſeqq.*

§. 32. Æqualitas & Proximitas Collateralium, ex *linea & gradu* æſtimatur. Hic oritur

ex

ex *generatione*, id quod, velut ſatis notum, jam ſupponitur, illa vero ex *ſtirpe* ſeu *ſtipite* reſultat, qui enim cum defuncto eidem ſubſunt ſtipiti, illi in eadem cum illo ſunt linea, cumque defunctus plures habuerit ſtipites, nempe Patrem, Avum, Proavum &c. ideo qui ſub proximo ſtipite comprehenduntur, ei ſunt in linea proxima, qui ſub remotiori, in linea etiam remotiori, ita ut ſemper, pro ratione ſtipitis, una altera ſit proximior vel remotior.

§. 33. Hoc poſito, circa Collaterales (quos habiles eſſe oportet ſecundum dicta §. 5. *ſeqq. h. add.* ITTER. *de F. I. c.* 15. §. 2. 3. 4.) conſideratur (1.) *linea*, & obtinet hæc regula: *qui defuncto ſunt in proxima linea, illi cæteris, gradu licet propinquioribus, præferuntur*, deinde (2.) *gradus*, hac regula obſervata: *plurium ejusdem lineæ perſonarum ſucceſſio, ex gradu æſtimatur*, de cujus ſucceſſionis *veritate, indole & æquitate* pluſcula dixi in JUR. FEUDAL. GERMAN. *c.* 22. §. 25. *ſeqq.*

§. 34. Primo igitur ex Collateralibus ſuccedunt *Fratres germani & conſangvinei*, qui omnes ejusdem ſunt lineæ & gradus, dividuntq; hæreditatem illuſtrem, ſecundum *capita*. Quodſi *fratrum præmortuorum filii* concurrant, illi, jure repræſentationis, cum patruis ſuis, in *portionem ſtirpis ſuæ*, admittun-

tur, ultra hos vero repræſentatio non obtinet, Jus Feudal. German. *c.* 22. §. *19. ſeqq.*

§. 35. Si *fratrum liberi ſoli* ſint, illi omnes, cum defuncto patruo ſuo, unam eamque proximam lineam conſtituunt, cum enim omnes fratres eorumque poſteri, hoc caſu, ad ſucceſſionem admittantur, non opus eſt, à ſingulis fratribus novam auſpicari lineam, ſecus ac circa jus primogenituræ, ubi à ſingulis primogenitis, nova ducitur linea, *vid.* §. *17. h. conf.* Jus Feud. Germ. *c.* 22. §. *34. 35.*

§. 36. Cum etiam fratrum filii, lineæ proximioris beneficio, ſuccedant, hinc defuncti Patruos excludunt; Cumque porro, jure proprio ſequantur, ac inter ſe gradu æquales ſint, ideo ſecundum *capita* dividunt, quod in ſucceſſione allodiali, ex veriori ſententia, non ita ſimpliciter procedit, *vid.* Jus Feud. Germ. *d. c.* 22. §. 23. 24. *add.* Itter. *de F. I. c.* 15. §. *10.*

§. 37. Deficientibus fratrum liberis, reliqui Collaterales, ceſſante jure repræſentationis, in infinitum admittuntur, ſed ita, ut primo ſemper ad lineas, quæ defunctum comprehendunt, deinde ad gradus reſpiciatur, hinc qui per Patrem ei junguntur, indiſtinctè excludunt eos, qui per avum illi ſunt conjuncti, & ita porro.

§. 38. Hinc v. gr. omnes ex Defuncti fratre deſcendentes, puta, nepos, pronepos, ab-

-nepos

iepos &c. præferuntur defuncti Patruo ejusue poſteris, beneficio lineæ proximæ. Deuncti patruelis, præponitur ejus propatruo b eandem rationem, *vid.* JUS FEUD. GER-AN. *d. c.* 22. §. 32. *ſeqq. add.* ITTER. *d. c.* 15. *n.* 12.

§. 39. Cæterum ſicut in hæreditatibus aldialibus, inter plures, bona plerumque diſibuuntur, ita circa Territoria non eadem eſt rtiendi ratio. In genere tamen dicendum detur, quod aut *Territoria dividantur*, idque l quoad ſubſtantiam, vel fructus, aut *pro inviſo posſideantur.*

§. 40. Hoc caſu Succeſſores vel communomine ditiones adminiſtrant, data nonnquam Seniori aliqua prærogativa, vel reien alternant, quæ viciſſitudinaria admiratio vulgo Muthſchierung dici ſolet, ITTER. *de F. I. c.* 13. §. 12. *ſeqq.* omnibus em illis partiendi modis multum incomdi ineſſe, facile liquet.

41. *Teſtamentariæ Succeſſionis* in Territis Germaniæ, non adeo magnus videtur uſus, cum ut plurimum ejus hæc ſint conmis, ut aliorum jus, liberam teſtandi faitem impediat. Ceſſant igitur Teſtata in Electoratibus aliisque Feudis, Prienituræ juri obnoxiis.

42. In feudis diviſibilibus, teſtamenta

non valent, niſi ex conſenſu Agnatorum, cum enim his per leges fundamentales, jus ſuccedendi tributum ſit, invitis hoc interverti nequit. Pater tamen inter liberos, cum liberiori etiam dividendi arbitrio, teſtari poſſe videtur, *vid.* ITTER. *de F. I. c. 13. §. 16. c. 16. §. 1. 2. 7.* Quodſi Territoria, hæreditaria ſint, etiam quoad agnatos teſtamenta valebunt ITTER. *d. c. 16. §. 3. 4. 5.*

§ 43. Si deficiant Conſangvinei, ultimus Poſſeſſor, in Extraneum, teſtamento Territoria transferre poterit, ſi ſint *allodialia*, nam in hoc imperium conſenſiſſe, ex qualitate bonorum colligitur. Si vero ſint *feudalia*, non tantum Cæſaris, quod vulgo putant, *vid.* ITTER. *d. c. 16. §. 6.* ſed & Statuum imperii conſenſus, ad teſtamenti validitatem, requiritur per ea, quæ *c. 3. §. 8. ſeqq. §. 26. ſeqq. h.* diximus, utroque etiam caſu propriorum ſubditorum conſenſus videtur neceſſarius.

§. 44. De cætero Status imperii, in condendis teſtamentis, ſolennia juris civilis obſervare debere, multi, ac in ſpecie, LUDOLPH. *de introd. jur. primogen. p. ſpec. aph. 14.* ITTER. *d. c. 16. §. 8.* putant, quia, ut Hic cenſet, *in teſtamentis, pro privatis habentur.* Sed contrariam ſententiam eſſe veriorem, ac rationem allatam, nec ſimpliciter admitti debere, nec huc quadrare, ex iis, quæ *l. 1. c. 1. §. 48. 51. 61. 62.* diximus, apparet.

§. 45.

§. 45. Datur etiam, circa feuda illuſtria, *ſucceſſio conventionalis*, quæ ex *pactis* oritur, qualia ſunt *pactum Ganerbinatus*; quod tamen non ad ſolam ſucceſſionem, nec ad Status imperii tantum, ſed alias quoque præſtationes ac perſonas pertinet, de quo Autores proprii conſulendi; *vid.* BOECLER. *N. J. l. 10. c. 3.* & *pactum confraternitatis*, Erbverbrüderung / *vid.* ARUM. *ad A. B. diſcurſ. 6. §. 6.* ITTER. *de F. I. c. 17. §. 1. 2.*

§. 46. Hoc eſt *conventio*, *inter duas pluresve familias illuſtres, conſenſu habili eo fine inita, ut, una familia extincta, ſuperſtes in territorium vacuum ſuccedat.* Diſtinguitur ab *objecto*, in *univerſale & particulare*, ab *effectu*, in *unilaterale & bilaterale*, *vid.* SCHWED. *ſect. 2. c. 10. §. 10.* ITTER. *d. c. 17. §. 6. 7.*

§. 47. De *valore* horum pactorum abſurde dubitatur ex *l. pen. C. de pact.* cum hac in re nulla ejus ſit autoritas, *vid.* ITTER. *d. l. §. 10.* De cætero præter *conſenſum familiarum paciſcentium*, videtur non tantum *Imperatoris*, ſed & *omnium Statuum*, imo *propriorum* etiam *ſubditorum* conſenſus, eſſe neceſſarius, per ea quæ *c. 3. §. 26. ſeqq.* dixi, *add.* ITTER. *d. c. 17. §. 10. 11.*

§. 48. Poſitis autem iſtis requiſitis, non tantum circa Principatus aliaque ejus generis feuda, ſed & Electoratus conventiones iſtæ

valide iniri poſſunt, *vid.* ITTER. *d. l.* §. 8. De Exemplis harum conventionum Autores proprii conſulendi, *vid.* CARPZOV. *de pact. confrat. Saxon. Haſſiac.* ITTER *d. l.* §. 3. 4. 5. 9. Effectus autem horum pactorum eſt certum ſuccedendi jus, ſi conditio adjecta exiſtat, cui adeo alienando, præjudicium fieri nequit, *vid.* ITTER. *d. l.* §. 12 13. 14.

§. 49. Solent etiam *Fœminæ* ex Territoriis immediatis aliquid conſequi, cujus rei conſideratio licet ad jus privatum pertineat, attamen ſi præſtationes fœminis faciendæ, ut onera Poſſeſſorum & Succeſſorum ſpectentur, ad Juris Publici Diſciplinam, illæ etiam referri poſſunt.

§. 50. Exigunt autem aliquid vel *Viduæ*, vel *Filiæ*. Circa quas in genere obſervandum, quod earum jura ex pactis & Statutis Familiarum, primario ſint judicanda, his deficientibus, non incongruum erit, ſi jura aliarum fœminarum, illuſtribus quoque tribuamus, ſunt enim & hæ, privatæ conditionis, ac legibus privatis ſubſunt, cumque præterea rebus nonnullis indigeant, eadem utique ipſis promiſſa, quæ aliis fœminis debentur, cenſeri debent.

§. 51. Cum etiam Maritus & Pater, libero præſit territorio, hinc dubitandum non eſt, quin graviora onera, quam alias in feudis media-

mediatis occurrunt, illi poſſint imponi. In dubio tamen juxta præſcriptum juris conſveti, promiſſio facta, cenſeri forte debebit.

§. 52. Quod in ſpecie *Viduas* attinet, circa eas matrimonium non tantum perfectum, ſed & conſummatum præſupponi debet, *vid.* COCCEJ. *J. P. P. c. 28. §. 7. 20. 21.* De cætero præcipuum Viduarum jus eſt *Dotalitium* i. e. *Uſusfructus, tuendæ Viduitatis cauſa, uxori conſtitutus*, de quo, intuitu feudorum mediatorum, ſumma capita retuli in JUR. FEUD. GERMAN. *c. 18. §. 21. ſeqq.* quæ huc etiam quadrant, niſi in quantum conditio Territoriorum immediatorum, eique innexa conventio, aliud nonnunquam expoſcit, *add.* COCCEJ. *J. P. P. c. 28.*

§. 53. Sic Dotalitium, ob *dotem illatam*, ac *in feudum verſam*, demum exigi poſſe dicitur, quod ad illuſtria etiam feuda applicant. *vid.* COCCEJ. *c. 28. §. 12.* ITTER. *de F. I. c. 18. §. 11.* ſed diſtinguerem, utrum *dotalitium à vivo Marito ſit conſtitutum*, an *poſt ejus mortem demum conſtituendum*, illo caſu ſimpliciter valebit, dote licet nulla, vel illata, vel probata, ob præſuppoſitum §. 51. hoc vero Succeſſor ſibi onus imponi non patietur, niſi accepta dote.

§. 54. Ob eandem rationem quantitas Dotalitii illuſtris, vulgaribus regulis per

omnia non erit adſtricta, ſed à Marito conſtitutum ſimpliciter valebit, licet conſvetam excedat quantitatem, hinc etiam, quoad percipienda emolumenta, vel cavendi neceſſitatem ſimiliaque, lautioribus cum conditionibus, illud à marito conſtitudi poteſt.

§. 55. Reliqua dotalitii capita, nempe optio mulieris, modi, qui dotalitium vel impediunt, vel conſtitutum tollunt, ſimiliaque, ex jure communi judicari debent, niſi conventione aliud conſtitutum; Id quod etiam de cæteris juribus fœmininis, puta, repetitione dotis, donatione propter nuptias ejusque generis aliis, dicendum.

§. 56. *Filiabus* debentur alimenta & dotatio, quæ itidem ex jure communi judicari debent, *vid.* Jus Feud. German. *c. 18. §. 48. ſeqq.* niſi conventione, Territorii poſſeſſori, iſta onera ſimpliciter impoſita ſint, quod valide fieri poſſe, ex §. 51. patet.

§. 57. An Territorii poſſeſſor, Apanagiatorum filiabus, quoque dotem dare teneatur, diſputari ſolet? *vid.* Itter. *de F. I. c. 18. §. 12.* ſed eſt magis quæſtio facti, quam juris, hinc, pro diverſa Apanagii quantitate, diverſimode pronunciandum videtur, ut tamen in dubio affirmativæ inhæreamus, æquum puto, *add.* Coccej. *d. c. 28. §. 1. 2. 3.*

CAPUT

CAP. V.

De Obligatione Succeſſoris illuſtris.

SUMMARIA.

Succeſſor illuſtris, in obligationes quoque anteceſſoris ſuccedit §. 1. ſed intereſt, jure hæreditario, an proprio ſuccedat §. 2. ille factum defuncti præſtat, hic regulariter non §. 3. prior diſtinctionis pars recte ſe habet §. 4. ſed poſterior, ad civitates & territoria libera, non recte applicatur §. 5. 6. in his ergo ſucceſſor quivis regulariter obligatur §. 7. ſeqq. quis proprio jure ſuccedere dicendus §. 11. 12. Succeſſor debet expectantias, & feuda conceſſa §. 13. jurisdictionem datam, contractus ſervare, & debita, etiam hæreditaria, exſolvere §. 14. 15. aliquando tamen obligatio ceſſat §. 16. ſeqq. geſta Regum Principumque pro ſubſtrata materia, intelligi debent, §. 21. 22.

§. 1.

VTi Succeſſor illuſtris, ſive electione ſive ſucceſſione Territorium obtineat, omnia jura eidem cohærentia conſequitur, ita eundem obligationibus nonnullis obſtringi, non minus certum eſt. Quousque vero illa vincula ſeſe extendant, id non usque adeo expeditum eſt, ſive in theſi, ſive in hypotheſi, Germaniæ ſcilicet intuitu, hæc res ſpe-

ſtetur, *vid.* Ziegler. *de jur. Majeſt. l. 1. c. 4. §. 28.* Struv. *S. J F. c. 7 §. 9.* Itter. *de F. I. c. 18. §. 2 ſeqq.*

§. 2. Summam rei, intuitu Statuum imperii, hac vice attingere lubet: Vulgo igitur diſtingvunt, utrum quis ſuccedat *jure hæreditario*, an *proprio*; Prius contingit in *rebus allodialibus ac regnis vel Territoriis patrimonialibus*, poſterius in *regnis ac territoriis, jure quodam velut uſufructuario poſſeſſis*; *vid.* Struv. *d. c. 7. aph. 9. n. 1. 4.* Pufendorf. *de J. N. G l. 8. c 10. §. 8.*

§. 3. Hoc præſuppoſito, eum, qui jure hæreditario ſuccedit, factum defuncti præſtare debere cenſent, non vero eum, qui jure proprio, niſi ſit defuncti filius, vel alia exceptionis faciendæ cauſa appareat, cujus generis plures recenſere ſolent, *vid.* Struv. *d. aph. 9. n. 5. ſeqq.* Ziegler. *d. tr. l. 1. c. 4. §. 48.*

§. 4. In hac doctrina, primum diſtinctionis membrum, dubio procul admitti debet, quando enim penes defunctum, jus agendi fuit, ejusque voluntate Succeſſor bona acquirit, nullo jure impletionem eorum, quæ Anteceſſor egit, detrectare poteſt.

§. 5. Sed ſecundum membrum, non perinde liquidum eſt; Equidem ſi defunctus ſolus aliquid egerit, tum Succeſſor, jure proprio bona conſecurus; ad ejus facta præſtanda non obſtringitur, niſi conſenſerit, vel ex iis utilitatem

antem ſentiat, id quod in feudis mediatis accidit.

§. 6. Aſt cum Reges, liberorumque Territoriorum Capita, plerumque non ſuo, ſed Reipublicæ nomine, agant, non videntur Interpretes indolem Civitatum eique innexam rationem, quam GROTIUS *de J. B. P. l. 2. c. 14. n. m. 12.* etiam exhibuit, ſatis aſſecuti, quando Succeſſorem ex eo, quod proprio jure ſuccedat, à neceſſitate implendi facta Anteceſſoris, immunem pronunciarunt.

§. 7. Rejectis igitur, hoc reſpectu, ſententia vulgari, ambiguisque limitationibus, eam ſecutis, dicendum potius eſt, quod is, qui in Regnum, vel liberum Germaniæ Territorium, proprio jure ſuccedit, facta Anteceſſoris, quæ juxta præſcriptum legum fundamentalium, vel his deficientibus, citra inconſultam prodigalitatem, ſuſcepta ſunt, ſervare debeat.

§. 8. Nam quæ defunctus ita egit, illa non ſuo tantum, ſed & Reipublicæ nomine ſuſcepit, ſeu Hæc, per Caput ſuum, iſta voluit: Licet igitur Rex aut Princeps moriatur, attamen ipſa Reſpublica, velut perſona immortalis, adhuc durat, quare Succeſſor ea, quæ illa per Caput ſuum antea voluit, & nunc etiam adhuc vult, evertere non poteſt.

§. 9. Nec oberit nunc, *quod Succeſſor cauſam*

ſam ſucceſsionis ab Anteceſſore non habeat, ha-
bet tamen ab ipſa Civitate, hinc hujus facta
per defunctum ſuſcepta, evertere nequit.

§. 10. Ex quo etiam liquet, quare à Suc-
ceſſore feudi mediati, ad illuſtrem Succeſſo-
rem inferre non liceat; ille ſuccedit homini
ſingulari, hic Capiti corporis liberi & adhu
durantis: ibi quæritur de implendo facto ho-
minis defuncti, hic, perſonæ viventis.

§. 11. De cætero nomine ejus, qui propri
jure ſuccedat, ac ad ſervanda Anteceſſoris fa-
cta, obſtrictus ſit, non tantum intelligimu
Principem agnatum, ex legum fundament-
lium præſcripto, ſuccedentem, ſed & eum
qui ſpeciali electione bona conſequitur.

§. 12. Imo in Germania, hoc nomin
comprehendimus totum Imperium, ſi Ei ter-
ritorium aliquod aperiatur, nec non illum
qui de novo, ſive ex prævia aliqua Expectan-
tia, ſive ſine ea, à Cæſare Imperioque illu
conſequitur. Quo caſu etiam nihil intereſſ
putamus, ſive Territorii, denuo collati, pr
ſtina qualitas maneat, ſive mutetur, & v. g
ex Epiſcopatu Ducatus fiat, nam in omnibu
illis Succeſſoribus, ratio antea data, effica
eſt.

§. 13. Juxta hæc igitur Succeſſor illuſtr
ſervare debet (1.) Expectantias ab Anteceſſor
datas, *vid.* RHET. *Comm. jur. feud. l. 1. tit.*
n.

n. 19. p. 189. add. Jus Feud. German. *c. 13. §. 32. ſeqq.* (2.) feuda in Territorio conceſſa, hæc enim male, à nonnullis, *vid.* Itter. *de F. J. c. 22. §. 8.* pro ſubfeudis habentur, ac ex vulgarium ſubfeudorum regulis æſtimantur, *vid.* Rhet. *d. Comm. l. 1. tit. 1. n. 28. p. 77. add.* Jus Feud. Germ. *c. 15. §. 27.*

§. 14. Non minus etiam (3.) Jurisdictionem aliis permiſſam. *vid.* Ziegler. *de Jur. Majeſt. l. 1. c. 4. n. 28. in fin.* data privilegia, Id. *d. tr. l. 1. c. 12. §. 14.* ac in ſpecie jus venandi, ſimiliaque jura auferre non debet. Quemadmodum etiam (4.) contractus implere, aut impletos in ſuo Statu relinquere, *vid.* Pufendorf. *de J. N. G. l. 8. c. 10. §. 8. 9.* Ziegler. *d. tr. l. 1. c. 28. §. 10.* Grot. *de J. B. P. l. 2. c. 14. §. 13.* ac inprimis (5.) debita, tam feudalia, quam hæreditaria, ſolvere tenetur, Struv. *S. J. F. c. 14. §. 29. n. 5.*

§. 15. Eſt tamen hoc ultimum ſatis controverſum, ceu liquet ex iis, quæ hanc in rem retulit, Itter. *de F. I. c. 18. §. 3. ſeqq.* qui & ipſe contrariam ſententiam amplectitur. Sed ratio, §. 8. allata, generalis eſt, cumque ejus efficaciam, in Territoriis Eccleſiaſticis, agnoverit Itter. *d. c. 18. §. 10.* non erat, cur in cæteris diſſentiret, *vid.* Jus Feud. German. *c. 18. §. 67. ſeqq.*

§. 16. Quod ſi Anteceſſor non ex præſcri-

ſcripto legum fundamentalium egerit, ſucceſſor ad Ejus facta præſtanda non eſt obligatus, nam actiones illæ non ſunt Reipublicæ. Ex hoc capite recte improbantur ditionum alienationes, maxime ſi pecunia inde redacta, in Civitatis utilitatem non ſit verſa, *vid.* Grot. *l. 2. c. 14. §. 12. n. 6.* Ziegler *de Jur. Majeſt. l. 1. c. 4. §. 28.*

§. 17. Irrita quoque cenſeri debent ea, quæ contra conventiones, cum Statibus Provincialibus initas, ſunt ſuſcepta; ut ſi Princeps ditiones, quas ſine Statuum provincialium conſenſu, ſe non oppignoraturum promiſerat, pignoris nexu conſtringat, quem caſum præjudicio illuſtrat Ziegler. *d. c. 4. §. 29.*

§. 18. Quodſi expreſſæ conventiones deficiant, adeoque liberius arbitrium Principi competat, ea tamen Succeſſor probare non debet, quæ per inconſultam prodigalitatem acta ſunt, nam eousque arbitrium illud extendi, ac talis actio, pro Reipublicæ actione, haberi non debet.

§. 19. Licet vero Princeps, ad minimas anguſtias, non ſit redigendus, ceu admonuit, Grotius *l. 2. c. 14. §. 12.* attamen nec quævis ejus actio inconſiderata, Civitati ac Succeſſori imputari debet: Neque etiam judicatu impoſſibile eſt, quænam actio inconſulte prodiga cenſeri debeat, ſi ejus *originem & exitum* probe expendamus.

§. 20.

§. 20. Ex hoc igitur capite, donationes ſuperſtitioſæ, emendicata privilegia, ac doloſe obtenta jura, non tantum, recte revocantur, *vid.* ZIEGLER. *d. l. 1. c. 4.* § 28. ſed & improbi homines, qui, inſuper habito conſcientiæ dictamine, peccandi occaſionem Principi ſuppeditarunt, merito puniuntur.

§. 21. Illud non ad obligationem Succeſſorum, ſed ad geſta Regum Principumque in genere pertinet, quod pro ſubſtrata materia aliisque circumſtantiis, illa intelligenda ſint. His ergo mutatis, non tantum Succeſſor, ſed & ipſe Autor, acta revocare, aut potius nulla, ac non amplius obligatoria, declarare poteſt, *vid.* GROT. *l. 2. c. 14. §. 12. n. 4.* ZIEGLER. *de jur. majeſt. l. 1. c. 12. §. 14.*

§. 22. Multo magis geſta illa valorem amittunt, ſi conditio iis expreſſe adjecta ſit, eaque poſtea deficiat. Ex quo fundamento multa inſtituta, quæ, ob mutata tempora deficientemque, ſub qua introducta ſunt, conditionem, dudum vim ſuam amiſerunt ac noxia eſſe cœperunt, prætextu tamen juris quæſiti, ab iis, quorum intereſt, defenduntur, ſine iniquitate tollere in Civitatibus liceret.

CAPUT

CAP: VI.

De Tutela Illuſtri.

SUMMARIA.

Succedentium ætas imperfecta, tutelam requirit §. 1. quæ jure communi & proprio efformari ſolet §. 2. 3. apud Romanos tutela & Cura diſtingvebatur ſed in Germania diſcrimen fere negligitur §. 4. tutelæ illuſtris, cum plebeja, convenientia §. 5. definitio & ſumma capita §. 6. conſtitutio §. 7. defert tutelam anteceſſor §. 8. 9. etiam quoad ſucceſſores collaterales §. 10. non vero mater §. 11. modus dandi à libertate dependet §. 12. 13. deficiente Anteceſſoris proviſione, lex vocat agnatos §. 14. 15. 16. his quoque deficientibus judicia imperii tutores conſtituunt §. 17. tutela defertur habili §. 18. quoad pupillos vel minores, §. 19. tutelam delatam tutor acceptat §. 20. 21. & quid juris circa plures §. 22. tutelæ conſtitutæ effectus quoad tutorem, pupillum & extraneos §. 23. ſeqq. modi tollendi tutelam §. 27. 28. tutela finita, ratio reddenda eſt, §. 29.

§. 1.

SÆpe contingit, ut is, quem ſors ad Succeſſionem vocat, defectum ætatis patiatur, nec ſatis habile ſit Subjectum ſuſtinendæ exercendæq; Superioritati Territoriali, ſed aliorum potius auxilio indigeat.

Tute-

Tutelæ igitur *Illuſtris* ſumma capita, nunc etiam, velut in ſede propria, conſiderari debent.

§. 2. Ut hominibus imperfectæ ætatis, alius aſſiſtat, eorumque actiones moderetur, id, ex communi æquitatis utilitatisque principio, omnes homines intelligunt, & hactenus adeo *Tutela* eſt juris Gentium.

§. 3. Sicut autem Tutela omnibus Gentibus nota eſt, ac, in multis partibus, communi etiam jure naturali regitur, ita nonnunquam Gentes quædam, legibus ſuis poſitivis, eandem ſpecialius efformant, quæ apud alias non indiſtincte obtinent.

§. 4. Apud Romanos, ætas impubes & minor, quoad res agendas, diſcernebatur, hinc apud eos invaluit diſcrimen *Tutelæ & Curæ.* Sed apud Germanos, utraque ætas eodem fere loco habetur, adeoque Tutelæ & Curæ, differentia vel nulla vel modica, ſæpe certe non alia eſt, quam quæ, ex præjudiciis juris Romani, aſſeritur, *add.* LEHMAN. *Chr. Spir. l. 7. c. 26.*

§. 5. De cætero certum eſt, quod Tutela illuſtris iisdem, quibus plebeja conſtet capitibus: pupillorum enim imbecille eſt judicium, cujuscunque illi ſint conditionis. Interim non iisdem regulis, utraque tutela, per omnia, dirigitur, hinc, quoad illuſtrem, præ-

cipua difficultas, in recto legum privatarum uſu, conſiſtere videtur.

§. 6. Eſt Tutela hæc, *Jus & obligatio, Principis aliusve Status impuberis actiones dirigendi, ejusdemque bona rite adminiſtrandi.* Circa quàm (1.) ejus *conſtitutio* (2.) *effectus* & (3.) *duratio* expendi poſſunt.

§. 7. Conſtituitur tutela Imperantis impuberis, mutuo conſenſu, *delatione* ſcilicet eorum, penes quos ejus rei arbitrium eſt, & *acceptatione* futuri tutoris.

§. 8. Defert tutelam (1) *is qui rerum potitur*, nam illa libertas legibus fundamentalibus reſtricta non eſt, quod etiam de *Electoribus* dicendum, cum nec quoad eos, reſtrictio liquido ſatis doceri queat, *vid.* RHET. *J. J. P. l. 1. tit. 7. §. 9.* licet alii diſſentiant, prout notiſſima hanc in rem extat controverſia, *vid.* SCHWED. *ſect. 2. c. 3. §. 11. 12.* VITRIAR. *l. 3. tit. 11. §. 5.*

§. 9. Ex ſententia COCCEJ. *J. P. P. c. 29. §. 17. ſeqq.* Electoribus minoribus, in *A. B. c. 7.* ſaltem quoad *jus eligendi Cæſarem*, zur Verweſung des Chur-Ampts / conſtitutus eſt Tutor legitimus, cujus juri teſtamento derogari nequit, ſed quoad *ditiones Electorales*, liberum Tutoris teſtamento conſtituendi jus eſt. Sed vereor, ut illa diſtinctio rationibus & exemplis allatis ſatis probetur.

§. 10.

§. 10. Non tantum autem moriturus poſſeſſor *deſcendentibus*, ſed & *collateralibus*, tutorem conſtituere poteſt, neque enim illa datio, *à patria poteſtate*, ſed *ſuperioritate T.* dependet.

§. 11. Matri autem facultatem dandi tutorem, ob rationem modo datam, omnino negarem, licet diſſentiat ENGELBRECHT *in diſſert. de uſu jur. Roman. in quæſtion. jur. publ.* §. 37. abuſus, hanc in rem, legibus Romanis.

§. 12. Modus autem dandi, à dantis *libertate* dependet, cum legibus poſitivis ſit ſolutus, hinc teſtamento ſive ſolenni, ſeu minus ſolenni, datio præciſe fieri non debet, ſed quavis ultima voluntate fieri poteſt, licet hic etiam diſſentiat ENGELBRECHT *d. l.* §. *37. 38.*

§. 13. Confirmationem tamen judicialem vulgo neceſſariam dicunt, non quidem ob leges Romanas, ſed *Reform. Polit. de anno 1577. tit. 32. anno 1548. tit. 31. R. J. anno* 1570. §. 40. *vid.* VITRIAR. *l. 3. tit. 20.* §. *19.* HAHN. *ad* WESENB. *de tutel. n. 6.* quamvis hoc omne ad Status minores ſaltem pertinere videatur.

§. 14. Quod ſi tutor à defuncto datus non ſit, tum (2.) *lege agnatis tutelam immediatè deferri*, multi quidem ſine hæſitatione aſſerunt, *vid.* VITRIAR. *d. l.* §. *25.* eoque fine ſo-

lennes juris Romani textus congerunt ENGELBRECHT *d. diſſert. p. 1. §. 35. 39. 42.*

§. 15. Sed uti in aliis imperiis, ea res à populi voluntate dependet, ita in noſtro etiam, iſta cura, ad totam civitatem, pertinere cenſenda eſt, agnatis vel matre, legum Romanarum diſpoſitionem, nequicquam cauſaturis, niſi receptionem docuerint, *vid.* VINDIC. VITRIAR. CASTIG. §. *169.*

§. 16 Interim cum agnatorum interſit, quomodo territorium adminiſtretur, adeoque diſpoſitio juris civilis huc etiam quadrare videatur, præterea tam ob fluctuantem imperii ſtatum, quam ſolennem de magna juris illius autoritate errorem, facile fieri potuerit, ut jus Romanum huc etiam traheretur, atque ita ipſo uſu reciperetur, ideo, ſi hoc factum eſt, nolim iſti ordini amplius repugnare, matrem tamen, ut Tutricem legitimam, non admitttit COCCEJ. *J. P. P. c. 29. §. 8.*

§. 17. Delatione iſtis modis non facta, dubio procul (3.) *cura conſtituendi tutorem, ad Imperium pertinet*, quod hanc poteſtatem Cameræ imperiali & judicio aulico delegavit, *vid. O. C. p. 3. tit. 3.* cum autem iſta datio, ab autonomia Imperii noſtri, dependeat, fruſtra ei probandæ allegatur, *pr. J. de attil. tutor. v.* ENGELBR. *d. l.* §. *35.*

§. 18. Poterit tutela illuſtris, cuivis deferri,

ri, dummodo ei gerendæ par ſit, *habilitas & requiſita poſitiva* juris Romani, hic præciſe attendi non debent, cum dantes illis legibus non obſtringantur, hinc diſpoſitionem *Nov. 72. c. 1. 2.* haut obtinere puto. In ætate tamen Tutoris definienda, aliquas jus Romanum habere poteſt partes, *vid.* Rhet. *J. J. P. l. 1. tit. 7. §. 12.*

§. 19. Defertur tutela intuitu *pupilli* vel *minoris*, hæc enim hic coincidunt. Terminus autem imperfectæ ætatis in Electoribus eſt *annus XVIII.* completus *A. B. c. 7. vid.* Vitriar. *l. 3. tit. 11. §. 5. ſeqq.* rectiſſime autem idem ad alios Principes & Status fuiſſet applicatus, niſi ψευδερμηνεία Legiſtarum *annum XXV.* jure Romano ſtatutum, obſervari juſſiſſet, *vid.* Vitriar. *d. tit. 11. §. 8. l. 3. tit. 20. §. 28.* Vindic. Vitriar. Castig. §. *163. ſeqq.*

§. 20. Delatam tutelam tutor futurus *acceptat*, quo facto, actus perfectus eſt, confirmandus tamen decreto judiciali §. 13. aliaque præſtanda, quæ ad ſecuritatem pupilli pertinent, *R. J. de anno 1548. tit. 31. 1577. tit. 32. vid.* Lauterb. *Comp. Jur. de admin. tutor.* quamvis, in Statibus majoribus ea rigide obſervari, vix putem.

§. 21. Quæ de *petendis tutoribus*, ut & *Tutorum excuſationibus*, in jure Romano diſpoſita ſunt, ea, circa tutelam publicam, nullius

 uſus

uſus eſſe videntur, cum hæc non declinari, ſed ſollicite ambiri ſoleat.

§. 22. Qui quoad rem principalem Tutor conſtitutus eſt, acceſſoriorum, v. gr. bonorum allodialium, adminiſtrationem recte ſibi etiam vindicat, nec quoad hæc, proximiorem cognatum admittere tenetur. Quod ſi autem duo pluresve tutores conſtituti ſint, illi omnes adminiſtratione commiſſa fungentur. Tricarum juris Romani, an iſtis caſibus alter pro Tutore, alter pro Curatore habendus ſit? *vid.* RHET. *J. J. P. l. 1. tit. 7. §. 14.* COCCEJ. *c. 29. §. 9. ſeqq.* nullus eſt uſus.

§. 23. Tutela conſtituta, Tutor *poteſt & debet* eam rite adminiſtrare, *vid.* OBSERV. AD LAUTERB. *Obſerv. 812. 813. 822.* quam adminiſtrationem plures *obligationes reciprocæ* ſequuntur, quæ omnia naturalia ſunt, adeoque hic merito quoque locum habent.

§. 24. Ex facto igitur Tutoris, Pupillus illuſtris, contra alios jus acquirit, ac his quoque obligatur, *vid.* OBSERV. LAUTERBACH. *Obſerv. 816. 817. 818.* Inter ipſum etiam Tutorem & Pupillum, reciproca jura & obligationes oriuntur, *vid. d.* OBSERV. *Obſerv. 824. ſeqq.*

§. 25. Si tutor privatæ ſortis ſit, aut receptio ſpecialiter doceri queat, etiam leges Romanæ *poſitivæ* applicari poterunt. Hinc tacitum

tum pignus, in bonis Tutoris,forte non male aſſeritur, *vid* RHET. *J. J. P. l. 1. tit. 23. §. 1.*

§. 26. Stante tutela, ea quæ naturaliter pupillus agere nequit, nec ab illuſtri pupillo ſuſcipi poſſunt: Quæ vero lege poſitiva requiruntur,ea negligi poterunt, niſi ultro obſervanda exiſtimentur. Hinc actus à ſolo Pupillo ſuſceptus, non erit obligatorius. Utrum vero ſit ipſo jure nullus, an reſtitutione reſcindendus, *vid. Obſerv.* AD LAUTERB. *Obſerv. 123. n. 2.* forſitan otioſe hic diſputatur.

§. 27. Denique jus & obligatio Tutoris finietur, juxta præſcriptum juris gentium & legum germanicarum. Poſitiva in tutore privatæ conditionis, imo etiam tutore illuſtri, in quantum, pro vero Imperii ſubdito, haberi poteſt, locum invenient.

§. 28. Dubitandum igitur non eſt, quin *morte* Tutoris & pupilli, *majorennitate* hujus, *diei* vel *conditionis exiſtentia*, Tutela illuſtris finiatur. Ob *delictum* quoque ſuſpectus Tutor poterit removeri: Maternam tutelam *ſecundæ nuptiæ* tollent: *Pœnæ* jure poſitivo conſtitutæ, locum etiam intervenient.

§. 29. Tutela finita, geſtæ adminiſtrationis rationem eſſe reddendam, certum videtur, *vid.* RHET. *J. J. P. l. 1. tit. 23. §. 1*, eam tamen nec exigi, nec præſtari ſolere, admonet

COCCEJ. *J. P. P. c. 29. §. 14.* cujus rei ratio à peculiari adminiſtrandi modo fortaſſis dependet.

CAP. VII.

De Inveſtitura Feudorum Imperialium.

SUMMARIA.

Acquiſitionem Territoriorum originariam ſequitur inveſtitura §. 1. 2. 3. derivativam, inveſtituræ renovatio §. 4. hujus definitio §. 5. perſonæ eam peragentes §. 6. 7. ejus petendæ tempus §. 8. modus §. 9. partes §. 10. 11. conſectaria §. 12. effectus §. 13. ſeqq. inveſtitura non eſt cauſa Superioritatis territorialis §. 18. 19. non occurrit quoad civitates imperiales §. 20.

§. 1.

QUodſi quis acquiſitione originaria Territorium obtinuerit, tum à Cæſare ſolenniter *inveſtitur*. Licet autem inveſtitus hic de novo conſequatur Superioritatem Territorialem, illa tamen non ab *inveſtitura*, ſed potius *collatione præcedente*, quam Cæſaris Statuumque conſenſu fieri debere diximus, *c. 3. §. 7. ſeqq. h.* dependet.

§. 2. Prolixe ſatis de hac inveſtitura egit

ITTER.

Itter. *de F. I. c. 7. 8. 9.* ubi præmiſſis generalibus, ad originem, definitionem ac diviſionem inveſtituræ pertinentibns, materiam, perſonas, ritus, adjuncta & effectum perſequitur.

§. 3. Sed multa non tam primam inveſtituram, quam ejus potius renovationem concernunt, præterea circa Status Eccleſiaſticos, inveſtitura per baculum & annulum, quæ officium Epiſcopale reſpicit, cum inveſtitura, ad ipſa feuda pertinente, confunditur, denique effectus juramenti & inveſtituræ, ultra libertatem Statuum, ſæpe extenditur.

§. 4. Si quis autem electione vel ſucceſſione Territorium ſit conſecutus, tum opus eſt *renovatione inveſtituræ*, quæ itidem in caſu mutati Imperatoris eſt neceſſaria, *add.* Itter. *d. F. I. c. 11. §. 1. 2.*

§. 5. Eſt igitur renovatio inveſtituræ *actus, quo, in caſu mutati Imperatoris, vel Territorii poſſeſſoris, novus vel antiquus Imperator, poſſeſſori antiquo vel novo, prævia ejus petitione, intra annum, ſub pœna amiſſionis, facienda, jus territoriale eique connexa, præſtito fidelitatis juramento, neceſſario & ſolenniter confirmat.*

§. 6. In caſibus igitur habilibus, omnes Status, *vid.* Itter. *d. c. 11. §. 2. 37. c. 10. §. 7. 8. 9.* inveſtituram renovare debent. Archi-Duces tamen Auſtriæ & Reges Bohemiæ, ex-

tra Territoria ſua, vel ſimpliciter, vel ultra decimum quintum milliare germanicum, eam petere non tenentur, *vid.* VITRIAR. *l.* 2. *tit.* 1. §. 10. *l.* 3. *tit.* 12. §. 9. MONZAMB. *c.* 2. §. 4. ITTER. *c.* 9. §. 31.

§. 7. Facit inveſtituram Cæſar & quidem *neceſſario, Capit. Leopold. art.* 3. mediate vel immediate ITTER. *d. c.* 9. §. 12. 36. *c.* 11. §. 6. *locus* autem faciendæ inveſtituræ ab ejus arbitrio dependet, quemadmodum etiam *modus* hodie indiſtincte gladio fieri ſolet, VITRIAR. *d. tit.* 1. §. 10. 17. 18. ITTER. *c.* 9. §. 31. *c.* 11. §. 3.

§. 8. Petenda eſt inveſtitura intra annum, *Ord. Reg.* 1521. §. 4. vide tamen ITTER. *d. c.* 11. §. 4. 7. alias amiſſio feudi ſequitur, circa quam ſolennes quæſtiones, in jure feudali explicari ſolitæ, occurrunt, VITRIAR. *d. l.* §. 12. 13. 14. ITTER. *d. c.* 11. §. 5. Sed vix doctrina illa vulgaris libertati Statuum convenit.

§. 9. De cætero poteſt renovatio fieri *mediate*, per procuratorem, neque enim præſentiam perſonalem leges fundamentales præciſe requirunt, id quod etiam de prima inveſtitura dicendum, licet diſſentiat ob quædam exempla VITRIAR. *d. l.* §. 15. *vid.* VINDIC. VITRIAR. CASTIGAT. §. 170. *ſeqq. add.* ITTER. *d. c.* 9. §. 22. 23. 24. *c.* 11. §. 3. 8.

§. 10. Partes inveſtituræ ſunt *juramenti fidelitatis præſtatio & inveſtitura ſtricte dicta*,

VITRI-

VITRIAR. *d. l.* §. 17. 18. 20. ITTER. *d. c.* 9. §. 38. *ſeqq.* quæ certis *ſolennitatibus* peraguntur. *vid.* STRYCK. *append. ad E. J. F.* ITTER. *c.* 9. §. 29. *ſeqq. c.* 11. §. 3. *c.* 9. § 37. rectius omnis iſta res uſu, quam præceptis addiſcitur.

§. 11. De juramento, quod Vaſalli imperiales præſtant, diſputari ſolet, an *præter Vaſallagium, etiam ſubjectionem involvat, adeoque homagii quoque rationem habeat? vid.* ITTER. *d. c.* 9. §. 43. *ſeqq.* Verum ſi Scriptores ſerio libertatem Statuum expenderent, *Vaſallos*, non *ſubditos*, ſed *ſocios*, facile reperirent.

§. 12. Poſt inveſtituram, *literæ inveſtituræ*, traduntur & *certæ quantitatis ſolutio* ab inveſtito præſtari debet, *vid. A. B. tit.* 29. *J. P. art.* 5. §. 21. quæ latius iterum perſequitur ITTER. *d. c.* 11. §. 9. *ſeqq.*

§. 13. Primam inveſtituram non habere vim *veræ collationis* jam diximus §. 1. diſſentiente licet cum aliis ITTERO *d. c.* 9. §. 25. 48. 49. 50. Multo minus igitur iſta vis, renovatæ inveſtituræ, tribui poteſt, & certe jam, ante eam, jus territoriale cum annexis, competere Statibus imperiii, tot indiciis liquidum eſt, ut putidum ſit, iis velle obloqui.

§. 14. Nam Imperator non alia conditione eligitur, quam ſalvis Statuum juribus; præcepto manente Inſtrumenti Pacis obſtringitur,

tur, ad jura illa Statibus non danda, ſed relinquenda; omnia faciunt Status nondum inveſtiti, quæ inveſtiti, ipſe Cæſar à nondum inveſtitis Legatos recipit, iisque mittit, adeoque proprio teſtimonio oſtendit, eos jam eſſe ſui juris, *add.* ITTER. *d. c. 9. §. 26. 27. 28.*

§. 15. Imo ipſa amisſio feudi, in caſu inveſtituræ omiſſæ ſecutura, quam diſſentiens KULPISIUS *ad Monzamb. p. 2. c. 5. §. fin.* opponit, uti vim veræ collationis, inveſtituræ non conciliat, quod jam tum oſtenderat PUFENDORF. *de Republ. irregul. §. 13.* ita eam potius negat, nam ſi ante inveſtituram aliquid amitti poteſt, ubique ante eam jam adfuit, privatio enim præſupponit habitum, *add. §. 8. h.*

§. 16. Manifeſtum igitur eſt, renovatam inveſtituram, non *conferre* jus, ſed *confirmare*, ac pertinere ad *conditionem habendi*, quæ quidem non tam beneplacito Cæſaris, quam legibus fundamentalibus conſtituta ſit. Hinc etiam dubitandum non eſt, quin totus ille inveſtiturarum apparatus, vacante ſolio, à Statibus penitus tolli poſſit.

§. 17. Veritas noſtræ ſententiæ fit evidentior, ſi conſideres, quod ne quidem, in feudis mediatis, inveſtituræ renovatio, vim veræ collationis habeat; Et facile liquet, quod antiquiſſimis temporibus, quibus feudorum poſſeſſio erat precaria, Vaſallus quidem à renova-

novata inveſtitura omne jus habuerit, at poſtquam feuda, per certam ſucceſſionis vel electionis legem, in alios transmitti cœperunt, renovatio inveſtituræ, ultra habendi conditionem, extolli nequit, *add.* Jus feud. German. *c. 25. §. 32. 33.*

§. 18. Hinc etiam liquet, ineptam eſſe quæſtionem, *an inveſtitura Superioritatem, in Status, tranſire faciat cumulative, privative an ſubordinate?* quod ultimum plerisque neotericis placere teſtatur, Schwed *ſect. 2. c. 10. §. 8.* nam uti falſum illa continet *ſubjectum*, cum inveſtitura nihil transferat, ita nullum ex *prædicatis*, licet ad verum ſubjectum, ſeu veram Superioritatis cauſam, referatur, connexionem Territoriorum cum Imperio noſtro, perſpicue ſatis indicat.

§. 19. Superioritas T. eſt potius ab omni Subjectione libera, ejusque intuitu, Status *æquali vinculo* tam Cæſari, quam toti Imperio, connectuntur. Quod ſi vero ut nudi Magiſtratus, in certis caſibus, ſpectentur, aut etiam delinquant, tum *ſubordinationem & ſubjectionem* aſſerere licet, *vid. l. 3. c. 9. §. 2.3. 4.*

§. 20. Sicut autem Status Vaſalli, de ſuis Feudis inveſtiuntur, præſtito fidelitatis Juramento, ita Urbes Imperiales, novo Cæſari Homagium præſtare ſolent, *vid.* Lehm. *Chr. Spir. l. 4. c. 10.* de cujus effectu idem dicendum,

dum, quod modo de juramenti Vaſallitici
inveſtituræ efficacia diximus.

CAP. IIX.

De modis amittendi & extinguendi Superioritatem Territorialem.

SUMMARIA.

Amiſſio & extinctio Superioritatis territorialis §. 1. *m*
di amittendi §. 2. *ſeqq. modi extingvendi* §. 8.
in ſpecie eo pertinet exemtio partialis §. 10. *quæ*
verſo modo fit §. 11. 12. *ac in Germania frequens*
§. 13. *an pro ea præſumendum* §. 14. 15. *extingui*
etiam Superioritas, rei interitu & præſcriptione
16. 17. *nec non Incorporatione* §. 18. *ejus indoles* §.
20. 21. *modus & requiſita* §. 22. *effectus* §. 23.
contraria §. 25.

§. 1.

A*Miſſio* Superioritatem cer
ſubjecto ſaltem aufert; *e*
tinctio eam plane tollit,
tantum in Statibus ex u
perſona phyſica conſtan
bus locum habet, hæc
iam quoad civitates imperiales obtinet.

§. 2. *Amittitur* Superioritas T. *morte n*
turali, delicto, voluntaria abdicatione ſeu, ſt
vulg

ılgari, *refutatione*, *lapſu temporis*, & *forma-alienatione*; quatuor priores modi præſup-ɔnunt caſum ſuperſtitis ſucceſſoris, nam ıas fieret *extinctio*, *vid.* ITTER. *de F. I. c.* 22. 9. 10. *c.* 24. §. 2.

§. 3. Cæterum ſicut plerique modi rario-ɛs ſunt, ita quæ in ſpecie de delicto ſeu Felo-ia, ex jure feudali Longobardico, afferuntur, *id.* ITTER. *d. c.* 24. §. 3. *ſeqq.* libertati Proce-ɩum Germanicorum vix conveniunt, ceu et-ım ITTER. *d. l.* §. 4. ſubmonuit, hinc putem ɩtatum imperii, non aliter territorio privari ɔoſſe, quam ſi hoſtilem plane, erga Rempu-ɔlicam, induat animum.

§. 4. Ad voluntariam abdicationem, ɋuoad Status Eccleſiaſticos Proteſtantes, et-ıam pertinet *religionis mutatio*, cum enim Pontificii iniquitati Reſervati Eccleſiaſtici in-hæreant, ac Præſules ſuos, religionem mu-tantes, bonis injuſte ſpolient, per modum ju-ſtæ talionis ſancitum eſt, ut Proteſtantes, ad Papatum relapſi, bonis quoque ſuis excidant, *vid. l.* 2. *c.* 6. §. 23. *ſeqq.* 3. *c.* 4. §. 18. 19.

§. 5. Formalis alienatio, quam diximus, eſt, qua Superioritas conſtituta in alium, vo-luntate prioris poſſeſſoris, transfertur; differt ab *abdicatione*, quod illa futuri ſucceſſoris cu-ram gerat, de quo hæc non eſt ſollicita.

§. 6. Fit autem illa alienatio vel *expreſſe*, juxta

Digitized by Google

juxta requiſita *cap. 3. §. 26. ſeqq. h.* adducta, vel *tacite*, per *præſcriptionem*, quando quis alterius ſuperioritatem T. mediante poſſeſſione ſibi aſſerit, atque immemoriali tempore præſcribit. Differt hic caſus ab eo, quem retulimus, *c. 3. §. 17.* de cætero videtur eſſe rariſſimus.

§. 7. Aliquando etiam fit alienatio occaſione belli inteſtini. Quo loco quoad bona Eccleſiaſtica, tam mediata, quam immediata notandum, quod, ob turbas belli tricennalis, anno 1648. ſublati, reſtitutio eorum fiat ſecundum poſſeſſionem anni 1624. non quolibet tempore, ſed prima Januarii die, habitam: Nam quicquid eo tempore vel Proteſtantes vel Pontificii poſſederunt, illud etiam deinceps retinent, quicquid vero, poſt illum terminum, ſibi mutuo abſtulerunt, id ſibi invicem reddere debent, cætera amiſſa ſunt, *J. P. W. art. 5. §. 14. 15. 25. 26.*

§. 8. *Extinguitur* Superioritas T. *morte*; *voluntaria abdicatione & delicto*, ſi ſcil. ordinarius ſucceſſor non ſuperſit, per novam autem collationem, aliquando eadem *reſuſcitatur*, aliquando, Cæſare ſcil. feuda retinente, extra controverſiam conſtituta *Majeſtas*, ei ſuccedit, de quo actum *c. 3. §. 7. ſeqq.*

§. 9. Deinde *extinguitur* per *exemtionem totalem*, qua Status externo imperio ſubjicitur

Digitized by Google

ur, qui modus ad civitates imperiales etiam quadrat, quod in præcedentibus ſecus eſt. Ut autem legitimus & validus ſit, requiruntur ea, quæ diximus, *c. 3. §. 24. l. 1. c. 8.*

§. 10. Porro *tollitur* per *exemtionem partialem*, quam vocant, qua Status Statui ſubjicitur, ac ex Statu imperii, fit Status provincialis, quæ itidem omnis generis Status, ſed minores, afficere apta eſt.

§. 11. De cætero fieri poterit vel ob *delictum*, ſi Status delinquens, alteri in pœnam ſubjiciatur, vel *conſenſu expreſſo*, ſi, permittente Imperatore & Imperio, quis alteri ſe ſubjiciat; uterque modus rariſſimus videtur, vel per *uſurpationem*, quam immemorialis temporis poſſeſſio tandem confirmat.

§. 12. Vera autem ſunt hæc de *exemtione plena*, quæ ſubditum facit, id quod ex conſvetis ſubjectionis indiciis cognoſcitur, *vid.* VITRIAR. *l. 2. tit. 5. §. 8.* ab ea differt *minus plena*, quando Status, feudi vinculo, alteri obſtringitur, ſalva de cætero ejus immedietate, *vid.* EYBEN. *diſſert. de titul. Nobil.* §. *18.* quæ ipſa tamen, pro exemtione quali quali, non aliter haberi poteſt, quam ſi nexus feudalis Imperium reſpiciens, per eam tollatur.

§. 13. Uti autem conſtitutio Germaniæ, exercendis exemtionibus, maxime idonea eſt, ita exempla etiam frequentiſſima occurrunt,

Coccej. *J. P. P. c. 29.* §. *14.* cujus rei ratio à peculiari adminiſtrandi modo fortaſſis dependet.

CAP. VII.

De Inveſtitura Feudorum Imperialium.

SUMMARIA.

Acquiſitionem Territoriorum originariam ſequitur inveſtitura §. 1. 2. 3. derivativam, inveſtituræ renovatio §. 4. hujus definitio §. 5. perſonæ eam peragentes §. 6. 7. ejus petendæ tempus §. 8. modus §. 9. partes §. 10. 11. conſectaria §. 12. effectus §. 13. ſeqq. inveſtitura non eſt cauſa Superioritatis territorialis §. 18. 19. non occurrit quoad civitates imperiales §. 20.

§. 1.

QUodſi quis acquiſitione originaria Territorium obtinuerit, tum à Cæſare ſolenniter *inveſtitur*. Licet autem inveſtitus hic de novo conſequatur Superioritatem Territorialem, illa tamen non ab *inveſtitura*, ſed potius *collatione præcedente*, quam Cæſaris Statuumque conſenſu fieri debere diximus, *c. 3. §. 7. ſeqq. h.* dependet.

§. 2. Prolixe ſatis de hac inveſtitura egit Itter.

ITTER. *de F. I.c. 7. 8. 9.* ubi præmiſſis generalibus, ad originem, definitionem ac diviſionem inveſtituræ pertinentibus, materiam, perſonas, ritus, adjuncta & effectum perſequitur.

§. 3. Sed multa non tam primam inveſtituram, quam ejus potius renovationem concernunt, præterea circa Status Eccleſiaſticos, inveſtitura per baculum & annulum, quæ officium Epiſcopale reſpicit, cum inveſtitura, ad ipſa feuda pertinente, confunditur, denique effectus juramenti & inveſtituræ, ultra libertatem Statuum, ſæpe extenditur.

§. 4. Si quis autem electione vel ſucceſſione Territorium ſit conſecutus, tum opus eſt *renovatione inveſtituræ,* quæ itidem in caſu mutati Imperatoris eſt neceſſaria, *add.* ITTER. *d. F. I. c. 11. §. 1. 2.*

§. 5. Eſt igitur renovatio inveſtituræ *actus, quo, in caſu mutati Imperatoris, vel Territorii poſſeſſoris, novus vel antiquus Imperator, poſſeſſori antiquo vel novo, prævia ejus petitione, intra annum, ſub pœna amiſſionis, facienda, jus territoriale eique connexa, præſtito fidelitatis juramento, neceſſario & ſolenniter confirmat.*

§. 6. In caſibus igitur habilibus, omnes Status, *vid.* ITTER. *d. c. 11. §. 2. 37. c. 10. §. 7. 8. 9.* inveſtituram renovare debent. Archi-Duces tamen Auſtriæ & Reges Bohemiæ, ex-

tra Territoria ſua, vel ſimpliciter, vel ultra decimum quintum milliare germanicum, eam petere non tenentur, *vid.* VITRIAR. *l.* 2. *tit.* 1. §. 10. *l.* 3. *tit.* 12. §. 9. MONZAMB. *c.* 2. §. 4. ITTER. *c.* 9. §. 31.

§. 7. Facit inveſtituram Cæſar & quidem *neceſſario*, *Capit. Leopold. art.* 3. mediate vel immediate ITTER. *d. c.* 9. §. 12. 36. *c.* 11. §. 6. *locus* autem faciendæ inveſtituræ ab ejus arbitrio dependet, quemadmodum etiam *modus* hodie indiſtincte gladio fieri ſolet, VITRIAR. *d. tit.* 1. §. 10. 17. 18. ITTER. *c.* 9. §. 31. *c.* 11. §. 3.

§. 8. Petenda eſt inveſtitura intra annum, *Ord. Reg.* 1521. §. 4. vide tamen ITTER. *d. c.* 11. §. 4. 7. alias amiſſio feudi ſequitur, circa quam ſolennes quæſtiones, in jure feudali explicari ſolitæ, occurrunt, VITRIAR. *d. l.* §. 12. 13. 14. ITTER. *d. c.* 11. §. 5. Sed vix doctrina illa vulgaris libertati Statuum convenit.

§. 9. De cætero poteſt renovatio fieri *mediate*, per procuratorem, neque enim præſentiam perſonalem leges fundamentales præciſe requirunt, id quod etiam de prima inveſtitura dicendum, licet diſſentiat ob quædam exempla VITRIAR. *d. l.* §. 15. *vid.* VINDIC. VITRIAR. CASTIGAT. §. 170. *ſeqq. add.* ITTER. *d. c.* 9. §. 22. 23. 24. *c.* 11. §. 3. 8.

§. 10. Partes inveſtituræ ſunt *juramenti fidelitatis præſtatio & inveſtitura ſtricte dicta*, VITRI-

Digitized by Google

VITRIAR. *d. l.* §. 17. 18. 20. ITTER. *d. c.* 9. §. 38. *ſeqq.* quæ certis *ſolennitatibus* peraguntur. *vid.* STRYCK. *append. ad E. J. F.* ITTER. *c.* 9. §. 29. *ſeqq. c.* 11. §. 3. *c.* 9. §. 37. rectius omnis iſta res uſu, quam præceptis addiſcitur.

§. 11. De juramento, quod Vaſalli imperiales præſtant, diſputari ſolet, an *præter Vaſallagium, etiam ſubjectionem involvat, adeoque homagii quoque rationem habeat? vid.* ITTER. *d. c.* 9. §. 43. *ſeqq.* Verum ſi Scriptores ſerio libertatem Statuum expenderent, *Vaſallos*, non *ſubditos*, ſed *ſocios*, facile reperirent.

§. 12. Poſt inveſtituram, *literæ inveſtituræ*, traduntur & *certæ quantitatis ſolutio* ab inveſtito præſtari debet, *vid. A. B. tit.* 29. *J. P. art.* 5. §. 21. quæ latius iterum perſequitur ITTER. *d. c.* 11. §. 9. *ſeqq.*

§. 13. Primam inveſtituram non habere vim *veræ collationis* jam diximus §. 1. diſſentiente licet cum aliis ITTERO *d. c.* 9. §. 25. 48. 49. 50. Multo minus igitur iſta vis, renovatæ inveſtituræ, tribui poteſt, & certe jam, ante eam, jus territoriale cum annexis, competere Statibus imperiii, tot indiciis liquidum eſt, ut putidum ſit, iis velle obloqui.

§. 14. Nam Imperator non alia conditione eligitur, quam ſalvis Statuum juribus; præcepto manente Inſtrumenti Pacis obſtringitur,

tur, ad jura illa Statibus non danda, ſed relinquenda; omnia faciunt Status nondum inveſtiti, quæ inveſtiti, ipſe Cæſar à nondum inveſtitis Legatos recipit, iisque mittit, adeoque proprio teſtimonio oſtendit, eos jam eſſe ſui juris, *add.* ITTER. *d. c. 9. §. 26. 27. 28.*

§. 15. Imo ipſa amisſio feudi, in caſu inveſtituræ omiſſæ ſecutura, quam diſſentiens KULPISIUS *ad Monzamb. p. 2. c. 5. §. fin.* opponit, uti vim veræ collationis, inveſtituræ non conciliat, quod jam tum oſtenderat PUFENDORF. *de Republ. irregul. §. 13.* ita eam potius negat, nam ſi ante inveſtituram aliquid amitti poteſt, ubique ante eam jam adfuit, privatio enim præſupponit habitum, *add. §. 8. h.*

§. 16. Manifeſtum igitur eſt, renovatam inveſtituram, non *conferre* jus, ſed *confirmare*, ac pertinere ad *conditionem habendi*, quæ quidem non tam beneplacito Cæſaris, quam legibus fundamentalibus conſtituta ſit. Hinc etiam dubitandum non eſt, quin totus ille inveſtiturarum apparatus, vacante ſolio, à Statibus penitus tolli poſſit.

§. 17. Veritas noſtræ ſententiæ fit evidentior, ſi conſideres, quod ne quidem, in feudis mediatis, inveſtituræ renovatio, vim veræ collationis habeat; Et facile liquet, quod antiquiſſimis temporibus, quibus feudorum poſſeſſio erat precaria, Vaſallus quidem à renova-

novata inveſtitura omne jus habuerit, at poſtquam feuda, per certam ſucceſſionis vel electionis legem, in alios transmitti cœperunt, renovatio inveſtituræ, ultra habendi conditionem, extolli nequit, *add.* JUS FEUD. GERMAN. *c.* 25. §. 32. 33.

§. 18. Hinc etiam liquet, ineptam eſſe quæſtionem, *an inveſtitura Superioritatem, in Status, tranſire faciat cumulative, privative an ſubordinate?* quod ultimum plerisque neotericis placere teſtatur, SCHVVED *ſect.* 2. *c.* 10. §. 8. nam uti falſum illa continet *ſubjectum*, cum inveſtitura nihil transferat, ita nullum ex *prædicatis*, licet ad verum ſubjectum, ſeu veram Superioritatis cauſam, referatur, connexionem Territoriorum cum Imperio noſtro, perſpicue ſatis indicat.

§. 19. Superioritas T. eſt potius ab omni Subjectione libera, ejusque intuitu, Status *æquali vinculo* tam Cæſari, quam toti Imperio, connectuntur. Quod ſi vero ut nudi Magiſtratus, in certis caſibus, ſpectentur, aut etiam delinquant, tum *ſubordinationem & ſubjectionem* aſſerere licet, *vid. l.* 3. *c.* 9. §. 2. 3. 4.

§. 20. Sicut autem Status Vaſalli, de ſuis Feudis inveſtiuntur, præſtito fidelitatis Juramento, ita Urbes Imperiales, novo Cæſari Homagium præſtare ſolent, *vid.* LEHM. *Chr. Spir. l.* 4. *c.* 10. de cujus effectu idem dicendum,

dum, quod modo de juramenti Vaſallitici inveſtituræ efficacia diximus.

CAP. IIX.

De modis amittendi & extinguendi Superioritatem Territorialem.

SUMMARIA.

Amiſſio & extinctio Superioritatis territorialis §. 1. m di amittendi §. 2. ſeqq. modi extingvendi §. 8. in ſpecie eo pertinet exemtio partialis §. 10. quæ verſo modo fit §. 11. 12. ac in Germania frequens §. 13. an pro ea præſumendum §. 14. 15. extinguit etiam Superioritas, rei interitu & præſcriptione 16. 17. nec non Incorporatione §. 18. ejus indoles §. 20. 21. modus & requiſita §. 22. effectus §. 23. 2 contraria §. 25.

§. 1.

A*Miſſio* Superioritatem cer ſubjecto ſaltem aufert; *ex tinctio* eam plane tollit, *i* tantum in Statibus ex u perſona phyſica conſtant bus locum habet, hæc e iam quoad civitates imperiales obtinet.

§. 2. *Amittitur* Superioritas T. *morte n turali, delicto, voluntaria abdicatione* ſeu, ſti vulga

vulgari, *refutatione*, *lapſu temporis*, & *formali alienatione*; quatuor priores modi præſupponunt caſum ſuperſtitis ſucceſſoris, nam alias fieret *extinctio*, *vid.* ITTER. *de F. I. c.* 22. §. 9. 10. *c.* 24. §. 2.

§. 3. Cæterum ſicut plerique modi rariores ſunt, ita quæ in ſpecie de delicto ſeu Felonia, ex jure feudali Longobardico, afferuntur, *vid.* ITTER. *d. c.* 24. §. 3. *ſeqq.* libertati Procerum Germanicorum vix conveniunt, ceu etiam ITTER. *d. l.* §. 4. ſubmonuit, hinc putem Statum imperii, non aliter territorio privari poſſe, quam ſi hoſtilem plane, erga Rempublicam, induat animum.

§. 4. Ad voluntariam abdicationem, quoad Status Eccleſiaſticos Proteſtantes, etiam pertinet *religionis mutatio*, cum enim Pontificii iniquitati Reſervati Eccleſiaſtici inhæreant, ac Præſules ſuos, religionem mutantes, bonis injuſte ſpolient, per modum juſtæ talionis ſancitum eſt, ut Proteſtantes, ad Papatum relapſi, bonisquoque ſuis excidant, *vid. l.* 2. *c.* 6. §. 23. *ſeqq.* 3. *c.* 4. §. 18. 19.

§. 5. Formalis alienatio, quam diximus, eſt, qua Superioritas conſtituta in alium, voluntate prioris poſſeſſoris, transfertur; differt ab *abdicatione*, quod illa futuri ſucceſſoris curam gerat, de quo hæc non eſt ſollicita.

§. 6. Fit autem illa alienatio vel *expreſſe*,

juxta

juxta requiſita *cap. 3. §. 26. ſeqq. h.* adducta, vel *tacite*, per *præſcriptionem*, quando quis alterius ſuperioritatem T. mediante poſſeſſione ſibi aſſerit, atque immemoriali tempore præſcribit. Differt hic caſus ab eo, quem retulimus, *c. 3. §. 17.* de cætero videtur eſſe rariſſimus.

§. 7. Aliquando etiam fit alienatio occaſione belli inteſtini. Quo loco quoad bona Eccleſiaſtica, tam mediata, quam immediata notandum, quod, ob turbas belli tricennalis, anno 1648. ſublati, reſtitutio eorum fiat ſecundum poſſeſſionem anni 1624. non quolibet tempore, ſed prima Januarii die, habitam: Nam quicquid eo tempore vel Proteſtantes vel Pontificii poſſederunt, illud etiam deinceps retinent, quicquid vero, poſt illum terminum, ſibi mutuo abſtulerunt, id ſibi invicem reddere debent, cætera amiſſa ſunt, *J. P. W. art. 5. §. 14. 15. 25. 26.*

§. 8. *Extinguitur* Superioritas T. *morte*; *voluntaria abdicatione & delicto*, ſi ſcil. ordinarius ſucceſſor non ſuperſit, per novam autem collationem, aliquando eadem *reſuſcitatur*, aliquando, Cæſare ſcil. feuda retinente, extra controverſiam conſtituta *Majeſtas*, ei ſuccedit, de quo actum *c. 3. §. 7. ſeqq.*

§. 9. Deinde *extinguitur* per *exemtionem totalem*, qua Status externo imperio ſubjicitur

tur, qui modus ad civitates imperiales etiam quadrat, quod in præcedentibus ſecus eſt. Ut autem legitimus & validus ſit, requiruntur ea, quæ diximus, *c. 3. §. 24. l. 1. c. 8.*

§. 10. Porro *tollitur* per *exemtionem partialem,* quam vocant, qua Status Statui ſubjicitur, ac ex Statu imperii, fit Status provincialis, quæ itidem omnis generis Status, ſed minores, afficere apta eſt.

§. 11. De cætero fieri poterit vel ob *delictum*, ſi Status delinquens, alteri in pœnam ſubjiciatur, vel *conſenſu expreſſo*, ſi, permittente Imperatore & Imperio, quis alteri ſe ſubjiciat; uterque modus rariſſimus videtur, vel per *uſurpationem*, quam immemorialis temporis poſſeſſio tandem confirmat.

§. 12. Vera autem ſunt hæc de *exemtione plena*, quæ ſubditum facit, id quod ex conſvetis ſubjectionis indiciis cognoſcitur, *vid.* VITRIAR. *l. 2. tit. 5. §. 8.* ab ea differt *minus plena,* quando Status, feudi vinculo, alteri obſtringitur, ſalva de cætero ejus immedietate, *vid.* EYBEN. *diſſert. de titul. Nobil. §. 18.* quæ ipſa tamen, pro exemtione quali quali, non aliter haberi poteſt, quam ſi nexus feudalis Imperium reſpiciens, per eam tollatur.

§. 13. Uti autem conſtitutio Germaniæ, exercendis exemtionibus, maxime idonea eſt, ita exempla etiam frequentiſſima occurrunt,

ſed magnam partem dubia, Statu minore ac Fiſcali imperii, pro libertate pugnantibus, Potentiori vero ſemel apprehenſum arctius ſibi obſtringere cupiente, *vid.* VITRIAR. *d. l.* §. 4. KULPIS. *ad Monzamb. c.* 2. §. 1. *p.* 213. §. 12. *p.* 581. LIMN. *J. P. l.* 1. *c.* 7. *n.* 73. & *Tom.* 1. *addit. d. c.* 7. *n.* 73. MAURITI *de matric.* §. 40.

§. 14. In genere putarem, *in dubio pro exemtione eſſe pronunciadum*, cum enim imperium imbelle reddatur, ſi in tot corpora exigua divellatur, imo Solœciſmus ille politicus, quo in civitate omnes propemodum ſui juris eſſe, & imperare volunt, tantum non ad interitum civitates diſponat, ideo illa decſio juſtiſſima in dubio cenſeri debet, quæ vires ac potentiam imperii alio modo conſervat.

§. 15. Cæterum uti illa non aliter procedunt, quam ſi majora etiam Corpora morbum caveant, vel admiſſum tollant, ita alii ex regulis monarchicis, quæ tamen minime omnium Germaniæ conveniunt, aliter hic pronunciandum eſſe exiſtimant, *vid.* ITTER. *de F. J. c.* 8. §. 29.

§. 16. *Extinguitur* etiam Superioritas Territorialis *rei interitu*, *vid.* ITTER. *d. tr. c.* 24. §. 2. *in fin.* ut & *præſcriptione*, ſi ſcilicet Status imperii, in plenam libertatem ſe vindicet, ac in ea per immemoriale tempus perſiſtat, tum enim Superioritas in plenam mutabitur Ma-

jeſta-

jeſtatem, ſed & hic caſus rariſſimus videtur, *conf.* ITTER. *d. c.* 24. §. 2. *in fin.* §. 15. *in fin.*

§. 17. Vario igitur fine & effectu Præſcriptio hic occurrere poteſt. Aliquando ex Statu provinciali, facit Statum imperii, de quo *c. 3.* §. 17. aliquando Superioritatem T. transfert §. 6. *h.* nonnunquam Statum imperii alteri ſubjicit §. 11. *h.* aliquando Superioritatem in plenam Majeſtatem convertit §. 16. *h.*

§. 18. Tandem etiam *tollitur* vel *alteratur* Superioritas T. per *Incorporationem*, de qua exſtat *Diſſertatio* LEHMANNI *hab. Helmſtad.* 1687. *add.* ITTER. *de F. I. c.* 8. §. 19. *ſeqq.* Si generalius illa accipiatur, vel refertur ad *provincias aut præfecturas unius Territorii*, vel ad *diſtincta Territoria eorumque partes.*

§. 19. Illo reſpectu eſt *conjunctio provinciarum, circulorum vel præfecturarum, ad unum regimen ſubalternum.* Hoc vero iterum duplex eſt, vel *impropria*, quando *plura Territoria ſub eodem Imperante ſaltem conjunguntur*, quæ non tam Incorporatio quam ſyſtematica potius conjunctio eſt, vel *propria*, *qua diverſa territoria, ad unam ſuperioritatem Territorialem connectuntur*, quæ præcipue huc pertinet.

§. 20. Incorporatio impropria uti electione & ſucceſſione contingere ſolet ac, ſi modi illi legibus fundamentalibus probati ſint, nihil

nihil inſuper requirit, ita Territoriis conjunctis, quamdiu res in illis terminis manet, nullam plane affert mutationem, *add.* ITTER. *d. c.* 8. §. 20. 28.

§. 21. Incorporationis propriæ formale conſiſtit in *unione Territoriorum ad unum regimen ſummum.* De cætero nihil referre arbitramur, ſive Territoria ſint æqualia, ſive inæqualia, feudalia an allodialia, integra an diſcerpta, propria an aliena, nam hæc etiam Imperio eximi, aliique Territorio inſeri poſſunt, quo ſenſu Incorporatio cum Exemtione coincidit.

§. 22. Poterit autem fieri vel *tacite*, per uſurpationem, quam lapſus immemorialis temporis confirmat, *vid.* ITTER. *d. c.* 8. §. 23. vel *expreſſe*, ad quam incorporationem, Cæſaris conſenſum requirunt, ITTER. *d. c.* 8. §. 19. Alii in ditionibus propriis, ſolo Domini Territorialis conſenſu, eam fieri poſſe cenſent, *vid.* LEHM. *d. diſſert.* §. 35. *ſeqq. add.* ITTER. *d. c.* 8. §. 22. ſed rectius fortasſis conſenſum Comitialem exegeris.

§. 23. Effectus proprius & neceſſarius Incorporationis eſt, ut *plures ditiones ſub uno regimine ſummo conjungantur.* Reliqui effectus ſunt occidentales adeoque adeſſe & deficere poſſunt, hinc diverſitas conventionis vel uſurpationis erit reſpicienda. In dubio effectus

ıs accidentales videntur negandi, quanam lapſus temporis multa mutare queat. §. 24. Sic, facta incorporatione, diverſa norum qualitas neceſſario non tollitur, le:s, privilegia, inſtituta, ſubalterna administrandi ratio, ſimiliaque, in ditionibus incorporatis, ſalva manere poſſunt, *add.* ITTER. *l.* §. *21. ſeqq.* LEHMAN. *d. diſſert.* §. *47. ſeqq.* no titulus & votum Comitiale territorii incorporati, non raro ſupereſſe ſolent, *vid.* LEHM. *d. l.* §. *49.* IMHOF. *Notit. Proc. imper.* *4. c. 4. in fin.* EKSTORM. *Chron. Walckenied. p. 342.* ITTER. *d. l.* §. *24.*

§. 25. Territoria incorporata, non facile poſſe iterum divelli, vulgo putant, *v.* ITTER. *l.* §. *24.* LEHM. *d. diſſert.* §. *61.* ſed videtur hoc omne ex qualitate ditionum unitarum, diviſibiles illæ ſint, nec ne, dependere. De commodis & incommodis incorporationis *vid.* ITTER. *d. l.* §. *29.* LEHM. §. *64. ſeqq.* repeterem ſententiam §. *14. 15. h.* propoſitam.

CAP. IX.

De conditione Statuum imperii privata.

SUMMARIA.

Status imperii ſingulares, vel ut Imperantes vel ut privati ſpectantur §. 1. de privata conditione quadam

dam dicenda §. 2. ſermo non eſt de perſonis illuſtribus imperio deſtitutis §. 3. ad privatam Statuum imperii conditionem pertinent matrimonia §. 4. 5. 6. patria poteſtas §. 7. 8. 9. adoptiones §. 10. circa quas ſolennia juris civilis non ſunt obſervanda §. 11. 12. 13. 14. porro emancipationes §. 15. tutelæ §. 16. teſtamenta §. 17. 18. hæredum inſtitutiones §. 19. an Princeps litis cauſa, hæres poſſit inſtitui §. 20. dominia aliaque jura privata §. 21. 22. contractus §. 23. ludi §. 24. præſcriptiones §. 25. delicta §. 26. lites forenſes §. 27.

§. 1.

STatus imperii ſingulares, poſſe vel ut *Imperantes*, vel *Privatos* ſpectari, ac illo reſpectu, ad *Juris publici*, hoc autem, ad *privati Diſciplinam* pertinere, adeoque multum intereſſe inter *leges publicas*, ac *privatas Statibus imperii applicatas*, id omne, oſtenſa etiam quoad ſingulos reſpectus, legum privatarum autoritate, ad liquidum ſatis eſt deductum, *l. 1. c. 1. §. 42. ſeqq. l. 2. c. fin.*

§. 2. Dum igitur hactenus Status, ut Imperantes, exhibuimus, inſtituto ſatisfactum eſt, cætera ad Jus privatum referenda ſunt: Quia tamen Jurisprudentia privata non, prout par erat, inſtructa eſt, ideo nec incongruum, nec ingratum erit, ſi nonnulla, ad privatam

n Statuum imperii conditionem pertinen-
, per ſaturam velut, recenſeamus.

§. 3. De Fœminis illuſtribus, vel Princi-
um regentium liberis, aut Principibus apa-
giatis jam non agimus, hos enim jure priva-
uti, certum eſt, cum Juri Territoriali ſub-
nt adeoque ſubditorum claſſe cenſeantur,
uanquam, ob conditionem illuſtrem, ar-
tamque, quæ iis, cum Domino Territoriali
nonnunquam intercedit, ſocietatem, diſpen-
ātio facile intervenire queat, *add.* RHET. *J. J. P. l. 1. tit.* 22. §. 8. *ſeqq.*

§. 4. Status imperii quod attinet, habent illi cum privatis hoc commune, quod uxores ducant, hinc quæ de *matrimonio*, in Jure privato traduntur, etiam ad Principes pertinent, ſed ita ut leges ſaltem divinas iis applicemus, id quod experientia ſatis etiam confirmat. Aliquando tamen ultro legibus humanis ſe ſubmittunt, quod exemplo Hierologiæ intelligitur.

§. 5. De eo etiam dubitari non debet, quin leges publicæ aliquando, matrimonii intuitu, aliquid diſponere queant, v. gr. ne Princeps nobilem vel Plebejam uxorem ducat, quo ſenſu illud ad Jus publicum pertinet, *v. ſupr. c.* 4. §. 10. *add.* RHET. *J. J. P. l.* 1. *tit.* 21. §. 9. *ſeqq.* Ex hoc genere etiam eſt quæſtio: *An fœmina princeps, ac Superioritate Territoriali*

gaudens, in ineundo matrimonio, Cæſaris, ac Statuum Provincialium conſenſum adhibère debeat? quæ regulariter neganda, *add.* RHET. *d. tit. 21. §. 1. 20.*

§. 6. Habent etiam inter Conjuges illuſtres locum *plebejorum conjugum jura*, nec leges humanas averſabitur Maritus, cum ei lucrum afferant. Hinc habebit uſumfructum in bonis uxoris, iis in locis, ubi ille alias receptus eſt. Interim negandum non eſt, quin jura Conjugum illuſtrium, ſæpe conventionibus ſpecialibus determinentur, ac adeo à regulis vulgaribus abeant, imo publicas quoque rationes attingant, ceu innui, *c. 4. §. 49. ſeqq. h.*

§. 7. Competit etiam, ad exemplum Privatorum, Principibus imperii, *Poteſtas Patria in liberos, vid.* RHET. *J. J. P. l. 1. tit. 20. §. 1.* cum *conſvetis effectibus*, nam hos, licet ex legibus humanis ſint, utpote ſibi utiles, facile admittet Pater illuſtris, hinc habebit v. gr. uſumfructum in bonis liberorum adventitiis.

§. 8. Poterit etiam patria poteſtas, quoad liberos illegitimos, ſeu naturales, Principibus aſſeri, licet alii diſſentiant, *vid.* RHET. *d. tit. 20. §. 2.* nam ſicut Pater, ut Dominus Territorialis, eos poteſt reddere legitimos, ita Eidem poteſtatem patriam in illos aſſerere nihil vetat.

§. 9.

. 9. De eo etiam dubitandum non vide-
quin Pater illuſtris, effectus Patriæ pote-
is magis extendere poſſit, adeo ut v. gr. fi-
ne quidem in bonis caſtrenſibus plenum
ninium aut facultatem teſtandi habeat,
quamdiu tale quid diſerte conſtitutum
eſt, tamdiu filius recte utitur jure com-
ni.

10. Ut alii Imperantes, ita etiam impe-
rincipes, liberos *adoptare* poſſunt, qua de
egi meretur, Kulpisii *Diſſert. de Adopt.*
mancip. Princip. hab. Argentor. 1686. Ha-
t etiam regulariter talis adoptio eos effe-
, qui in jure privato proditi ſunt, niſi alios
lucere, diſerte adoptanti placuerit. Illud
n certum eſt, quod ad eos effectus, qui
ptantis arbitrio unice non ſubſunt, v. gr.
eſſionem in Territorium, aut illuſtrem
litionem, ubique valituram, adoptio ex-
i nequeat, niſi eorum, quorum intereſt,
enſus quoque accedat.

11. Ex principio ſupra firmato, ſine hæ-
one aſſerimus, quod Princeps adoptans,
nia juris civilis præciſe obſervare non
tur, circa quod alias more ſuo fluctuant
pretes. Kulpis. *d. diſſert.* §. 43. ſenten-
illam admittit in *Principibus Superiorem*
ecognoſcentibus, eamque exemplis am-
§. 44. illuſtrat, circa quæ facile conſen-

§. 12. Aſt circa Principes imperii diſtingvendum putat, inter adoptiones *privatas & publicas*, ac in *illis*, Principes Germaniæ, ad leges Romanas, non adſtringi cum hactenus Principibus, Superiorem non recognoſcentibus exæquentur, in *his* vero, ſi non præciſe neceſſarium, ſaltem tutius & conſultius eſſe, ut formulam juris Romani illi ſequantur, amplius cenſet, *d. l.* §. *45. ſeqq.*

§. 13. Enim vero diſtinctio ipſa, in ſe quidem bona, ſed hic minime neceſſaria eſt, hinc etiam ejus applicatio ſubſiſtere nequit, nam uti ipſe KULPISIUS, quoad ſolennitatum Romanarum neceſſitatem, judicium tandem ſuſpendit, ita rationes §. 45. pro illa allatæ, rem non conficiunt, nam (1.) *laudata Statuum imperii ſubjectio*, non eſt *univerſalis*, ſed exſerit ſe ſaltem in *caſu neglecti officii*, adeoque ad faciendas adoptiones minime pertingit, hinc etiam (2.) *leges Romanæ in judiciis imperii non aliter ſunt obſervandæ*, quam in *proceſſu & pœnis*, cætera ex falſis præjudiciis aſſeruntur.

§. 14. Præterea incongruum eſt, in adoptionibus privatis majorem aſſerere libertatem Statibus imperii, quam in publicis, nam ſi ſubditi ſunt, prout hic ſupponitur, tum ſubjectio etiam impediet, ne in actibus privatis illi ſui juris ſint, hinc tam abrupte dici

non

n poteſt, quod *Principibus, Superiorem non* *ognoſcentibus, hactenus exæquentur.* Præ-ea cum adoptio publica non niſi cum Rei-blicæ & Cæſaris conſenſu fieri queat, quis, poſito, ſolennitates juris Romani amplius ceſſarias credat?

§. 15. Porro etiam Principes imperii, libe-s poſſunt *emancipare,* quod, exemplo Co-itum Löwenſteinenſium, inprimis illuſtra-ir, *d. diſſert. §. 56. ſeqq. & in append.* nec cre-iderim, emancipationes præciſe in judiciis nperii, aut Cæſaris Reſcriptio fieri debere, ed poſſe eas etiam à ſolis Statibus fieri. De æterò emancipatio patriam poteſtatem ſo-um tollit, nam agnatio, aliaque inde depen-lentia, ne quidem, quoad homines privatos, n Germania, per eam tolluntur.

§. 16. Non minus etiam in rebus patri-monialibus, Status imperii *Tutores* liberis da-re poſſunt, nec opus erit, ut requiſita juris ci-vilis præciſe obſervent, ob rationem ſolen-nem ſupra inculcatam. De cætero ſæpe Tu-tela illuſtris, ad res etiam patrimoniales ex-tenditur, adeoque privatam velut abſorbet, de quo dictum *c. 6. §. 22.*

§. 17. In *Teſtamentis privatis* itidem Prin-cipes imperii, legibus civilibus non ſubſunt, hinc ſcrupuloſæ ſolennitates tam externæ, quam internæ, ab ipſis negligi poterunt. Hinc pos-

poſſunt pro parte teſtati & inteſtati decedere liberis, ſine proprio teſtamento, aut etiam poſt pubertatem directo ſubſtituere, eos vel inſtituere, vel exhæredare aut ſilentio præterire &c.

§. 18. In ſpecie putem, Eos ad legitimam liberis relinquendam præciſe non teneri, hinc excluſio etiam, ſine aliqua cauſa, fieri poterit, adeoque teſtamenta neque querelæ nullitatis, neque inofficioſi ſubjecta erunt, niſi ex voluntate teſtantis.

§. 19. Poteſt etiam Princeps *inſtitui hæres*, ubi tamen ſubditi leges poſitivas obſervare tenentur, quamdiu aliud non eſt conſtitutum. Inſtitutio igitur teſtamento imperfecto facta, non valebit, licet enim Princeps leges in futurum mutare poſſit, attamen, ob legem hactenus non mutatam, jus hæredibus ab inteſtato, lege etiam naturali eſt quæſitum, quod adeo, invitis non eſt eripiendum.

§. 20. Quod ſi Princeps, litis cauſa, hæres inſtituatur, tum, ſi nulla lex hactenus diſerte id prohibuerit, generoſum quidem eſt, hæreditatem repudiare, non tamen illicitum, eam admittere, quorſum pertinet oratio Pertinacis §. *fin. J. quib. mod. teſtam. infirm.* aſt ſi lex talis adſit, quamdiu illa mutata non eſt, Princeps, ob rationem §. *præc.* datam hæreditatem cernere non poteſt.

§. 21.

§. 21. Quæ de *dominio ſimilibusque juribus* in Jurisprudentia privata traduntur, ea, quatenus juris Gentium ſunt, ad Principes imperii applicari poſſunt, imo non raro illi leges poſitivas, ſibi utiles, condunt, vel conditas probant.

§. 22. Sic fiſcus cautiones ab aliis præſtari ſolitas, non præſtat, *l.1.* §. *18. ut Legator.* compenſationem non indiſtincte patitur, *l. 46.* §. *4. de jur. fiſc.* jure pignoris gaudet *d. l. 46.* §.*3.* aliquando etiam cum prælatione *l. 28. cod.* emtor rei fiſcalis, locationi à fiſco factæ ſtare debet *l. fin. eod.* & quæ ſunt alia fiſci privilegia, paſſim à Scriptoribus commemorata.

§. 23. De *contractibus* idem dicendum eſt, nam & eos ſæpe Status imperii, ad hominum privatorum exemplum, celebrant. Dubitandum igitur non eſt, quin ad fidem ſervandam, damnum reſarciendum, evictionem præſtandam, ſimiliaque facienda illi obligentur, ſed juris civilis ſolennia autoritatem non habent. Sic donationes à Principe, vel Principi factæ, ſine inſinuatione, valent *l.34. C. de donat.*

§. 24. *Ludos* etiam Imperantes cum hominibus privatis habent communes, qui ſi in terminis innoxiæ recreationis conſiſtant, aut eo fine inſtituantur, quo ad uſum Reipublicæ cives præparentur, liciti omnino imo laudandi ſunt, ſed hos limites dudum tranſiliit impro-

probitas humana, de quo alibi latius diſputandum. Apud antiquos Germanos *Torneamenta* in uſu fuerunt, quæ late ſatis perſequitur, LIMN. *J. P. l. 6. c. 5.* Hodie ingenioſa Vanitas plures alios ludos vel introduxit, vel magis expolivit, de quibus aliqua dicere non libet, utinam de iis dici poſſet nihil!

§. 25. Poſſunt etiam mediante *præſcriptione* Status imperii ſibi aliquid acquirere, cumque illa à legibus poſitivis ſit formata, hinc facile liquet, eos hactenus leges humanas obſervare debere, nam, iis neglectis, hoc acquirendi medium plane tollitur.

§. 26. Imperantes, vel ut tales, vel ut privati, *delicta* poſſunt committere; Illorum conſideratio ad Jus Publicum, horum, ad privatum pertinet, hinc quæ in hoc, de delictis traduntur, ad Status imperii etiam posſint applicari, moralitas tamen delictorum, ex ſolo jure divino erit æſtimanda, at poſtquam de delicto conſtat, leges pœnales humanæ etiam locum habent, quia in caſu delicti committendi vel commiſſi, totius Reipublicæ ſubditi ſunt.

§. 27. Denique *lites forenſes* inter Proceres Germaniæ occurrunt, hinc proceſſus, in Jure privato traditus, ad eos quoque pertinet, adeo ut leges humanæ etiam autoritatem habeant, nam in caſu litis, per modum imperii

rii cum Statibus agitur iique edeo verorum Subditorum claſſe cenſeri poſſunt.

CAP. X.

De ſubditis Statuum imperii.

SUMMARIA.

Subditi conſtituendi ad Jus publicum pertinent §. 1. ſubjectionis origo §. 2. doctrinæ, ad Territoria Germaniæ, applicatio §. 3. 4. Subditi præſtant homagium §. 5. quod ſubjectionem regulariter præſupponit §. 6. 7. ejus varietas §. 8. perſonæ exigentes §. 9. præſtantes §. 10. 11. formula homagii an mutanda §. 12. homagium quoque præſtare debent bonorum poſſeſſores §. 13. 14. 15. homagii præſtandi modus §. 16. tempus §. 17. præſtiti effectus §. 18. 19. ſubjectioni accedunt alia vincula §. 20. in ſpecie Vaſallagium §. 21. quod cum illa, in Vaſallis mediatis regulariter concurrit §. 22. ſeqq. ſubditi conſtituti pertinent ad jus privatum §. 26. ſed eorum conſideratio, in Jurisprudentia Germanica, prout nunc eſt, non ſatis inſtituitur §. 27. 28. 29.

§. 1.

Vidimus hactenus, quoad Territoria Germaniæ, *Imperantes*, quo igitur eorum nexus penitus appareat, nunc etiam *ſubditi conſtituendi*, expendi debent, *vid. l. 3. c. 1. §. 1. 2.*

§. 2.

§. 2. In quavis civitate, *imperium & ſubjectio* conſtituitur *actu conſenſuali*, qui, ſublato Imperante, ſub nomine *electionis* aut *ſucceſſionis* repetitur. Omni autem caſu, firmando Imperantis ſubditorumque *officio*, reciprocum intervenire ſolet *juramentum*.

§. 3. Ex quo Status in eam, qua hodie gaudent, libertatem pervenere, *actus* iſte *conſenſualis*, conſtitutionem *imperii ſubjectionisque* continens, utique interveniſſe cenſeri debet, qui etiam, in quibusdam territoriis, ubi ſubjectum *S. T.* eſt immutabile, ſemper durat, in aliis vero, ſub conſveto *electionis* vel *ſucceſſionis* titulo, repetitur.

§. 4. Quod vero *juramentum* attinet, *Status*, in memoriam priſtinæ conditionis, non jurant *ſuis ſubditis*, ſed *Cæſari*, in multis tamen territoriis, ſvadente hoc nova eorum conditione, invaluere *Literæ reverſales*, quæ promiſſionem ſubditis factam, aliquando etiam juratam, continent, de quibus videndus Fritschii tractatus peculiaris.

§. 5. *Subditi* autem *Statibus ipſis* juramentum præſtant, quod ſolenni ſtilo vocatur *Homagium* die Erb- vel Lands-Huldigung / & eſt *ſubjectionis jurata repetitio.* Alias definitiones exhibent etiam Schwed. *Introd. ad J. P. p. ſp. Sect. 2. c. 11. §. 1.* Vitriar. *J. J. P. l. 3. tit. 19. §. 2.*

§. 6.

§. 6. Continet igitur homagium & *obſequii promiſſionem & juramentum ſtricte dictum*, præterea *imperium & ſubjectionem* jam præſupponit, eademque confirmat.

§. 7. Hinc ſupra *l. 3. c. 5. §. 11.* inter partes *S. T.* retulimus *jus exigendi homagium.* Exinde porro liquet, juramentum hoc, *ſubjectionis* non eſſe *fundamentum*, ſed *indicium*, & vulgatum illud: **aus der Erbhuldigung entſpringt die Landſaſſerey**/ *vid.* VITRIAR. *d. l.* §. 9. regulariter non procedere, cum res inverti debeat.

§. 8. Diſtinguitur homagium in *perſonale*, rectius *plenum*, quo quis in genere alteri ſe ſubjectum profitetur, & *reale* ſeu rectius, *minus plenum*, quo quis ratione bonorum quorundam, alterius imperium ſaltem agnoſcit.

§. 9. Exigunt homagium omnes qui *Superioritate T. non controverſa* gaudent, aut, in caſu controverſiæ, in *poſſeſſione exigendi* ſunt. Non igitur Magiſtratus Subalterni, aut Principes apanagiati. De cætero non *ſibi* tantum, ſed & *futuris ſucceſſoribus*, eventualiter id præſtari curant.

§. 10. Exigitur homagium à *ſubditis*, ex prima ſubjectione ad ejus præſtationem jam obſtrictis, hinc invitos *cogi* poſſe, ex natura ſubjectionis & imperii manifeſtiſſimum eſt.

§. 11. Quodſi autem de ſubjectione lis ſit,

Digitized by Google

ab exactione homagii, abſtinendum, done
quæſtio præjudicialis finita, niſi dominus no
obſtante lite, ſit in poſſeſſione exigendi.

§. 12. Formulam homagii, in præjudiciur
privilegiorum legitime quæſitorum, vel *reſtr*
ctæ ſubjectionis, Dominus extendere nequi
ſed ad *nexum ſubjectionis nunquam negat*
eo liquidius confirmandum, eam omnino mu
tare poteſt.

§. 13. Homagium præſtare debent no
tantum ii, qui *domicilium*, ut vulgo loquimu
in territorio conſtituerunt, ſed & qui *bona* ſa
tem in eodem *poſſident*, cujuscunque etia
ſint conditionis, imo licet ſint Status imper
Occurrere tamen hoc reſpectu ſolent co
troverſiæ, *vid.* VITRIAR. *d. l.* §. *6.* in quib
illud præcipue conſiderandum, an bona e
iam revera in alterius Territorio ſita ſint.

§. 14. Nam ob ſuperioritatem T. in ar
trio domini eſt, quam legem rerum poſſe
onibus, dicere velit, hanc igitur exteri aut
bire, aut poſſeſſionem dimittere debent.

§. 15. Abſurdi ſunt, qui ex turbidis ju
civilis gloſſatorumque aſſertis, *vid. l. fin.* §.
de muner. VITRIAR. *d. l.* §. *3. 6.* domino te
ritorii, facultatem iſtam exigendi homagiu
reale, abjudicant, nec niſi ſub conditione *ſ*
cialis conſuetudinis, aut *alius fundament*
Domino *probati*, eam illi concedunt. Na

ſuperioritate T. potius tamdiu eſt præ-
ntio, donec homagium reale detrectans,
n ejus reſtrictam oſtenderit.

§. 16. Præſtatur homagium plerumque *ture & actu corporali à perſonaliter præ-tibus*, quæ omnia arbitrio domini definitur, qui etiam neceſſitatem jurandi, quiisdam remittere poteſt & ſolet.

§. 17. Præſtandum eſt homagium, quoes *ſubjectum ſuperioritatis T. legitimo modo utatur*. In civitatibus imperialibus, ſi non mnibus, certe quibusdam, *ſingulis annis*, à ovo & regente Senatu illud exigitur.

§. 18. Præſtitum homagium pro *ſubjectione* facit *præſumtionem*, &, ſi revera adeſt, eam magis *firmat*, hinc, præſtito homagio, ea omnia, quæ à ſubjectione dependent, eo certius & ſecurius ſibi mutuo polliceri poſſunt Dominus & ſubditi, *add.* SCHWED. *d. Sect.* 2. *c.* 11. §. 5. 6. Aliquando etiam *ſubjectionis fundamenta* ponit.

§. 19. Non tantum autem hoc verum eſt de homagio *perſonali* ſeu *pleno*, ſed &, ſuo modo, de *reali*, nam quod aliqui hoc *perſonam non afficere nec ſubditum* facere, exiſtiment, *vid.* VITRIAR. *l.* 3. *tit.* 19. §. 3. id rerum moralium ignorantiam redolet, & abſurdum eſt, *vid.* VIND. VITRIAR. CASTIG. §. 234.

§. 20. Præter generale *ſubjectionis* v
culum plures alii *nexus ſpeciales*, quo ſub
ti ſuis dominis obſtringuntur, occurrere p
ſunt, qui uti, à ſubjectione, recte diſtingu
tur, ita neutiquam huic negandæ allegari,
ei potius ſubordinari debent.

§. 21. In ſpecie *nexus feudalis* ſeu *va*
lagium, *à ſubjectione* differt, & *Vaſallus qua*
lis, non eſt *ſubditus*, poſſunt tamen duo
vincula in eodem ſubjecto concurrere.

§. 22. Imo in Statuum Vaſallis, illa a
concurrunt, nam generalis definitio eſt:
quo Statibus acceſſit Superioritas territoria
ex eo, nexui Vaſallorum feudali, adjuncta
ſubjectio, imperium enim & ſubjectio, ſu
correlata, hinc ob illud indefinite compete
hæc tamdiu recte præſumitur, donec reſt
ctio fuerit probata.

§. 23. Procedunt autem hæc, non tantu
in Vaſallis, *qui domicilium in territorio h*
bent, ſed & iis, qui *bona* ſaltem *in eo poſſid*
per rationem §. 14. datam. Plane ſi Vaſall
nec domicilium, nec bona in territorio h
beat, pro ſubdito idem male habebitur.

§. 24. Ex his patet, inconſultam eſſe e
rum ſolicitudinem, qui ex exemplis hinc
de obſervatis, *in multis Germaniæ locis, Vaſ*
los quoque eſſe ſubditos contendunt, & de
ſaltem, qui domicilium in territorio habe

id exaudiunt, niſi *ſpeciali conſvetudine*, ſola *feudi poſſeſſio*, perſonam Vaſalli *jurisdictioni* domini territorialis ſubjiciat, *vid.* SCHWED. *p. ſp. ſect.* 2. *c.* 11. §. 7.

§. 25. Male enim à poſteriori, lubrica & *particulari* doctrina aſſeritur, quod à priori, ſolidiſſima ac *univerſali* ratione aſſeri poteſt; frigidis rationibus jura Statuum adſtruere, eſt, eadem negare.

§. 26. Subditi *conſtituti*, in Germania, dicuntur *Landſaſſii*, de quibus videnda diſſertatio LYSERI, *hab. Wittemberg. 1664. ac* SCHILTERI *quæ extat in Praxi jur. Rom. Tom. 1. p. 445.* & pertinent ad *jus privatum*.

§. 27. Hoc non tantum eorum *matrimonia* cum *connexis*, *tutelas*, *teſtamenta*, *contractus* variaque inde orta *jura*, *delicta*, *proceſſus* explicare debet, ceu, juxta ductum juris Romani, fieri ſolet, cum iſta omnium civitatum ſubditis fere ſint communia, adeoque Jus Extraneum, in alia etiam Republica, aliquem habere queat uſum.

§. 28. Sed & in ſpecie, diverſam eorum *exiſtimationem*, nec non *Statum*, quem in Civitate habent, debet perſequi. Hinc in Jurisprudentia Germanica privata, agendum de ſubditis *Principibus*, *Comitibus*, *Baronibus*, *Nobilibus*, *Civibus*, *Ruſticis*; Porro de *Equitibus*, *Clericis*, *Monachis*, *literatis*, *mercatoribus*, *opifici-*

ſicibus, hominibus propriis, Wildſangiis &c.

§. 29. Iſta ſubditorum germanicoru diſcrimina, in jurisprudentia Romana, tra non potuerunt, cum in Republica Roman eo ſenſu, non occurrerint, qui defectus, Sc ptoribus præbuit occaſionem, ea omnia, jus publicum, trahendi: ſed debebant poti illi inde agnoſcere inſtituti abſurditate quo in Germania Jurisprudentiam pereg nam, fundamenti loco ſupponimus.

CAP. XI.

De Statuum imperii Legationibus & Bellis.

SUMMARIA.

Territoria Germaniæ cum Exteris agunt amice vel ſtiliter §. 1. prius ſit per Legationes §. 2. legati c ſtitutio §. 3. 4. 5. admiſſio §. 6. 7. 8. receptionis lennia §. 9. 10. officium Legati recepti §. 11. inpri characterem repræſentatitium tueri debet §. 12. 14. 15. epicriſis de his ceremoniis §. 16. 17. offici recipientis Legatum §. 18. debet Legato inviolab tatem & ea omnia, quæ Gentium conſvetudine gatis tribui ſolent §. 19. 20. quod exemplis illuſt tur §. 21. ſeqq. ex quibus vulgare Juris Genti nomen explicatur §. 26. officium mittentis Legat ratione recipientis §. 27. & Legati §. 28. Legati miſſio §. 29. ejus, Domini & Recipientis offici

§.

§. 30. 31. 32. Hoſtiliter cum Exteris agitur per bellum §. 33. Status imperii raro ſeorſim bella gerunt §. 34. ratio belli gerendi antiqua & moderna §. 35 quinam olim militares operas præſtiterint §. 36. olim non milite conducto, ſed ab ipſis indigenis bella ſunt geſta §. 37. hodie contrarium obtinet §. 38. ſed antiqua illa bellandi ratio obſervari merito debebat §. 39. 40. domeſticæ militiæ commoda §. 41. ſeqq. conductitiæ incommoda §. 48. 49. 50. temperamentum quoad hactenus dicta, cum requiſitis belli inſtruendi & gerendi §. 51. bella corrumpunt ebrietas & luxus §. 52. ordinationes bellicæ in Jure privato explicari debent §. 53.

§. 1.

SUpereſt, ut expendamus, quomodo Territoria Germaniæ eorumq; Imperantes, ad exemplum aliorum Corporum liberorum, cum Exteris, i. e. extra illa conſtitutis, agant. Fit illud duobus modis, *amice & hoſtiliter*, ſive per *Legationes & Bella.*

§. 2. De *Jure Legationum*, Statibus competente, actum eſt *l.3.c.8.§. 7. ſeqq.* Hoc loco, *legationes ipſas*, & quidem fere juxta ductum ſupra laudati KULPISII. *de Legat. Stat. imper.* breviter conſiderabimus.

§. 3. Legationem inſtructurus, de *Perſona habili*, cui negotium committat, ſolet eſſe ſollicitus. *Conſtituitur* ergo Legatus *conſenſu*

 mu-

mutuo, Status mittentis & futuri Legati,que ad hoc munus etiam *cogi* poſſe, ex natura *i*-*perii & ſubjectionis* patet, ut ei probando, ges Romanæ allegari non debeant, etſi nec illa allegatione abſtineat Kulpis. *d. tr. c.* §. 7.

§. 4. Quo autem Legatus valide age queat, debet inſtructus eſſe *literis credentia*-*bus*, *vid.* Kulpis. *d. tr. c.* 12. §. 9. quæ de ipſi perſona; & *mandato d. c.* 12. §. 2. *ſeqq.* qu de negotio tractando fidem facit, ac diffe ab *inſtructione* ſeu *actionis formula*, quæ cretam agendi rationem, Legato præſcrib *d. c.* 12. §. 7. 8.

§. 5. Quo legatus conſtitutus ſecure pr ficiſci queat, pro ratione temporum & loc rum, *literæ ſalvi conductus* ſeu *Paſſeportus* aliquando ſunt neceſſariæ, quæ quidem v ab eo, ad quem mittitur, vel ab iis, quoru terras tranſire debet, dari ſolent, ac Lega characteri conformiter concipi debent, Ku pis. *d. c.* 12. §. 10. *ſeqq.* Non minus etiam *L*-*gativum* Legato præſtandum eſt, *d. c.* §. 19. 20.

§. 6. Circa *neceſſitatem recipiendi Leg*-*tum miſſum*, quam vulgo ex *jure Gentium*, fl ctuante philoſophia, deducere ſolent, ita br viter habendum. Si pactum tacite vel expre ſe eo fine interpoſitum eſt, Legatus, ex ju

nat

naturali hypothetico, neceſſario eſt recipiendus.

§. 7. Si nullum pactum interceſſit, regulæ *decori & prudentiæ* aliquando receptionem ſvadent, ſed hæ extra quæſtionem juris ſunt. præterea *commune humanitatis præceptum* eandem jubet, ſed non ſemper, in quem ſenſum accipienda doctrina Grotii *de J. B. P. l. 2. c. 18. §. 3.*

§. 8. Qui *jus gentium* loquuntur, vel intelligunt *jus naturæ*, de quo diximus, vel *gentium conſuetudinem*, hæc aliam gentem liberam obligare nequit, vel *generale aliquod pactum*, ſed hoc neque occurrit, neque, ſi occurreret, velut *peculiaris legis ſpecies* debet juri naturali opponi, *add.* Kulpis. *d. tr. c. 2. §. 14.*

§. 9. Sive autem quis ultro, ſive ex neceſſitate, Legatum recipiendum decernat, *eum receptionis modum* deinde adhibere tenetur, qui ejus generis Legatis, ſine controverſia debetur, nam hoc ex primo neceſſario fluit, hinc aut neutrum, aut utrumque velle debet recepturus.

§. 10. Solennitas receptionis in his fere conſiſtit (1.) *adventus intimatione* (2.) *ſolenni introitu* (3.) *publica hoſpitalitate* (4.) *literarum credentialium oblatione* ac (5.) *plenipotentiæ diſcuſſione*. Non tamen ubiq; eadem eſt, nec

§. 2. In quavis civitate, *imperium & ſu-*
ctio conſtituitur *actu conſenſuali*, qui, ſu
to Imperante, ſub nomine *electionis* aut
ceſſionis repetitur. Omni autem caſu, firm
do Imperantis ſubditorumque *officio*, reci
cum intervenire ſolet *juramentum*.

§. 3. Ex quo Status in eam, qua hodie g
dent, libertatem pervenere, *actus* iſte *con*
ſualis, conſtitutionem *imperii ſubjectioni*
continens, utique interveniſſe cenſeri de
qui etiam, in quibusdam territoriis, ubi
jectum *S. T.* eſt immutabile, ſemper dura
aliis vero, ſub conſveto *electionis* vel *ſucce*
nis titulo, repetitur.

§. 4. Quod vero *juramentum* attinet,
tus, in memoriam priſtinæ conditionis,
jurant *ſuis ſubditis*, ſed *Cæſari*, in multis
men territoriis, ſvadente hoc nova eor
conditione, invaluere *Literæ reverſales*,
promiſſionem ſubditis factam, aliquando
iam juratam, continent, de quibus viden
Fritschii tractatus peculiaris.

§. 5. *Subditi* autem *Statibus ipſis* juram
tum præſtant, quod ſolenni ſtilo vocatur
magium die Erb- vel Lands- Huldigung
eſt *ſubjectionis jurata repetitio*. Alias def
tiones exhibent etiam Schwed. *Introd.*
J. P. p. ſp. Sect. 2. c. 11. §. 1. Vitriar. *J.*
l. 3. tit. 19. §. 2.

§. 6. Continet igitur homagium & *obſequii promiſſionem & juramentum ſtricte dictum*, præterea *imperium & ſubjectionem* jam præſupponit, eademque confirmat.

§. 7. Hinc ſupra *l. 3. c. 5.* §. *11.* inter partes *S. T.* retulimus *jus exigendi homagium.* Exinde porro liquet, juramentum hoc, *ſubjectionis* non eſſe *fundamentum*, ſed *indicium*, & vulgatum illud: **aus der Erbhuldigung entſpringt die Landſaſſerey**/ *vid.* VITRIAR. *d. l.* §. *9.* regulariter non procedere, cum res inverti debeat.

§ 8. Diſtinguitur homagium in *perſonale*, rectius *plenum*, quo quis in genere alteri ſe ſubjectum profitetur, & *reale* ſeu rectius, *minus plenum*, quo quis ratione bonorum quorundam, alterius imperium ſaltem agnoſcit.

§. 9. Exigunt homagium omnes qui *Superioritate T. non controverſa* gaudent, aut, in caſu controverſiæ, in *poſſeſſione exigendi* ſunt. Non igitur Magiſtratus Subalterni, aut Principes apanagiati. De cætero non *ſibi* tantum, ſed & *futuris ſucceſſoribus*, eventualiter id præſtari curant.

§. 10. Exigitur homagium à *ſubditis*, ex prima ſubjectione ad ejus præſtationem jam obſtrictis, hinc invitos *cogi* poſſe, ex natura ſubjectionis & imperii manifeſtiſſimum eſt.

§. 11. Quodſi autem de ſubjectione lis ſit,

ab exactione homagii, abſtinendum
quæſtio præjudicialis finita, niſi dom
obſtante lite, ſit in poſſeſſione exiger

§. 12. Formulam homagii, in præj
privilegiorum legitime quæſitorum, v
ctæ ſubjectionis, Dominus extendere
ſed ad *nexum ſubjectionis nunquam*
eo liquidius confirmandum, eam omn
tare poteſt.

§. 13. Homagium præſtare deb
tantum ii, qui *domicilium*, ut vulgo lo
in territorio conſtituerunt, ſed & qui
tem in eodem *poſſident*, cujuscunqu
ſint conditionis, imo licet ſint Status
Occurrere tamen hoc reſpectu ſol
troverſiæ, *vid.* VITRIAR. *d. l.* §. *6.* in
illud præcipue conſiderandum, an
iam revera in alterius Territorio ſit

§. 14. Nam ob ſuperioritatem T
trio domini eſt, quam legem rerum
onibus, dicere velit, hanc igitur exte
bire, aut poſſeſſionem dimittere deb

§. 15. Abſurdi ſunt, qui ex turbi
civilis gloſſatorumque aſſertis, *vid. l.*
de muner. VITRIAR. *d. l.* §. *3. 6.* dom
ritorii, facultatem iſtam exigendi hor
reale, abjudicant, nec niſi ſub condit
cialis conſvetudinis, aut *alius fund*
Domino *probati*, eam illi concedunt.

Digitiz

pro ſuperioritate T. potius tamdiu eſt præſumtio, donec homagium reale detrectans, vim ejus reſtrictam oſtenderit.

§. 16. Præſtatur homagium plerumque *mature & actu corporali à perſonaliter præſentibus*, quæ omnia arbitrio domini definiuntur, qui etiam neceſſitatem jurandi, quibusdam remittere poteſt & ſolet.

§. 17. Præſtandum eſt homagium, quoties *ſubjectum ſuperioritatis T. legitimo modo mutatur*. In civitatibus imperialibus, ſi non omnibus, certe quibusdam, *ſingulis annis*, à novo & regente Senatu illud exigitur.

§. 18. Præſtitum homagium pro *ſubjectione* facit *præſumtionem*, &, ſi revera adeſt, eam magis *firmat*, hinc, præſtito homagio, ea omnia, quæ à ſubjectione dependent, eo certius & ſecurius ſibi mutuo polliceri poſſunt Dominus & ſubditi, *add.* Schwed. *d. Sect. 2. c. 11. §. 5. 6.* Aliquando etiam *ſubjectionis fundamenta* ponit.

§. 19. Non tantum autem hoc verum eſt de homagio *perſonali* ſeu *pleno*, ſed &, ſuo modo, de *reali*, nam quod aliqui hoc *perſonam non afficere nec ſubditum* facere, exiſtiment, *vid.* Vitriar. *l. 3. tit. 19. §. 3.* id rerum moralium ignorantiam redolet, & abſurdum eſt, *vid.* Vind. Vitriar. Castig. *§. 234.*

§. 20. Præter generale *ſubjectionis* v-culum plures alii *nexus ſpeciales*, quo ſub-ti ſuis dominis obſtringuntur, occurrere p-ſunt, qui uti, à ſubjectione, recte diſtingu-tur, ita neutiquam huic negandæ allegari, ei potius ſubordinari debent.

§. 21. In ſpecie *nexus feudalis* ſeu *va-lagium*, *à ſubjectione* differt, & *Vaſallus qua-lis*, non eſt *ſubditus*, poſſunt tamen duo vincula in eodem ſubjecto concurrere.

§. 22. Imo in Statuum Vaſallis, illa a-concurrunt, nam generalis definitio eſt: *quo Statibus acceſſit Superioritas territoria ex eo, nexui Vaſallorum feudali, adjuncta ſubjectio*, imperium enim & ſubjectio, ſu-correlata, hinc ob illud indefinite compete-hæc tamdiu recte præſumitur, donec reſt-ctio fuerit probata.

§. 23. Procedunt autem hæc, non tantu-in Vaſallis, *qui domicilium in territorio h-bent*, ſed & iis, qui *bona* ſaltem *in eo poſſid-*per rationem §. 14. datam. Plane ſi Vaſall-nec domicilium, nec bona in territorio h-beat, pro ſubdito idem male habebitur.

§. 24. Ex his patet, inconſultam eſſe e-rum ſolicitudinem, qui ex exemplis hinc-de obſervatis, *in multis Germaniæ locis, Vaſ-los quoque eſſe ſubditos* contendunt, & de ſaltem, qui domicilium in territorio habe-

id exaudiunt, niſi *ſpeciali conſuetudine*, ſola *feudi poſſeſſio*, perſonam Vaſalli *jurisdictioni* domini territorialis ſubjiciat, *vid.* SCHWED. *p. ſp. ſect.* 2. *c.* 11. §. 7.

§. 25. Male enim à poſteriori, lubrica & *particulari* doctrina aſſeritur, quod à priori, ſolidiſſima ac *univerſali* ratione aſſeri poteſt; frigidis rationibus jura Statuum adſtruere, eſt, eadem negare.

§. 26. Subditi *conſtituti*, in Germania, dicuntur *Landſaſſii*, de quibus videnda diſſertatio LYSERI, *hab. Wittemberg.* 1664. *ac* SCHILTERI *quæ extat in Praxi jur. Rom. Tom.* I. *p.* 445. & pertinent ad *jus privatum*.

§. 27. Hoc non tantum eorum *matrimonia* cum *connexis*, *tutelas*, *teſtamenta*, *contractus* variaque inde orta *jura*, *delicta*, *proceſſus* explicare debet, ceu, juxta ductum juris Romani, fieri ſolet, cum iſta omnium civitatum ſubditis fere ſint communia, adeoque Jus Extraneum, in alia etiam Republica, aliquem habere queat uſum.

§. 28. Sed & in ſpecie, diverſam eorum *exiſtimationem*, nec non *Statum*, quem in Civitate habent, debet perſequi. Hinc in Jurisprudentia Germanica privata, agendum de ſubditis *Principibus*, *Comitibus*, *Baronibus*, *Nobilibus*, *Civibus*, *Ruſticis*; Porro de *Equitibus*, *Clericis*, *Monachis*, *literatis*, *mercatoribus*, *opifici-*

ficibus, hominibus propriis, Wildfangiis &c.

§. 29. Iſta ſubditorum germanicoru diſcrimina, in jurisprudentia Romana, tra non potuerunt, cum in Republica Roma eo ſenſu, non occurrerint, qui defectus, Sc ptoribus præbuit occaſionem, ea omnia, jus publicum, trahendi: ſed debebant pot illi inde agnoſcere inſtituti abſurditate quo in Germania Jurisprudentiam pereg nam, fundamenti loco ſupponimus.

CAP. XI.

De Statuum imperii Legationibus & Bellis.

SUMMARIA.

Territoria Germaniæ cum Exteris agunt amice vel ſtiliter §. 1. prius fit per Legationes §. 2. legati ſtitutio §. 3. 4. 5. admisſio §. 6. 7. 8. receptionis lennia §. 9. 10. officium Legati recepti §. 11. inpr charačterem repræſentatitium tueri debet §. 12. 14. 15. epicriſis de his ceremoniis §. 16. 17. offic recipientis Legatum §. 18. debet Legato inviola tatem & ea omnia, quæ Gentium conſvetudine gatis tribui ſolent §. 19. 20. quod exemplis illuſ tur §. 21. ſeqq. ex quibus vulgare Juris Gent nomen explicatur §. 26. officium mittentis Legat ratione recipientis §. 27. & Legati §. 28. Legat miſſio §. 29. ejus, Domini & Recipientis offic §.

Digitized by

§. 30. 31. 32. Hoſtiliter cum Exteris agitur per bellum §. 33. Status imperii raro ſeorſim bella gerunt §. 34. ratio belli gerendi antiqua & moderna §. 35. quinam olim militares operas præſtiterint §. 36. olim non milite conducto, ſed ab ipſis indigenis bella ſunt geſta §. 37. hodie contrarium obtinet §. 38. ſed antiqua illa bellandi ratio obſervari merito debebat §. 39. 40. domeſticæ militiæ commoda §. 41. ſeqq. conductitiæ incommoda §. 48. 49. 50. temperamentum quoad hactenus dicta, cum requiſitis belli inſtruendi & gerendi §. 51. bella corrumpunt ebrietas & luxus §. 52. ordinationes bellicæ in Jure privato explicari debent §. 53.

§. 1.

SUpereſt, ut expendamus, quomodo Territoria Germaniæ eorumq; Imperantes, ad exemplum aliorum Corporum liberorum, cum Exteris, i. e. extra illa conſtitutis, agant. Fit illud duobus modis, *amice & hoſtiliter*, ſive per *Legationes & Bella.*

§. 2. De *Jure Legationum*, Statibus competente, actum eſt *l.3.c.8.§.7.ſeqq.* Hoc loco, *legationes ipſas*, & quidem fere juxta ductum ſupra laudati KULPISII. *de Legat. Stat. imper.* breviter conſiderabimus.

§. 3. Legationem inſtructurus, de *Perſona habili*, cui negotium committat, ſolet eſſe ſollicitus. *Conſtituitur* ergo Legatus *conſenſu*

 mu-

naturali hypothetico, neceſſario eſt recipiendus.

§. 7. Si nullum pactum interceſſit, regulæ *decori & prudentiæ*, aliquando receptionem ſvadent, ſed hæ extra quæſtionem juris ſunt. præterea *commune humanitatis præceptum* eandem jubet, ſed non ſemper, in quem ſenſum accipienda doctrina GROTII *de J. B. P. l. 2. c. 18. §. 3.*

§. 8. Qui *jus gentium* loquuntur, vel intelligunt *jus naturæ*, de quo diximus, vel *gentium conſuetudinem*, hæc aliam gentem liberam obligare nequit, vel *generale aliquod pactum*, ſed hoc neque occurrit, neque, ſi occurreret, velut *peculiaris legis ſpecies* debet juri naturali opponi, *add.* KULPIS. *d. tr. c. 2. §. 14.*

§. 9. Sive autem quis ultro, ſive ex neceſſitate, Legatum recipiendum decernat, *eum receptionis modum* deinde adhibere tenetur, qui ejus generis Legatis, ſine controverſia debetur, nam hoc ex primo neceſſario fluit, hinc aut neutrum, aut utrumque velle debet recepturus.

§. 10. Solennitas receptionis in his fere conſiſtit (1.) *adventus intimatione* (2.) *ſolenni introitu* (3.) *publica hoſpitalitate* (4.) *literarum credentialium oblatione* ac (5.) *plenipotentiæ diſcuſſione*. Non tamen ubiq; eadem eſt, nec

Digitized by Google

Statuum Legatis indiſtincte exhibetur, *vid.* Kulpis. *d. tract. c. 13.* Status ipſi, Legatos ad ſe miſſos, pro diverſa mittentium conditione, debitis ſolennitatibus recipiunt, *d. c. 13. §. 9. c. 23. §. 8. 9.* quæ omnia uſu rectius quam præceptis diſcuntur.

§. 11. *Officium Legati recepti* ſummatim in duobus conſiſtit (1.) *ut negotium demandatum rite expediat*, *vid.* Kulpis. *d. tr. c. 1. §. 2.* &, ſi ſit Legatus primi ordinis (2.) *characterem repræſentatitium debite tueatur.*

§. 12. Tribuit autem ille character hoc Legatis, ut loco Domini mittentis ſint, in quantum ſcil. Gentium conſvetudine miniſter hac in parte Domino ſuccedere ſolet, *vid.* Kulpis. *c. 14. §. 2. c. 22. §. 1. ſeqq.* In ſpecie operatur *dignitatem*, ac depoſcit *alias ceremonias*, quæ vel *eum, ad quem miſſus eſt Legatus*, vel alios *Legatos* reſpiciunt.

§. 13. Quid, quoad dignitatem, obtineat in *Imperio* tradit Kulpis. *d. tr. c. 14. §. 6. ſeqq.* quoad *Exteros* vero hanc §. 21. dat regulam: *Legatus Domini ſui æqualibus ubique cedit, aliis vero Legatis, à Domino Majore aut Minore, ſed eandem dignitatis ſpeciem habente, miſſis* (cum Charactere repræſentatio) *in loco tertio præfertur aut poſtponitur, prout Domini faciunt, domi ſuæ cedit, apud ipſos præfertur*, quam pluribus deinde perſequitur.

§. 14.

§. 14. Cæterarum Ceremoniarum philoſophia in univerſum valde fluctuat, *vid.* KULPIS. *c. 15. §. 1.* Plerumque tamen ex primo genere eſt (1.) *ſolennis ad audientiam deductio* (2.) *conceſſio loci honoratioris in domo recipientis* ſi conſvetudo ita velit, *vid.* KULP. *d. c. 15. §. 16.* (3.) *facultas ſe tegendi ſedendique coram Regibus aliisque recipientibus*, quæ latius perſequitur KULPIS. *d. c. 15.*

§. 15. Ex ſecundo autem eſt (1.) *viſitatio* (2.) *reviſitatio* (3.) *titulorum legitimus uſus*; Hodie titulus *Excellentiæ*, quem ex errore invaluiſſe docet KULPIS. *d. c. 16. §.* 15. Legatis ſolennis eſt, de quibus omnibus laudatus KULPIS. *d. c. 16.* pluribus agit, qui etiam Ceremonias, in Conventibus imperii obſervandas, explanat *c. 17.*

§. 16. Omnis iſta ceremonialis philoſophia, ex eo duxit originem, quod actibus, rebus & verbis, indefinite alias honorem ſignificantibus, vis definite & certam velut honoris quantitatem ſignificandi, opinione hominum, fuerit impoſita, nam hoc facto, magna opus fuit ſollicitudine, in ceremoniis illis accurate obſervandis, ne illarum defectus exiſtimationem minueret.

§. 17. Uti autem variis controverſiis referta eſt, ita in univerſum à Rebuspublicis potentibus eadem dirigi ſolet, certe poteſt.

Nec

Nec dubitandum, quin ad rationes Status illa pertineat, ac juxta regulas Socialitatis acriorem mereatur cenſuram, Legatis tamen, ceremonias rigide tuentibus, nihil imputari poteſt.

§. 18. *Officium recipientis legatum*, in genere eſt, *quod non tantum communem ſocialitatem Legato exhibere*, ſed & in ſpecie *ea quæ expreſſe* vel *tacite promiſit, ei præſtare teneatur.*

§. 19. Debet igitur Legato (1.) *inviolabilitatem, omnibus hominibus præſtandam* (2.) *ea omnia quæ Gentium conſvetudine Legatis tribui ſolent*, nam hæc tacito pacto promittuntur, ergo naturaliter præſtari debent, *add.* KULPIS. *c. 21. §. 12.*

§. 20. Quia vero gentium conſvetudo non ubique ſatis liquida eſt, hinc pactum quoque, ad illam ſe referens, ſubinde fluctuat, adeoque dubiæ aliquando, circa officium recipientis, oriuntur quæſtiones.

§. 21. Illa tamen regulariter promiſſa & debita cenſentur (1.) *Immunitas a jurisdictione recipientis, adeo ut nequidem, in caſu delicti, imperio ejus ſubjiciatur Legatus*, nam hoc actum eſſe tam *ex conditione perſonæ receptæ*, quam *gentium conſvetudine patet.* Ex eo etiam conſequitur *jus revocandi domum*, quod tamen ab eo, quod jure Romano proditum eſt,

eſt, plane differt, *add.* KULPIS. *d. c. 21. §. 3. 16.*

§. 22. Alia quæſtio eſt, *annon contra Legatum delinquentem per modum belli aliquid ſtatui poſſit?* de quo paucis ita dicendum: Si legatus in delicto committendo occupetur, tum ei etiam cum internecione poſſe reſiſti, nullum eſt dubium, nam neque mero jure naturæ, neque pacto hoc caſu munitur.

§. 23. Si vero delictum jam perpetraverit, regulariter inviolabilitas promiſſa ac debita cenſetur, nam hoc ex eo probabile eſt, quod nulla cauſa, mali illationem poſtulet, cum dominus illud inferre poſſit, *add.* KULPIS. *d. c. 21. §. 3.* GROT. *2. 18. 4.* quia tamen immunitas à pacto dependet, ideo aliquando exceptionem pati poteſt, vid. FURSTEN. *de Suprem. c. 6.*

§. 24. (2.) *Exercitium jurisdictionis in domeſticos* non tamen in imperio noſtro, KULPIS. *d. c. 21. §. 3. ſeqq.* (3.) *immunitas à vectigalibus*, quæ tamen ſepoſita conventione expreſſa, aut ſpeciali conſvetudine non adeo liquida eſt, in Germania tamen obtinet, KULPIS. *d. l. §. 7. 8.* quod multo magis dicendum (4.) *de jure Aſyli*, quod ſane regulariter recte negatur, licet, quoad Exteros diſſentiat, KULPIS, *d. c. 21. §. 11.*

§. 25. Rectius tamen inter debita refertur (5.) *immunitas à repreſſaliis* KULPIS. *d. c. 21. §. 9.*

§. 9. *ſeqq.* (6.) *exhibitio ceremoniarum*, quæ ejus conditionis Legatis alias præſtari ſolent, quamvis ſæpe maxime controverſum ſit, quinam Legati ejusdem conditionis cenſendi ſint, *vid.* KULPIS. *c. 16.* §. 22. FURSTENER. *de Suprem. c. 34.*

§. 26. Ex his facile intelligi poteſt *jus Gentium*, quod hic ſolenne nomen eſſe ſolet, *vid.* GROT. 2. *18. 5.* KULPIS. *d. tr. c. 21.* §. *1. ſeqq.* nimirum notat *gentium conſvetudinem*, quæ per ſe quidem nullam obligationem recipienti impingere poteſt, licet ſæpe tale quid, ex ratione Status, à gentibus litigantibus jactetur, verum eo fine ſaltem notari debet, quia tacito pacto mittens & recipiens ad eam ſe referunt.

§. 27. *Officium mittentis Legatum*, ratione *recipientis*, in eo conſiſtit, quod ea, quæ juxta terminos mandati & plenipotentiæ Legatus promiſit, ſervare teneatur, licet ſecretam actionis formulam ſeu inſtructionem idem tranſilierit. Ipſe vero Legatus, ob negotium male geſtum, Domino tenetur, *vid.* KULPIS. *c. 12.* §. *8. c. 2.* §. *3.*

§. 28. Ipſi vero *Legato* impenſas ſubminiſtrare *debet*, privilegia quoque ei concedere *ſolet*, & ſi mittens contrarium non declaraverit, recte ſibi aſſerit Legatus privilegia, ure civili conſtituta, in ordine ad *alios domi-*

ni

ni ſubditos, v. Kulpis. *d. c. 21. §. 15. ſeqq.* non etiam *dominum ipſum,* hic enim legibus illis non ſubjacet, *vid.* Kulpis. *d. c. 21. §. 15. c. 22. §. 7. in fin.*

§. 29. Quando Legatus *dimittendus*, tum recurrunt ſolennes ceremoniæ, à Legato ac dimittente merito obſervandæ. Munera quoque, quæ memoriæ & benevolentiæ cauſa offeruntur, Legato accipere licet, niſi ſpecialis adſit prohibitio Domini, *vid.* Kulpis. *c. 18. c. 23.* §. *9.*

§. 30. *Soluta* legatione, Legatus rationem reddere, damnum ſi quod dedit, reſarcire ac pœnam, ſi quam meruit, excipere tenetur, Kulpis. *d. c.* 22. §. *8. 9.*

§. 31. Dominus vero impenſas Legato reddere, damnum fortuitum reſtituere, ac in genere omnia præſtare debet, quæ humanitas vel pactum expreſſum aut tacitum poſtulant, Kulpis. *c. 21.* §. 17. *add. c. 12. §. 19. c. 5. §. 16.*

§. 32. Denique Recipiens ad res Legati dimittendas obligatur, nam hoc, in ipſa receptione, conventum cenſeri debet, nec aliud, quoad Statuum Legatos, obtinet in Aula Cæſarea, docente Kulpis. *d. tr. c.* 22. §. *11.*

§. 33. Poſtea etiam videndum, quomodo Status, cum Exteris, hoſtiliter agant. De *Jure belli* dictum *l. 3. c. 5. §. 53. ſeqq. c. 8. §. 23. ſeqq.* Hic de *ipſo bello ejusque inſtruendi & geren-*

rendi ratione, aliqua dicenda ſunt, quorum tamen nonnulla, non unice ad Statum, ſed bella in genere, pertinent.

§. 34. Quemadmodum jus belli in Statibus imperii, ob nexum, quo toti Reipublicæ obſtringuntur, eſt quodammodo reſtrictum, ceu ſuo loco oſtendimus, ita cum Eorum, cum exteris Rebuspublicis comparatorum, potentia non adeo magna ſit, quod inprimis de Statibus Minoribus certiſſimum eſt, ideo raro Status ſeorſim, plerumque vero aliis ſociati, bella gerunt, quamvis turbidis temporibus, bella Statuum inter ſe, fuerint frequentiſſima *vid.* LEHM. *Chron. Spir. l. 7. c. 23. 24. 46. 100. 101. 103. 106. 107. 111.*

§. 35. Rudioribus Seculis, modica etiam fuit bellandi peritia & ſimplex valde armaturæ genus apparatusque bellicus, de quo legi meretur, LEHM. *Chron. Spir. l. 2. c. 43.* Hodie inventis pulvere pyrio, bombardis tormentisque bellicis, in immenſum offendendi defendendique vis crevit, ut antiquiora tempora cum noſtris, hac in parte, conferri nullo modo queant.

§. 36. Olim ſolos Nobiles hominesque liberos militaſſe, hominibus plebejis à militia excluſis, cenſet LEHMAN. *Chron. Spir. l. 5. c. 112.* ſed id erroneum dicit FUCHSIUS *in not. ad d. l.* exiſtimans, ex Nobilibus quidem

tan-

tantum fuiſſe lectos equites, aſt in peditatu etiam militaſſe homines plebejos, quam conjecturam Status Poloniæ, in qua antiqua militiæ ratio adhuc quodammodo ſupereſt, confirmare videtur. Quid hodie hac in parte obtineat, notius eſt, quam ut hic commemorari debeat.

§. 37. Id inprimis obſervandum, quod antiquis temporibus, bella non conducto aliquo milite fuerint geſta, ſed quod, urgente neceſſitate, ipſi indigenæ operas militares, per vices, præſtare debuerint. Sed ſucceſſu temporis, bellandi ferocia velut in opificium verſa, omnia milite conductitio agi cœperunt, quem morem cum magna incommoda introduxiſſe, tum ipſam etiam Reipublicæ mutationem promoviſſe cenſet, Lehman. *Chr. Spir. l. 2. c. 43.*

§. 38. Hodie nihil recte agi poſſe creditur niſi milite conducto, & licet in nonnullis regionibus tenues quædam domeſticæ militiæ ſuperſint reliquiæ, attamen dum nulla ei cura adhibetur, fere inefficax illa, imo, ob ſplendorem militiæ conductitiæ, paſſim etiam contemtui expoſita eſt.

§. 39. Enimvero ſi duplicem illam belli gerendi rationem propius contendas, tum id quidem nec juſtum nec utile fuerit, ſi nulla ætatis aut Status vitæque generis habita ratione, indigenæ promiſcue in bellum cogantur,

aſt ſi patria juventus, cum aliis artibus, tum etiam belli peritia imbuatur, eademque ad certos annos ſerviat, ac abeunti alia ſemper ſurrogetur, tum indigenam militiam conductitia præſtare, omnino certum videtur.

§. 40. Cum enim bellum, ſit Status extraordinarius, ac, quantum fieri poteſt, mature tollendus, rationi ſane non ſatis videtur conſentaneum, ut in ſolum illum uſum, homines, alia arte deſtituti, alantur, ſed ipſi indigenæ potius ita formandi ſunt, ut, neceſſitate exigente, Patriam defendere ac jura competentia aſſerere queant.

§. 41. Si propius res ſpectetur, domeſtica illa militia eſt *minus ſumtuoſa*, dum enim milites indigenæ labore ſuo, inprimis ceſſante bello, victum ſibi quærunt, cætera, quæ ad bellum inſtruendum & gerendum requiruntur, minoribus ſumtibus comparari poſſunt.

§. 42. Eſt etiam conductitia *validior*, neq; enim exiguæ copiæ, ſed omnis juventus, ad belli uſum præparari debent, ſic fiet, ut temporis ſucceſſu, bellandi artem omnes propemodum cives intelligant. Ex quo neceſſario conſequitur, quod domeſtica illa militia ad *regionum defenſionem ſit utiliſſima*, id quod à contrario etiam ſatis apparet.

§. 43. Propudioſa non minus, quam miſeranda res eſt, quod ab exigua ſæpe hoſtium manu, regiones expilentur miſereque vaſten-

tur

tur, ac non tantum inermis turba, quæ hactenus utique nullo numero eſt, ſed & numeroſa Virorum Juvenumque, nec animo, nec viribus pugnandi deſtitutorum, ſed ſolo diſciplinæ directionisque defectu infelicium, multitudo, hoſtis libidini ludibrioq; ſit expoſita.

§. 44. Non minus etiam domeſticæ militiæ commoda, inde apparent, quod per eam *bellum quam celerrime componi queat*, cum enim omnium interſit, ut exortum incendium quamprimum extinguatur, dubitandum non eſt, quin milites indigenæ ad hoc operas ſuas libentiſſime ſint commodaturi.

§. 45. Præterea quoque, bello finito, *minora erunt incommoda*, nam emeritorum, vulneratorum ac mutilatorum major poterit haberi cura, qui vero è bello incolumes diſcedunt, ad antiqua munia conſvetasque functiones redeunt, nec ignavo otio alioque lædendi genere Reipublicæ graves ſunt.

§. 46. Non eſt quod excipias, *pleroſque ſubditos tam durum vitæ genus deprecari!* Fateor, ſi imperitia vel crudelitate Ducum, milites, velut pecora, ad lanienam ducantur, aut alia ratione peſſundentur, tum probos quosque à bello merito abhorrere, at ſi prudenti juſtoque conſilio res militaris dirigatur, tum nihil in ea eſt, quod boni cives averſari posſint aut debeant.

Ii 2 §. 47.

§. 47. Porro nec id recte objeceris, *indigenas, parum fortes ſtrenuosque milites eſſe futuros!* callidum enim commentum eſt eorum, quorum intereſt illa credi, vel inane præjudicium illorum, qui ex nomine & veſtitu fortitudinem æſtimant; ſi diſciplina accedat diligensque cultura, à milite indigena, ſi non majora, certe paria, quam à conducto, expectare licet fortitudinis ſpecimina.

§. 48. Econtrario militiæ conductitiæ, non exigua ſunt incommoda: Eſt enim valde *ſumtuoſa*, inprimis poſtquam luxus rem militarem corrumpere cœpit, hinc deficientibus ſumtibus, *parum valida* eſt, nec *defendendæ Reipublicæ ſufficit*, quæ omnia experientia ſatis confirmat.

§. 49. Miles conductitius nunquam ſerio vult, ut bellum ſtatim tollatur, ſed ejus potius perpetuitatem, magno Reipublicæ detrimento, optat: ceſſante bello, ignavum agit otium, quod pravos mores parere ſolet, hinc ſæpe ſubditi, non levius à milite proprio, quam hoſte affliguntur: Bello finito, mendicis aut, ſi exauctoratio ſubitanea fiat, latronibus regio repletur, quam calamitatem ſuperioribus temporibus, ſæpe experta eſt Germania.

§. 50. Illud quidem verum eſt, quod ad inſtruendum luxum, ambitionis decreta exequenda, laceſſendos vicinos imo etiam vexandos opprimendosq; ſubditos, miles conductus,

ductus, ſit maxime idoneus, ſed ob illos tamen fines, commendari non meretur, *add.* Ziegl. *ad Grot. p. 2.*

§. 51. Sed uti hactenus dicta Prudentiorum judicio merito ſubmittuntur, ita id veriſſimum eſt, quod nullum bellum recte inſtruatur & geratur, niſi pietate, juſtitia, prudentia & fortitudine, & quod adeo oppoſita Vitia omne bellum corrumpant, illudque infauſtum ac ignominioſum reddant.

§. 52. Inprimis bellorum peſtes ſunt *Ebrietas & Luxus*, conſveta parvarum mentium vitia: Hinc Ducum perfidia, militum gregariorum torpor, deſertiones & fugæ, publica egeſtas, inedia, exercituum contagia, rerum neceſſariarum defectus, ignominioſæ clades, diſciplinæ militaris everſio, ſubditorum expilationes, & omnes fere, calamitates bellicæ dependent. Quare etiam mirum videri non poteſt, ſi, ubi iſta vitia rem militarem dirigunt, fortiſſima etiam Natio, hoſti, viribus & fortitudine inferiori, ſæpe ludibrium debeat.

§. 53. De cetero cum hactenus invaluerit, ut militibus conductis bella gerantur, hinc varia conſtitui ſolent, quæ ad eorum hoſpitationes, tranſitus, diſciplinam militarem ac officia ſubditorum erga milites, pertinent, quæ, ex *Ordinationibus militaribus*, potiſſimum deſumi, ac, in Jurisprudentia privata, proponi debent.

LIBER QUINTUS.

CAP. I.

De Imperatore Ejusq; Conſtitutione.

SUMMARIA.

Imperator Germanorum §. 1. circa eum tria conſideranda §. 2. in Germania electio obtinet §. 3. 4. 5. 6. hujus definitio & diviſio §. 7. conſtat illa conſenſu §. 8. perſonæ eligentes §. 9. Electorum numerus §. 10. ſeptemvirorum origo §. 11. ſeqq. ratio numeri ſeptenarii §. 20. jus ſeptemvirorum certum §. 21. & independens §. 22. octavi & noni Electoratus moralitas §. 23. ſeqq. perſonæ eligendæ requiſita §. 38. ſeqq. electionis præparatoria §. 50. ſeqq. ſolennia antecedentia §. 56. 57. electio fit per Electorum vota §. 58. ſeqq. electionis oblatio & acceptatio §. 63. ſolennia conſequentia §. 64. effectus §. 65. 66. 67.

§. 1.

COnſideratis Germaniæ Territoriis, ad commune Caput, ſeu Imperatorem progrediendum erit *v. l. 3. c. 1. §. 1. Germanorum Imperator*, eſt *Princeps, ab Electoribus,*

ribus, nomine totius Imperii, legitime ad ſolium evectus, ut, ſalvis Statuum juribus, cum ſummo imperio ac exiſtimatione, Reipublicæ germanicæ rite præſit.

§. 2. Univerſa tractatio, huic quoque definitioni lucem allatura, his capitibus conſtare videtur (1.) *quomodo Cæſar conſtituatur* (2.) *quæ ſint ejus jura ac obligationes* (3.) *quomodo deſinat.*

§. 3. Summos imperantes *electione* vel *ſpeciali*, vel *generali*, quam ſequitur *ſucceſſio*, ad ſolium evehi, notum eſt, *utra autem altera præſtet*, prudentiæ eſt quæſtio, quam in neutram partem apodictice decideris.

§. 4. In regno Francorum *antiquo & novo Orientali* ſeu *Germanico*, etiam ultra *Carolingos*, usque ad *Henricum IV.* obtinuiſſe *ſucceſſionem*, rerum germanicarum ſatis periti fere concedunt.

§. 5. Ab hoc vero tempore fluctuare, eique ſenſim *electio* ſubſtitui cœpit, donec Aurea Bulla Capitulationibusque à *Carolo* usque *V.* conſcribi cœptis, penitus fuerit confirmata, ut nunc quidem de *pura electione* nullum ſuperſit dubium, *vid.* CONRING. *ad Lampad. p. 3. c. 2. §. 4.* KULPIS. *ad Monzamb. p. 2. c. 4. §. 1.*

§. 6. Alii tamen, rerum germanicarum non minus periti, ut LEHMANN. *Chr. Spir.*

l. 5. c. 14. & noviſſime Coccejus, *J.P.P. c. 7. §.* 13. in regno Francorum & Germanorum, ſemper *electionem* obtinuiſſe arbitrantur, hinc hactenus rem in medio relinquimus, cum inſtituto noſtro nec prolixa conveniat disquiſitio, nec hodie referat, quam tandem ſequi velis ſententiam.

§. 7. Electio eſt *actus ſolennis, quo, nomine totius Imperii, Electores perſonam habilem, Germanorum Reipublicæ legitime præficiunt.* Diſtinguitur in *Ordinariam*, quæ Imperatorem, *Extraordinariam* quæ Regem Romanum i. e. futurum ſucceſſorem, dat, quam poſtea conſiderabimus.

§. 8. Eſt Electio actus conſenſualis, *delatione* Electorum, & *acceptatione* futuri Imperatoris, conſtans; conſenſus vero *habilis* requiritur, qui ex generalibus principiis cognoſcendus.

§. 9. Eligit imperatorem *Totum Imperium, add.* Lehman. *Chr. Spir. l. 7. c. 10.* & olim quidem *immediate*, hodie vero *mediate*, per eminentiores quosdam Germaniæ Principes, qui inde *Electores* dicuntur, de quibus nullibi rectius, quam hoc loco, agitur.

§. 10. Ab initio fuere *ſeptem*, tres Archiepiſcopi, *Moguntinus, Trevirenſis & Colonienſis* & quatuor Principes Seculares, *Rex Bohemiæ, Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ &*

Mar-

Marchio Brandenburgicus. Sed à tempore Pacis Weſtphalicæ acceſſit *Dux Bavariæ*, & noviſſime 1692. *Dux Hannoveranus.*

§. 11. Quo *tempore & modo* cœperint Septemviri, multa ſemper fuit diſputatio. Quidam conſtitutionem eorum tribuunt (1) Carolo M. (2) Ottoni III. & Gregorio V. Pontifici Romano (3) Henrico II. ſive ſancto (4) Conrado II. (5) Friderico I. (6) Carolo IV. (7) Ottoni IV. *vid.* SCHWED. *Introd. ad J. P. p. ſp. ſect. 2. c. 2.* § 2. VITRIAR. *J. J. P. l. 1. tit. 13.* §. 3 LEHM. *Chr. Spir. l. 5. c. 17.*

§. 12. Sed veroſimillima eſt ſententia, cœpiſſe Septemviratum in *medio* circiter *Seculi XIII.* & quidem Septemvirorum *uſurpatione* eique reſpondente reliquorum Procerum *tacito conſenſu.* Ex horum repetitione *conſvetudo & Præſcriptio*, ſenſu juris Gentium, i. e. *conſenſu præſumto facta translatio*, eſt enata, quam demum Aurea Bulla penitus confirmavit.

§. 13. Alii *expreſſam Imperatoris & Papæ conſtitutionem* loquuntur ſed ex præſuppoſita falſa origine. Alii *ſpontaneo Principum decreto* Septemviratum adſcribunt, *vid.* CONRING. *ad Bull. Innocent. X. c. 10. p. 344. ad Lampad. p. 3. c. 4. §. 2. p. 149. de Official. imper.* §. 25. ſed nec illam ſententiam probabilem eſſe, ex communi mortalium affectu facile in-

telligitur, *add.* Conring. *de Septemv.* §. 31.

§. 14. Conſvetudinem & Præſcriptionem modo laudatam, fruſtra vellicat, Kulpis. *ad Monzamb. p. 2. c. 4. §. 2. p. 47.* dum ei forte ſaltem tempus, quod Fridericum II. & Rudolphum I. interceſſit, aſſignat, cum tamen, à prima origine usque ad A. Bullam, occurrentes actus, eam effeciſſe cenſendi ſint, hinc Ipse *in diſſert. de Obſerv. Imper.* §. 25. laudat *conſvetudinem.*

§. 15. Dubio procul autem multum *promoverunt* iſtud Electorum inſtitutum, *Archi-officia,* tum temporis certo jure jam conſtituta, horum enim virtute, *inauguratio Regia* ad Officiales pertinuit, quo ipſo egregiam, munus electorium ſibi ſolis vindicandi, nacti ſunt occaſionem.

§. 16. Nec minus illud *promovit* Germaniæ *Status turbidus,* reliquis enim Proceribus, in ſuam potius ſecuritatem ac libertatem, quam communem imperii ſalutem intentis, facile licuit Officialibus, publicæ calamitatis ſenſu forſitan magis, quam ambitione compulſis, electionem ſibi ſolis aſſerere, nec dubitandum videtur, quin Papæ conſilia etiam aliquid huc contulerint, *vid.* Conring. *ad Lampad. p. 3. c. 4. §. 3.*

§. 17. Kulpisius. *ad Monzamb. p. 2. c. 4. §. 2. 3.* eo potius modo Septemviratum invaluis-

luiſſe exiſtimat, quod reliqui Status, ſuas in eligendo, vices, ſubinde Archiofficialibus delegaverint, & hi ſenſim jus delegatum, proprio nomine, exercere cœperint.

§. 18 Enimvero uti iſtam *delegationem* perperam *uſurpationi Officialium*, à nobis poſt alios adſtructæ, opponit KULPISIUS, cum utique, per uſurpationem, jus delegatum in proprium converti debuerit, ita ipſam delegationem, idoneo teſtimonio, vel conjectura, non probat, imo tempus, quod iſti juris procuratorii, in proprium, converſioni aſſignat anguſtius videtur, quam ut eodem illa effici potuerit.

§. 19. Nam Cæſares usque ad Fridericum II. *vid.* LAMPAD. *de Repub. germ. p. 3. c. 4. §. 1. 2.* ipſe etiam Fridericus ejusque filii Henricus & Conradus ab omnibus Statibus ſunt electi, docente KULPISIO *d. l. p. 41.* Henricus Haſſiæ Landgravius & Wilhelmus Hollandiæ Comes, Friderico II. oppoſiti, à ſolis Septemviris electi ſunt, in Rudolpho I. Jus Septemvirorum fuit certum ID. *d. l. p. 42.* Ergo tantum ſuperſunt electiones Richardi Comitis Cornubiæ & Alphonſi X. Regis Caſtiliæ, quæ Rudolphi electionem anteceſſerunt: In his ergo *vid.* BURGOLD. *p. 1. Diſcurſ. 11. §. 14. in fin.* jus delegatum in proprium converſum eſſe oportuit, quod valde improbabile. Sed in hoc ſumma rei non vertitur!

§. 20.

§. 20. Ad Principes *Eccleſiaſticos & Seculares*, eosque numero *ſeptem*, ideo munus Electorium devenit,quia Archiofficia utrique Ordini illo numero erant conceſſa, in cujus rei ratione explicanda, multi ſvaviter ſomniant, *vid.* MONTESPERAT. *in vindic. P. O.* §. 19. *n.* 58. *ſeqq.*

§ 21. Poſt A. Bullam, ſine contradictione, Electores ſuo jure ſunt uſi, nam quod olim Dux Bavariæ, controverſiam Palatino moverit, id non pertinet ad neganda ſeptemvirorum jura, ſed Palatinum ex hoc numero expungendum, *vid.* CONRING. *ad Lampad. p.* 3. *c.* 4. §. 4.

§. 22. Eſt porro illud eligendi jus, *independens*, quod ex ſchedis Baronis Boineburgii vulgo aſſeri ſolet, *vid.* BOECLER. *N. J. l.* 6. *c.* 2. *n.* 11. KULPIS. *ad Monzamb. p.* 2. *c.* 4. §. 7. nam lege fundamentali, non precaria Statuum reliquorum delegatione, nititur.

§. 23. *Octavi & noni* Electoratus *origo* uti ſatis expedita, *vid.* CONRING. *d. l.* ita de eorum *moralitate* diſputatur, ſed cum octavus omnium Statuum conſenſu fuerit inſtitutus *J. P. art.* 4. §. 5. ideo vix ſpeciem habent,quæ ejus inſtitutioni opponuntur, v. gr. quod ſeptemviratus nitatur A. Bulla, aut octavus mutet formam Reipublicæ.

§. 24. Major difficultas circa inſtitutionem

nem *Electoratus Noni* ſubeſſe videtur, cum *ſolo Cæſaris ac Electorum conſenſu* eadem ſit peracta, de cujus rei hiſtoria, annales publici conſulendi.

§. 25. Quo Status controverſiæ recte formetur, obſervandum, eſſe quæſtionem de *ſola dignitate & munere Electorali*, non etiam ſimul de *jure Status*, hoc enim Dux Hannoveranus jam optimum maximum habuit, *vid. l.4.c.3.§.12.*

§. 26. Hinc quæritur *an, ſine conſenſu reliquorum Statuum, Cæſar & Electores, Duci Hannoverano dignitatem & munus Electorale conferre potuerint?* pro Cæſaris & Electorum libertate juxta communia ratiocinandi principia eſt præſumtio.

§. 27. Hinc rectius faciunt, qui horum partes tuentur, ſi iſta prærogativa nitantur, & rationes oppoſitas ſolum diluant, quam ſi intempeſtivam probationem moliantur, quæ variis exceptionibus ſolet eſſe obnoxia.

§. 28. Libertatem autem Cæſaris & Electorum eſſe legibus fundamentalibus reſtrictam, operoſe probare voluerunt, qui partes Statuum reliquorum tuentur. Potiora, cum reſponſionibus dari ſolitis, retuliſſe, ſuſpenſa ubique propria deciſione, non inopportunum fuerit.

§. 29. Dicitur itaque (1) *Electores jus eligendi,*

gendi, tacito reliquorum Statuum conſenſu acceptum, non poſſe, ſine horum voluntate, aliis communicare, ſed negatur conſequentia majoris, *cum facultas communicandi non ſit reſtricta, quod vel ex ſola conſenſus taciti indole conſtet, qui reſtrictionem aut prohibitionem continere non poſſit.*

§. 30. (1.) *Septemviratum niti diſpoſitione Aureæ Bullæ;* Verum *hanc confirmare quidem Septemviros, ſed, ad hunc numerum præciſe ſervandum, non obligare*, à parte altera reſpondetur, nam hoc ex eo conſtare, *quod Electoribus jus antea competens A. B. confirmetur, competiiſſe autem cum libertate augendi.*

§. 31. Inſtant tamen illi (3.) *facultatem augendi, inde prohibitam cenſendam eſſe, quod Electoratuum diviſio A. B. prohibeatur*, ſed à *diviſione, cum diminutione potentiæ Electoralis, conjuncta, ac, ob fortuitam generationem, inter Electores magnam inæqualitatem introductura, ad introductionem novi Electoratus conſulto factam N. V. C.* hi reſpondent.

§ 32. Addunt illi (4.) *per obſervantiam ſenſum prohibitivum Aureæ Bullæ eſſe aſſertum*, nam Maximilianum & Bethlehemem Gaborem, Electoratum petentes, ideo repulſam tuliſſe, quod, ab *antiquis inſtitutis* recedendum non eſſe, exiſtimaverint Proceres Germaniæ.

§. 33.

§. 33. Verum *antiqua inſtituta prætextui eſſe ſumta, cum ratio datæ repulſæ, ex aliis cauſis politicis dependerit,* ab his reſpondetur, addentibus, *in univerſum abſurdum eſſe, ex ejusmodi reſponſionibus, interpretationem uſualem velle elicere.*

§. 34. Pergunt illi (5.) *A. B. accepiſſe interpretationem authenticam in tractatu pacis Weſtphalicæ, in eo vero & Cæſaris* propoſitionem & *quorundam Statuum* vota *oſtendere, quod A. B. prohibitive numerum ſeptenarium determinet.*

§. 35. *Cæſaris vero propoſitionem aut quorundam Statuum vota, non facere legem fundamentalem, adeoque fruſtra inde peti interpretationem authenticam,* ab altera parte denuo reſpondetur, hoc inſuper cauſante, ſæpe, in ejusmodi propoſitionibus & votis, aliquid ex ratione Status jactari, quod ne ipſi quidem proferentes verum credant.

§. 36. Poſthæc à parte Statuum urgetur (6) *Electoratum octavum, omnium Statuum conſenſu, eſſe introductum, adeoque Status nunc eſſe in poſſeſſione.* Verum iſtam inſtitutionem fuiſſe *conditionem pacis,* præterea non tantum de *munere Electorali,* ſed & *jure Status conferendo* ibi eſſe actum, altera pars reſpondet, hinc ab illo caſu, ad *caſum ſolius muneris Electoralis, in pace conferendi,* male inferri, ulterius cenſet.

§. 37.

§. 37. His & aliis rationibus, ſortem tamen præcedentium fere ſequentibus, petitur Novemviratus, velut in abſtracto conſideratus, deinde vero quædam ei, in concreto ſeu ratione Ducis Hannoverani ſpectato, opponuntur. Sed uti in ſe oppido lubrica ſunt, ita ad præſens negotium nihil omnino facere videntur, cum à rationibus in theſi prolatis, totius controverſiæ deciſio dependeat, *v.* THUCEL. *Elect. Jur. public. curioſ. c. 2. p. 68.*

§. 38. De perſonis *eligentibus* pro ratione inſtituti ſatis. In *eligenda* requiritur *habilitas*, quam leges fundamentales, expreſſæ vel tacitæ, definiunt; Hæ uti à toto Imperio tolli poſſunt, ita, ratione Electorum, ſunt *immutabiles*, quare quæ hic de *habilitatis neceſſaria obſervantia* dicuntur, de Electoribus tantum ſunt exaudienda.

§. 39. Requiritur igitur in Eligendo (1) ut ſit *mas*, requiſiti neceſſitas ex *Lege Salica* deducitur, *vid.* KULPIS. *ad Monzamb. c. 1. §. 3. 4.* hujus autoritas ſi non ſufficere videatur, *obſervantia* in ſubſidium erit vocanda.

§. 40. (2) *Legitime natus*, male natum viliora munera averſantur, multo magis igitur ſolium imperiale, hinc Germanos legem hic tuliſſe, Electoribus neceſſario obſervandam, vel ex communi hominum affectu concludere fas erit.

§. 41.

§. 41. 3) *Natione Germanus*, quod requiſitum rectiſſime iterum ex *obſervantia* deducitur *vid.* KULPIS. *de obſervant imper.* §. 17. *ſeq q.* Obſervantiæ autem *veritatem*, ex *affectu* Germanorum, repetere licebit.

§. 42. Nam ſicut omnes ingenii erectioris gentes, ob innatam ſui ipſius æſtimationem, externam dominationem averſantur, ita Germanos quoq; eam aliqua lege excluſiſſe, adeoque morem eligendi hactenus adhibitum, in terminis indifferentis cujusdam placiti, non ſubſtitiſſe, ſed in legem abiiſſe, exiſtimandum eſt.

§. 43. Germanorum tamen affectui & hinc ortæ obſervantiæ ſatisfit, dummodo eligatur Imperator, *Germano ſanguine cretus*, ut autem præciſe *in Germania natus ſit*, id non requiritur, ſic non indigemus abſurda allegatione *l. 7. C. d. incol. l. 3. C. ad municipal.* quæ multis hic familiaris eſſe ſolet.

§. 44. (4) *Juſtus, bonus & utilis A. B. tit. 2.* ſed quis talis non eſt in vita civili, ſi potens ſit? (5) *Religionis Romano-catholicæ* vel *Proteſtantium*, veritas requiſiti ex *ſancita harum religionum tolerantia*, non autem ex eo, quod *caput populi Chriſtiani* Imperator ſit *A. B. tit. 2.* deduci debet, nam etiam infidelis aut hæreticus, caput Chriſtianorum eſſe poteſt, quod non percepit VITRIAR. *l. 1. tit. 5. §. 3. vid.*

VINDIC. VITRIAR. CASTIG. §. *235. ſeqq.*

§. 45. Præterea vulgo requirunt, ut (6) ſit *Perſona illuſtris*, VITRIAR. *d. 2. §. 2.* ſed hoc requiſitum *nulla lege*, ne *obſervantia* quidem, nititur, nam neque promulgatio expreſſa, neque juſta ratiocinatio aliquam oſtendit, ſed ab *utilitatis reſpectu ſeu ratione Status* dependet, quæ quavis lege efficacior eſt, & apud incautos legem mentitur, *vid.* VINDIC. VITRIAR. CASTIG. §. 238. KULPIS. *de Obſerv. imper.* §. 22.

§. 46. Porro exigunt (7) ut ſit *Laicus*, cum *temporale caput* eligi debeat per *A. B. tit. 2. v.* VITRIAR. *d. l.* verum ex Clerico etiam poteſt temporale caput fieri, quemadmodum v. gr. ex Comite fit Cæſar, & quis qualitatem Cæſaris *conſtituti* in *conſtituendo* indiſtincte requireret? ſic enim eligendus ante electionem, Imperator eſſe debebit, *vid.* VIND. VITRIAR. CASTIG. §. 239. *ſeqq.*

§. 47. Ulterius poſtulant (8) ut ſit *juſtæ ætatis* VITRIAR. *d. l.* ſed nulla lege hæc definita eſt, nam nec definitio, quæ in nuperrima capitulatione *Joſephi art. 47.* facta eſt, pro *univerſali*, ac Electoribus *immutabili* lege, haberi poteſt.

§. 48. Denique requirunt (9) ut ſit *potens vid.* SCHVVED. *p. ſp. ſect. 1. c. 2. §. 4. n. 7.* verum & hoc *utilitatis reſpectu* nititur, qui an *obſervantiam* introduxerit, non ſatis liquet. §. 49.

§. 49. Tandem etiam (10) *auguſtum corpus* & (11) *linguæ Germanicæ* ac *latinæ peritiam* in eligendo deſiderant, ſed illa & ejus generis alia, non ex legibus fundamentalibus, ſed locis communibus ſcriptorum dependent.

§. 50. Poſtea videndum, quomodo electio in actum deducatur: ubi quidem *præparatoria*, deinde *ipſa electio* ſpectari poſſunt, in quibus recenſendis erimus breviſſimi, cum iſta paſſim adducantur.

§. 51. Inter præparatoria occurrit (1) *Convocatio Electorum*, quæ eſt actus, quo Elector Moguntinus ipſe, licet nondum infulatus aut inveſtitus, reliquos Electores ipſos & omnes, licet nondum inveſtitos aut infulatos; ſuo tamen jure quiete fruentes, &, omiſſa vel in totum, vel pro parte, convocatione, ultro, virtute *A. B. c. 1. §. 21.* comparituros, intra menſem, à die cognitæ Imperatoris mortis, numerandum, literis patentibus, propriis ſumtibus convocat, ut intra tres menſes integros, vel à die factæ inſinuationis, vel alio habili termino, à Moguntino præſtituto, computandos, Imperatoris eligendi cauſa, Francofurti, vel alio loco, juxta utilitatem imperii definiendo, conveniant.

§. 52. (2) *Salvus conductus*, qui eſt jurata promiſſio, quam Status, per quorum territo-

ria Electores tranſeunt, His de tuto itinere, ſi tempeſtive requiratur, neceſſario facere debent. Hodie ob mutata tempora, exigi non ſolet Salvus conductus, exactus tamen omnino eſt præſtandus.

§. 53. (3) *Comparitio* i. e. actus quo Elector, vel ſpeciali Moguntini vocatione, vel ſola lege citatus, immediate vel mediate, per unum aut plures Legatos, mandato, ad certam perſonam non reſtricto, *vid. A. B. c. 19.* SCHVVED. *Sect. 1. c. 2. §. 14.* inſtructos, abſentiamque Domini, jurata aſſeveratione, haut excuſaturos, cum Comitatu 200. Equitum, neceſſario ſub pœna amittendi illa vice voti, in loco electionis ſe ſiſtit.

§. 54. (4) *Juramentum civitatis electioni deſtinatæ*, quod eſt jurata promiſſio, qua Magiſtratus ac cives Securitatem ac tutelam, nec non peregrinorum omnium, niſi Electoribus ſtipulantibus promittunt.

§. 55. (5) *Deliberatio de capitulatione concipienda, ejusque conceptio*, quam Statuum reliquorum *monita*, quæ tamen parum attenduntur, ſequi ſolent; ipſa capitulatio perperam hoc loco exponitur, cum, in tractatione legum fundamentalium, locum ſuum ſortiatur, (6) *aliorum ad electionem pertinentium ordinatio.*

§. 56. Circa *electionem*, ſpectantur vel *externa Solennia*, vel *ipſa electio ſtricte dicta*, *ſeu vis ejus interna*; Illa electionem vel *antecedunt* vel *ſequuntur*.

§. 57. *Antecedentia* ſunt (1.) ſolennis ad templum à curia proceſſio (2.) conſuetus in templo conſeſſus (3.) liturgia (4.) juramenti electorii præſtatio (5.) ſecesſio in conclave electionis (6.) Secularium Electorum, de ſervanda capitulatione, promiſſio, ſi fors aliquis ex iis in Imperatorem eligatur.

§. 58. Circa *electionem ſtricte dictam* conſiderari poſſunt (1.) *decretum Electorum* ſeu electio ſtrictisſime accepta (2.) *decreti oblatio* (3.) *ejus acceptatio*.

§. 59. Decretum componitur ex Electorum *votis*, quæ Moguntinus juxta Eorum prærogativam, ne quidem intervenientibus Legatis mutandam, à ſingulis requirit, ac ipſe, à Saxone interrogatus, ultimum addit.

§. 60. Poteſt etiam Elector ſibi ipſi votum dare, & omnibus liberum eſt ſive palam ſive ſecreto vota proferre, *vid. A. B. c. 2. §. 10.* VITRIAR. *J. J. P. l. 1. tit. 6. §. 15.* LEHM. *Chron. Spir. l. 7. c. 76.*

§. 61. In caſu diſſenſus, voluntas *majoris partis*, decretum electorium continet, dummodo ratione *totius Collegii*, non tantum *ſingularum partium diſſentientium major ſit*,

Digitized by Google

vid. VITRIAR. *l.* 1. *tit.* 6. §. 15. ARUM. *ad. A. B. diſcurſ.* 2. §. 15. 16. *add.* SCHWED. *ſect.* 1. *c.* 2. §. 3.

§. 62. Elector tarde adveniens, ratione eorum, quæ adhuc peragenda reſtant, admittitur, ſi poſt præſtitum juramentum, intra 30. dies electio non fiat, pane & aqua Electores nutriri debent, quæ pœna locum nunquam habuit, quia nunquam contra legem iſtam peccarunt Electores, aliter SCHWED. *d. c.* 2. §. 24.

§. 63. Decretum factum, ac in conclavi publicatum, Cæſari electo *offertur*, isque, ſub conditione capitulationis, illud acceptare rogatur. Quod ſi placeat, ſequitur ejus *acceptatio* cum *jurata* de ſervanda capitulatione *promiſſione*, quam præſens in electionis conclavi, abſens in loco ubi eſt, vel qui deinde huic rei deſtinatur, peragit, *vid.* VITRIAR. *d. tit.* 6. §. 17. SCHWED. *d. c.* 2. §. 23. RHET. *J. J. P. l.* 1. *tit.* 4. §. 35.

§. 64. Factam electionem *conſequitur* Moguntini *gratulatio*, quam *gratiarum actione*, pro collato imperio, Cæſar rependit: *Electionis in ſcripturam redactio*, ejus *proclamatio*, Cæſaris *ad Altare deductio*, in throno *collocatio* ac *ſolennis ad Palatium proceſſio*, *vid.* SCHWED. *p. ſp. ſect. c.* 2. §. 5. *ſeqq.* VITRIAR. *d. tit.* 6. in omnibus Solennibus addiſcendis, auto-

autopſia aut praxis, omni doctrina, eſt efficacior.

§. 65. Electione legitime peracta, Imperator conſequitur *Imperium*, non tantum in *Germaniam*, ſed omnes etiam *alias regiones*, quæ Germanorum imperio aliquando ſubfuerunt, nec legitimo titulo exemtæ ſunt; in ſpecie in *reliquias imperii Romani*, & *regnum Longobardicum*.

§. 66. Accipit tamen imperium, juxta menſuram capitulationum, i. e. ſalvis Statuum juribus, hæc adeo non à beneplacito Cæſaris dependent, ſed virtute legum fundamentalium, Statibus competunt, *vid. Capit. Leopold. art.* 3.

§. 67. Exinde manifeſtum eſt, *confirmationem privilegiorum*, quam vocant, ratione Statuum, non eſſe *neceſſitatis*, ſed *ſolennitatis* ſaltem, ut eam acrius urgere, fuerit hominum, vim electionis, & jura ſua non intelligentium, *add.* SCHWED. *d. c.* 2. §. 26.

CAP. II.

De Imperatoris Coronatione.

SUMMARIA.

Coronatio §. 1. *olim quadruplex fuit* §. 2. 3. *Coronatio Romana* §. 4. *ejus falſa interpretatio* §. 5. 6. *uſus*

 §. 7.

§. 7. duratio §. 8. ſeqq. utilitas §. 13. 14. Coronationis germanicæ §. 15. locus §. 16. jus coronandi §. 17. coronationis ſolennia §. 18. 19. coronatio imperatricis §. 20.

§. 1.

Lectionem ſequitur *Coronatio*, quæ eſt *actus ſolennis & ſacer, quo per coronæ aliorumque inſignium applicationem, imperii humani natura & divinitas, tam Regi novo, quam Proceribus ac ſubditis Reipublicæ oſtenditur, gratiæque divinæ futurum regimen commendatur.*

§. 2. Uti apud alias Gentes, ita procul dubio, Germanos quoque, ex *pietate* invaluit *Coronatio*, & olim pro ratione imperiorum, quadruplex in uſu fuit, *Arelatenſis, Longobardica, Romana & Germanica, vid.* SCHVVED. *p. ſp. ſect. 1. c. 2. §. 27. 28.* CONRING. *aſſert. jur. Mogunt. pag. 4.* ARUM. *ad A. B. D.* 6. §. 37. *p.* 322. SCHURTZFLEISCH. *de div. Imper. Karol. §. 78.*

§. 3. Duæ priores dudum frequentari deſierunt, tertia diu ſatis manſit, quarta vero hodie ſolum inſtituitur. Operæ pretium erit, de duabus poſterioribus, quædam in medium proferre.

§. 4. Coronatio Romana fiebat Romæ à Ponti-

Pontifice, intuitu imperii Romani occidentalis, & nihil aliud erat, quam ſolennis inauguratio quam Pontifex, velut primarius Clericus & Subditus faciebat, perinde ſicut in aliis regnis eam peragunt Archiepiſcopi; nam imperium in Romam, ex *electione ſola Germanorum* Imperator obtinet, *vid.* SCHWED. *Sect. 1. c. 2. §. 25.*

§. 5. Sed Aſtutia & malitia Pontificum, in alium longe ſenſum, coronationem iſtam interpretata eſt, quaſi ſcil. Pontifex per eam, velut *Vice-Deus, Electo Imperatori omne imperium, etiam ratione Germaniæ conferret*, adeo ut Imperator, *ſubditus* vel minimum *Vaſallus Pontificis* ſit, *vid.* MONTESPER. *V. P. O. §. 36. 37. Clement. un. de jurejur.* SCHILTER. *d. L. E. G. l. 5. c. 7. §. 1.* LEHM. *Chr. Spir. l. 5. c. 66. 67. 68. 78.*

§. 6. Licet autem illa interpretatio veritati & hiſtoriæ penitus repugnet, in tantum tamen vana illa prætenſio vires cœpit, ut multi Imperatores, ante coronationem Pontificiam, *titulo Imperatorio* abſtinuerint, aliis tamen animoſius eum ſibi vindicantibus, *vid.* CONRING. *de G. J. R. c. 10. §. 33. ſeqq. c. 13. §. 6.* 15. 16. 17. 18.

§. 7. A temporibus *Caroli & Ottonis M.* usque ad *Carolum V.* coronatio illa in uſu, & magnis ſumtibus petita fuit, dum Proceres

 impe-

imperii Imperatorem Romam, valido ſatis exercitu, comitabantur, hinc nomen expeditionis Romanæ des Römer-Zugs/ exortum, *vid.* LEHM. *Chron. Spir. l.* 7. *c.* 11. *n.* 3. GIBELLIN. *Cæſareop. Rom. p.* 2. *c.* 4. §. 28.

§. 8. Poſt *Carolum V.* nullus Imperator coronam Romanam accepit, inde factum aliqui arbitrantur, quod Cæſares non abſolute *Imperatores Romani*, ſed *Electi Imperatores Romani*, dicantur.

§. 9. Sed illa appellatio vel mere fortuita eſt, vel ſi conſulto fuit adhibita, factum id eſt, non *notando imperii defectui*, juxta interpretationem Romanenſium, ſed *veræ ejus cauſæ.*

§. 10. Cæſares tamen *Carolum V.* ſecutos, ex capitulationibus ad petendam coronam fuiſſe obligatos vulgo putant, *vid.* SCHWED. *d. c.* 2. §. 29. ſed forte illa capitulationum clauſula non *obligationem Cæſaris* continet, ſed *retenti ſolum in Romam imperii indicium eſt.*

§. 11. Interim quia ambiguitas circa eam occurrit, nec, retinendo in Italiam imperio, eadem præciſe eſt neceſſaria, hinc in Capitulationibus *Leopoldi & Joſephi* eſt omiſſa, ex quo ſtilum futurarum capitulationum facile conjicere licet.

§. 12. Exinde aliqui contendunt, *coronationem Romanam in uſu eſſe deſiiſſe*, quos præcipitantiæ à BURGOLDENSI inſimulari dicit

cit RHETIUS *in comment. ad jus feud. l. 1. tit. 1. p. 89.* ſi inter *neceſſitatem & jus* petendi diſtinguas, omnis controverſia componi poteſt.

§. 13. Ex hypotheſi Italiæ, in exemtionis Statu manentis, coronatio Romana Germanis plane inutilis cenſeri debet, quid enim proderit inanem ac ſuperſtitioſum ritum magno pretio redemiſſe? quodſi coronatio ſenſu pontificio explicetur, tum eadem Germaniæ plane eſt intolerabilis.

§. 14. Quia tamen fraus pontificiæ interpretationis facile pellucet, adeoque Pontificis cauſam, exorta luce, tueri nequit, hinc nullius magis, quam Pontificis Romani, intereſt, æterna oblivione coronationem Romanam ſepeliri, hinc vix dubitem, quin artibus Curiæ papalis effectum ſit, ut mentio coronationis illius, in Capitulationibus fuerit omiſſa.

§. 15. Hodie igitur ſola *Germanica* ſ. *Aquisgranenſis A. B. c. 26. §. 4.* obtinet, ad quam impetrandam Cæſar quoq; obſtringitur, *vid. Capitul. Leopold. art. 37. Joſephi art. 36.*

§. 16. Locus coronationis eſt *Aquisgranum*, Regum Franciçorum ac in ſpecie *Caroli M.* ſedes, cujus memoria procul dubio honorem hunc illi conciliavit, *vid.* CONRING. *in aſſert. jur. coron. Mogunt. p. 13. ſeq.* Neque tamen

men præciſe, loco iſti coronatio eſt adſtricta, ceu varia exempla teſtantur *vid.* SCHW. *d. c.* 2. §. *31.*

§. 17. De jure coronandi, inter Archiepiſcopum Moguntinum & Colonienſem, olim lis fuit, *vid.* CONRING. *de jur. coron. Mogunt.* LEHM. *Chr. Spir. l.* 3. *c.* 22. magno ſatis fervore agitata, ſed transactione ita compoſita, ut unusquisque, in ſua Diœceſi, coronationem peragat, in loco vero tertio, alternationi inter eos locus ſit, dummodo ſint *inſulati*, hunc enim actum, non ut *Electores*, ſed *Archiepiſcopi*, peragunt.

§. 18. Ipſum coronationis actum, cum ſolennibus, quæ vel antecedunt, vel eum comitantur, aut conſequuntur, & Schematibus neceſſariis, prolixe recenſent ſingularum coronationum deſcriptores: paſſim etiam in libellis ſyſtematicis illa proſtant, *vid.* SCHWED. *d. c.* 2. §. 38. *ſeqq.* ut iſta carmina amplius exſcribere, putidum videatur. *conf.* LEHM. *Chr. Spir. l.* 5. *c.* 3. *l.* 7. *c.* 39.

§. 19. Multa in iis videntur eſſe arbitraria, adeoque mutationi obnoxia, quædam etiam ſunt ſuperſtitioſa, imo Germanis ignominioſa & noxia, quale eſt juramentum, de Papa honorando, nam, iſto terriculamento, generoſos Cæſaris conatus, ſemper impedire poteſt Clerus.

§. 20.

§. 20. Solet etiam Imperatoris Conjux coronari, quæ coronatio non arguit aliquod *imperium*, quod Imperatrici competat, ſed ſignificandæ ſaltem & confirmandæ ſummæ *exiſtimationi & felicitati*, qua Eadem gaudet, inſtituitur, ac ſimul earum continuatio à Deo expetitur.

CAP. III.

De Majeſtate Imperatoris ſeu jure ratione totius Imperii.

Imperator habet ditiones hæreditarias §. 1. ad eas non pertinet Jus Imperatorium §. 2. ſed ad ditiones Cæſari quà tali conceſſas §. 3. & Territoria Statuum §. 4. Majeſtatis Cæſareæ norma, falſa §. 5. 6. vera §. 7. ſeqq. Cæſaris Majeſtas vera quidem, ſed non plena eſt §. 14. ſeqq. recte dicitur Majeſtas Reſervata §. 19. ejus partes dicuntur reſervata §. 20. horum numerus §. 21. 22. 23. ſunt triplicis generis §. 24. ad primum genus pertinet jus primariarum precum §. 25. ſeqq. jus inſtituendi Academias §. 44. 45. 46. civitatis dandæ, nundinas inſtituendi §. 47. 48. jus privilegia concedendi §. 49. 50. 51. legitimandi ſpurios, veniam ætatis dandi §. 52. conferendi dignitates, creandi Notarios §. 53. jus poſtarum §. 54. viarum §. 55. hæc Reſervata recte etiam Statibus, in Territoriis ſuis, tribuuntur §. 56. ſeqq. ad ſecundum

dum genus pertinet jus inveſtiendi de feudis immediatis §. 65. jus legitimandi, aliaque §. 66. quæ Reſervata Statibus non competunt §. 67. ad tertium genus ſpectant jus proponendi in Comitiis ſimiliaque jura §. 68. ſeqq. Reſervata dubia §. 71. ſeqq. hactenus dicta pertinent ad Germaniam §. 80.

§. 1.

IMperator, ex Proceribus Germaniæ electus, ditiones ſuas, ad Germaniam pertinentes, *jure Status* retinet, quæ ideo etiam *hæreditariæ* die Erbländer vocari ſolent.

§. 2. Ab his animus averti debet, ſiquidem jus Cæſareum recte intelligere velit; Hoc facto, duplicis generis ditiones ſupponi poſſunt, vel (1) Imperatori peculiariter deſtinatæ, vel (2) Territoria, in quæ univerſum imperium diſtributum eſt, quæque à Statibus, eo jure, quod in præcedentibus expoſitum eſt, poſſidentur.

§. 3. Prioris generis ditiones quod ſciam, in Germania non occurrunt, ſi tamen aliquando feuda aperta Cæſari reſerventur, dubium non eſt, quin in iis *veram & plenam* Majeſtatem ſit habiturus, cui non oberunt leges, ejus exercitio datæ, aut negata alienandi facultas, nam hæc Majeſtatem non imminuere, apud peritos in confeſſo eſt.

§. 4.

§. 4. Omne igitur jus, quod Cæſari qua tali competit, reſpicit Territoria à Statibus jure territoriali occupata, tam ſigillatim, quam conjunctim ſumta. Quo illud diſtinctius intelligatur, forte hæc expendi debent (1) *quæ ejus ſit norma,* (2) *quale & quantum ſit,* (3) *quo nomine inſigniri poſſit.*

§. 5. Quoad primum certum eſt, quod Poteſtas Cæſaris, non ſit dijudicanda, juxta *ideam imperii civilis in genere*, aut *imperii Romani antiqui & legem Regiam*, vel *doctrinam* GOLDASTI, quam prætenſionibus Pontificiis oppoſuit, *vid.* BOECLER. *N. J. l. 4. c. 1. n. IV.* nam illa omnia Germaniam non attinent.

§. 6. Sed nihil etiam dixiſſe exiſtimandus eſt BOECLER. *d. n. IV.* 8. quando *optime inquiſitionem fieri* putat *per ſingula ſummæ poteſtatis jura,* nam inquiſitio illa non poteſt eſſe norma ſui ipſius, ſed normam utique præſupponit, ſi fluctuare non debeat.

§. 7. Niſi fallor, norma dijudicandæ poteſtatis Cæſareæ, ſunt *jura Statuum iisque attemperata Imperatoris electio & capitulatio,* nam *electio* oſtendit, quod utique *imperium civile* Imperatori deferatur, ſed *jura Statuum iisque ſurrogata capitulatio* docet, in quantum illud ei competat.

§. 8. Dum autem, volentibus Statibus, eodem

eodem modo, ſicut olim, hodie peragitur *Electio*, hinc pro *pleno imperio* facit præſumtionem, quare Statibus id negantibus, incumbit probatio, *vid.* Kulpis. *ad Monzamb. c. 5. §. 57.* quæ quidem poſt *J. P.* non adeo difficilis videtur.

§. 9. Ex his conſequitur, jura Statuum eſſe quoque normam *juramenti fidelitatis*, quod Cæſari præſtant, nam uti Status majorem poteſtatem Imperatori conferre nolunt, quam jura propria permittunt, ita juramentum etiam aliter præſtare cenſeri non posſunt, quam *ſalvis juribus.*

§. 10. Equidem Kulpis. *ad Monzamb. c. 5. §. fin.* rem inverti & *omnem jurium, Statibus competentium, quantitatem ex tenore juramenti æſtimari* jubet ea ratione, *ut non aliter, quam ſalvo per omnia juramento, quo quisque Imperatori & imperio obſtrictus eſt, exercitium eorum poſſit ſuſcipi.*

§. 11. Sed utut verum ſit, quod nexus, quo Status Imperatori & imperio obſtringuntur, eique ſurrogatum juramentum fidelitatis, exercitium jurium territorialium reſtringat, exinde tamen male negatur, quod vice verſa, jura Statuum juramentum fidelitatis non temperent.

§. 12. Nam Status duo volunt (1) jura territorialia ſalva habere, nec tamen (2) in plenam

nam evadere libertatem, ſed potius aliquo modo Imperatori & Imperio obſtringi.

§. 13. Dum igitur, cum hac duplici intentione, jurant, prior utiq; reſtringit juramentum fidelitatis, ne in præjudicium jurium territorialium extendatur, poſterior vero coercet exercitium eorum jurium, ne nexum, quo Status Imperatori & Imperio tenentur, turbet; Debent igitur iſta conjungi, non unum, alterius argumento, negari.

§. 14. His poſitis ſecundo videndum, *quale & quantum ſit imperium Cæſaris;* Competere ei Majeſtatem ſeu imperium civile, *verum, ſummum* & *ἀνυπεύθυνον*, dubio carere videtur, ſed de *plenitudine* omnis quæſtio eſt, *vid. l. 2. c. 7. §. 27.*

§. 15. Capitulatione Cæſaris Majeſtatem non imminui, omnes illi defendunt, qui Monarchiam in imperio aſſerunt, aut Majeſtatem indiviſibilem credunt; *vid.* VITRIAR. *J. J. P. l. 1. tit. 7. §. 5.* ſed plerique imminutionem vel aperte vel oblique concedunt, *vid.* KULPIS. *ad Monzamb. c. 5. §. 4. p. 72. ſeq.*

§. 16. In eo tamen illam ſolum poſitam eſſe arbitrantur, quod *quoad negotia comitialia, Status in communionem imperii ſint aſſumti* non, quod *aliqua imperii civilis pars plane Imperatori non competat*, nam *Cæſarem à nullo Majeſtatis jure excludi, in quibusdam vero*

eum ſolum habere arbitrium paſſim contendunt; *vid.* BOECLER. *N. J. l. 4. c. 1. n. IV. 8.* SCHWED. *p. ſp. Sect. 1. c. 4. §. 1.*

§. 17. Nimirum perſvaſum iis eſt, omne imperium civile Germanicum conſiſtere in *Reſervatis*, quæ vocant, & *Communicatis*, quæ Cæſar cum Statibus, in Comitiis vel univerſalibus vel particularibus, intuitu negotiorum ad communem imperii ſalutem pertinentium, exercet, quæ Majeſtatis Germanicæ æſtimatio, quo loco habenda ſit, periti & præjudiciis vacui facile intelligunt.

§. 18. Nimia accuratio hic invidioſa eſt, tuto tamen dici poſſe videtur, Cæſaris Poteſtatem in eo conſiſtere, quod, ratione ſingulorum Territoriorum, ea poſſit facere, quæ Superioritatem T. non turbant, aut pacta expreſſa vel tacita permittunt, deinde ea peragere, quæ ad Statuum exiſtimationem & legitimitatem pertinent, denique, quod, in omnibus negotiis, totum imperium concernentibus, non tantum concurrat, ſed & primas ubique partes gerat.

§. 19. *Quo nomine Poteſtas Cæſaris inſigniri poſſit*, tertio videndum. Arbitramur nomen *Majeſtatis reſervatæ*, & congruum eſſe, ſi recte explicetur, & adæquatum, nam licet alias per Reſervata ſaltem intelligantur ea jura, quæ Cæſar ſeorſim exercet, *vid.* BOECLER, *N. J.*

N. J. l. 4. c. 1. n. IV. 6. nihil tamen impedit, quo minus ea etiam, quæ cum Statibus ſimul in actum deducit, ea appellatione complectamur, quam ſuppoſitionem ſectari videtur, KULPIS. *ad Monzamb. p. 2. c. 5. §. 26. p. 180.*

§. 20. Ejus igitur partes communi termino vocabimus *Reſervata*, quæ ſunt *jura independentia, quæ Cæſar, juxta normam legum fundamentalium, antea expoſitam, exercet,* Diviſio in *Ordinaria & Extraordinaria*, legibus germanicis repugnat, adeoque tolerari non debet.

§. 21. In recenſendis autem reſervatis quosdam excedere, quosdam deficere notat, KULPIS. *ad Monzamb. c. 5. §.* 27. cujus rei ratio facile patet, nam plerumque, ſine præſuppoſita certa norma, de reſervatis philoſophari ſolent.

§. 22. Quod vero IDEM exiſtimet, *privatis fere impoſſibile eſſe, numerum reſervatorum definire, poſtquam ipſius Cæſaris Legati, pacificationis Weſtphalicæ tempore, id facere non fuerint auſi*, id non adeo liquidum eſt; nam Legatos Cæſareos, à definitione hujus rei, multa dimovere poſſunt, quæ nec veritati nec privatis præjudicant.

§. 23. Eo ſenſu numerum definiri poſſe arbitror, quod, juxta normam antea datam, probabiliter, de ſingulis juribus propoſitis, ju-

dicari queat, num in cenſum reſervatorum referri debeant, necne; juxta omnia autem ſpecialia objecta, jura illa enumerare fortaſſis non licet, ſed nec hujus definitionis ulla eſt vel neceſſitas vel utilitas.

§. 24. Ex noſtra hypotheſi, qua laxiorem ſuppoſitionem ſectamur, Reſervata reſpiciunt vel (1) *Statuum Territoria & ſubditos* vel (2) *Status ipſos* vel (3) *negotia totius Imperii.*

§. 25. Ex primo genere eſt (1) *Jus primariarum precum,* de quo peculiares diſſertationes FRITSCHII & STÖCKENII exſtant. Eſt autem *jus Majeſtaticum Imperatori electo competens, cujus vi, per univerſum imperium, in quolibet capitulo vel cœnobio, immediato & mediato; ſemel unam perſonam, ſecundum naturam beneficii idoneam J. P. art. 5. §. 18. 26. ad beneficium Eccleſiaſticum vacans, in menſibus tam papalibus ſeu extraordinariis, quam capitularibus ſeu ordinariis, immediate vel mediate præſentat, eo effectu, ut preciſta aliis omnibus ſit præferendus.*

§. 26. Juxta *rei veritatem* dubio procul hoc jus eſt ex *imperio civili,* ſed juxta *Sententiam Pontificiam eique ſuccenturiatam ſuperſtitionem,* ex *privilegio Pontificis,* poſtquam enim maximam juris Sacri partem ad ſe rapuerat Papa, hoc quoque Seculis ſuperſtitoſis perſvaden-

ſvadendum erat, tenues reliquias Cæſari ex benevola Pontificis conceſſione competere.

§. 27. Nolim igitur conceſſionum vel confirmationum papalium diplomata, quale SPECULATOR ſe vidiſſe gloriatur, in dubium vocare, quod aliqui faciunt, nam illa veritatem non mutant, ſed malitiam Pontificis ſaltem oſtendunt, *vid.* SCHWED. *Introd. add. J. P. p. ſp. Sect.* 1. *c.* 5. §. 15. MULDNER. *Poſſit. inaug. de jur. natur. primar. prec. &c. Poſit.* 4. §. 7.

§. 28. Competit hoc jus Cæſari electo, licet nondum coronato SCHWED. *d. c.* 5. §. 16. & quidem per univerſum imperium germanicum, nam ad ditiones exemtas, ejus exercitium referri nequit. Exſerit ſe illud in quolibet capitulo, maſculino & fœminino, religionis Pontificiæ & Proteſtantium ID. *d. c.* 5. §. 17. 18.

§. 29. Porro illud non tantum ad Capitula immediata, ſed & mediata pertinet, quod male negat SCHWED. *d. l.* §. 18. quem *J. P. W. art.* 5. §. 26. perſpicue refellit. Non tamen Cæſar illo jure aliter gaudet, quam ſi minimum, *die* 1. *Jan.* 1624. fuerit in poſſeſſione, nec poſtea legitimo modo jus ſuum amiſerit, nam alias, in immediatis, Capitulo, in mediatis, Domino Territoriali illud jus accreſcit, *vid. l.* 3. *c.* 6. §. 82.

§. 30. Semel autem tantum hoc jus Cæſa-

ri competit, in cujus tamen arbitrio poſitum eſt, quo anno, aut quo vacantiæ caſu, præſentationem facere velit: ſed intra menſem, à die cognitæ vacantiæ numerandum, præſentationem eſſe faciendam & Capitulo inſinuandam, alias Preciſtam non admitti, vulgo volunt, ſalvo tamen jure, alio tempore exercendo, *vid.* MULDNER. *d. Poſit.* 4. §. *11.*

§. 31. AD majora beneficia, ut Epiſcopatus jus Cæſareum, juxta hypotheſes papales, quæ hactenus ſequendæ, extendi non poſſe videtur, etſi cum Fritſchio ita ſentit SCHWED. *d. l.* §. *14.* nam hoc poſito, Epiſcoporum conſtitutio, maximam partem, ad arbitrium Cæſaris rediret, *vid.* MULDNER. *d. l.* §. *9. in fin.*

§. 32. Non tantum vero in menſibus extraordinariiis ſeu papalibus, ſed & ordinariis ſive Capitularibus, jus primariarum precum locum habet, quod Capitulum Spirenſe, ex falſa hypotheſi, fruſtra aliquando negavit. De cætero SCHWED. *d. c.* 5. §. 19. circa diſcrimen menſium bis fallitur, dum eos perverſe indicat, eorumque denominationes generales confundit, *vid.* MULDNER. *d. l.* §. *11.*

§. 33. Exercet Cæſar jus ſuum vel immediate vel mediate, v. g. per Conjugem SCHWED. *d. l.* §. 16. MÜLDNER. *d. l.* §. 4. 10. quod ſi Conjux, quæ hoc jure uſa erat, mortua

tua ſit, tum novæ Conjugi, ratione ejusdem Capituli, id jus Maritus delegare nequit. licet judicium hic ſuſpendere malit MÜLDNER. *d.* §. *10.* nam non ex perſona Conjugis, ſed Cæſaris hoc jus æſtimatur.

§. 34. Vi primariarum precum, preciſta omnibus præfertur, niſi morte, renunciatione, vel negligentia, dum menſem elabi patitur, excludatur, *vid.* SCHWED. *d. l.* §. *19. 20.* Expectantia autem in caſum vacantiæ, conceſſa, Cæſare ante vacantiam mortuo, forte exſpirat, ID. *d.* §. *20. n.* 3. eſt enim jus perſonale, quod vivus Cæſar, vacante beneficio, demum cum effectu exercere poſſe videtur, hinc ſicut mortuus eo jure non gaudet, ita proviſio inefficax & conditionalis, eveniente morte evaneſcit.

§. 35. De *nomine juris primariarum precum* varie ſentiunt. Circa quod probe tenendum, quod non dicatur jus *primarum* der erſten / ſed *primariarum precum* der Fürnehmſten Bitte / quæ duo ſane differunt, quamvis *primum* cum *primario* etiam coincidere poſſit, ſi non de *ordine*, ſed *valore* intelligatur.

§. 36. Hoc poſito nomen *juris primariarum precum*, non recte à *primis petentibus*, quibus talia beneficia largiri Cæſares fuerint ſoliti, repetitur, *vid.* PAURMEIST. *de juris-*

dict. l. 1. c. 4. n. 41. KULPIS. *ad Monzamb. c. 5.* §. 27. nam cur *præſentatio ad preces facta*, nomen *precum* aſſumſerit, nulla idonea conjectura oſtenditur, præterea *primum* & *primarium* non obſcure confunditur.

§. 37. Nec veriſimilior eſt Sententia CONRINGII *ad Bull. Innocent. X. c. 9. p. 311.* nomen hoc *à præbenda prima*, quæ in plerisque Eccleſiis ita competierit Cæſaribus, ut uſusfructus duobus Sacerdotibus, per ipſos Imperatores conſtitutis, ad *preces*, pro Cæſaris imperiique ſalute, fundendas, ceſſerit, repetentis.

§. 38. Cum enim illud jus, ab hoc noſtro, penitus fuerit diverſum, quod ex collatione facile liquet, merito oſtendendum fuiſſet, qua ratione, nomen primariarum precum, illius intuitu exortum, & ad hoc deinde translatum ſit, quæ ſane probatio non ſatis videtur expedita.

§. 39. Magis incongrua eſt eorum Sententia, qui nomen inde repetunt, quod *Cæſari non niſi* prima *i. e.* unica *vice, id jus exercere liceat* SCHWED. *p. ſp. ſect. 1. c. 5. §. 14.* nam ut taceam, inter *primum* & *unicum*, non majorem eſſe convenientiam, quam *ſecundum* & *unicum*, illa ratio manifeſte confundit *primum ratione numeri vel ordinis*, cum *primario*, præterea originem vocis *precum* plane non attingit.

§. 40.

§. 40. Qui vero à *modo expediendi*, quod, per *preces* & *interceſſiones*, hoc jus in actum deduci ſoleat, docentibus diplomatibus Cæſareis, id nominis repetunt, illi rem plane videntur invertere, cum enim diplomata Cæſarea, nomen *primariarum precum*, diſerte contineant, hinc ſatis liquet, nomen iſtud, modo expediendi, eſſe antiquius, & hunc ex illo, non illud ex hoc, eſſe enatum, *v.* PAURMEIST. *de jurisdict. imper. Rom. l. 1. c. 4. n. 45.*

§. 41. Veroſimillima igitur videtur conjectura, quæ jus Majeſtaticum, nomen juris *primariarum precum* inde accepiſſe aſſerit, quod idem, ex *privilegio Pontificis* dependere fuerit exiſtimatum, nam utut hoc falſum ſit, error tamen & ſuperſtitio, nomini iſti facile occaſionem præbere potuit.

§. 42. Juxta *rei* itaque *veritatem*, auguſtius nomen meretur hoc jus, ſed ſecundum *errorem ſuperſtitioſum* abjectius accepit, ipſa diplomata Cæſarea aliquando illam, aliquando *hunc* ſectantur, dum modo per *regalia ſceptra mandant*, modo *virtutem primariarum precum* loquuntur.

§. 43. Nec obſtat, quod, jus & nomen primariarum precum, jam eo tempore, quo, omnis Beneficiorum Eccleſiaſticorum diſtributio, adhuc penes Cæſares eſſet, uſitatum fuiſſe, dicat KULPIS. *ad Monzamb. c. 5. §. 27.*

p. 182. nam hoc neque *d. l.* neque in *Diſſert. de Obſerv. imper.* §. 24. probat, cum *antiqua conſvetudo*, ad quam Rudolphum I. Carolum IV. & Wenceslaum provocare ait, etiam, poſt exortam hierotyrannidem pontificiam, enaſci potuerit.

§. 44. Deinde ad primum genus pertinet (2.) *Jus conſtituendi Academias*, quod eo ſenſu exaudiendum, Cæſarem, Statibus volentibus & petentibus, poſſe certum aliquod docentium diſcentiumq; collegium confirmare eidemque facultatem conferendi honores Scholaſticos, in toto Imperio valituros, largiri.

§. 45. Ex quo liquet, Superioritatem T. cum jure Cæſaris, hic concurrere, hinc in inviti Status Territorio Academiam erigere non poteſt Imperator, quemadmodum nec in *conſtitutam*, ullum jus habet, ſed eadem ſoli Statui ſubeſt, quod non intelligunt, quorum meminit, VITRIAR. *J. J. P. l. 3. tit.* 2. *§. 57.*

§. 46. De ipſis autem Academiis agere debet *Jus privatum*, & ſi ita vis, *Eccleſiaſticum*, cujus fines ſolenniter hic turbari ſolent, *vid.* SCHWED. *ſect. 1. cap. 6.* dixi hac de re in SPECIM. JUR. ECCES. *l. 4. c. 6. 7.*

§. 47. (3.) *Jus civitatis dandæ* (4.) *nundinas inſtituendi*, ſed & hæc reſervata ſe non aliter hodie exſerunt, quam concurrente & coope-

ran-

rante Superioritate T. *conf.* SCHWED. *ſect.* 1. *c.* 17. §. 10. præterea jus nundinarum & Stapulæ ad vicinorum territoria vim ſuam extenſurum (quale olim ſæpius conceſſum fuit) hodie Cæſarem concedere non poſſe, plane exiſtimem ob *J. P. art.* 8. §. 1.

§. 48. Quid autem ſit *jus civitatis ſeu municipii*, tum *quid nundinæ, quotuplices*, & quomodo differant, *à jure ſtapulæ, geranii & emporii*, porro quæ ſint contrahentium in nundinis *privilegia*, id omne exponere debet Jus privatum cujus ſcrinia hic quoq; compilant, *vid.* SCHWED. *d. c.* 17. §. 11. *ſeqq. c.* 20. §. 9. *ſeqq.* VITRIAR. *l.* 13. *tit.* 2. §. 38. *ſeqq.*

§. 49. (5.) *Jus privilegia Statuum ſubditis concedendi*, dummodo ſint innoxia, nec Superioritatem T. offendant, nam ſi Cæſar, immunitatem v. gr. à tributis, concedere ſubdito mediato velit, dubio procul juris ſui ſphæram excederet, *ad Monzamb. de Stat Germ. c.* 5. §. 6. *in fin.*

§. 50. Enormis aſſertio eſt, quam poſt alios fovet KULPIS. *ad Monzamb. c.* 5. §. 27. *jus abſolute omnium privilegiorum concedendorum eſſe ex reſervatis Cæſaris* quam certe neque *R. J.* 1654. §. 115. confirmat, neque diſtinctio inter *defectum poteſtatis in ſe*, & *capacitatis in objecto*, contra objectiones tuetur, nam iſto diſtinctionis abuſu, etiam in Gallia, jus

jus abſolute omnium privilegiorum concedendorum, Cæſari aſſeri poteſt.

§. 51. Hinc ſi inquiras, cur capacitas in objecto deficiat, ſeu cur Statuum ſubditi privilegia Cæſarea recipere nequeant, apparebit, defectum illum oriri ex *imperio Statibus acquiſito*, atque ita ſimul conſtabit, defectum capacitatis in objecto, arguere ſimul defectum poteſtatis in Cæſare, hic enim Status in Jure Territoriali turbare non debet.

§. 52. (6.) *Jus legitimandi ſpurios* (7.) *veniam ætatis concedendi*, ſi tamen his privilegiis frui velint impetrantes, rationibus Territorii ſeſe omnino debent attemperare, niſi fortasſis hæc jura omnino referre quis velit, ad exempla §. 72. 74. cui ob principium §. 7. poſitum, vix contradicerem. Ipſam legitimationem & veniæ ætatis conceſſionem jus privatum explicat, quod juxta leges confuſionis etiam hic exſcribitur. *vid.* VITRIAR. *l. 3. tit. 2. §. 15. 24. vid.* VINDIC. VITRIAR. CASTIG. *§. 247. ſeqq.*

§. 53. (8.) *Jus Statuum ſubditis omnis generis dignitates conferendi* (9.) *Notarios creandi*, ſed & horum jurium uſui modum ponere poteſt Dominus Territorialis, quod exemplo Electoris Brandenburgici illuſtrat KULPIS. *ad Monzamb. c. 5. §. 27. add. Capitul. Leopold. art. 44. Joſeph. art. 43.*

§. 54.

§. 54. (10) *Jus Poſtarum*, hoc Cæſari non aliter aſſerendum, quam ubi conſvetudine id acquiſivit, *vid. Capitul. Joſeph. art. 34.* verbis: **Wo dergleichen Poſt-Aembter vorhanden und hergebracht.** De cætero dignitates ſubditorum, Statum Notariorum & Poſtas Juris prudentia privata exponit, *vid.* SCHWED. *ſect. 1. c. 7. c. 18. §. 8. 10.*

§. 55. (11) *Jus viarum publicarum* VITRIAR. *d. tit. 2. §. 55.* quod non aliter, quam quatenus juris Poſtarum conſectarium eſt, Cæſari aſſeri poteſt.

§. 56. Omnia autem jura hactenus enumerata, & ſi alia ejus generis adhuc ſunt, recte Statibus quoque ratione Territoriorum ſuorum, aſſeruntur circa quod exacte conſentit RHETIUS *Comm. jur. feud. proem. n. 59. pag. 15.*

§. 57. Patet illud, ex jure Territoriali indefinite acquiſito, ac confirmato *J. P. art. 8. §. 1.* deinde ex ipſo plerorumque horum jurium exercitio, quod capitulationibus confirmatur, **ſo ſie bishero gehabt haben oder in Ubung geweſen ſeyn/** *Capitul. Leopold. Joſeph. art. 3.*

§. 58. Imo ſi indolem factæ in imperio mutationis recte expendas, facile conſtabit, Reſervata Cæſari ſaltem competere, ſenſu *poſitivo*, non *excluſivo*, quoad ſingula Territo-

ria-

ria. His accedit argumentum â *majori* ad *minus*, ſcilicet ſi Status habent jura majoris momenti, v. gr. belli, Sacrorum, cur non etiam jus legitimandi, creandi Notarios &c. quæ illis utique minora ſunt?

§. 59. Juxta hæc igitur habent Status imperii (1.) jus primariarum precum (2) jus inſtituendi Academias in territorio valituras, licet diſſentiat KULPIS. *ad Monzamb. c. 5. §. 27.* Nec obeſt noſtræ aſſertioni *J. P. W. art. 10. §. 13.* *vid.* STRYCK. *diſſert de Jur. papal. Princ. Evang. c. 6. §. 8.*

§. 60. Porrò (3.) Jus erigendi Civitates, de quo alias ambigue diſputant, *vid.* SCHWED. *ſect. 1. c. 18.* (4.) inſtituendi nundinas, etiam ſolennes, quod etiam agnoſcit, SCHWED. *d. S. 1. c. 17. §. 18.* (5.) concedendi privilegia (6.) legitimandi ſpurios, *add.* SCHWED. *d. ſect. 1. c. 16. §. 8.* (7.) veniam ætatis concedendi, *add.* ID. *c. 15. §. 3.*

§. 61. Non minus (8.) jus conferendi dignitates, etſi vulgo diſſentiant, *vid.* SCHWED. *d. ſect. 1. c. 7. §. 4.* ob *Capit. Joſeph. art. 43.* ad quem facilis reſponſio, *vid.* RHET. *J. J. P. l. 1. tit. 19. § 2. 3.* (9.) creandi Notarios, in quo conſentit, VITRIAR. *l. 3. tit. 17. §. 91.* (10.) jus poſtarum & (11.) viarum, quæ duo jura Statibus ita competunt, ut Cæſar regulariter ab iis excludatur, *vid. ſupr. l. 3. c. 5. 6.* ubi, inter partes S. T. omnia illa jura retulimus.

§. 62.

§. 62. Nec obſtat, *Reſervata non eſſe, ſi Statibus quoque eadem competant*, nam ad Reſervata non requiritur abſolute, ut ſolus Cæſar eadem habeat, ceu dixi §. 58. præterea etiam ſolus Cæſar illa ſuo modo exercet, nempe ratione omnium & ſingulorum Territoriorum adeoque ratione totius Imperii, & cum effectu ubique valituro, quo ſenſu, à nullo Statu, vi ordinariæ ſuperioritatis T. exerceri illa poſſunt.

§. 63. Circa exercitium vero horum jurium obſervandum, quod quædam habeant *effectum immanentem*, hæc tota die à Statibus exerceri videas, quæ exempla ob rationes datas, *facti* non recte dixeris, *vid* KULPIS. *ad Monzamb. c.5. §. 27.* quædam vero inſuper velut poſtulant *tranſeuntem*, hunc cum Status producere nequeant, ideo in univerſum, jurium illorum exercitium omittere ſolent.

§. 64. Quod ſi tamen *ſingulare objectum*, concurſum Statuum non admittat, cujus rei exemplum, certo caſu, præbere videtur jus primariarum precum, *vid.* §. 29. aut Imperator in *poſſeſſione juris, excluſive exerciti*, conſtitutus ſit, quod inprimis, quoad Status minores, evenire poteſt, tum Reſervata illa Statibus aſſeri nequeunt.

§. 65. Ex ſecundo Reſervatorum genere, *vid. §. 24.* eſt (1) *Jus inveſtiendi de feudis immedia-*

mediatis, tam ſecularibus, quam Eccleſiaſticis, & nihil intereſt, ſiveinveſtitura ſaltem ſit *renovanda*, ſive *de novo concedenda*, nam licet de *collatione feudi aperti*, ex conſenſu Statuum, ſtatuendum ſit, de quo diximus, *l. 4. c. 3. §. 6. ſeqq. §. 14. 15.* actum tamen *inveſtiendi ſolus* Cæſar peraget.

§. 66. (2) *Jus legitimandi Status* ſ. potius illos, qui jus Statuum deinceps ſunt acquiſituri, *vid.* VITRIAR *l. 3. tit. 2. §. 13.* (3) *veniam ætatis iis concedendi* SCHWED. *ſect. 1. c. 15. §. 2.* (4) *Controverſias eorum quoad præcedentiam definiendi* KULPIS. *ad de Jur. Legat. c. 14. §. 53.* (5) *privilegia*, *vid.* LEHM. *Chron. Spir. l. 7. c. 102.* ac in ſpecie, *de non appellando largiendi R. J. 1654. §. 115.* (6) *conferendi dignitates* (7) *augendi Territoriorum titulos*, *vid.* COCCEJ. *J. P. P. c. 3. §. 64. c. 15. §. 14. 15.* LEHMAN. *Chr. Spir. l. 5. c. 65.*

§. 67. Hæc reſervata ita Cæſari ſunt propria, ut nulli Statui ſigillatim eadem competant, nec enim Status, in alium, eadem jura exercere poteſt, ob æqualitatem, nec in ſe ipſum, cum leges fundamentales hoc ei non indulgeant.

§. 68. Ad tertii generis Reſervata, *vid.* §. 24. ſpectat (1) *Jus proponendi in Comitiis*, *vid.* SCHWED. *ſect. 1. c. 19.* (2) *Jus dirigendi conventus publicos* (3) *Jus ſuffragii in omnibus*

nego-

negotiis comitialibus, Cæſarem enim per majora nunquam vinci, nec ſine ejus conſenſu aliquid concludi poſſe, indoles mutationis, in imperio factæ, facile oſtendit.

§. 69. (4.) *Jus acta publica ſuo nomine expediendi*, *vid.* SLÜTER. *ad Hippolyth à lapid. p. 1. c. 16. ſect. 1. n. 3.* (5.) *Jus Legationis officioſæ, nomine totius imperii peragendæ*, *vid.* KULPIS. *de jur. Legat. c. 5. §. 4. ſeqq.* (6.) *Jus Legatos exteros recipiendi & audiendi* KULPIS. *d. tr. c. 23.* aditum vero exteris Legatis ſolus Cæſar negare nequit, contra quod *Carolus V.* feciſſe viſus eſt Statibus apud SLEIDAN. *de Stat. religion. l. 15. p. m. 439.*

§. 70. (7.) *Jus providendi, ne imperium detrimenti quid capiat.* Ex hoc capite aliquando Cæſar recte bellum movet, *vid. Capitul. Leopold. art. 13. in fin.* aut controverſiis Statuum per Legatos ſe interponit KULPIS. *d. tr. c. 5. §. 4.* vel ſuſpectas perſonas cuſtodiæ tradit.

§. 71. Hæc illuſtrandis Reſervatorum generibus, quæ dedimus, ſufficiant; ſolent alia adhuc Reſervata commemorari, quæ tamen nobis oppido dubia aut omnino falſa videntur.

§. 72. Eo pertinet *Advocatia quoad Papam Romanum* VITRIAR. *d. tit. 2. §. 11.* hæc non *imperii civilis pars*, ſed *onus* eſt, quod,

præter imperium civile, Cæſari imponit ſuperſtitio. Vera tamen eſt aſſertio, ſi, prout fit, Papam pro *Vicedeo* ſupponas, nam alias ad Eum, qua *poſſeſſorem Italiæ* aut *Epiſcopum*, Cæſaris imperium recte extenditur.

§. 73. Specialius ad primum genus quidam referunt (1.) *jus famæ reſtituendæ* (2.) *juramenti relaxandi* (3.) *inducias moratorias concedendi* VITRIAR. *d. tit. 2. §. 17. 28. 29. add. l. 3. tit. 17. §. 97.* VIND. VITRIAR. CASTIG. §. 227. (4.) *militum conſcribendorum facultatem Exteris largiendi* SCHWED. *ſect. 1. c. 16. §. 5:* Sed cum illa offendant Superioritatem T. male utique illa aſſeri dicendum eſt.

§. 74. (5.) *Jus Albergariæ* (6.) *aperturæ* VITRIAR. *l. 3. tit. 19. §. 100. 101. 122.* verum hæc à Cæſare, jure imperii poſtulari non poſſe, ſed, ex regulis decori & civilitatis ipſi præſtari ſolere, certum eſt.

§. 75. Secundo generi annumerant (1.) *jus cognoſcendi* de feudis Regalibus SCHWED. *ſect. 1. c. 9. §. 9.* (2.) *de privilegiis à ſolo Imperatore conceſſis*, (3.) *controverſis vectigalibus*, SCHWED. *d. l. c. 10.* (4.) *jus ultimæ cognitionis & provocationis* ID. *d. l. c. 11.* ſed cum poteſtas Cæſaris judiciaria, non ſit extra controverſiam poſita, ut infra videbimus, ideo nec de his juribus expedite ſatis pronunciari poteſt.

§. 76. Tertio generi accenſent (1.) *jus con-*

convocandi concilium univerſale VITRIAR. *d. tit.* 2. §. 11. *vid.* VINDIC. VITRIAR. CASTIG. §. 251. (2.) *ferias generales indicendi* (3.) *novum calendarium introducendi*, ſed illa omnia ad comitia pertinere, manifeſtum eſt, *vid.* SCHWED. *ſect.* 1. *c.* 5. §. 21.

§. 77. (4.) *Jus conſtituendi officia imperii* SCHWED. *d. ſect.* 1. *c.* 8. ſed niſi hoc de officiis, *dignitatis* potius quam *muneris* rationem habentibus, aut de *judicialibus*, de quibus infra, exaudias, vix aſſertio ſubſiſtet.

§. 78. (5.) *Jus, in caſu diſſenſus Statuum, decernendi*, quod certo, licet rariſſimo, caſu, ſi ſcil. de quodam Reipublicæ negotio, Ordines imperii conſentire vel nolint, vel nequeant, & omiſſa tamen ejus determinatio, damnum Civitati ſit allatura, Cæſari competere cenſet, SLÜTER. *ad Hippolyth. à Lapid. p.* 1. *c.* 16. *S.* 1. *n.* 3. *c.* 4. *ſect.* 2. *n.* 14. *add.* HIPPOLYTH. *d. c.* 4. *ſect.* 2. *in fin.*

§. 79. Enimvero talis caſus vana ſpeculatione ſaltem effingitur, revera autem non occurrit, quis enim Statibus omnibus tantum ſtuporem vel malitiam tribuat, ut illi omnes, utilitatem imperii vel non intelligant, vel eidem obnitantur, ſolo interim Cæſare, tanta perſpicacia, pro Reipublicæ ſalute ſollicito? Prætextibus autem occurſum eſt in *J. P. W. art.* 8. §. 2.

 §. 80.

§. 80. Hactenus dicta pertinent ad *Germaniam*, quoad *regiones* vero *de facto exemtas*, ac præcipue *Italiam*, plenius & Monarchicum imperium, fortaſſis Cæſari aſſerendum eſt, neque enim, libertati illarum regionum, pactis fundamentalibus, perinde proſpectum eſt, ſicut Statibus Germaniæ. Sed hoc alii diſtinctius expediant, neque enim nunc libet otioſæ ſollicitudini indulgere, *vid.* CONRAD. SINCER. *diſſert. epiſtol. de German. leg. vet. Orig. & autor. p. 81.*

CAP. IV.

De Affectionibus Majeſtatis Imperatoriæ.

SUMMARIA.

Majeſtas Cæſarea §. 1. non ſubeſt legibus humanis §. 2. 3. eſt inviolabilis §. 4. ab Imperio ſuperioris libera §. 5. 6. 7. 8. ſumma exiſtimatione prædita §. 9. Præfertur Cæſar aliis Regibus chriſtianis §. 10. exiſtimationis hujus fundamenta, ſpuria §. 11. 12. 13. genuina §. 14. cauſa impellens generalis §. 15. 16. ſpecialis §. 16. 17. 18. 19. jurium Cæſareorum indicia ſunt tituli & inſignia §. 20. ſqq.

§. 1.

DE cætero Majeſtas Cæſaris omnibus iis gaudet *affectionibus*, quæ imperium civile comitari ſolent, quod paulo diſtinctius nunc tradendum.

§. 2.

§. 2. Hoc igitur Majeſtas Cæſari tribuit (1.) *ut legibus humanis poſitivis ſit ſolutus*, juxta exempla & reſtrictiones, quæ alias in theſi obtinent, valde abſurdus eſt HIPPOLYTHUS à LAPIDE, quando id negare audet *P. 1. c. 5. ſect. 1. 2.* nam argumenta, ab autoritate *capitulationum*, *Receſſuum privatorum*, *Collegii Electoralis aut Comitis Palatini Rhenani*, deſumta, vel à ſcopo abludunt, vel in ſe falſa ſunt.

§. 3. (2.) *Ut ea omnia, quæ ob reſpectum ad Imperantem, peculariter circa ſubditos diſpoſita ſunt, etiam, ratione Imperatoris, locum inveniant* v. gr. ut teſtamentum ei oblatum, ſine ſolennitatibus ſubſiſtat.

§. 4. (3.) *Ut ſit ſanctus & eminentiori quodam modo inviolabilis*, hinc crimen læſæ Majeſtatis in eum committitur quatenus Reipublicæ ſalus, Ejus incolumitati innexa eſt, idque non tantum à ſubditis mediatis ſed & ipſis Statibus, hoc enim citra abſurditatem aſſeri poſſe videtur, qualemcunque tandem Statuum conditionem ſupponas.

§. 5. (4.) *Ut ſit* ἀνυπεύθυνος ſeu *nemini, velut ſuperiori, ad reddendas rationes obſtrictus, & a nemine, ob officium male adminiſtratum, per modum imperii, coercendus*, nam vel unico caſu Imperatorem toti imperio ſubeſſe, ex nulla lege fundamentali, probari poteſt.

§. 6. Alia eſt quæſtio, *annon, per modum belli, Cæſari aliquando reſiſtere queant Status?* quæ, licet affirmetur, de quo ſuo loco, nullam Ejus ſubjectionem infert.

§. 7. Quas ab *exemplis* & *teſtimoniis* quorundam Imperatorum, aut *eorum exauctorationibus p. 1. c. 3. ſect. 2.* vel *jure Comitiorum p. 1. c. 4. ſect. 4.* & *judicio Comitis Palatini Rhenani*, cui Cæſares ſubſint, hic opponere voluit HIPPOLYTHUS à LAPIDE rationes, eæ valde leves ſunt & ſatis confutatæ à MONZAMBANO *c. 6. §. 7. add.* KULPIS. *d. l.*

§. 8. Nec admittenda eſt ſententia CONRINGII, Reges Concilio Procerum ſubjectos fuiſſe, exiſtimantis, *de judic. imper.* §. 22. 43. *ſeqq.* quod ſequitur MONZAMBANO *c. 5. §. 14. 15.* nam uti eam *exempla adducta* non probant, ita *Status*, vel *imperii Francici*, vel *Germaniæ*, valide refellit, *vid.* KULPIS *ad d. c. 5. §. 14. 15.*

§. 9. (5) *Ut ſit ſummus*, ſeu *ſumma exiſtimatione* gaudeat, hinc non tantum omnes Status, ſive ſigillatim ſive conjunctim ſpectatos, dignitate antecellit, ſed & omnibus Regibus Chriſtianis præfertur, *vid.* SLEIDAN. *de Stat. religion. l. 17. p. m. 500.*

§. 10. Agnoſcitur illa, quoad Reges Chriſtianos, prærogativa à Turca VITRIAR. *l. 1. tit. 5. §. 6.* à Pontifice, *vid.* FURSTENER. *de jur.*

jur. ſuprem. c. 32. 49. ab ipſis etiam, quos illa reſpicit, Regibus, prout plures *actus publici*, & *ſolennis Stilus*, quo Imperator Regibus tantum *Serenitatem*, hi illi *Majeſtatem* tribuunt, nec non alia *teſtimonia privata* luculenter oſtendunt, *vid.* FURSTENER. *d. tr. c. 24. 35.* ARUMÆ. *ad A. B. diſcurſ. 4. §. 1. p. 193. diſcurſ. 6. §. 40. in fin. diſcurſ. 2. §. 12.*

§. 11. Nititur autem iſta exiſtimatio, quoad Germaniam, *imperio*, quod olim Cæſar habuit, & quod hodie eatenus ſupereſt, quatenus facta mutatio id admittit, ſed quoad Exteros, ex *hoc ſolo fundamento* eadem repeti non poteſt, nam id ſolum *æqualitatem*, non *prælationem* tribuere aptum eſt.

§. 12. Nec tamen quicquam hic cooperabitur *ſola Germanorum profeſſio*, Cæſarem ſuum, *caput Chriſtianitatis* dicentium, vel ſimili elogio mactantium ARUMÆ. *ad A. B. diſcurſ. 2. §. 12. diſcurſ. 4. §. 1. p. 192.* nam teſtimonium domeſticum eſt, cui aliquid tribui, ſana ratio vetat.

§. 13. Non majoris momenti erit *imperii Romani* in *Germanos translatio*, quod argumentum magna confuſione urget VITRIAR. *l. 1. tit. 5. §. 6. 7. vid.* VINDIC. VITRIAR. CASTIG. §. *252. ſeqq.* nam utut eximii quid in illo imperio fuerit, per ſe tamen prærogativam, contra invitos valituram, Cæſari non potuit tribuere.

quoque prærogativam Germaniæ cedere debuit, quod, ex diviſione *Caroli M.* nepotum, Germania *natu majori*, Gallia *natu minori* ceſſerit, hinc dignatio, quâ natura fratres diſcernit, ad regna etiam, per pactum tacitum, fuit applicata, *vid.* CONRING. *d.* §. *9.*

§. 19. *Polonia* vero & *Dania* aliquando Germaniæ fuerunt tributariæ ID. *d. l.* §. *10.* quad illas igitur prærogativa imperii noſtri nititur pacto inæquali, & ad nexum ſubjectionis propius accedente, quo ipſo eadem intenditur.

§. 20. Jurium hactenus expoſitorum indicia, ſunt *Tituli* & *Inſignia*, quæ perperam à multis primo loco tractantur, *vid* BOECL. *N. J. l. 4. c. 1.* VITRIAR. *J. J. P. l. 1. tit. 4.* SCHWED. *p. ſp. Sect. 1. c. 1.* nam talis anticipata tractatio, duplici laborat vitio, dum res ſignatas & ſigna non tantum divellit, ſed & hæc iis præponit.

§. 21. *Titulorum* Philoſophia, naturâ ſuâ incerta quodammodo ac inconſtans eſt, rectiusque uſu, quam præceptis, addiſcitur, pauca tamen hic quoque addenda erunt.

§. 22. Is igitur qui, modo antea expoſito, rerum in Germania potitur, vocatur (1.) *Imperator* vel (2.) *Imperator Romanus*, qui duo tituli, exquiſite loquendo, plane coincidunt; fundamentum eorum oſtendimus *l. 1. c. 2. 9.*

Sub *Carolo M.* ſtatim invaluiſſe cenſentur, ut tamen ex Succeſſoribus nonnulli, ante coronationem pontificiam, iisdem abſtinuerint, hodie vero maxime uſitati & ſolennes ſunt.

§. 23. (3.) *Auguſtus*, qui ſub *Carolo M.* cœpiſſe, à tempore vero *Ottonum* reſtitutus, ac à *Friderico I.* in titulum *ſemper Auguſti* mutatus eſſe creditur, hodie itidem maxime ſolennis eſt.

§. 24. (4.) *Cæſar*, cujus uſum à *Ludovico IV.* repetunt (5.) *Rex Germaniæ*, quem titulum *Maximilianus I.* eo fine adjecit, ut Germaniam, ab imperio Romano, diſtinctam eſſe oſtenderet, eorum quoque hodie ſolennis eſt uſus.

§. 25. A titulis Imperatoriis debent diſtingui *tituli ditionum hæreditariarum*, quos illis adjungere dudum moris fuit, nec non *nomina arbitraria*, *vid.* BOECLER. *N.J.l.4.c.1.* SCHWED. *ſect. 1. cap. 1.*

§. 26. In abſtracto, Imperator dicitur, *Majeſtas*, quem titulum & de ſola *exiſtimatione*, non etiam *poteſtate* exaudiamus, ceu contendit BOECLER. *d. c. 1. p. 85.* ejus rei nulla eſt ratio, *add.* SCHWED. *ſect. 1. c. 4. §. 9.*

§. 27. Tituli adjectivi ſunt, *Sereniſſimus, Potentiſſimus, Invictiſſimus*, Allerdurchleuchtigſter / Großmächtigſter / Unüberwindlichſter / quibus comparari non poſſunt elogia *Divi*,

vi, Sacri, Sacratiſſimi, Glorioſiſſimi, Religioſiſſimi, nam hæc potius arbitraria prædicata ſunt, SCHWED. *d. l.* §. *8. ſeqq. add.* LEHM. *Chr. Spir. l.3. c. 2. 23.*

§. 28. Ad titulos Imperatorios quoq; pertinet, ſolenne illud aliisque etiam uſitatum: *Nos Dei gratia*, quod notandæ Majeſtati hic adhibetur.

§. 29. Solent adhuc alii, iique, pro ratione compellantium, diverſi tituli adhiberi, quorſum pertinet titulus *Clementiſſimi*, quem Status, *Fratris* quem Reges, Cæſari tribuunt.

§. 30. Quod autem SCHWEDERUS *d. l.* §. *15.* eos titulos *authenticos* eſſe velit, qui *ab ipſis Imperatoribus, in nummis, Bullis, diplomatibus uſurpentur, aut in Comitiis ac Receſſibus, à Statibus, ei tribuantur*, id in univerſum verum non eſt.

§. 31. Cum inſuper probe conſiderandum, *qua mente*, & *qua occaſione*, tum ob *quem finem* quid dictum ſit, denique in *quem ſenſum* ſecuta praxis id interpretetur, tandem an *nationum conſenſus* accedat nec ne.

§. 32. *Inſigne* Imperatoris qua talis, eſt *Aquila*, de cujus *habitudine*, *ſenſu* & *origine*, artis Heraldicæ cultores curatius diſpiciunt, quædam eorum placita retulit, SCHWED. *d. l.* §. 16. VITRIAR. *l. 1. tit. 5.* §. *8.*

CAP.

CAP. V.

De Obligatione Imperatoris.

SUMMARIA.

Imperatoris obligatio §. *1. ejus norma* §. *2. reſpicit Cæſarem confirmandum & confirmatum* §. *3. hæc vel præter imperium germanicum, vel ejus intuitu imponitur* §. *4. ſummatim exigit, ne Cæſar plenum imperium affectet, & ut competens debite exerceat* §. *5. 6. 7. 8. id quod ſpecialius quoad Reſervata ſubditos mediatos* §. *9. 10. Status ipſos* §. *11. 12. & totum imperium concernentia declaratur* §. *13. ſeqq. ſanctio obligationibus addita* §. *19. 20.*

§. I.

IN nulla civitate, etiam abſolute Monarchica, Imperanti defertur imperium, quin ſimul aliqua *obligatione* obſtringatur, hinc, nec noſtrum Imperatorem, ab obligatione eſſe immunem, facile quivis conceſſerit, idque eo promtius, ſi, prolixam capitulationem eo fine adornari, conſideret.

§. 2. In deſignanda autem illa obligatione, neque ideam regni abſoluti, neque limitati, ſed imperium noſtrum quale eſt, reſpicere debemus, & cum, per univerſam ejus molem,

Digitized by Google

lem, obligatio Cæſaris ſe diffundat, facile paret, eam ex univerſa juris publici diſciplina esſe repetendam, interim non inopportunum fuerit, ſi oſtendendæ imperii & obligationis Cæſareæ proportioni & relationi, generaliter hic eam deſignemus, ubi tamen rigidam deprecamur cenſuram, cum in rei generalis deſignatione facilis ſit lapſus.

§. 3. Reſpicit igitur obligatio illa vel Cæſarem *confirmandum*, eo pertinet neceſſitas ſuſcipiendi coronam germanicam *Capit. Leopold. art.* 37. vel *confirmatum.*

§. 4. Huic imponitur obligatio vel (1.) *præter imperium germanicum*, qualis eſt, quæ exigit Papæ defenſionem *art. 1.* ſed uti eadem conſenſu ſaltem *particulari* imponitur, ita reſpicit Papam, non qua *Italiæ poſſeſſorem, v.* RHET. *ad jus feud. l. 1. tit. 1. p. 89.* ſed qua *Vice-Deum*, quamdiu igitur ſe talem eſſe non probat, tamdiu tota obligatio inefficax cenſeri debet, vel (2) *intuitu imperii germanici.*

§. 5. Hæc ſummatim in eo conſiſtit, *ne Cæſar plenum & liberum imperium affectet*, *& ut, quod ei competit, debite exerceat.*

§. 6. Ex primo igitur capite obligatur Cæſar ad leges fundamentales ſervandas, ac jura inde deſcendentia Statibus non tantum relinquenda, ſed & defendenda *C. L. art. 2, 38.* in ſpecie ad jus territoriale, aliaque privilegia,

nec

nec non officia imperii ſolennia, & Vicariatus ipſis relinquenda, *vid. art. 3. 8. 15. 18. 26. 44. 6. 22. 25. 27. 4. 36. 40. 42. 46.*

§. 7. Ex ſecundo capite obligatur Imperator vel *in genere & velut per averſionem, ratione totius ſui imperii,* vel in *ſpecie quoad partes poteſtatis ſibi competentis.*

§. 8. Generalis obligatio in his poſita eſt (1) ne imperium reddat hæreditarium *C. L. art. 36.* (2.) ne extra Germaniam degat *art. 37. vid.* LEHMANN. *Chr. Spir. l. 7. c. 76. l. 5. c. 27. n. 5.* (3.) ne exercitium juris ſui in præjudicium Statuum extendat, ſed ut potius (4.) illud ad utilitatem Reipublicæ germanicæ, vel juxta proprium beneplacitum, vel modum legibus fundamentalibus præſcriptum, dirigat.

§. 9. Specialis obligatio juxta partitionem juris Cæſarei *c. 3. §. 24.* datam, recenſeri poteſt, hinc eadem ſpectanda vel *quoad Statuum Subditos & Territoria,* vel *Status ipſos,* vel *negotia totius imperii.*

§. 10. Ratione Reſervatorum primi generis, ſigillatim obligatio, in capitulationibus, non eſt expreſſa, hinc plerorumque exercitium ex obligatione generali judicandum eſt. Specialiter tamen quid expreſſum, quoad *jus concedendi privilegia C. L. art. 34. in fin.* nec non *jus poſtarum art. 35. C. J. art. 34.* porro *jus conferendi dignitates C. L. art. 44. 45. C. J. art. 43.*

§. 11.

§. 11. Circa ſecundi generis Reſervata, clauſulæ generalis obligationis, ſemper quoque ſunt ſupponendæ, in ſpecie quid conſtitutum ratione *juris inveſtiendi*, ne ſcil. inveſtitura Statibus negetur, & ut jus inveſtiendi, ratione domus Auſtriacæ, Imperio conſervetur *C. L. art. 4. 31. 39.*

§. 12. Ulterius quoad *jus decidendi controverſias præcedentiæ* quædam diſpoſita ſunt *C. L. art. 5. 40.* verb. ſo dann verfügen nec non, quoad *jus monetæ concedendæ art. 34.* & *vectigalium inſtituendorum art. 21. 22. 23.* item *fluminum in ſuo Statu conſervandorum C. J. art. 22. in fin.* triplex poſterior obligatio præſupponit, quod negotia memorata ad *reſervata Cæſarea* pertineant, ſi vero eadem *Superioritati T.* aut *Comitiis* aſſerueris, obligatio quoque ceſſabit, aut minimum alterabitur.

§. 13. Obligatio, quæ tertii generis Reſervata & negotia totius imperii reſpicit, ſummatim pertinet ad *Comiti* & *Judicia.*

§. 14. Prior obligatio exigit ut (1.) Cæſar pacem ſervet *C. L. art. 1.* (2.) conventionibus religioſis contraria tollat *art. 2. in fin.* (3.) Status defendat, tam contra ſubditos *art. 7.* quam exteros & conſtatus *art. 8. 9. 11.* (4.) fines reſtituat *art. 12.* (5.) Statum publicum emendet *art. 12. 18. 28. J. P. art. 8. §. 3.* (6.) injuſta Pontificis attentata impediat *C. L. art. 19.*

§. 15.

§. 15. Hæc autem omnia ſunt intelligenda, juxta menſuram juris, Imperatori competentis, nam, in negotiis memoratis, aliquas partes habet Superioritas Territorialis, majores competunt Comitiis, hinc abſurdum fuerit, obligationem, ultra imperium, extendere.

§. 16. Porro illa obligatio prohibet, ne Cæſar negotia Comitialia, communi conſenſu tractanda, ut fœderum *C. L. art. 10.* belli *art. 13.* pacis *art. 16.* contributionum *art. 17.* tollendorum abuſuum *art. 20. 23. 39.* receptionis in numerum Statuum *art. 44.* ditionum alienandarum, aut denuo in feudum concedendarum *art. 12. 30.* immunitatis, ab imperii oneribus concedendæ, *art. 32.* ſibi ſoli arroget.

§. 17. Denique ei injungit coram conventuum comitialium, quoad eorum indictionem *art. 17.* operationem *art. 5.* & expediendi modum *art. 43.*

§. 18. Poſterior obligatio in genere exigit juſtitiæ adminiſtrationem *art. 1. vid.* Lehm. *Chr. Spir. l. 7. c. 118. in addit.* in ſpecie quædam requirit (1.) ratione pœnæ imponendæ *C. J. art. 15. C. L. art. 28. 34.* (2.) judiciorum conſuetorum conſervandorum *art. 18.* (3.) cauſarum tractandarum *art. 24. 32.* (4.) perſonarum judicantium *art. 40. 45.* (5.) capitulationis, judiciis inſinuandæ *art. 47.* quæ omnia, juxta

juxta menſuram imperii Cæſarei, intelligenda eſſe, recta ratio poſtulat.

§. 19. Quod ſi Cæſar obligationem violet, *omittenda faciendo*; nullitas actus ſancita eſt, *vid. art.* 18. 21. 25. 30. 36. 38. 40. 42 hæc tamen ſanctio ſaltem ſe exſerere poteſt, ſi Statibus quid injuſte injungat; *facienda omittendo*, hoc caſu, nulla ſanctio in capitulationibus occurrit.

§. 20. Ideo forte, quod obligationum affirmativarum plerumque magna ſit laxitas, nec poſſit quis violati officii ſtatim argui, licet actionem omiſerit, præterea illæ obligationes Cæſareæ, Statuum obligationibus, ita maximam partem ſint immixtæ, ut actionis omiſſæ culpa & damnum, ſoli Cæſari, non niſi abſurde & inique poſſit imputari.

CAP. VI.

De modis, quibus Imperator eſſe deſinat.

SUMMARIA.

Imperator tribus modis deſinit §. 1. mors neceſſario obtinet §. 2. duo reliqui, raro contingunt §. 3. reſignatio §. 4. fit conſenſu Cæſaris §. 5. & ſemper quidem ſcientiam, non vero conſenſum Statuum requirit §. 5. ſeqq. cui reſignatio facienda §. 11. ſeqq. reſignationis objectum §. 16. cognata §. 17. exempla §. 18. 19.

Nn Exan-

Exauctorationis definitio §. 20. moralitas §. 21. ſeqq. fieri debet illa à tota Republica §. 27. per modum belli §. 28. 29. ex jure facta dijudicanda, non ex his illud eliciendum §. 29. 30. 31. 32. exiempla exauctoratorum Imperatorum §. 33. ob inhabilitatem etiam Cæſar ab imperio excludi poteſt. §. 34.

§. 1.

DEſinit Imperator *morte, reſignatione & exauctoratione.* Primus modus, vi naturæ humanæ, neceſſario obtinet, ac nulla omnino premitur difficultate.

§. 2. Poſt mortem ſolennes exequiæ, & communis imperii luctus ſequuntur, quem tamen ſinguli Status, in Territoriis, propria autoritate definiunt, niſi forte decreto comitiali uniformitas hac in re placuerit, *v.* LEHM. *Chron. Spir. l. 7. c.* 122. SCHWED. *ſect. 1. c.* 32. §. 1. 2. LIMN. *J. P. l.* 2. *c.* 12.

§. 3. Duo reliqui modi, juxta commune eligentium votum ac ſpem, abeſſe debebant, & plerumque etiam deficiunt, certis tamen in caſibus omnino locum habere poſſunt.

§. 4. Reſignatio eſt *actus, quo libera voluntate Imperator imperio ſe abdicat, illudque eorum arbitrio, ad quos ea res pertinet, relinquit.*

§. 5. Fit reſignatio voluntate Imperatoris *vera*

vera & ſeria, cujus principia hic præſupponuntur, & quidem ſi *nullum in reſignatione, imperii ſubſit periculum*, puta ſi tempora ſint pacata idoneusque adſit ſucceſſor, tum reſignatio, ſine *conſenſu Statuum*, fieri poteſt.

§. 6. Nec opus eſt, ut aliquas reſignationis proferat cauſas, nam libertas eas poſtulari nec ſolet, nec debet, *ſcientia* tamen Statuum requiritur, nam Cæſar imperium *abdicare*, non *clam deſerere* debet.

§. 7. Quodſi autem *reſignatio, cum imperii damno, probabiliter ſit conjuncta*, tum eandem non aliter facere poterit Imperator, quam *accedente Statuum conſenſu*, ſine hoc, facultas reſignandi ceſſabit, licet cauſas quasdam, ut infirmitatem, ſenectutem &c. obtendere velit, hæ enim aliquem, ad imperium germanicum, non reddunt inhabilem.

§. 8. Veritatem dictorum ita probamus, cum pro libertate in genere, adeoque etiam reſignandi, ſit præſumtio, donec reſtrictio probetur, nulla autem lex expreſſa fundamentalis occurrat, quæ libertatem Imperatoris reſtringat, v. CONRING. *ad Lampad. p. 3. c. 2. §. 7.* hinc manifeſtum eſt, omnem reſtrictionem derivandam eſſe ex *electione* Cæſaris, hanc autem, *diſtinctionem*, qua uſi ſumus, inſinuare, penitius attendi facile conſtabit.

§. 9. Nam per electionem eique adjun-

Digitized by Google

ctam Capitulationem Cæſar ad ſalutem Reipublicæ conſervandam & promovendam obligatur: Quodſi adeo renunciatio, cum periculo Civitatis, ſit conjuncta, tum libertatem renunciandi ceſſare, merito dicemus, niſi Reipublicæ conſenſus acceſſerit, ſi vero nullum periculum ſubſit, tum ſatis liquet, quod, per memoratam obligationem, renunciatio non impediatur, hinc libertas renunciandi recte aſſeritur.

§. 10. Falli igitur putamus eos, qui (1.) *libertatem reſignandi ſimpliciter Cæſari aſſerunt*, *vid.* VITRIAR. *l.* 1. *tit.* 9. §. 1. (2.) *qui cauſas reſignationis à Cæſare poſtulant*, nam altero caſu, illas non requiri, altero, nihil operari, diſtinctio noſtra oſtendit, & *nunquam, ſine conſenſu Electorum facultatem reſignandi Cæſari largiuntur, illumque ſolum ſufficere putant*, nam aliquando, ſola Imperatoris voluntate, reſignationem fieri poſſe, ubi autem, à parte imperii conſenſus requiritur, ſolum Electorum conſenſum non ſufficere, certum eſt, ut triplex in illa aſſertione lateat error, *v.* SCHWED. *ſect.* 1. *c.* 32. §. 3. 4.

§. 11. Reſignationem eſſe faciendam *Pontifici*, Curia Romana prætendit, vel ob *ejus Vicedeatum, vel collationem & confirmationem nominis Cæſarei*, ſed utraque ratio ex falſis fluit hypotheſibus, *vid.* LAMPAD. *p.* 3. *c.* 2. §. 7. *ibique* CONRING. *in not.*

§. 12.

§. 12. Alii eam faciendam eſſe arbitrantur *ſolis Electoribus*, LAMPAD. *d. l.* §. 9. SCHWED. *d. c.* 32. §. 4. alii *omnibus Statibus*, VITRIAR. *l.* 1. *tit.* 9. §. 3. neutra ſententia, veritati penitus eſt conſentanea, *vid.* VIND. VITRIAR. CASTIG. §. 259. *ſeqq.*

§. 13. Ex iis, quæ modo diximus, facile quoque hæc res poterit explicari. Nimirum cum in caſu *reſignationis non periculoſæ*, non *conſenſus*, ſed *ſcientia* imperii, ſaltem ſit neceſſaria, hinc in arbitrio Cæſaris poſitum eſt, cui rem iſtam indicare velit.

§. 14. Hinc ſive *Regi Romano*, ſi adſit, ſive *Electoribus*, ſive *Comitiis*, forte tum inſtitutis, ſive *Statui cuidam*, iſtam rem denunciet, ut, ejus indicio, toti Imperio innoteſcat, regulis juſtitiæ Cæſar ſatisfecit, licet, ultimo caſu, regulas decori & civilitatis fortaſſis offenderit.

§. 15. Sed in caſu *reſignationis periculoſæ*, uti omnium Statuum conſenſus eſt neceſſarius, ita *Statibus* quoque reſignationem eſſe faciendam, inde conſequitur, nam unde ſolis Electoribus jus advenerit, periculoſam renunciationem admittendi, id non temere quis oſtenderit. Interim in re, raro occurrente, quivis ſuo ſenſu ſecure abundare ſolet.

§. 16. Reſignationis *objectum*, eſt *jus imperandi* eique reſpondens *nexus*, *quo Status*

Nn 3 *Cæſa-*

Cæſari obſtringuntur, nam dum illo ſe abdicat, hunc quoque neceſſario remittit.

§. 17. A reſignatione differt *translatio*, qua vel gratis, vel accepto pretio, imperium in alium transfertur; hæc in Cæſaris arbitrio, nullo modo, poſita eſt, ſed ad Electores pertinet.

§. 18. Ex his principiis, judicanda ſunt exempla reſignationum, ſi quæ occurrant, in quibus ſane æſtimandis, non usque adeo recte ſemper procedunt, dum ſæpe circumſtantias *indifferentes* & *arbitrarias*, ad *neceſſitatem juris* retrahunt, *vid.* SCHWED. *d. c.* 32. §. 4.

§. 19. Reſignatio *Caroli V.* fuit *exemplum reſignationis non damnoſæ* adeoque eam, & ſine conſenſu imperii, facere potuit, nec cauſas eo nomine ediſſerere debuit, & ſatisfecit officio, dum eam Electoribus indicavit. *vid. R. J.* 1559. SLEIDAN. *de ſtat. relig. l.* 26. *in fin.*

§. 20. Exauctoratio eſt *actus, quo Imperator, ob graviorem juris Cæſarei neglectum & abuſum poſt fruſtra conſumtas admonitiones, communi Statuum decreto, per modum belli, à ſolio imperiali, excluditur.*

§. 21. Licitam aliquando eſſe exauctorationem, ex natura *delationis*, qua imperium conceditur, utique oſtendi poteſt, cum enim hoc non *ſimpliciter*, ſed *ſub conditione, ejus exercitium ad finem Civitatis referendi*, conceda-

cedatur, hinc, ſi hæc plane deficiat, illud quoque negari poteſt.

§. 22. Nam ſicut procul dubio imperium non detuliſſent futuri cives, ſi ab initio Imperans profeſſus eſſet, ſe nolle iſtam ſubire conditionem, ita, ea ex poſtfacto deficiente, imperium datum poſſunt reſumere.

§. 23. Nec minus tamen ex indole delationis patet, imperium non aliter poſſe auferri, quam ſi gravior, ac, morali æſtimatione inemendabilis, juris Cæſarei abuſus & neglectus occurrat, quem tamen, non tantum ex proæreſi, ſed & culpa, oriri poſſe, arbitramur *add.* LEHMAN. *Chr. Spir. l.* 5. *c.* 27. 32.

§. 24. Licet autem deſtitutio aliquando licita ſit, ſi *Imperantis perſonam conſideres*, quodſi tamen eadem, non niſi cum magno civitatis periculo, fieri queat, ob *reſpectum ad hanc*, eadem erit omittenda.

§. 25. Illud leviuſculum eſt, ſi quis ideo exauctorationem illicitam dicere velit, quod nemo, in propria cauſa, poſſit judicare, nam hoc utique cuivis læſo integrum eſt, in ſtatu naturali, qualis, in caſu diſſidii juſti, inter Imperantem & cives occurrit.

§. 26. Id in ſpecie, quoad Germaniam, obſervandum, ejus Proceres non tam *Subditos*, quam *Coimperantes* eſſe, quamobrem ſi illis, jus exauctorandi aliquando competit,

Digitized by Google

multo minus his, poterit idem negari, *add.* CONRING *de negot. convent. imper.* §. 45. *ſeqq.* Interim alii aliter ſentiunt, *vid.* BOECLER. *in N. J. l.* 4. *c.* 1. KULPIS. *ad Monzamb. c.* 4. §. 6. VITRIAR. *l.* 1. *tit.* 9. §. 4.

§. 27. Hæc de jure exauctorandi in ſe ſpectato. *Cui* autem illud in Germania competat, ſpecialius quæri ſolet? Paucis, non *Pontifici*, non *Electori Palatino*, *vid.* LEHM. *Chr. Spir. l.* 7. *c.* 3. non *Electoribus*, ſed *omnibus imperii Statibus*, nam uti penes hos radicaliter eſt, ita cum translatio in illos non poſſit probari, perpetuo jus hoc Statibus erit aſſerendum, *vid.* CONRING. *ad Lampad. p.* 3. *c.* 2. §. 11. ſibi contrarium in *diſſert. de negot. convent. imperii* §. 56. Ex quo liquet, exauctorationis moralitatem, tam ex *cauſa*, quam *perſonis* eſſe judicandam.

§. 28. Exauctoratur Imperator, non per *modum imperii*, ſed *belli*, quod, poſitis genuinis requiſitis, non *ſeditionis cujusdam*, ſed *legitimæ defenſionis* rationem habet. Ex quo liquet, ne quidem, in actu exauctorationis, Imperatorem eſſe imperii Ordinibus inferiorem, in quem, velut ſubditum, à Superioribus feratur ſententia, nec exauctorationem habere rationem *pœnæ*, exquiſite loquendo, ſed *mali* cujusdam, quod hoſtis hoſti infert.

§. 29. Ex his principiis exempla exauctoratio-

rationum ſunt dijudicanda, minime vero ex his, regulæ exauctorationis formandæ, quod inepte contendit HIPPOLYTHUS à LAPIDE *p. 1. c. 3. ſect. 2. p. 47.*

§. 30. Nec eo profuerint exempla ut *cauſas, utpote certa lege ac regula non definitas, in exemplis & formulis factarum depoſitionum quæramus,* quod vult SCHWED. *ſect. 1. c. 32. §. 6.* nam & hoc, nihil aliud eſt, quam exempla, facere, normam moralitatis, quod abſurdum.

§. 31. Sicut id etiam falſum eſt, quod *cauſæ, certa lege ac regula non ſint definitæ,* utique enim definitio illa, in *ipſa imperii delatione* latet, ut oſtenſum §. *20. ſeqq.* & ſi talis definitio non adeſt, ex quo ergo fundamento judicavit SCHWEDERUS, depoſitionem *Adolphi & Wenceslai* bene ſe habere? nam eadem res, non potuit eſſe norma ſui ipſius. Hoc verum eſt, definitionem expreſſam, ſpecialem, ac, extra omne dubium, poſitam, hic non occurrere, ſed omnis definitio non ceſſat.

§. 32. Quam obrem in exemplis, omnes quidem circumſtantias, & exauctorationis cauſas, accurate obſervare par eſt, ſed non, ut exinde norma conſtituatur, verum ut exempla, cum norma jam conſtituta, eo rectius conferri, ac eorum moralitas, ſecundum hanc, oſtendi queant.

§. 33. De exemplis factarum, in imperio

noſtro, exauctorationum, circa quorum moralitatem varie ſentiunt, jam, in neutram partem, aliquid pronunciare licet, niſi enim univerſa facti ſpecies, ex teſtimoniis propriis, & veris, adæquate fuerit exhibita, omne, quod hic fertur, judicium, temerarium cenſeri debet, iſta vero accuratius inquirere, jam nec libet, nec licet *conf.* LEHM. *Chron. Spir. l.* 3. *c.* 1. 22. 35. 46. *l.* 5. *c.* 27. 32. 188. *l.* 7. *c.* 59. *ſeqq. c.* 72.

§. 34. De eo etiam dubitandum non eſt, quin Cæſar à ſolio imperiali removeri poſſit, ſi in talem incidat Statum, ut muneri amplius præeſſe nequeat, licet enim nihil deliquerit, attamen cum conditio delationis, fatali calamitate, ceſſet, hinc delatio ultro exſpirat. Poterit etiam, ſi ita viſum fuerit, Adjutor imperii conſtitui.

CAP. VII.

De Auguſta.

SUMMARIA.

Auguſta ad Juris publici diſciplinam non pertinet §. 1. 2. *regulariter ſubeſt legibus privatis* §. 3. *quod exemplo contractuum* §. 4. 5. *teſtamentorum* §. 6. *matrimonii, tutelæ, litium forenſium* §. 7. *declaratur. Imprimis tamen peculiari jure utitur quoad ſucceſſionem ab inteſtato, exiſtimationem, ac prolixiorem œconomiam* §. 8. 9. *limitatio quoad hactenus dicta* §. 10.

§. 1.

§. 1.

ANtequam à Juribus Cæſareis abeamus, facienda eſt mentio *Auguſtæ*, ac, contra vulgare præjudicium, quo Illa ad Jus Publicum referri ſolet, *vid.* LIMN. *de J. P. l.* 2. *c.* 14. oſtendendum, quod eadem, ad Juris Privati Diſciplinam, ſit remittenda.

§. 2. Nam non tantum hominibus privatis, ſed & veris ſubditis, illa eſt annumeranda, ſubeſt enim Marito, non tam qua Imperatori, quam potius qua Regnorum Territoriorumque ſuorum Domino, hinc jura fœminarum aliarum, in Jurisprudentia Privata, vel explicata vel explicanda, ad Illam quoq; in quantum illuſtrior Ejus conditio id admittit, applicari debent.

§. 3. Licet igitur non iisdem plane juribus utatur Auguſta, quibus fœminæ plebejæ, vel conditionis inferioris, uti ſolent, attamen omnia illa, privata ſunt, nec adeo Jurisprudentiæ Privatæ ſphæram excedunt. In genere ſic dicendum videtur: Jura divina univerſalia, *communia* ſunt, ſed poſitiva humana, ſæpe *peculiaria* & *propria* eſſe poſſunt: In dubio tamen, quando ſcilicet de alia Imperantis mente non conſtat, conſvetis legibus humanis, Auguſtam quoque ſubeſſe, dicendum eſt.

§. 4.

Digitized by Google

§. 4. In *Contractibus* igitur Illa utitur jure communi, niſi à ſolennibus, diſpenſatione maritali, liberetur; Sic donatio Ejus, ſine inſinuatione, valere creditur, ex *l.* 34. *pr. C. de donat. vid* LIMN. *d. c.* 14. *n.* 12. Neque videtur illuſtri Ejus conditioni convenire, ut utatur privilegiis, quæ ob fragile judicium, fœminis concedi ſolent, hinc forte Sctum Vellejanum non recte pro ſe allegabit, *vid.* HERING. *de fide* 517. *ſeqq.*

§. 5 E contrario utilia privilegia alia, Auguſtæ tribui ſolent, nam gaudet privilegiis fiſci *l.* 6. §. 1. *de jur. fiſc.* §. *ult. J. de uſu cap.* Donatio ab Ea in filiumfam: collata, ad hunc pleno jure pertinet, inſtar peculii caſtrenſis *l.* 7. *C. de bon. quæ lib.* tacitam hypothecam quoque in bonis quæſtorum ſuorum Ei forſitan aſſerere licet, *vid.* LIMN. *d. c.* 14. *n.* 13. *ſeqq.*

§. 6. In *teſtamentis* condendis, ad ſolennia juris poſitivi, Imperatrix erit adſtricta, niſi, re integra, diſpenſatio Mariti acceſſerit. Quæ de *delictis* in Jure privato traduntur, illa etiam ſuo modo huc ſpectant, nec penitus ceſſant exempla Reginarum, atrociter punitarum, *vid.* LEHM. *Chron. Spir. l.* 2. *c.* 39. *n.* 8. *l.* 3. *c.* 9. *l.* 5. *c.* 14. In ſpecie huc pertinet quæſtio; *an in Auguſtam crimen læſæ Majeſtatis committatur?* quæ frigidis rationibus affirmari

ri à nonnullis ſolet, quos refellit Limn. *d. c.* 14. *n.* 25. *ſeqq.*

§. 7. In *matrimonio* ineundo, utitur jure Mariti, hujus enim libertas, illi neceſſario prodeſt. Quæ de *Tutela materna*, in Jure privato traduntur, ad Imperatricem quoque applicari poſſunt, ſicut etiam non dubito, quin Ejus *lites*, conſvetis *legibus proceſſualibus* regulariter dirigentur. *Forum* autem *competens* Maritus, ut Dominus Territorialis, ei ſtatuet; nam vulgaris regula: *quod Uxor ſequatur forum mariti*, in nulla Fœmina, Marito, imperio gaudenti, nupta obtinet, *add.* Limn. *ad A. B. c.* 5. §. 3. *Obſ.* 4.

§. 8. Inprimis quoad *jura ſuccedendi ab inteſtato*, *exiſtimationem* ac *prolixiorem ſplendidioremque œconomiam*, Imperatrix, ab aliis inferioris ſortis fœminis, diſtingvitur; Neque tamen illa jura Jurisprudentiæ privatæ limites tranſcendunt, hinc ea omnia ſuis locis explicari debent, ſed Diſciplina illa adeo hic deficit, ut quædam ex memoratis juribus, ne quidem quoad fœminas, aliosque homines plebejos, ſatis tradat.

§. 9. In ſpecie igitur, in tractatu, de exiſtimatione, & Oeconomia Imperatricis, agi poteſt de nomine Auguſtæ, *vid.* Limn. *d. l.* 2. *c.* 14 *n.* 1. *ſeqq.* de ejus coronatione Limn.

d. l.

*d.l.n.*19.*ſeqq.* de præcedentia, quoad Regem Bohemiæ, *vid.* LIMN. *d.l.n.*21. *ad A. B. c.* 26. §. 5. *Obſerv.* 2. SCHWED. *introd. ad J. P. p. ſp.* S. 2. *c.*5. §. 2. Non minus etiam Abbas Fuldenſis, qui paſſim, velut Imperatricis Cancellarius, in ſcenam producitur, *vid.* LIMN. *d. l.* 2. *c.* 14. *n.* 22. 23. 24. SCHWED. *d. Sect.* 2. *c.* 6. §. 10. tum memorari poteſt.

§. 10. Hactenus dicta tamen non eo pertinent, quaſi nihil, data occaſione, de Imperatrice, in Jure publico adducere liceat. Ejus coronationem *c.* 2. §. 20. tetigimus; controverſia de præcedentia, quoad Bohemum, ad Proceſſionum imperialium ſolennia etiam referri poteſt, imo jura ſucceſſionum ab inteſtato, in Jure publico, etiam tradi poſſunt, & obtinent ea, quæ *l.* 4. *c.* 4. §. 49. *ſeqq.* diximus, nam hic Imperatrix, non ut talis, ſed ut uxor Domini Territorialis, conſideratur.

CAP. IIX.

De Rege Romanorum.

SUMMARIA.

Imperator aliquando dicitur Rex Romanorum §. 1. ſed hic ejus ſucceſſor hoc nomine intelligitur §. 2. tractationis capita §. 3. Rex Romanus eligitur §. 4. eligunt Electores §. 5. etiam ſine Cæſaris conſenſu §. 6. electioni contradicunt cæteri Status §. 7. controverſia

lege

lege expreſſa non eſt deciſa §. 8. ſententia Electorum bonis rationibus nititur, quomodocunque etiam Status controverſia formetur §. 9. ſeqq. perſonæ eligendæ habilitas, ejusque electio & coronatio §. 15. ex electione conſequitur Rex Romanus jus certæ ſucceſſionis §. 16. 17. 18. & ſummam, poſt Cæſarem, exiſtimationem, §. 19. 20. non autem verum & proprium imperium §. 21. ſeqq. jurium acquiſitorum indicia ſunt tituli & inſignia §. 31. 32. tribus modis etiam Rex Romanorum deſinit §. 33.

§. 1.

REx Romanorum aliquando dicitur, Imperator *electus*, ſed nondum à *Papa coronatus*, *vid.* SCHWED. *ſect.* 1. c. 3. §. 8 quæ appellatio, ſuperſtitione introducta, *v.* RHET. *J. J. P. l.* 1. *tit.* 4. §. 4. hodie rarior eſt, ſi non plane exolevit, *vid.* SCHILT. *de L. E. G. l.* 5. *c.* 8. §. 8.

§. 2. Hoc loco Rex Romanorum eſt *Princeps vivo adhuc & rerum potiente Imperatore, ab Electoribus, nomine Totius Imperii, rite electus, ut, Cæſaris legitime deficientis, certus ſit ſucceſſor, & ſumma interim, poſt eum, exiſtimatione, in imperio, gaudeat.*

§. 3. Ad exemplum tractationis præcedentis, in univerſum tria quoque hic conſiderari poſſunt (1.) *quomodo Rex Romanorum conſtituatur* (2.) *quæ ſint ejus jura ac obligationes* (3.) quo-

(3.) *quomodo deſinat*, in quibus quidem tradendis, maximam partem, nuda ad præcedentia remiſſione, nobis defungi licebit.

§. 4. Conſtituitur Rex Romanorum *electione vid. c.* 1. §. 7. 8. quæ præciſe, lege aliqua fundamentali, *præcepta* non eſt, interim *imperio utilis*, nec *Electorum libertati & juribus contraria*, aut *Imperatori indiſtincte ingrata* cenſeri debet, quo vero tempore *cœperit*, id non ſatis liquidum, *vid.* BOECLER. *N. J. l.* 4. *c.* 2. SCHWED. *ſect.* 1. *c.* 3. §. 4. *add.* LEHM. *Chr. Spir. l.* 4. *c.* 10. *in addit. in fin. l.* 7. *c.* 116.

§. 5. Electionem non facit *Imperator ipſe*, nam ſucceſſionem, quæ, hoc admiſſo, introduceretur, ſolenniter ejuravit, *vid.* SCHWED. *d. l.* §. 4. ſed *Electores*, circa quos ea omnia, quæ *c.* 1. §. 9. *ſeqq.* diſſeruimus, hic ſupponuntur.

§. 6. Licet autem nunquam; ſine *præſcitu* Imperatoris, electionem inſtituere queant, bene tamen ſine ejus *conſenſu* ipſam poſſunt peragere, hoc enim capitulationibus expreſſe cautum *C. L. art.* 36. atque ita dubium, quod, juxta *ordinariam electionis indolem*, alias oriri poterat, ſublatum.

§. 7. Id magis dubium, *an, ſine prævia Statuum deliberatione & decreto, Electores, ad electionem Regis Romani, procedere queant?* affirmativam Electores & praxis tuentur, ſed nega-

negativam adſtruunt Status reliqui, ex quorum ſententia, quæſtio *an electio inſtituenda*, & *quis in Regem eligendus ſit*? diſtingui debet, ita ut poſterioris deciſio, Electoribus, prioris vero, omnibus Statibus aſſeratur.

§. 8. Uti autem Electoribus non patrocinatur *A. B. c.* 1. utpote de electione Regis Romani, exquiſite ſic dicti, omnino non loquens, ita è contrario iis non contrariatur *J P. art. 8.* §. 3. ceu perperam aliqui putant, *vid.* SCHWED. *d. l.* §. 5. nam controverſiæ hujus disquiſitio, &, ſi fieri queat, deciſio ſaltem *promittitur*, non vero *datur*.

§. 9. Quare hactenus rationibus ſolum, hæc controverſia erit expedienda, & putaverim, ſententiam Electorum, ſolido omnino niti fundamento, nam inter quæſtionem, *an & quis*, tanta eſt connexio, ut ei, qui poſteriorem decidere poteſt, prioris deciſio non recte negetur, *an* enim electio utilis & neceſſaria ſit nec ne, ejus æſtimatio ex conſideratione *ſubjecti eligendi* dependet, hinc qui de hoc judicat, ei quoque prioris arbitrium erit aſſerendum.

§. 10. Sed ais, quæſtiones, *an & quis eligendus ſit?* omnino ſeparari poſſe, *cum, ſi prior negetur, poſterior plane ceſſet, adeoque illius deciſio, penes omnes Status, eſſe queat, licet Hujus ad Electores ſpectet!* Enimvero ſepa-

Digitized by Google

ratio quæſtionum ita eſt intelligenda, ut per eam, jus Electorum non tollatur, quod tamen, juxta hanc rationem, fit, quid enim prodeſt jus decidendi, ſi caſus decidendus per alium ſemper ſubtrahi poteſt?

§. 11. Non minus etiam, pro ſeparatione illarum quæſtionum, hoc urgeri poteſt, *quod, licet Status ignorent, quis præciſe eligendus ſit, attamen ex circumſtantiis probabiliter conjicere queant, in quem electio ſit caſura, ut hæc generalis cognitio ſufficiat, ad quæſtionem* an, *affirmative & negative decidendam.* Verum non ſufficit illa cognitio, qui enim jus decidendi habet, illi exacta etiam ſcientia, aut ſaltem jus eam comparandi, competere debet, alioquin jus illud fere ſine effectu erit. Certum igitur manet, quæſtiones, ſalvo utriusque partis jure, ſeparari non poſſe, adeoque, pro inſeparabilibus, recte haberi.

§. 12. Ita celebris illius controverſiæ Status formari, ac juxta eum, deciſio dari poteſt. Sed fortius forte pro Statibus philoſophandum dicendumque eſt, quod tota electio Regis Romani, ad Eos pertineat, cum translatio hujus juris, in Electores facta, probari nequeat, ſed horum jus, ad ſolum Imperatorem, & caſum vacantiæ, pertineat.

§. 13. Sed ſi ita etiam Status Controverſiæ formetur, Electorum tamen cauſæ non valde metu-

metuendum eſt: Nam jus eligendi Imperatorem, alterum, eligendi ſcilicet Regem, naturali quadam conſecutione includit, cum Rex utique Imperator ſit futurus, & hactenus Statuum nihil interſit, utrum Imperator ſolio demum vacante, an in anteceſſum & eventualiter eligatur; Aut potius; jus electionis unum eſt, ac diverſo ſaltem tempore exercetur.

§. 14. Nec obeſt, *quod intereſſe, Reipublicæ hic ſubeſſe poſſit*, nam exinde non ſequitur, quod Statibus *jus eligendi*, ſed ſaltem *votum negativum*, cujus virtute ob juſtas cauſas intercedere queant, competat, quale etiam, circa Electionem Imperatoriam, ipſis non negabitur.

§. 15. In Perſona *eligenda* requiritur *habilitas c.1.§.38. ſeqq.* expoſita: Electio vero *eodem fere modo* in actum deducitur, quo Imperatoris, de quo actum *d.c.1.§.50. ſeqq.* Accedit etiam Patris, quem Rex eligendus habet, conſenſus, imo ſolet Ille Filium Electoribus commendare, *vid.* SCHWED. *d.c.3.§.7.* GULICH. *ad Capitul. Joſeph. c.3.§.4.8.* Electionem ſequitur *Coronatio*, quam *c.2.* expoſuimus.

§. 16. Electione rite peracta, Rex Romanorum *ea jura* conſequitur, quæ ex intentione Eligentium habere debet, nimirum (1.)

Digitized by Google

jus certæ ſucceſſionis v. R. J. 1559. hinc per electionem, ad eam redigitur conditionem, qua, in regnis ſucceſſivis, gaudent Principes ſucceſſores.

§. 17. Cum autem Germaniæ Caput, auguſtiori *Imperatoris* nomine, utatur, in aliis vero regnis, illi ipſi, qui rerum potiuntur, *Reges* audiant, hinc, notandæ ſublimitati & prærogativæ, ad ſucceſſorem deſignatum, nomen *Regis*, in imperio Germanico, translatum videtur.

§. 18. Imperatore autem legitime deficiente, virtute electionis, olim factæ, ſtatim *omne Imperatoris imperium* & *nomen* conſequitur Rex Romanorum, ſicut, vi legum fundamentalium, in regnis ſucceſſivis, Principes hæreditarii ſuccedunt, *add. Capitul. Joſeph. art.* 47.

§. 19. Deinde ex electione conſequitur (2.) *ſummam*, *poſt Cæſarem*, *exiſtimationem*, hinc ſine controverſia ſtatim omnibus & ſingulis Statibus præfertur, *vid. R. J.* 1555. §. und im Fall 66. SCHWED. *d. l.* §. 9.

§. 20. Quodſi, cum exteris, Regem Romanorum compares, id evidenti & ſolida ratione utique nititur, quod Ille aliis Principibus, in ſpem ſucceſſionis regiæ natis, præferatur, ſed ulterius progrediuntur Scriptores, eumque Regibus actu talibus, ut Galliæ, præpo-

ponunt, *vid.* Schwed. *d. c. 3. §. 9.* Gülich. *ad Capitul. Joſeph. c. 5. §. 10.* id quod Autoribus ſuis defendendum relinquimus.

§. 21. *Verum* autem & *proprium imperium* Regi Romanorum, vivo & rerum potiente Imperatore, non competit, quod vel ſola electionis intentio ſatis oſtendit, quam etiam ſolennes illæ capitulationum clauſulæ, **wir wollen uns keiner Regierung unterziehen/** luculenter exprimunt, hinc etiam per Capitulationes actu non *obligatur*, ut jam ſupra *l. 2. c. 7. §. 24.* quæſtionem, de obligatione Regis Romanorum, otioſis annumeraverimus.

§. 22. Suaviter tamen hic multi philoſophantur, quando *veram, realem* ac *propriam Majeſtatem* Regi Romanorum tribuunt ceu refert Schwed. *d. c. 3. §. 8.*

§. 23. Poterat ineptias illas, autores ſuos, dedocere ſolum exemplum Regii Scuceſſoris, v. gr. Delphini Gallici, cui nemo ſanus hactenus veram Majeſtatem tribuere auſus eſt, & cum eo tamen, Regem Romanorum convenire, quis non videt?

§. 24. Idem præſtare poterat electio, ſine præjudiciis, attentius conſiderata, ſi enim, ex hac, conſequitur Rex Romanorum *jus ſuccedendi* i. e. *jus ſuo tempore imperium conſequendi,* ergo *imperium nondum habet.*

§. 25. Imo ipſi Autores ſententiæ inepti-

tudinem fatentur, quando contendunt, imperium Regi Romanorum, *potentia* vel *actu primo* (quæ duo alias non coincidunt, *v.* KULPIS. *de Legat. c. 4. §. 8.*) ſaltem competere, nam hoc nihil aliud eſt, quam omne imperium negare, quicquid enim habere poſſum, illud nondum habeo.

§. 26. Evidentius vero illi ſibi contradicunt, qui *Majeſtatem Regis Romanorum, cum Majeſtate Imperatoris* numero eandem *eſſe* contendunt, *vid.* SCHWED. *d. l.* nam ſicut impoſſibile eſt, ut *unum*, ſit *duo*, ita quoque impoſſibile eſt, ut *eadem numero Majeſtas*, in duobus diſtinctis ſubjectis, *in ſolidum* (juxta modum ſcil. civitatis germanicæ) eodem tempore exiſtat.

§. 27. Hinc Regi Romanorum, Majeſtatem cum Cæſaris *Majeſtate*, *numero eandem*, tribuere, eſt, *ei nullam* aſſerere, ac contradictione inſuper ignorantiam vel ſtuporem oſtendere; Inſtantiæ, ab *anima hominis*, vel *obligatione correali*, deſumtæ, abſurdiores ſunt, quam ut contradictionem elidere queant.

§. 28. Urgent tamen pro ſua ſententia (1.) *nomen Regis & Majeſtatis* (2.) *ſummam exiſtimationem*, ſed inde nihil ad verum imperium (3.) *exercitium jurium Majeſtaticorum*, verum addunt, competere hoc ex *conſenſu* Cæſaris, adeoque vanitatem argumenti ipſi oſtendunt

(4.) *for-*

(4.) *formulas Receſſuum*, *vid.* SCHWED. *d. l.* §. 8.

§. 29. Sed ut taceam, quasdam locutiones, ſimpliciter licet admiſſas, nihil inferre, quod abſurdæ huic ſententiæ faveat, in genere omnes Receſſus, juxta *indolem & ſcopum* electionis, ſunt explicandi, quo facto, verus eorum ſenſus facile apparebit; captatis Receſſuum formulis probare, in genere erubeſcendum argumentum eſt.

§ 30. Poteſt Imperator imperium Regi Romano delegare, quod imprimis quoad delegationem particularem, v. gr. Equitum, in actu Coronationis, creandorum, procedit, nec crediderim opus eſſe conſenſu Vicariorum, *vid.* ARUMÆ. *ad A. B. diſcurſ. 3.* §. *31.* vel omnium Statuum, licet quidam hoc velint, *vid.* VITRIAR. *l. 1. tit. 11.* §. *7.* SCHWED. *ſect. 1. c. 33.* §. *6.* BOECLER. *N. J. l. 4. c. 3. n. 2.* LEHM. *Chr. Spir. l. 7. c. 11. n. 3.*

§. 31. Jurium, Regi Romano competentium, indicia ſunt (1.) *Inſignia*, utitur aquila ſimplici (2.) *Tituli*, competit ei titulus *Majeſtatis*, *& Semper Auguſti*, *vid.* SCHWED. *d. ſect. 1. c. 3.* §. *8.*

§. 32. Ex his liquet inter *Imperatorem & Regem Romanum*, eam eſſe differentiam, quæ inter *Regem & futurum regni Succeſſorem*, ex qua, reliqua diſcrimina, quæ vulgo conge-

runtur, *vid.* SCHWED. *d. §. 8.* repeti debent. Qui igitur, à ſolis *ceremonialibus*, differentiam deducere velit, *vid.* BOECLER. *N. J. l. 4. c. 2.* is utique oſtenderet, ſe vim rei non intelligere, ſed circa externa ſaltem hærere.

§. 33. Deſinit Rex Romanxrum (1.) *morte* (2.) *reſignatione*, juxta doctrinam *c. 6. §. 4. ſeqq.* (3.) *exauctoratione*, nam cum Imperator ab *imperio* queat excludi, ſi conditionem, ſub qua idem delatum, penitus negligat, ſecundum tradita *c. 6. §. 20. ſeqq.* multo magis *jus ſucceſſionis*, Regi Romano poterit auferri, ſi conditionem delationis ſe non eſſe ſervaturum, liquido ſatis, factis ſuis, oſtendat.

CAP. IX.

De Vicariis Imperatoribus.

SUMMARIA.

Vicariorum nomen variis tribuitur ſed ſenſu diverſo §. 1. Vicarii Imperatores §. 2. eorum conſtitutio §. 3. habent illi poteſtatem propriam §. 4. 5. & independentem §. 6. 7. pertinet Vicariatus non ad Papam, ſed Principes Germaniæ §. 8. nempe Comitem Palatinum Rhenanum & Saxonicum §. 9. illius tamen jus hodie controverſum §. 10. 11. habent eandem poteſtatem regulariter quam Cæſar §. 12. 13. quæ ſe exſerit in cauſa vacantiæ §. 14. juxta certos diſtrictus §. 15.

§. 15. 16. ejus partes §. 17. ſeqq. contraria §. 24. Vicariorum variæ appellationes §. 25. ſeqq. Vicariatuum inſtitutorum finis §. 29. 30. ad caſum abſentiæ §. 31. & minorennitatis Vicariorum jus quoque extenditur §. 32. Cæſar tamen in caſu abſentiæ alium conſtituere poteſt §. 33. 34. Præter Vicarios germanicos, alii etiam occurrunt §. 35. in Regno Arelatenſi §. 36. Longobardico §. 37. 38. imperio Romano §. 39. qualis illorum poteſtas §. 40. Vicariorum varietas. §. 41.

§. 1.

VIcariorum nomen uti etiam inter privatos obtinet, ita ſi ad Imperatorem noſtrum referatur, varii ſunt, qui illum titulum gerunt, omnes tamen, nomen *Vicariorum Imperatorum*, non æque ſuſtinent. Hinc, evidentioris doctrinæ cauſa, ad eos primo reſpiciemus, qui elogium illud, mea quidem ſententia, merentur.

§. 2. Sunt illi ipſi, qui *Germaniæ* eique *incorporati Regni Lotharingici* intuitu, *Vicarii* audiunt. Hi ſunt *Principes imperii, lege fundamentali conſtituti, ut, ſolio legitime vacante, juribus Imperatoriis, juxta modum & limites præſcriptos fungantur, donec alius Imperator rite fuerit electus.*

§. 3. Conſtitutio Vicariorum, dependet à *lege fundamentali*, nimirum *Aurea Bulla, c. 5.*

nam hac demum Vicariatus legaliter eſſe definitos, quæcunque etiam eorum ſit origo, certum eſt, *vid.* KULPIS. *ad Monzamb. c.* 4. §. 8.

§. 4. Exinde conſequitur, Poteſtatem Vicariorum eſſe *propriam*, non *delegatam*, neque ab *Imperatore antecedente*, quod facile quivis conceſſerit, neque à *collegio Electorali*, aut *toto imperio*, quod utrumque probabilius alias videbatur, *vid.* BOECLER. *N. J. l.* 4. *c.* 3. *p.* 130.

§. 5. Nam utut alias, ſublato Imperante, imperium in totam civitatem, velut *ſubjectum commune*, recidat, ab eoque interregibus aliquando ſoleat delegari, id tamen non procedit, ſi in eventum vacantiæ, *ſubjectum vicarium* & *proprium*, legibus fundamentalibus ſit deſignatum, tum enim immediate in hoc recidit, talis autem proviſio, in Germania occurrit, hinc, ejus virtute, imperium ſtatim in Vicarios venire dicendum eſt.

§. 6. Porro inde ſequitur, poteſtatem Vicariorum eſſe *independentem*, ſeu *Majeſtaticam*, nec hic diſſentientis VITRIARII *l.* 1. *tit.* 11. §. 8. *l.* 3. *tit.* 1. §. 5. *tit.* 5 §. 4. magna erit habenda ratio, ejus enim, in hoc genere, Philoſophia, valde inſulſa eſt, ceu varia ſpecimina oſtendunt, *vid.* VINDIC. VITRIAR. CASTIG. §. 265. *ſeqq.*

§. 7.

Digitized by Google

§. 7. Denique exinde fluit, regimen Vicariorum, eſſe *diſtinctum aliquod ſuique velut juris imperium*, quod neque Imperatoris deficientis, neque futuri imperio, velut *pars*, queat accenſeri, quia tamen *temporarium* eſt, hoc reſpectu, futuri Imperatoris imperium repræſentat.

§. 8. Vicariatu funguntur, non *Pontifex Romanus. vid.* LEHM. *Chron. Spir. l. 5. c. 97.* hujus enim conatus à noſtratibus toties falſitatis & injuſtitiæ eſt convictus, ut verbum ei amplius opponere, ineptum videatur, *vid.* ARUM. *ad A. B. diſcurſ. 3. §. 24.* BOECLER. *d. l. 4. c. 3. p. 130.* ſed *Principes imperii.*

§. 9. Nempe *Comites Palatini Rhenanus & Saxonicus;* Videntur autem id muneris, occaſione *Præfecturæ Palatii*, qua olim functi ſunt, accepiſſe, ac aliquamdiu, ex *delegatione imperii*, exercuiſſe, donec *A. B. confirmatum*, in jus proprium abiret, *vid.* SCHWED. *ſect. 1. c. 33. §. 3.* ARUMÆ. *d. l.* HORN. *Jurisprud. feud. Longobardo-Teuton. c. 8. §. 51.*

§. 10. Comiti tamen Palatino Rhenano, à Duce Bavariæ, præcipue poſt obtentum Electoratum, ratione Vicariatus, mota eſt controverſia, cujus hiſtoriam cum ſcriptoribus propriis indicat, SCHWED. *d. l. §. 4.* KULPIS. *ad Monzamb. c. 4. §. 8.*

§. 11. Bavarus contendit, Vicariatum eſſe anne-

annexum, vel *Electoratui*, vel *Archi-dapiferatui*, adeoque cum his, in ſe translatum, ſed Palatinus eundem *Palatinatui* vindicat,adeoque utrumque ſibi ſupereſſe concludit,lis indeciſa eſt, diverſis diverſum exitum interim hariolantibus, *vid.* KULPIS. *d.l.* BOECLER. *d. c.3.*

§. 12. In declaranda Vicariorum *poteſtate*, Scriptores variant, cum autem, ipſo nomine ſubmonente, Vicarii, Imperatoris vices ſubeant, hinc, ex *natura rei*, fortiſſima oritur præſumtio pro *generalitate* poteſtatis, quare, juxta regulas recte ratiocinandi, pro regula utique ſupponendum videtur: *omnem poteſtatem Imperatoriam Vicariis competere, niſi qua reſtrictio doceatur.*

§. 13. Noſtra igitur ſententia falluntur, qui ex verbis *A.B.* omnem poteſtatem repetunt, nam iſta lex, ob rationem datam, poteſtatem, ex natura rei, Vicariis competentem, per *exempla* ſolum *illuſtraſſe*, ac deinde *reſtrinxiſſe* exiſtimanda eſt, quam ſententiam, ſuis rationibus ſuffultam,praxis etiam approbavit,*vid.* SCHWED. *d.l.* §. *8.*

§. 14. Exſerit ſe illa poteſtas in caſu *vacantiæ*: Nam ſi Cæſar *abſit* vel *minorennis ſit*, Vicarii quidem vices Ejus etiam ſubeunt, ſed, *nomine* illius, omne imperium exercent,adeoque fruuntur ſaltem, iſtis caſibus, poteſtate dele-

Digitized by Google

delegata, hinc, à caſu vacantiæ, illi debent diſtingui, de quo mox iterum.

§. 15. Exercent autem Vicarii poteſtatem, juxta uſum juris *Saxonici* & *Suevici*. Saxo ſcil. in iis ditionibus, ubi jus Saxonicum, Palatinus Rheni, ubi Suevicum obſervatur, *vid.* VITRIAR. *J. J. P. l. 1. tit. 11. §. 6.* quoddam tamen imperium, non diviſis regionibus, ſed conjunctim exercent, quod per exempla mox illuſtrabimus.

§. 16. De cætero jura illa, hic non ſunt *conditio, exercendis Vicariatibus neceſſaria*, ſed ſaltem *indicium, quo limites, utriusque Vicariatus deſignantur*, hinc licet illorum jurium uſus, in quibusdam ditionibus, hodie ceſſet (quod tamen ſæpe, ex malis hypotheſibus, aſſeritur, *vid.* ARUMÆ. *ad A. B. diſcurſ. 3. §. 28.*) attamen vicariatibus adhuc ſubſunt, *v.* BURGOLD. *ad I. P. p. 1. D. 19. p. m. 329.*

§. 17. His poſitis, Poteſtas Vicariorum, juxta regulam *§. 12.* per partes erit conſideranda. Habent igitur (1.) *jus exercendi judicia communia*, in quantum hoc Imperatori alias competit, & quidem *judicium aulicum*, in ſuo quisque diſtrictu, exercet, etiam quoad cauſas feudorum Regalium, *vid.* SCHWED. *d. l. & ſect. 1. c. 9. §. 17.* ſed *Camerale judicium* conjunctim, *vid.* SCHWED. *d. c. 33. §. 7. ſ. n. 5.* VITRIAR. *J. J. P. l. 3. tit. 7. §. 1.*

§. 18.

§. 18. (2.) *Jus primariarum precum*, quod etiam *A. B.* Vicariis aſſeri, recte dicitur, ut fruſtra diſſentiat SCHWED. *ſect. 1. c. 5. §. 16.* cujus inſuper ratio, *ſemel tantum hoc jus exerceri, adeoque Vicariis competere non poſſe*, plane non concludit, nam *ſemel* quidem hoc jus tantum locum habet, ſed in *unoquoque regimine*, quale etiam eſt Regimen Vicariorum, ceu oſtendimus §. 7. *h.*

§. 19. Fruſtra etiam IDEM. *Sect. 1. c. 33. §. 7. n. 2.* jus præſentandi ad beneficia Eccleſiaſtica, Vicariis non virtute *juris primariarum precum*, ſed *juris patronatus* competere cenſet, nam in Jure Patronatus, ſive eminenter, ſive vulgariter ſuppoſito, jus primariarum precum virtualiter comprehenditur, hinc etiam ipſe LIMN. *ad A. B. c. 5. §. 1. Obſerv. 11.* ad quem, velut conſentientem, Ille provocat, eo inclinare videtur, jus primariarum precum, Vicariis aſſeri poſſe, ſi ex jure Patronatus, illud repetatur, *vid.* MÜLDNER. *Poſit. inaugur. de jur. natur. primar. prec. &c. poſit.* 4. §. 5.

§. 20. Atque hanc ſententiam confirmat praxis, nam conſtat, Sereniſſimum Electorem Saxoniæ, *Johannem Georgium II.* tempore Vicariatus noviſſimi, perilluſtri cuidam Viro, primarias preces, ad capitulum Magdeburgenſe, conceſſiſſe, illumque, in numerum Canoni-

nonicorum, recipi feciſſe, *vid.* MÜLDNER. *d. l.*

§. 21. (3.) *Jus colligendi reditus imperiales*, *vid.* ARUM. *ad A. B. diſcurſ. 3. §. 36.* (4.) *Poteſtatem inveſtiendi de feudis*, exceptis Fahn-& Scepter-Lehn. Quibus igitur Vaſallis, annus petendæ inveſtituræ, tempore Vicariatus, eſt exiturus, illi *tenentur* inveſtituram vel dilationem petere, reliqui *poſſunt* inveſtituram renovare, *vid.* LIMN. *ad A. B. c. 5. §. 1. Obſerv. 18. ſeqq.* ITTER. *de F. J. c. 9. §. 8. 9. 10. 11. 12.*

§. 22. Hæc *A. B.* expreſſa ſunt, ſed, vi regulæ datæ, omnia reliqua Imperatoris jura, Vicariis aſſeri debent, niſi doceatur reſtrictio. In ſpecie ipſis competit *jus indicendi comitia*, quod tamen non diſtinctis regionibus, ſed conjunctim eos exercere debere, natura rei ſatis innuere videtur, *vid.* SCHWED. *d. c. 33. §. 8.*

§. 23. Ademta autem eſt Vicariis Poteſtas (1.) *alienandi res imperii*, quam nec ipſi Cæſari, vel olim competiiſſe, vel nunc competere, alibi *l. 4. c. 3. §. 22. ſeqq.* jam diximus. (2.) *inveſtiendi de feudis principum* Fahnen- und Scepter-Lehn / *vid.* ARUMÆ. *d. diſcurſ. 3. §. 39.*

§. 24. Deſinit Vicariorum poteſtas, novo Cæſare electo, à quo, geſtorum ſuorum confirmationem, eos petere ſolere teſtatur, SCHW. *d. c. 33. §. 9.*

§. 25.

§. 25. His expoſitis, judicari poterit, *quænam Vicariorum appellatio, ſit maxime congrua?* dicuntur enim (1.) *Vicarii Imperatoris*, hæc denominatio, ſi de futuro Imperatore intelligatur, hactenus bene ſe habet, quod *imperium temporarium, aliudque reſpiciens* innuat, in eo vero deficit, quod *indolem poteſtatis vicariorum*, non connotet.

§. 26. Audiunt (2.) *Vicarii Imperii*, ſed uti hæc etiam appellatio, indolem poteſtatis non exprimit, ita, ſive imperium *objective*, ſive *efficienter* capias, locutio elliptica eſt, ac ita ſupplenda: *Vicarii imperii* ſcil. *Rectores*, vel *Vicarii Rectores, ab imperio*, lege ſcilicet fundamentali perpetua, *conſtituti*.

§. 27. Quod ſi autem imperium ſumas *ſubjective*, eo cenſu, Vicarios imperii dici, quod, ex temporaria delegatione, *vice* & *nomine* Ejus, poteſtatem gerant, tum appellatio plane ſit falſa, nam Vicarios non habere jus ab imperio delegatum, ſed proprium, ſatis forte probatum §. 4. 5. v. VINDIC. VITRIAR. CASTIGAT. §. 280. *ſeqq.*

§. 28. Ergo maxime concinna, perſpicua & adæquata eſt denominatio, ſi dicantur (3.) *Vicarii Imperatores*, hæc enim Vicariorum imperium, & *temporarium* & *independens* eſſe, ſimul oſtendit, hac igitur, non ſine ratione, uſi fuimus.

§. 29.

Digitized by Google

§. 29. Inſtituti ſunt Vicariatus, ad evitanda interregni incommoda, hinc eorum *neceſſitatem* & *utilitatem*, adductis interregnorum incommodis, oſtendere ſolent, *vid.* ARUM. *d. diſcurſ. 3. §. 24.* SCHWED. *d. c. 33. §. 1. 6.*

§. 30. Quæ etiam non incommode dici videntur, ſi ad antiqua tempora reſpiciamus; Verum ſi, ex præſenti tempore, Vicariatus æſtimentur, nec eorum inſtitutio præciſe videtur neceſſaria, & inſtitutorum utilitatem, incertitudo & controverſiæ, quæ hic ſubſunt, quodammodo impediunt.

§. 31. Hactenus de Vicariis Imperatoribus. Iidem Principes etiam Vicariatu funguntur, Cæſare vivo, ſed *abſente*, tum vero habent ſolum poteſtatem delegatam, nec ſunt Vicarii Imperatores, ſed Imperatoris, *vid. §. 14. h.* De Saxone quidem multi dubitant, *vid.* ITTER. *de F. I. c. 9. §. 13.* SCHWED. *Introd. ad J. P. p. ſp. Sect. 1. c. 33. §. 6.* ſed vel ex *ratione Aureæ Bullæ*, Vicariatus in caſu abſentiæ, ei aſſeri poteſt.

§. 32. In caſu *minorennitatis Cæſareæ*, iisdem etiam Principibus Vicariatus recte aſſeritur ſed & tum ſolum poteſtate delegata & dependente gaudent. De cætero uti iſte caſus eſt rarior, ita, ſi forte in minorennem electio cadat, Capitulationibus, de iſto Vicariatu, ſpecialius caveri ſolet, *v. Capit. Joſeph. art. 47.*

§. 33. Inprimis etiam ad Vicarios Cæſaris

pertinent illi, quos Cæſar abſens vel abfuturus ſpecialiter conſtituit, qualis etiam Vicarius occurrit in *Ordin. Regim. de anno* 1521. §. **und behalten uns bevor** 4. Horum poteſtas ex voluntate Cæſaris dependet, ac latior nullisque diſtrictibus circumſcripta eſſe ſolet, *vid.* ITTER. *d.c.* 9. §. 11. 12. 16.

§. 34. Videtur autem Imperator, ſine conſenſu Vicariorum Ordinariorum, extraordinarium conſtituere poſſe, ceu jam dixi *c.* 8. §. 30. ſive enim illorum jus, ex *ratione Aureæ Bullæ*, ſive ex *ſpeciali privilegio* repetas, neutra ratio libertatem Cæſaris tollere videtur: Debent enim Reipublicæ præeſſe, ſi Cæſaris imperium deficiat, ſed quamdiu Hic per alium eodem fungitur, tamdiu illud defeciſſe exiſtimari nequit.

§. 35. Præter Vicarios Germanicos, alii etiam, ratione Regnorum, Germaniæ junctorum, nempe *Arelatenſis, Longobardici & imperii Romani ſtricte dicti*, laudari ſolent. Sed propter Regionum illarum exemtionem, plerique illi Vicariatus, dubii ſunt, ac, exiguo vel nullo Germaniæ emolumento, exercentur. Interim, ut priſtini juris indices, recte aſſeruntur, *vid.* BOECLER. *N. I. l.* 4. *c.* 3. *n.* 1.

§. 36. In Regno *Arelatenſi*, excepta Sabaudia, Delphinus Gallicus, Vicarius eſt, *vid.* CONRING. *de fin. Imper. c.* 24. *p.* 600. *ſeqq.* qui tamen dubio procul talis amplius videri hodie

non

non vult. In Sabaudia eſt Dux Sabaudiæ, *vid.* CONRING. *d. tr. c. 25. p. 632.* Comes etiam Palatinus Rheni, quod regnum Arelatenſe, Vicarius eſſe à nonnullis perhibetur, *vid.* LIMN. *ad Capit. Carol. V. verb.* Pfaltz und Sachſen/ *n. 50. 51. p. 147.*

§. 37. In Regno *Italiæ* ſeu *Longobardico*, præter diverſos Vicarios ſpeciales, inprimis Dux Sabaudiæ, Vicarius generalis eſſe dicitur, contradicente tamen Mantuano, *vid. capit. Leopold. art. 4. in fin.* SCHWED. *d. c. 33. §. 2.* SCHURTZFLEISCH. *de diviſ. imper. Carolin. §. 78. p. 86. ſeqq.* De cætero, tam vivo quam mortuo Cæſare, Vicariatu illo fungitur Sabaudus, ac ideo perpetuus Vicarius audit, *vid.* ITTER. *de feud. imper. c. 9. §. 14. 15. add.* LEHM. *Chron. Spir. l. 7. c. 40.*

§. 38. Fallitur autem SCHWED. *d. c. 33. §. 2.* quando Vicariatum Sabaudi Italicum, à Bodino & Caſſano oppugnari putat; nam hi Autores de Vicariatu Arelatenſi loquuntur, nec tam eum oppugnant, quam ejus potius argumento, Sabaudiæ plenam libertatem & independentiam, à Scriptoribus Sabaudis jactari ſolitam, negant *vid.* CONRING. *de fin. imper. c. 25. p. 632.* ARUM. *ad A. B. diſcurſ. 3. §. 26.*

§. 39. In *Imperio Romano ſtricte dicto*, Pontifex Romanus, Vicarius conſtituitur à SCHURTZFLEISCHIO *de diviſ. imper. Carol. §. 78. p. 89.* de quo Vicariatu fortaſſis etiam acci-

cipiendus GROTIUS *de J. B. P. l. 2. c. 9. §. 11. n. 4.* qui tamen cum non ſatis circumſpecte loquatur, cenſuram CONRINGII *de G. J. R. c. 12. §. 10. ſeqq.* incurrit. Hodie, ſine dubio, Pontifex Romanus, Vicarius videri non vult.

§. 40. De exteris illis Vicariis quæri in genere poteſt, *utrum eorum poteſtas ſit dependens an independens?* ſed circa hoc quemvis ſuo ſenſu abundare, facile patiar. Deinde *an Vicariis Germanicis illi ſubſint?* quod non probabile videtur, nam tam *limites illi præſcripti,* quam *Germaniæ reliquorum Regnorum indoles* (juxta quam ſcilicet ſyſtema, ex veriori ſententia, conſtituunt) ſatis videntur innuere, Vicarios reliquos, Germanicis non *ſubordinari* ſed *coordinari* debere, *v.* SCHWED. *d. c. 33. §. 2.* ITTER. *de. F. I. c. 9. §. 15.* De Vicariatu tamen Arelatenſi Sabaudico forte aliud dicendum, *v.* SCHURTZFLEISCH. *d. diſſert. §. 78. p. 88.*

§. 41. Ex his varietatem Vicariorum generaliter ſuppoſitorum facile etiam repræſentare licet. Sunt ſcilicet Vicarii, vel *Germanici* vel *Exteri.* Illi vel *Ordinarii,* qui tam in caſu Vacantiæ, quam abſentiæ ſimilive, jure vel independente, vel dependente ſed juxta certos diſtrictus, Imperio præſunt, vel *Extraordinarii,* quos Cæſar conſtituit, quiq; poteſtatem dependentem quidem, ſed laxiorem habent. Hi vero tam in caſu abſentiæ quam vacantiæ ſimul, vices Cæſaris gerunt, adeoq; ab exercitio juris, *Perpetui,* Vicarii audiunt. LI.

LIBER SEXTUS.

CAP. I.

De Jure totius Imperii.

SUMMARIA.

Connexio §. 1. 2. de jure & nexu totius Reipublicæ Germanicæ, Scriptores agere non ſolent §. 3. triplex mutatio Germaniæ accidit §. 4. interna ejus juribus nihil detraxit §. 5. mutavit tamen ſubjectum proprium §. 6. altera mutatio per Papatum facta, Germaniæ jura imminuit §. 7. tractationis capita §. 8. jus Sacrorum debebat, in Germania, eſſe integrum §. 9. 10. ſed per papatum imminutum eſt §. 11. 12. 13. hujus adminicula §. 14. molimina §. 15. 16. per Reformationem ex parte idem eſt expulſus §. 17. Status juris Sacrorum modernus §. 18. 19. tertia mutatio, quæ ad fines pertinet, poſſeſſionem multarum regionum abſtulit §. 20.

§. 1.

POſtquam Status imperii, cum ſuis juribus, nec non Caput Eorum, Imperatorem Romanum, ſigillatim conſideravimus, ſupereſt ut penitius inquiramus,

 tum

tum, quæ totius Reipublicæ ſint jura, tum, qua compage univerſum Imperii corpus cohæreat, *vid. l. 3. c. 1. §. 1.*

§. 2. Nam licet Status, dum jus territoriale ſibi comparare ſtuduerunt, ſatis eo ipſo teſtati ſint, quantopere iis placeat peculiare regimen, quo ſecum velut habitare, ac res ſeorſim adminiſtrare ipſis liceat, attamen in plenam libertatem evadere nunquam vel voluerunt, vel conſultum duxerunt, hinc quanta etiam gaudeant libertate, certum tamen eſt, quod omnes Status, cum ſuo Capite, certo modo, *Unum Corpus politicum*, conſtituant.

§. 3. Recte igitur tam de *jure* quam *nexu* totius Reipublicæ diſquiritur. De utroque tamen Scriptores Juris publici ſilere ſolent, id quod, ex dubiis falſisque, quas circa formam Civitatis noſtræ fovent, hypotheſibus, originem habet, interim nonnulla, quæ huc merito referas, ſed alia plane intentione, illi proferunt.

§. 4. Primo de *jure* totius Reipublicæ videbimus. Triplicem ei accidiſſe mutationem, diximus *l. 1. c. 3. §. 34.* cumque, ſingulis *d. l. 1.* expoſitis, jura Reipublicæ præſentis, à libro ſecundo, exhibere hactenus conati ſimus, hinc mutationum illarum effectus, etiam quoad totam Civitatem, nunc conſiderandi erunt.

§. 5.

§. 5. Prima mutatio, qua Proceres Germaniæ ad claſſem Imperantium evecti ſunt, totius Reipublicæ Juribus nihil detraxit, hinc dubitandum non eſt, quin etiam hodie Germania ſit *Reſpublica libera & ſui juris, plenoque imperio civili* gaudeat, ſi enim in ſingulis Territoriis imperium aliquod civile occurrit, dubitandum ſane non eſt, quin ex horum conjunctione, ſplendidum aliquod, ratione Totius Reipublicæ, efficiatur.

§. 6. Quia tamen mutatio illa, Subjectum imperii libertatisque civilis *proprium* & *ſpeciale,* valde migravit, ideo eadem effectum eſt, ut à tota Republica omnes imperii civilis partes haut exerceantur, ſed nonnullarum ſolum exercitium ab illa ſuſcipiatur, de quo explicatius agemus, quando totius Reipublicæ nexus exponendus erit.

§. 7. Altera mutatio, quæ per Papatum accidit, ad imminuenda Germaniæ Jura, inprimis tendit, nam Papam Romanum, ut aliis Rebuspublicis, ita in ſpecie etiam Germaniæ, jus Sacrorum, imo per hoc, autonomiam ſeu libertatem civilem, eripuiſſe, vel ſaltem eripere conatum eſſe, ſatis quidem notum eſt.

§. 8. Hujus igitur mutationis intuitu, hæc fere conſiderari poſſunt (1.) quomodo jus Sacrorum in Germania ſe habere debeat (2.) qua ratione per papatum illud ſit imminu-

Digitized by Google

tum & corruptum, hic tamen (3.) per Reformationem religioſam, ex parte iterum excluſus ac (4) quomodo tandem, iſto rerum Statu, ipſo actu, jus Sacrorum ſe habeat.

§. 9. Primum quod attinet, debebat jus Sacrorum, *integrum* Germaniæ competere, in quantum ſcilicet illud, religionis libertas, leges divinæ generales, & propriæ fundamentales, Rebuspublicis permittunt. Ita porro, juxta præſentem Reipublicæ Statum, diſtributum eſſe debebat, ut ſinguli Status, in ſuis Territoriis eodem eatenus gauderent, quatenus ad regendos ſubditos eſt neceſſarium, de quo dixi *l.3. c.*6. illa vero quæ rationes totius Reipublicæ attingunt, ab omnibus Ejus membris, juncto conſenſu, expedirentur.

§. 10. Quodſi cum aliis Rebuspublicis, religionis intuitu agendum ſit, tum Germaniæ eo modo jus Sacrorum competere debebat, ut cum illis, per Concilia, libera voluntate inſtituta, agere, deliberare ac nonnunquam etiam decernere queat, nam jus dirigendi, quod in alias Respublicas, Germaniæ Ejusque Capiti, à nonnullis tribuitur, *vid.* SCHILTER. de *I. E. G. l.1. c.1. §.16. l.3. c.12.* facilius aſſeri quam probari poteſt.

§. 11. Sed in eo Statu Jus Sacrorum haut eſt relictum, verum ſecundo per papatum valde

de imminutum. Papatus indolem, introdu-ctionem, conſervationem, propagationem harumq; omnium injuſtitiam & damna ſatis executi ſumus *l. 1. c. 7.* quæ hic præſupponuntur.

§. 12. Quod in ſpecie Germaniam attinet, nulla Respublica magis, quam Germanica, per Papatum fuit afflicta, partim quod Papa ei ſubeſſet, partim quod ejus, velut maxime eo tempore potentis, Majeſtate imminuta, eo citius in cæteras etiam Respublicas chriſtianas, dominatum aliquem univerſalem, ſe obtenturum eſſe, Papa non immerito ſperaret.

§. 13. De cætero ſummatim duo egit Pontifex Romanus, primo ut libertatem in Italia ſeu patrimonio Petrino obtineret, de quo *l. 1. c. 6.* dictum, ſecundo ut dominatui ſuo univerſali ſeu hierotyrannidi Germaniam etiam ſubjiceret.

§. 14. Hujus autem introducendæ adminicula potiſſimum fuerunt (1.) imperium in conſcientias, quod jam tum, velut infauſtus Papatus Prodromus, Germaniam infeſtaverat (2.) Status Clericalis, ſplendide nimis, ad imperii ſecularis regulas, inſtructus (3.) Italiæ & Germaniæ conjunctio (4.) religionis chriſtianæ, Pontificis ope, facta propagatio (5.) præjudicium de controverſiis religioſis, communi Chriſtianarum Rerumpublicarum conſenſu, decidendis.

§. 15. His aliisque poſitis, per artes, ſupra *l. 1. c. 7.* expoſitas, in Germaniam etiam Papatus eſt introductus, & usque ad Henrici IV. tempora fere, hierotyrannis & libertas Germanica inter ſe velut luctatæ ſunt, illa nonnulla commoda ſibi acquirente, *vid.* SCHILTER. de *L. E. G. l. 1. c. 10. §. 15. l. 2. c. 6. §. 6. 9. 13.* hac tamen adhuc prævalente, *vid.* SCHILTER. *d. tr. l.* 1. *2. 3.* CONRING. *de Conſtit. Epiſcop. §. 10. ſeqq.*

§. 16. Sed auſu Papæ Gregorii VII. res Germaniæ in deterius ruere, papales vero creſcere cœperunt, nam conſtitutionem Epiſcoporum aliasque juris Sacrorum partes ad ſe rapuerunt Pontifices, Germanis amiſſam libertatem, usque ad Maximiliani tempora, fruſtra vindicantibus quam rem *l. 4. c. 3. §. 32. ſeqq.* tetigi, *vid.* SCHILTER. *de L. E. G. l. 4.* 5. *6. 7.* CONRING. *de Conſtitutione Epiſcop. §. 50. ſeqq.*

§. 17. Sed ſub Maximiliano I. Reformationis felicioris jacta ſunt fundamenta, hinc tertio, *vid. §. 8. h.* papatus eſt imminutus ac Germaniæ libertas, ex parte iterum aſſerta vindicataque, cujus rei hiſtoriam factique à papatu diſceſſus juſtitiam, pro inſtituti ratione, ſatis expoſui *l. 1. c. 7. §. 48. ſeqq. l. 2. c. 5. 6.* ut iſta hic repetere opus non ſit, *add.* SCHILTER. *de libert. Eccleſ. Germ. l. 7. c. 2. §. 2.* SLEIDAN.

DAN. *de Stat. relig. l. 1. p. m. 26.* BURGOLD. *ad J. P. W. p. 1. Diſcurſ. 1.*

§. 18. Ex quibus quarto facile intelligitur, quomodo revera jus Sacrorum ſe in Germania habeat, *vid.* §. *8. h.* Non eſt ſcilicet Hæc ſui juris, hinc in Comitiis de rebus religionem concernentibus, deliberare ac decernere & v. gr. Calendarium novum introducere, religionum conciliationem tentare, Nationale Concilium cogere aut cum aliis Rebuspublicis, de religione, agere non poteſt.

§. 19. Non poteſt illa Germania, non quia jus deeſt, ſed quia, ex ſuperſtitione, jure ſuo non utitur, dum multa ejus membra, in ſervitute papali perſiſtunt, quod quam ignominioſum & noxium Germaniæ ſit, cordati & præjudiciis vacui facile intelligunt.

§. 20. Tertia mutatio, quæ ad fines Germaniæ pertinet, poſſeſſionem quidem multarum Regionum intervertit, jus tamen poſſidendi non penitus abſtulit, de quo *l. 1. c. 8.* dictum, hinc hodie etiam Germaniæ, in finitimas illas Regiones, jus aliquod eatenus aſſeri debet, quatenus, poſt legitimam acquiſitionem, illud amiſſum non eſt.

CAPUT

CAP. II.

De Unione totius Reipublicæ Germanicæ.

SUMMARIA.

Ad intelligendum Germaniæ nexum tres periodi diſtinguendæ §. 1. olim fuit Monarchicus, ſed parum adſtrictus §. 2. turbis magis magisque laxatus §. 3. circa nexum præſentem tria ſpectanda §. 4. ejus partes §. 5. connectuntur Proceres Germaniæ, quoad communem amicitiam §. 6. Reſervata Cæſarea §. 7. 8. expedienda negotia communia §. 9. quæ diſtinctius exhibentur §. 10. ſeqq. onera publica ferenda §. 24. quæ itidem tractatione ſpeciali magis illuſtrantur §. 25. ſeqq. quoad appellationes ad Imperii tribunalia dirigendas §. 41. qui nexus amplius exponitur §. 42. ſeqq. & denique quoad judicia Imperii, quibus in caſu neglecti officii, Proceres ſubſunt §. 51. officium Statuum §. 52. 53. 54. ejus neglectus, delictum dicitur §. 55. eſt vel privatum vel publicum §. 56. hujus varietas §. 57. norma §. 58. 59. Status delinquentes ſubſunt Judiciis §. 60. quæ mandatis, actionibus & pœnis eos coercent §. 61. in pœnis definiendis etiam legum humanarum uſus eſt 62. pœna pecuniaria §. 63. banni §. 64. 65. ultimi ſupplicii §. 66. olim ſunt frequenter Proceres Germaniæ puniti §. 67. ſed an hodie gravioribus pœnis ſubſint, dubitatur §. 68. videtur jus puniendi verum, ſed ſæpe inefficax Reipublicæ competere §. 69. 70. commune Germaniæ vinculum, partim ſociale, partim ſubjectionis eſt §. 71. 72. producitur ille nexus electione Cæſarea ac jura-

juratis Statuum promiſſionibus §. 73. 74. adeoque extraordinarius eſt §. 75. an juribus Statuum & Imperii recte applicetur titulus dominii utilis & directi §. 76. 77.

§. 1.

POſt hæc diſpiciendum, qua compage totius Reipublicæ Germanicæ corpus cohæreat. Si quis communem illum nexum altius ſcrutari velit, ei diſtinguendæ erunt tres periodi (1.) *Reipublicæ primæ* (2.) *mutantis* & (3.) *præſentis*, quam à temporibus Capitulationum, ac inprimis Pacis Weſtphalicæ, auſpicari licebit.

§. 2. Primis temporibus, in Germania, fuiſſe *Monarchiam*, vel ſolum *Regis* nomen probare videtur, ſed illam, juxta regulas monarchicas, nunquam exacte ſatis fuiſſe compoſitam, verum inter Monarchiam, & plurium Corporum liberorum Syſtema, perpetuo velut fluctuaſſe, non minus videtur aſſerendum & jam *l. 1. c. 3. §. 32.* admonitum eſt.

§. 3. Succeſſu vero temporum, ac inprimis, turbis frequenter ortis, debilis ille nexus monarchicus, magis magisque laxatus eſt, donec Germania in eam, qua hodie conſpicitur, & in quam ſemper fere propendit, formam tandem ſubſederit, ac per leges fundamentales recentiores, prius illud vinculum, valde fuerit immutatum.

§. 4.

§. 4. Sed uti facile patet, mutationem aliquam hic accidiſſe, ita dictu tamen non adeo eſt expeditum, quouſque illa evaluerit & quo vinculo communi Germania hodie contineatur. Nobis interim, ei delineando, tria expendere placet (1.) in *quo nexus ille conſiſtat* (2.) *qualis ſit* & (3.) *quodnam ejus principium.*

§. 5. In *his* igitur, ni fallor, commune illud vinculum non male conſtituitur (1.) in communi Capitis & Membrorum amicitia (2.) conjunctione quoad Reſervata Cæſarea (3.) conſociatione quoad expedienda negotia, totius Reipublicæ utilitatem concernentia (4.) neceſſitate ferendorum onerum publicorum (5.) appellationibus, ad ſumma Imperii Tribunalia nonnunquam dirigendis (6.) in proceſſu, ob neglectum officium, contra Status, in Imperii judiciis inſtituendo.

§. 6. De ſingulis partibus explicatius nonnihil agendum eſt. *Amicitiam*, communes ſocialitatis leges, ab omnibus hominibus regulariter exigunt: Dubio procul igitur, inter membra unius Corporis Politici, eadem quoque fundamenti loco, eſt ſupponenda, id quod etiam *Conſtitutiones de pace publica* ſatis oſtendunt. Sæpe tamen Status, initis fœderibus teſtati ſunt, ſe plus præſidii, à *ſpeciali aliquo nexu pactitio*, quam *civili hoc amicitiæ*

vin-

vinculo, ſibi polliceri, *vid.* Grundſ. *p.* 3. *c.* 9. *p.* 289. KULPIS. *ad Monzamb. c.* 5. §. 8.

§. 7. Recte etiam, *Conjunctio quoad Reſervata Cæſarea*, aſſeritur, cum enim Cæſari nonnulla jura, tam ratione Territoriorum, quam ipſorum Statuum, aut totius Imperii negotiorum, competant, de quibus *l.* 5. *c.* 3. dictum, merito etiam Territoria Germaniæ, Jurium illorum intuitu, conjuncta eſſe dicemus.

§. 8. De cetero nexus ille nihil aliud fere involvit, quam quod Reſervata illa, non tam ex aliquo Cæſaris imperio, quam conſenſu potius Statuum expreſſo vel tacito, antecedente vel concomitante, exerceri queant, id quod ex inductione, ſi non omnium, certe plerorumque Reſervatorum, facile apparet.

§. 9. *Conſociatio, quoad expedienda negotia, totius Reipublicæ utilitatem concernentia*, eo minus dubii habet, quo magis nexus illius effectus omni die comparet, nam ex eo reſultant *Comitia* decretorumque Comitialium *Exſecutiones*, de quibus ſuo loco videbimus.

§. 10. Id vero diſtinctius oſtendendum, quænam ſint illa negotia, quæ communi conſenſu expediri debeant. Indicat eadem *J. P. art.* 8. §. 2. ſed adæquate non recenſet, quæ autem diſſeruit CONRINGIUS *diſſert. de negot.*

Digitized by Google

got. convent. imper. illa, ad ſtatum præſentem, non indiſtincte quadrant, ſed ad regnum potius limitatum pertinent, *add.* LEHM. *Chr. Spir. l.7.c.92.*

§. 11. Quo igitur, Statui præſenti accommodatè hæc res explicetur, præſupponendum primo eſt, non *omnia Germaniæ negotia*, ſed ea ſaltem quæ ad *communem imperii ſalutem* pertinent, in Comitiis tractari, nam reliqua in ſingulis territoriis, Status, ſuopte arbitratu, definire, experientia teſtatur.

§. 12. Sed contradicit KULPIS. *ad Monzamb. c. 6. §. 5.* contendens, *non* peculiares duntaxat ob cauſas, *comitia convocari*, *ſed in illis*, de omnibus negotiis, totam rempublicam concernentibus, *diſponi.*

§. 13. Verum luſus eſt in vocula, *totam*; nam ſi ſumatur *collective*, tum inter *cauſas peculiares*, *& omnia negotia*, *totam Rempublicam concernentia*, nulla eſt oppoſitio, quia & hæc, *cauſæ peculiares* ſunt; Si vero ſumatur *diſtributive*, tum falſum eſt, quod *omnia negotia, totam rempublicam concernentia, i. e. in tota republica, & ſingulis territoriis, occurrentia*, in Comitiis tractentur.

§. 14. Neque tamen his poſitis, ſatis liquidum eſt, quæ ergo negotia, communibus aſſignari debeant deliberationibus, nam ſæpe non ſatis conſtat, num negotium, *Cæſareum*, vel

vel *Cæſareo-Electorale*, vel *Electorale*, vel *Comitiale*, vel *Territoriale* exiſtimari debeat. Conſiderabimus eadem, ratione Status Germaniæ *formandi* aut *emendandi*, ac *jam formati*.

§. 15. Ad primam claſſem pertinent (1.) *Conceſſio vectigalis* (2.) *Stapulæ Geranii & emporii* (3.) *juris monetandi*. Poterant illa negotia, pro *Comitialibus* haberi, ſed magis obtinuit, ut ſint *Cæſareo - Electoralia*, *vid. J. P. art. 9.* SCHWED. *ſect. 1. c. 20. §. 3. 9. 10. 11. 12. c. 17. §. 19.* forte etiam inſtitutio vectigalis, à Statibus Majoribus, habetur pro negotio *Territoriali*, *vid. l. 3. c. 5. §. 50.*

§. 16. (4.) *Declaratio in bannum.* Hæc quidem, quoad judicium Camerale, ſatis definita eſt, *vid.* SCHWED. *ſect. 1. c. 21. §. 2. in fin.* LIMN. *ad Capit. Ferdinand. III. art. 30. p. 722.* ſed, intuitu judicii aulici, adhuc definiri debet *conſenſu comitiali J. P. art. 8. §. 3.* nec eſt adeo negotium *Cæſareo - Electorale*, ut vulgo putant, *vid.* SCHWED. *d. c. 21. §. 2.* nam capitulationes ſaltem accipiendæ ſunt, de *remedio proviſionario*, qvamvis & huic contradicant Status. *vid.* Grundſ. *p. 3. c. 5. p. 245.*

§. 17. (5.) *Alienatio bonorum imperialium* (6.) *conceſſio feudi aperti* (7.) *Cooptatio in numerum Statuum*, hæc negotia ex mente Electorum ſunt *Cæſareo-Electoralia*, ſed ſenten-

tia Statuum. *Comitialia, vid.* SCHWED. *ſect.1. c. 23. §. 3. 9. c. 7. §. 5.* VITRIAR. *l. 3. tit. 4. §. 14.* Grundſ. *p. 3. c. 3. p. 197.*

§. 18. (8.) *Electio Regis Romani*, ſed hæc magis eſt negotium *Electorale*, de quo dixi *l. 5. c. 8. §. 7. ſeqq.* (9.) *conceptio perpetuæ capitulationis, vid. l. 2. c. 7. §. 38. ſeqq.* (10.) *emendatio defectuum comitialium* (11.) *Reformatio communium imperii judiciorum* (12.) *Abuſuum, circa executionem, occurrentium abolitio* (13.) *Circulorum & deputationis ordinariæ redintegratio.*

§. 19. (14.) *Determinatio valoris votorum majorum* (15.) *emendatio defectuum monetalium* (16.) *Confuſionis cira poſtas occurrentis* (17.) *reſtitutio finium exemtorum* (18.) *Deciſio controverſiarum inter Status ortarum*, niſi eæ, ad judicia communia, citra controverſiam, pertineant.

§. 20. (19) *Matriculæ emendatio* (20.) *moderatio aut ſublatio vectigalium* (21.) *excluſio à jure Status* (22.) *transpoſitio ſummorum imperii tribunalium, vid.* Grundſ. *p. 3. c. 3. ſeqq.* SCHWED. *ſect. 1. c. 25. §. 12. 13. 14.*

§. 21. Dum autem, illa omnia & ejus generis alia, Status expediunt communibus decretis ſeu legibus, hinc liquet, quo ſenſu (23.) *leges ferendæ* ad Comitia pertineant, quarum etiam (24.) *interpretatio* iis adſcribi debet, *vid.* Grundſ. *d. p. 3. c. 8. p. 260.*

§. 22.

Digitized by Google

§. 22. Ad ſecundam claſſem ſpectat (1.) *negotium legum ferendarum*, quatenus ſcil. in Comitiis leges communes ſubditis feruntur, quod hodie non temere fiet: aut Cæſar & Status, ad quid expediendum, ſe obſtringunt. (2.) *belli decernendi, delectus & hoſpitationis militum.*

§. 23. (3.) *Collectarum imponendarum* (4.) *remittendarum* (5.) *munimentorum, in ditionibus Statuum, exſtruendorum* (6.) *pacis aliorumque fœderum ineundorum* (7.) *Legatorum mittendorum & recipiendorum J. P. art. 8. §. 2.*

§. 24. De *neceſſitate ferendorum onerum publicorum* itidem dubitari nequit, quo nomine *Collectæ* obtinent. In genere Collecta, eſt *onus pecuniarium, pro commodo Reipublicæ ferendum.*

§. 25. Intuitu Germaniæ diſtinguuntur collectæ, in *provinciales* Land-Steuren/ quas Jus privatum explicare debet, afficiunt enim ſubditos, & *imperiales* Reichs-Steuren/ quæ iterum diſtinguuntur (1.) a *modo imponendi* & nonnunquam *fine*, in *univerſales* & *particulares* ſeu *Circulares* (2.) *indigentiæ diverſitate*, in *ordinarias* & *extraordinarias*: Ratione *obligationis*, ſeu *neceſſitatis ſolvendi*, omnes collectæ, ſunt ordinariæ.

§. 26. Antiquos Germanos, ad ferendas

Digitized by Google

collectas, haut fuiſſe obſtrictos, ex TACITO, annotare ſolent, *vid.* RHET. *J. J. P. l. 1. tit. 2. §. 51. ſeqq.* quemadmodum, ſub imperio Francorum, Francos, â neceſſitate ſolvendi tributa, immunes pronunciant, *vid.* CONRING. *de urbib. Germ. §. 61. ſeqq.* neutrum ſimpliciter verum videtur, civitas enim, ſine obligatione civium, ad onera communia ferenda, contradictionem in adjecto continet. *add.* LEHM. *Chr. Spir. l. 2. c. 44.*

§. 27. Hodie cum, mutato Reipublicæ Statu, Cæſar autoritate ſua, Proceres ad collectas permovere nequeat, nec tamen, communi Statuum conſenſu, adæquata cōntribuendi ratio ſit introducta, fatendum omnino eſt, quod communis imperii nexus, hac in parte bene ſe non habeat.

§. 28. Interim dicendum tamen eſt, quod regulariter *omnia imperii membra* ad collectas ferendas ſint obſtricta, *vid.* ITTER. *de F. J. c. 21. §. 15. ſeqq.* nam hæc obligatio eo ipſo exiſtit, dum aliquis Status, membrum imperii eſſe vult, non recte autem à Vaſallagio, obligationis illius origo ab ITTERO. *d. l. c. 20. 21.* repetitur, *vid.* LEHM. *Chr. Spir. l. 7. c. 121.* ARUM. *de Comit. c. 8. n. 59.* MONZAMB. *c. 5. n. 2.* Immunes tamen ſunt Archiduces Auſtriæ, ex privilegio *Caroli V.* & Nobiles immediati, *vid. J. P. art. 16. §. 8.* MAURIT. *diſſertat.*

tat. de nobilitat. §.*51.* ITTER. *d. c. 21.* §. *22.* ſed, quoad hos, forte magis *imago libertatis*, quam *libertas* adeſt, *add.* LEHM. *Chr. Spir. l. 7. c. 41.*

§. 29. Facienda autem eſt ſolutio ob *cauſas imperium concernentes*, qualis per ſe non eſt *bellum Turcicum, vid.* ARUM. *de Comit. c. 8. n. 45.* MONZAMB. *c. 2.* §. *4. c. 5.* §. *2. 7.* LEHM. *d. tr. l. 7. c. 112. 113. 120.*

§. 30. Cauſæ vero imperii, vel reſpiciunt *Cæſaris ſuſtentationem, vid.* RHET. *J. J. P. l. 1. tit. 4.* §. *60. 61.* quæ tamen hodie propemodum ceſſat, *vid.* ARUM. *de Comit. c. 8.* n. *26.* MONZAMB. *c. 5.* §. *7.* vel *judicii Cameralis, vid.* MONZAMB. *d.* §. 7. ibique KULPIS. vel alia *negotia publica*, inprimis *bellum*, hoc enim fere eſt, quod Germanos conſpirare jubet, cum in cæteris plerumque Status ſeorſim agant.

§. 31. Sumtus autem ordinarii, qui manentem habent cauſam, uno velut contextu ſolvendi ſunt, & ea quidem quantitate, quæ in *matriculis* eſt expreſſa; Extraordinarii vero, pro ratione neceſſitatum, penduntur, ubi quidem triplex modus occurrit.

§. 32. Vel enim poteſt ſolutio fieri juxta *modum expeditionis Romanæ, vid.* ITTER. *c. 20.* §. *4. 5.* qui ſub *Carolo V.* introductus *R. J. 1521. vid.* SCHWED. *ſect. 1. c. 26.* §. *9. 12.* vel juxta *com-*

communem denarium. SCHWED. *d. l.* §. *10.* ARUM. *de Comit. c. 8. n. 33. ſeqq.* vel ſecundum *voluntariam determinationem, ſeu modum placidæ conventionis* SCHWED. *d. l.* §. *11.* LIMN. *de J. P. l. 4. c. 7. n.* 67. RITTER. *c. 21.* §. *8. 9. 10. 27. 29.*

§. 33. Duo priores modi, *aliquod fundamentum* reſpiciunt, ultimus vero, à *mero Statuum beneplacito* dependet, hinc niſi ultro rationem audire velint, locum habere nequit, ſi vero, pro ratione virium, quisque Statuum bona fide, ad ferenda onera, ſe obſtringat, tum ſane imperio erit utiliſſimus.

§ 34. Uter autem, ex prioribus, altero præſtet, in comitiis aliquando fuit diſputatum, atque tunc quidem, pro modo *expeditionis Romanæ*, per majora concluſum, pro quo etiam rationes quasdam afferre voluit, ARUM. *de Comit. c. 8. n. 38. ſeqq.* cum quibus tamen facile forſitan transegeris, *add.* SCHWED. *d. l.* §. 10.

§. 35. Id certum, modum conferendi juxta communem denarium, eſſe, ſi in ſe ſpectetur, omnino æquiſſimum, ſed uti, quoad applicationem, in quavis Republica, ſuas patitur difficultates, ita in Germania longe maximæ, imo inſuperabiles occurrere videntur, ob has igitur, modus expeditionis Romanæ, prævaluiſſe videtur, multis alioquin & diffi-

cul-

cultatibus & querelis obnoxius, *vid.* Kvlpis. *ad Monzamb. c.* 5. §. 7.

§. 36. Imponuntur autem collectæ *communi Cæſaris & Statuum conſenſu*, qui quidem, quoad onera ſtataria, in perpetuam legem fundamentalem abit, quoad reliqua vero, placiti ſaltem tranſitorii, ac pro ratione neceſſitatis, ſubinde repetendi, rationem habet, *vid.* Lehm. *Chr. Spir. l.* 5. *c.* 117. *l.* 7. *c.* 112. 117. Itter. *d. c.* 21. §. 11. *ſeqq.*

§. 37. Metu autem banni, & ſolvendi dupli, ad promtam ſolutionem, Status impelli debent *R. J.* 1582. *vid.* Schwed. *d. l.* §. 15. Itter. *d. c.* 21. §. 30. qui tamen ſubinde ſat languide operatur, & ſolennes hic ſunt Statuum minorum, contra majores, querelæ, *v.* Arum. *de Comit. c.* 8. *n.* 49. Grundſ. *p.* 3. *c.* 8. *n.* 111. *p.* 279.

§. 38. Promovendæ autem ſolutioni, recipiendisq; collectis, certæ civitates Legſtädte dictæ, nempe *Norimberga*, *Auguſta*, *Francofurtum & Lipſia* olim fuere deſtinatæ, *vid.* Schwed. *d. l.* §. 15.

§. 39. Collectarum ſolutarum collocationem, ſuo videtur Cæſar vindicare arbitrio, hinc etiam eas ſubinde remittit, aut aliis cedit, nec penitus, de collectis non recte collocatis, querelæ ceſſare ſolent, *vid.* Arum. *d. l.*

§. 40. Non videtur ratione carere, ſi quis

Digitized by Google

eundem modum *collocandarum & imponendarum* collectarum aſſerat, *vid.* LEHM. *l.* 7. *c.* 113 licet diſſentiat ITTER. *d.c.* 21. §. 31. Hinc plerumque ipſi etiam Status, malunt mittere milites, quam pecuniam ſolvere, cum illo caſu, arbitrium ad eos quoque ex parte pertineat.

§. 41. Quinta vinculi communis pars, quæ in *Appellationibus, ad Summa Imperii Tribunalia nonnunquam dirigendis*, conſiſtit, non adeo generalis eſt; Ei igitur intelligendæ diſtinguendum eſt, inter cauſas *Eccleſiaſticas* quæ ullo modo, juxta definitionem juris Canonici, tales ſunt, & *ſeculares*.

§. 42. Quoad *illas*, rurſus diſtingui debet, inter *Status Pontificios*, ab his ad Papam appellatur, quovis tamen tempore iis licitum eſt, injuſtum & abſurdum hoc jugum excutere, & *Proteſtantes*, horum intuitu omnis appellatio ceſſat, *vid.* STRYK. *diſſert. de jur. papali Princip. Evangel. c.* 6.

§. 43. Ratio autem ceſſantis appellationis, non ea eſt, quod jus Sacrorum, a *Cæſare* in *Pontificem* ſit tranſlatum, adeoque nequeat appellari ad *Illum*, cum nullum jus amplius habeat, neque ad *Hunc*, quod ejus jurisdictio, per conventiones religioſas, ſit ſuſpenſa, prout quidam philoſophari ſolent.

§. 44. Nam iſta ratione peſſime proſpici

Pro-

Proteſtantibus, jam dixi *l. 3. c. 6. §. 7. ſeqq.* quare dicendum potius, ad *Pontificem* appellari non poſſe aut debere, quod nunquam juſto titulo imperium, quoad Sacra, habuerit, nec ad *Cæſarem* ac *Imperium*, quod jus Sacrorum, ad Pontificem, pertinere credat, adeoque illud velut derelinquat: Hinc neceſſario Status Proteſtantes, quoad propriam perſonam, *omnimodam libertatem*, quoad ſubditos vero ſuos, *plenum imperium* ſunt conſecuti.

§. 45. Quoad *cauſas ſeculares* diverſa eſt Statuum conditio, nam quidam gaudent *illimitato privilegio de non appellando*, quos paſſim recenſent, *vid.* SCHWED. *ſect. 1. c. 11. §. 2.* MONZAMB. *c. 5. §. 18.* nec valde illi juri obeſt exceptio, qua appellatio admittitur, *in caſu denegatæ juſtitiæ*, nam ejus forſitan ullus caſus, nondum exſtitit.

§. 46. Neque etiam *per modum ſupplicationis*, ſeu *Appellationis politicæ*, *omnes cauſæ juriſdictionis Cæſareæ poſſunt ſubjici*, quod KULPIS *ad Monzamb. c. 5. §. 18.* perſuadere vult, nam ſane ſolidiori fundamento jura Statuum nituntur, quam ut tam levi verborum mutatione queant eludi, *vid.* CARPZ. *Proc. tit. 18. art. 1. n. 19.*

§. 47. Utitur tamen KULPIS. in ſententiæ ſuæ confirmationem, termino *privilegii*, quod talem ſupplicationem admittat; Enim

vero, poſtquam capitulationibus & inſtrumento pacis, libertati Statuum proſpici cœpit, intempeſtive omnino, jus de non appellando, a ſolo privilegio, repetitur.

§. 48. Alii Status *limitatum, de non appellando, habent privilegium*, cui intelligendo, diſtinguendum eſt inter cauſas *criminales*, harum reſpectu nulla appellatio locum habet, *vid. O. C. p. 2. tit 28. §. 5.* KULPIS. *d. l.* SCHW. *ſect. 1. c. 13. §. 11. & civiles.*

§. 49. Quoad has, iterum intereſt, an ſint *liquidæ*, & ceſſat appellatio *R. J. 1654. §. 107.* RHET. *J. J. P. l. 2. tit. 3. §. 24.* an *illiquidæ*, quoad has generaliter deficit appellatio, ſi ſumma ſit infra 400. imperiales *R. I. 1654. §. 112.* in reliquis cauſis admittitur, *vid.* RHET. *d. l. §. 21.* & *l. 4. tit. 21. §. 2. ſeqq.* niſi quis majori privilegio fruatur, *vid.* SCHWED. *d. Sect. 1. c. 11. § 3. c. 13. §. 12. Thomaſ. in not. ad Strauch. diſſert. 27. §. 7.* id quod rectius, ex Archivis Statuum, quam libris, didiceris.

§. 50. Ex his ergo liquet, nexum appellationis, quoad Status potentiores, plane ceſſare, quoad reliquos vero, ſæpe deficere; De cetero, ad extendenda privilegia jam competentia, Cæſarem magis proclivem eſſe debere, quam ad ea aliaque, denovo concedenda, ex *R. I. 1654. §. 115. 116.* apparet *add.* RHET. *d. l. §. 23.* Illi autem oppido errant, qui, privilegia illa,

illa, cum Monarchia, poſſe conciliari, aut huic eſſe utilia, exiſtimant, quorum meminit SCHWED. *d. Sect. 1. c. 11. §. 1.*

§. 51. Denique Germaniæ commune vinculum in eo etiam conſiſtit, quod *Status imperii, ob neglectum officium, Imperio ejusque judiciis ſubſint.* Hic nexus ut eo rectius intelligatur, *officium* Statuum imperii, ejusque *neglectus* (quæ alioquin univerſam Juris publici & privati Diſciplinam, in actu exercito, perambulant) breviter in actu, quem vocant, ſignato, repræſentanda erunt.

§. 52. De cætero res non adeo involuta eſt, nam Proceres Germaniæ, ut *homines*, Deo, ſibi ipſis & proximo, ex legibus divinis; ut *Status* vero & *Vaſallos*, inſuper, pactis Germanæ fundamentalibus, obligari, manifeſtum eſt.

§. 53. Reſpicit hæc obligatio, ac inde ortum officium, vel *Imperatorem*, cui fidem, honorem & auxilia, vel *Imperium*, cujus commoda promovere ac damna avertere, vel *Conſtatus*, cum quibus pacifice vivere debent, vel *proprios ſubditos*.

§. 54. Hic *ſalus populi ſuprema lex eſſe debet*, adeoque Status non tantum Superioritatis Territorialis, *proprio arbitrio* exercendæ, uſum, ad iſtum ſcopum ſemper referre, ſed & *modum adminiſtrandi*, legibus fundamentali-

talibus præſcriptum, accurate obſervare tenentur.

§. 55. Obligationis officiique memorati Neglectus, *Delicti* nomen aſſumit, cujus conceptus ex Jure privato ſupponitur. Poſſunt autem Proceres Germanici, vel ut *homines* delinquere, dum irreligioſi, inſociabiles imo ſæpe, ex nimio Voluptatum amore, ſui ipſorum parum amantes ſunt; vel ut *Status*.

§. 56. Hinc delicta, peculiari ſenſu, in *privata & publica* diſcerni poſſunt; ut de illis, v. gr. fidei datæ violatione, injuria ſimilibusq; aliqua dicamus, opus non eſt, ſed id omne ex Jure privato repetendum. Hæc vero ſummatim triplicis generis eſſe videntur.

§. 57. Nam ratione *Imperatoris & Imperii*, crimen læſæ Majeſtatis & Felonia, *Conſtatuum*, crimen fractæ pacis, *Subditorum propriorum*, Sævitia, regiminis neglectus & Prodigalitas occurrere poſſunt, & ſæpe ad delicta illa publica, exceſſus privati impellunt. *add.* Schwed. *introd. ad J. P. part. gen. c.3. §. 13.*

§. 58. Uti autem horum omnium delictorum cognitio ex Jurisprudentia privata ſupponitur, ita id denuo hic inculcandum, quod Statuum imperii exceſſus, tam publici quam privati, ex ſolis legibus divinis univerſalibus, & fundamentalibus germanicis ſint dijudicandi, id quod *l. 1. c. 1. §. 63. l. 2. c. 9. §. 49.* ſatis probatum fortaſſis eſt.

§. 59.

§. 59. Juxta hæc autem principia, Status imperii, delictorum memoratorum, & in ſpecie, criminis læſæ Majeſtatis, reos poſſe fieri, certum videtur *vid. l. 1. c. 4. §. 4.* nam non tantum a ſubditis, ſed & ſociis, in unum corpus civile, perpetuo vinculo conjunctis, Reipublicæ Majeſtas violari poteſt, *vid.* OBSERV. *ad Lauterbach. Obſerv. 1301.*

§. 60. In caſu igitur negligendi vel neglecti officii, Status Imperii toti Reipublicæ, Judiciisque ab Ea conſtitutis, ſubſunt, quæ ſubjectio, ex priſtino Civitatis Statu, ſupereſt, nec licebit ejus *veritatem* in genere, bene tamen *efficaciam* nonnunquam negare.

§. 61. A delictis igitur *ſuſcipiendis*, Status imperii, mandatis Judiciorum, deterrentur, *vid.* LEHM. *Chr. Spir. l. 7. c. 109. verſ. fin.* ob *commiſſa* vero, per Eadem, ad damnum, ſi quod dederunt, reſarciendum adiguntur, ipſisque inſuper pœna promerita decernitur.

§. 62. Pœnarum natura & varietas, velut cognita, præſupponitur, id ſolum hic notandum, quod, ſi de delicto conſtet, in definiendis Statuum pœnis, etiam legum humanarum ſit aliqua autoritas, nam, poſt delictum, in eos, velut ſubditos, animadvertitur, *vid. l. 1. c. 1. §. 64.*

§. 63. Solet autem, in Jure publico, inprimis allegari (1.) *pœna pecuniaria*, quæ uti in

in aliis delictis locum invenire poteſt, ita ad crimen fractæ pacis etiam à nonnullis applicatur, *vid.* SCHWED. *introd. ad J. P. p. gen. c.* 3. §. 15. VITRIAR. *J. J. P. l.* 3. *tit.* 4. §. 6. *in fin.* quod tamen improbat ZIEGLER. *de jur. Majeſt. l.* 1. *c.* 33. *n.* 40.

§. 64. Porro (2.) *Proſcriptio* ſeu *Bannum*, *v.* D. BORN. *diſputat. de bannis nuptial. Lipſ.* 1693. *hab.* §. 2. quod hic eſt *pœna, ob crimen fractæ pacis, læſæ Majeſtatis & contumaciam impoſita, per quam quis imperio Germanico expellitur, eique omnia bona auferuntur, ac vita ejus cujusvis offenſioni exponitur.*

§. 65. Debebat igitur nemo bannitum recipere, quidam tamen eo etiam reſpectu, privilegiati dicuntur, *vid.* SCHWED. *Sect.* 1. *c.* 21. §. 6. *add.* LEHM. *Chr. Spir. l.* 7. *c.* 11. *n.* 2. *in fin.* Cenſetur bannum deportationi Romanæ ſucceſſiſſe, *vid.* OSTERMAN. *diſput. Cam.* 9. §. 1. quæ conjectura forte parum erudita eſt. Alias diſtinguitur in *Primum* & *Reiteratum*, Acht und Ober-Acht / *vid.* SCHWED. *d. c.* 21. §. 1. RHET. *J. J. P. l.* 4. *tit.* 23. §. 16.

§. 66. Denique (3.) *pœna ultimi ſupplicii*; quæ, ſi modo unquam hodie obtinet, ad graviora delicta, nempe læſæ Majeſtatis & forte etiam fractæ pacis, *vid. O. C. p.* 2. *tit.* 9. *R. J.* 1555. §. 48. CARPZ. *Pr. Crim. qv.* 35. *n.* 10. 23. erit referenda.

§. 67.

§. 67. Cæterum uti olim Proceres Germanici, non infrequenter puniti ſunt, & vario quidem ſupplicii genere, nempe carcere, *vid.* LEHM. *Chr. Spir. l. 5. c. 30.* multa, ignominia ID. *l. 4. c. 2. l. 5. c. 4. 63.* banno ID. *l. 5. c. 75. 77. 85. l. 7. c. 11. n. 2.* & ultimo ſupplicio ID. *l. 3. c. 50. conf. l. 5. c. 14. 32.* ita an hodie tam ferales ſententiæ, quæ bannum, aut quod magis eſt, ultimum ſupplicium imponant, per modum imperii, in Status ferri queant, quæri ſolet?

§. 68. Negat hoc FURSTENER. *de jur. Suprem. c.* 29. cujus ſententiam ſequitur RHET. *J. J. P. l.* 4. *tit.* 23. §. 13. 14. ſed rationibus parum validis, hinc eam doctrinam non immerito refellit KULPIS. *de jur. legat. c.* 20. §. 15. & *ad Monzamb. c. 6. §. 4.* 208. Alii magno argumentorum apparatu id adſtruere laborant, ut HENNIGES *de poteſt. Imper. circ. profan. c. 3.* ſed nec horum rationibus temere fides adhiberi debet. Quidam judicium ſuſpendunt, ut ITTER. *de F. I. c. 19. §. 11. in fin.*

§. 69. Ego non dubito, quin *jus puniendi*, Germaniæ, ex veteri formula, adhuc competat, ſed uti vis Judiciorum, quoad Status potentes, in genere nimis languet, ita inprimis puniendi jus, plerumque *inefficax* eſſe, ſimul arbitror, ut jus *verum* & *validum*, hic diſcerni debeat, quemadmodum aliquando actio forenſis, *vera* quidem, ſed *non bona* eſt. §. 70.

§. 70. Cauſa invaliditatis non longe arceſſenda eſt; dependet ſcilicet ex eo, quod *Germaniæ vires*, ad validam operationem, non ſatis ſint unitæ, quod *modus puniendi*, nondum definitus, Statuum autem magna ſit *libertas & potentia*, quæ quidem majoris erit efficaciæ, ſi contingat, ut *conditio Status & qualitas abſoluti Domini*, in eodem ſubjecto concurrat, quod in Germania non plane inſolitum.

§. 71. *Qualis* autem ſit nexus, cujus partes hactenus declaravimus, deinde videndum, *v.* §. 4. *h.* Ex conſenſu, oriri *vincula adventitia*, ſatis quidem eſt certum, quemadmodum nec de eo dubitandum, quin per conſenſum, tam *nexus aliquis æqualis*, quam *imperium & ſubjectio*, pro diverſa conſentientium intentione, produci queat.

§. 72. His poſitis, arbitramur, in Germania, quoad *quatuor priores partes*, modo relatas, eſſe *nexum ſocialem*, ac Status imperii, tam inter ſe, quam cum ſuo Capite, velut fœderatos, conjungi, cum enim magna ſit Territoriorum libertas, quæ ſane omnium oculis expoſita eſt, ac, in laudatis partibus, nulla etjam ſubjectionis veſtigia occurrant, hinc vinculum æquale merito aſſeritur: Quod *duas* vero *poſteriores*, eſſe *ſubjectionem*, ſed particularem parumque validam, ceu ex ante dictis liquet.

§. 73.

§. 73. Quod tertio communis illius vinculi *Principium* attinet, *vid.* §. 4. *h.* non ſane *expreſſo aliquo fœdere*, quale inter Socios iniri ſolet, illud producitur, ſed ex *Imperatoris Electione*, eamque ſecutis *Statuum Homagiis, fidelitatisque juramentis* id reſultat, cum enim illa omnia, ſalva Territoriorum libertate, peragantur, ideo ſub Schematibus illis monarchicis, arctior nexus, quam à nobis antea delineatus eſt, non latet.

§. 74. Oleum igitur & operam eos perdere arbitramur, qui Statuum juratas promiſſiones, ex vulgaribus Homagiorum regulis, æſtimant, *vid.* ITTER. *d. F. I. c. 9.* §. *43. ſqq.* aut qui nexum ſocialem ideo negant, quod fœderis cujusdam expreſſi tabulæ produci non poſſint.

§. 75. Eſſe de cætero communem illum Germaniæ nexum, *extraordinarium*, facile liquet, neque enim temere civile aliquod corpus reperias, in quo plura Territoria libera, partim ſociali, partim ſubjectionis, ſed exilis, vinculo connectantur. Præterea haut dixerim, commune illud vinculum, pro ſcopro Reipublicæ, *adæquate eſſe efformatum arcteque ſatis adſtrictum*, nam cum alia, tum inprimis etiam abigua illa, ac, à nexu producendo, quodammodo abhorrens, conſtituendi ratio, illud impediunt.

§. 76. Quodſi quis nunc ea, quæ hucusque à *l.3.* de juribus Statuum, Cæſaris, totius Imperii, horumque omnium vinculo communi, diximus, ſerio expendat, is facile judicare poterit, an vel jura Territoriorum, *dominii utilis*, vel Cæſaris totiusque Reipublicæ germanicæ, *directi dominii* nomine recte exprimantur, qui vulgaris eſt ſtilus, ITTERO *de F.J. c.*19.22. quoque probatus?

§. 77. Ego non intercedo, quo minus quis terminis illis utatur, modo eos, pro ſubſtrata materia recte intelligat. Alias, nomina illa, vulgari modo accepta, eſſe inadæquata, ambigua & ſolidam cognitionem impedire, certum omnino eſt: Nam in nonnullis Statibus, qualitas feudalis plane ceſſat, in cæteris vero, plus utique quam obligatio ac jus aliquod feudale occurrit, jura quoque Cæſaris totiusque Imperii, ex vulgaribus Dominii directi regulis, æſtimari non poſſunt, denique vinculum Reipublicæ commune, in ſolo nexu feudali non conſiſtit, *add. l. 4. c. 7. §. 18. ſeqq.*

CAP. III.

De Circulis Imperii.

SUMMARIA.

Præter nexum generalem dantur etiam ſpeciales §. 1. *quo inprimis pertinet inſtitutum Circulorum* §. 2. *eorum*

eorum origo §. 3. 4. non comprehendunt totam Germaniam §. 5. illorum materia §. 6. 7. 8. forma §. 9. 10. officiales circulorum ſunt majores & minores §. 11. ad illos pertinent director §. 12. ſeqq. Dux circuli §. 16. ſeqq. adjuncti Ducis §. 23. ſeqq. minores varii ſunt §. 26. circulorum comparatio §. 27. defectus §. 28. 29. commoda vel incommoda §. 30. ſeqq.

§. 1.

PRæter nexum illum generalem, quo omnes Status, ad utilitatem & tranquillitatem communem, ſociantur, occurrunt etiam particulares, qui quosdam Status inter ſe connectunt. Eo pertinent fœdera quorundam Statuum inter ſe, *vid.* KULPIS. *ad Monzamb. c. 3. §. 9.* & imprimis *inſtitutum circulorum*, quod nullibi rectius quam hic proponitur.

§. 2. Circulus, ex factæ inſtitutionis intentione, eſt *complexus diverſorum Statuum eorumque Territoriorum perpetuo ac æquali fœdere, ad tranquillitatem & utilitatem communem, ſalvo nexu univerſali, inter ſe ſociatorum.*

§. 3. Diviſio imperii in circulos, à *Maximiliano I.* dependet, qui primo *ſex* inſtituit, deinde iis *quatuor* adjecit, *vid.* BOECLER. *N. I. l. 3. c. 1. n. 1.* SCHWED. *p. gen. c. 5. §. 3.* CONRING.

RING. *de fin. imper. c. 28. p. 751. n. 2.* Nominatim hi ſunt (1.) Circulus Auſtriacus (2.) Burgundicus (3.) Electorius Rhenanus (4.) Saxonicus ſuperior (5.) Franconicus (6.) Bavaricus (7.) Svevicus (8) Rhenanus ſuperior (9) Weſtphalicus (10.) Saxonicus inferior, *vid. R. Norimb. 1522. vid.* PAURMEIST. *de jurisd. l. 2. c. 2. n. 116.* LIMN. *J. P. l. 1. c. 7. n. 29.*

§. 4. Alii cenſet, ſex illos Circulos, eſſe ipſam antiquam Provinciarum Germanici juris diviſionem, quam non fecerit, ſed dudum receptam, ex vetuſtiſſimo uſu, recenſuerit Maximilianus, *vid.* COCCEJ. *J. P.P. c. 4. §. 2.* De cætero triplici modo circuli conſiderari poſſunt, vel *ratione totius imperii*, vel *in ſe*, vel *inter ſe.*

§. 5. Primo reſpectu notandum, quod univerſum imperium germanicum circulis non comprehendatur, nam Boruſſia, Livonia (tum temporis partes Germaniæ) Bohemia nulli circulo ſunt incluſa, *vid.* ARUM. *de Comit. c. 2. n. 41.* KULPIS. *ad Monzamb. c. 2. §. fin. add.* COCCEJ. *d. l. §. 3.*

§. 6. Si *in ſe* circuli ſpectentur, quoad *materiam ſeu partes integrantes* obſervandum, quod non usque adeo liquidum ſit, quænam provinciæ ad unumquemque circulum pertineans, *vid.* LIMN. 1. *addit. ad l.* 1. *c.* 7. *n.* 26. *IV. V.* VITRIAR. *J. J. P. l.* 2. *tit.* 6. §. 10. *n. IV.*

§. 7.

§. 7. Deinde quoque notant, nec omnes partes, imperio contribuere, aut qualitate Status gaudere, SCHWED. *d. l.* §. 8. VITRIAR. *l. 2. tit. ſin.* §. 10. *n. V.* LIMN. *J. P. l. 1. c. 7. n. 36.* quod ob ſummam Status publici incertitudinem non potuit non evenire, hinc etiam à *relatione in circulum*, nulla probatio, pro *qualitate Status imperii*, deſumi poteſt.

§. 8. Illud denique certum eſt, in quovis circulo omnis generis Status, Principes pura Eccleſiaſticos ſeculares & civitates imperiales non occurrere, quod quidam tamen aſſerere ſolent, *vid.* SCHWED. *d. l.* §. 8. LIMN. *1. addit. ad l. 1. c. 7. n.* 26. *VI.*

§. 9. *Formam* ſeu *ſtructuram* Circulorum quod attinet, generaliter eadem abſolvitur, *perpetuo & æquali fœdere*, quo plura territoria inter ſe uniuntur, qui nexus, uti univerſali vinculo merito debet ſubordinari, ita hæc ſere expoſcere, à Territoriis unitis, videtur.

§. 10. Ut (1.) *inter membra circularia juſtus ordo conſtituatur*, ſed hoc negligi controverſiæ de præcedentia, aliæque colliſiones teſtantur, *vid.* LIMN. *1. addit. l. 9. c. 1. n.* 242. MVLLER. *de conv. circul. c.* 14. *n.* 15. *ſeqq.* (2.) *ut ærarium circulare & archivum inſtituatur.* (3.) *apparatus militaris in promtu ſit.* (4.) *ut conſtituantur officiales quorum vel directione vel miniſterio circuli commode operari queant,*

vid. SCHWED. *d.c.* 5. §. 18. 25. VITRIAR. *J.J. P. l.* 3. *tit.* 19. §. 50. MULLER. *d. tr. c.* 3. *n.* 8.

§. 11. Officiales ſunt vel *majores*, quorum munus, cum ſplendore quodam, ac dirigendi facultate conjunctum eſt, vel *minores*, qui miniſteria circularia obeunt.

§. 12. Ex illorum genere eſt (1.) Director Circuli der ausſchreibende Fürſt/ qui eſt primarius Circuli Status, ſub cujus directione & moderamine, reliqua circuli membra, in commune conſulunt & agunt.

§. 13. Cœpit hoc munus, ex voluntaria Statuum electione, deinceps vero certis Statibus eſt velut hæreditarium factum, qui ratione ſingulorum circulorum paſſim recenſeri ſolent, *vid.* SCHWED. *d. c.* 5. §. 10. MULLER. *de Convent. circular. c.* 3. *n.* 20. LIMN. *1. addit. l.* 1. *c.* 7. *n.* 32. *p.* 47.

§. 14. *Officium* Directorum jure naturali conſtituitur, ac in eo conſiſtit, ut gravamina Statuum circularium aliorumque deſideria audiant, conventus indicant, Statuum ſuffragia exquirant ſuoque voto confirment, circuli receſſus conſcribi faciant, ac archivi & totius conſtitutionis circularis curam gerant, *vid.* MULLER *d. c.* 3. *n.* 11. 12. SCHWED. *d. c.* 5. §. 10.

§. 15. Inprimis vero, ne poteſtate ſua, in præjudicum Conſtatuum, abutantur, ac in illos

illos imperium affectent, aut onera circularia declinent, quam in rem non inſolitas eſſe Statuum Circularium querelas annotavit Boecler. *N. J. l. 3. c. 2.*

§. 16. (2.) *Dux circuli*, **Krayß-Obriſter/** qui eſt *perſona habilis, rei militari circuli legitime præfecta.* Requiſita ejus eſſe perhibentur, ut ſi eminentioris cujusdam dignitatis, ſoli Imperio nexu civili vel Vaſallitico obſtricta, ac conditionis ſecularis, de quo tamen diſputatur, *vid.* Schwed. *d. c. 5.* §. *11. ſeqq.* Vitriar. *l. 2. tit. fin.* §. 12. *ſeqq.* Limn. *1. addit. l. 1. c. 7. n. 32. p. 48.*

§. 17. An de cætero, in circulo, vel extra eum degat, nihil refert, ſicut ipſi etiam circuli Directori, munus Ducis, conferri poteſt & ſolet, non tamen ideo hæc munera ſunt confundenda, *vid.* Schwed. *d. l.* §. 13.

§. 18. Dux circuli non *ſuccedit*, ſed *eligitur*, ut tamen plerumque, ad familiam Anteceſſoris, habeatur reſpectus. Fit *electio* vel omnium, vel plurium Statuum circularium conſenſu, ex ſententia Schwed. *d. l.* §. 11. quæ tamen per *declar. pac. publ.* 1522. *tit. 5.* ad quem ille provocat, non probatur, hodie nihil ominus res certa videtur *R. J. 1654.* §. 183.

§. 19. Electionem factam, Dux electus, præſens vel abſens *acceptat*, ac officio ſuo ſe rite eſſe functurum, ſolenni juramento, vel

 ſi Prin-

ſi Princeps ſit, nuda aſſertione *promittit*, *vid.* Myller. *d. tr. c. 4. §. 9. ſeqq. c. 14. n. 23. ſeqq.* Vitriar. *d. l. §. 18.* Cæterum uti ab initio munus Ducis, dubio procul, fuit electitium ita vix dubitem, quin hodie in plerisque, ſi non omnibus, circulis, illud ſit hæreditarium factum.

§. 20. Ducis *officium* ex fine muneris injuncti facile intelligitur, paucis: *non debet abuti ſua poteſtate in damnum Conſtatuum, vid.* Boecler. *N. J. l. 3. c. 2. tenetur vero rei militaris accuratam in circulo curam gerere, vid. R. J. 1555. §. 60. ſeqq.* Schwed. *d. l. §. 15.*

§. 21. De cætero inter Statum circularem & extraneum, hæc cenſetur eſſe differentia, quod ille gratis, hic accepto ſalario munus ſubeat, ille immediate, & mediate, hic tantum immediate, eodem fungi queat, Schwed. *d. l. §. 14.* Vitriar. *d. l. §. 19. 20.* de quo hodie fruſtra forte diſputatur.

§. 22. Elapſo anno, Dux munus reſignare poteſt, ut tamen ſex menſibus ante id circuli Directori indicet, Vitriar. *d. l. §. 21.* Muller. *d. c. 4. §. 47.* quæ disquiſitio itidem hodie ſupervacua videtur: Poſſe etiam Ducem, male officio functum, eodem à cæteris excludi, ex natura pactorum æqualium certum videtur, licet talis excluſio, ſine circuli periculo, vix fieri queat.

§. 23.

§. 23. (3.) *Adjuncti Ducis*, qui ſunt *perſonæ habiles eo fine legitime conſtitutæ, ut Duci Conſiliis aſſiſtant, eoque officium negligente, aut aliis cauſis impedito, illius vices ſubeant.*

§. 24. Quæ de *habilitate*, *conſtituendi ratione*, *officio* ejusque *duratione* modo diximus, ea quoque hic fere locum habent, *numerus* vero Adjunctorum libertati Statuum circularium relictus videtur, *vid.* LIMN. *1. addit. l. 1. c. 7. n. 32. p. 53.* SCHWED. *d. l. §. 16.* VITRIAR. *d. l. §. 24. ſeqq.*

§. 25. Quinam vero, in ſingulis circulis, munus Ducis & Adjunctorum obeant, id perpetua regula definiri non poteſt, cum ea res mutationibus ſit obnoxia, hinc rectius, ex archivis Circulorum, quam libris diſcitur, *vid.* MULLER. *d. tr. c. 4. n. 24.* niſi forte ſucceſſio, alicubi introducta, rem reddidit certiorem.

§. 26. Officiales minorum gentium ſunt *Secretarii*, *Collectores redituum*, *Monetarii* & *Zygoſtatæ* aliique in conventibus, aut collegiis neceſſarii. De eorum *conſtitutione* & *officio* multa dicere, nil attinet, cum *illa* ex generalibus principiis facile intelligatur, *hoc* vero ex fine muneris demandati, appareat, *vid.* MULLER. *d. tr. c. 5.*

§. 27. Quodſi circulos *inter ſe* compare-mus, obſervare licet in iis, inæqualitatem

quoad *quantitatem phyſicam*, *vid.* LIMN. I. *addit. l. 1, c. 7. n. 26. p. 41.* incertitudinem vero quoad *quantitatem moralem* ſeu *exiſtimationem*, ID. *addit. 2. l. 1. c. 7. n. 29. p. 102.* hinc controverſiæ de præcedentia inter circulos vigent, præterea in eos *peculiare vinculum* de conſiliis conferendis deprehenditur, hinc ortum nomen der Correſpondirenden Crâyſe/ *vid.* SCHWED. *d. l.* §. *19.*

§. *28.* Hæc breviter eſt *habitudo* Circulorum; Cum autem mutatio iis acciderit ratione *materiæ*, dum variæ provinciæ ipſis ſubtractæ; porro nec ipſa *ſtructura* eorum ubique ſatis concinna aut ſufficiens ſit, inprimis vero *membra circularia*, *officium negligere*, *adeoque nexum laxare* cœperint (ad quæ tria, omnes circulorum defectus, accurata partitione referri poſſunt) ideo, de circulis reformandis & reſtaurandis, ſæpe deliberatum fuit.

§. 29. Sed in deliberationibus hactenus res omnis ſubſedit, adeo, ut, deſperata propemodum emendatione, conſilium peculiare, von einer neuen Reichsverfaſſung/ proponi cœperit, *vid.* BOECLER. *l. 3. c. 2. 3.* SCHWED. *part. gen. c. 5.* §. 26.

§. 30. In univerſum quæri poteſt, *an totum circulorum inſtitutum, juxta regulas prudentiæ civilis, neceſſarium ac utile dicendum ſit?* vulgo hoc affirmant, *vid.* BOECLER. *l.*

c. l.

c. 1. n. 11. Schwed. *d. c. 5. §. 2.* Muller. *de Convent. circular. præloqu. n. 23.*

§. 31. Optima intentione, dubio procul, circuli ſunt inſtituti, vel reſtaurati, nec negandum, quin, eo tempore, utilitatem aliquam præſtiterint, *vid.* Schwed. *d. c. 5. §. 1.* ſed ſi, ex præſenti tempore, inſtitutum illud æſtimandum ſit, ejus *neceſſitas & utilitas* forſitan tam facile probari non poteſt, quam aſſeritur.

§. 32. Nam quæ pro *illa*, de *vaſtitate corporis politici, ſubalternam diſtributionem provinciarum neceſſario poſtulante*, dicuntur, Vitriar. *d. l. §. 8.* Muller. *d. l. n. 24. ſeqq.* illa, in Monarchia, veriſſima ſunt, ſed ad Germaniam maligne applicantur, utpote quæ ex pluribus Territoriis, ab uno ſummo principio non dependentibus, ſed proprio potius imperio civili animatis, componitur.

§. 33. Quæ vero *utilitates* circulis tribui ſolent, *vid.* Boecler. *N. J. l. 3. c. 1.* Schwed. *d. c. 5. §. 2.* Limn. *J. P. l. 1. c. 7. n. 25.* Coccej. *J. P. P. c. 4. §. 8. 10. ſeqq.* eæ vel nullæ ſunt, vel ita comparatæ, ut eas circuli præſtare nequeant, vel ut ſine circulis quoque, & forte rectius, obtineri illæ poſſint, id quod, facta inductione, facile cuivis, debite iſtam rem expendenti, conſtabit.

§. 34. Quod ſi quis inſuper conſideret, ex circulis oriri *diſtractionem*, dum Status, in peculia-

culiaria corpora, ſeparantur adeoq; plerumque malum, quod unam partem premit, altera, velut alienum & ad ſe non pertinens, conſiderat; præterea expendat *colliſionem quæ inter membra circularia, variis de cauſis, oriri poteſt & ſolet*, aut *quæ inter ipſos circulos exiſtit*, vel *inter circulos & cameram imperialem, Comitia & Imperatorem*, denique apud ſe reputet, quod *ex circulis aliquando executionum facierdarum oriatur impedimentum*, quodque *ii peculiares ſumtus requirant*, is facile exiſtimare poſſet, circulorum inſtitutum Germaniæ quoque eſſe *noxium.*

§. 35. Neque illa dubia ceſſabunt, ſi memorata incommoda, non *ipſi circulorum inſtituto, ſed morbis*, imputanda eſſe dicas, *vid.* KVLPIS. *ad Monzamb. c. 2. §. fin.* nam, illud quoque iis anſam præbere, certum eſt; ſed illa omnia prudentiores accuratius expediant.

§. 36. Certius nonnihil, pro diverſitate hypotheſium, hic pronunciari poteſt; nimirum ſi Comitia univerſalia, bene inſtituta promteque operantia præſupponas, tum Circulorum nulla eſt utilitas, aſt ſi illa vel omnino non, vel negligenter frigideque habeantur, his utilitas abjudicari nequit, cum utique ſatius ſit, rebus germanicis particulariter ſuccurrere, quam eas plane negligere.

CAPUT

CAP. IV.

De Comitiis Imperii.

SUMMARIA.

Operationes Germaniæ §. 1. Comitiorum Varietas §. 2. comitia univerſalia §. 3. eorum origo §. 4. tractandi capita §. 5. indictio §. 6. ſeqq. perſonæ ad Comitia vocandæ §. 13. ſeqq. convocandi modus §. 17. convocatorum comparitio §. 18. ſeqq. comparentium legitimatio §. 22. 23. 24. Viſitationes mutuæ §. 25. Operatio Comitiorum §. 26. ejus initium §. 27. actus præparatorii §. 28. 29. 30. principales §. 31. Statuum congregatio §. 32. habitus collegii Electoralis §. 33. 34. Principalis §. 35. 36. Civitatum §. 37. 38. deliberationum Comitialium ordo §. 39. modus §. 40. ſeqq. collatio votorum curiatorum §. 45. 46. quo ad hæc, majora non valent §. 47. 48. ex votis curiatis ſit placitum Ordinum imperii §. 49. 50. quod Cæſari offertur §. 51. 52. 53. oblationem ſequitur Cæſaris reſolutio §. 54. ex cujus conſenſu oritur decretum §. 55. 56. Comitiorum operationes, ſub ſchemate Aſſis, male repræſentantur §. 57. ſeqq. comparatio votorum comitialium §. 65. 66. 67. comitiorum effectus §. 68. 69. 70. 71. operationes Comitiorum ſecundariæ §. 72. Comitiorum duratio otioſa §. 73. neceſſaria §. 74. comitiorum perpetuorum utilitas. §. 75. 76. 77. 78.

§. 1.

EXpoſito nexu, quo totum imperium, aut Status quidam inter ſe, connectuntur, deinceps de *operatio-*

rationibus communibus videndum ; Summatim autem vel *deliberant ac decernunt Germani*, vel *decreta exequuntur*.

§. 2. Illud contingit in *Comitiis*, quæ vel *Univerſalia* vel *Particularia:* illa iterum, vel *ſimpliciter*, vel *certo modo* talia ſunt, de prioribus breviter hic agemus, nam prolixitatem & ratio inſtituti, & aliorum labor, huic materiæ peculiariter impenſus, vetat, *vid.* KULPIS. *ad Monzamb. c. 5. §. 23. add.* LEHM. *Chr. Spir. l. 7. c. 124.*

§. 3. *Comitia, vid.* SCHWED. *p. ſp. ſect. 1. c. 30. §. 2.* ſimpliciter univerſalia, ſunt *Conventus Imperatoris & Statuum, rite convocatorum, eo fine inſtituti, ut negotia, totum imperium concernentia, Cæſaris ac Statuum vel omnium, vel aliquando plurium, conſenſu deciſivo legitime definiantur.*

§. 4. In Germania ſemper obtinuiſſe comitia, ex ſtudio libertatis, Germanis ſolenni, recte aſſeri videtur, ſed uti indoles Comitiorum ſemper ſequitur naturam Reipublicæ, ita Comitiorum, qualia hodie ſunt, *origo* ab eo tempore repetenda eſt, quo Status in communionem imperii ſunt recepti, de quo dictum, *l. 1. c. 4. 5.*

§. 5. In univerſum circa Comitia, quæ hodie ſunt, tria ſpectanda videntur (1.) *Conſtitutio* (2.) *Operatio* & (3.) *Duratio.*

§. 6.

§. 6. Conſtituuntur Comitia, dum ejus membra, in certo aliquo loco rite congregantur. *Indicit* Comitia Cæſar, *vid.* LEHM. *Chr. Spir. l. 7. c.* 113. & ſolio vacante, Vicarii, *prævio conſenſu* Electorum, hic enim à temporibus capitulationum, à *Carolo V.* conſcribi cœptarum, requiri magisque deinde extendi cœpit, adeo ut non tantum ratione τȣ̃ *an*, ſed & *quando* ac *ubi* ſit neceſſarius, *vid.* KULPIS *ad Monzamb. c. 5. §. 23.* Grundſ. *p. 3. c. 3. p. 202. n. 1.*

§. 7. Eſt autem in arbitrio Cæſaris, an *per Legatos*, an *literas* conſenſum Electorum requirere velit, ejus enim libertatem reſtrictam eſſe, oſtendi nequit, cum ſonderbahre Schickung/ de qua loquuntur capitulationes. *vid. C. L. art. 17.* non ſtatim involvant miſſionem per Legatos, *add.* KULPIS. *d. l.*

§. 8. De cætero omnium Electorum conſenſus eſt neceſſarius, quod poſt capitulationes *Leopoldi & Joſephi art. 16. 17.* dubio carere videtur, ut ut forte ante eas aliter videri potuerit, *vid.* VITRIAR. *l. 4. c. 1. §. 7.* Imo nihil impedit, quo minus jam, à temporibus Caroli V. omnium Electorum conſenſum, neceſſarium fuiſſe, cum Autore der Grundſ. *p. 1. c. 2. p. 13.* dicamus, *vid.* VINDIC. VITRIAR. CASTIG. §. 286. *ſeqq.*

§. 9. Poſſunt etiam Electores Imperatorem,

rem, de habendis Comitiis, admonere, *de art.* 17. 16. eo tamen invito, ſoli illa indicere, excepto neceſſitatis caſu, non poſſunt, id quod ex natura imperii germanici facile intelligitur, *vid.* VITRIAR. *J. J. P. l.* 3. *tit.* 8. §. 5.

§. 10. Videtur autem, maximam partem, arbitrio Cæſaris & Electorum, relicta Comitiorum indictio, nam, ratione *loci*, nihil aliud lege fundamentali cautum eſt, quam ne extra Germaniam Comitia indicantur *C. L. art.* 17. quod vero hactenus eadem fere, in civitate imperiali, fuerint habita, id magis ex *ratione Status* quam *juris neceſſitate* factum cenſeri debet, *vid.* KULPIS. *d. l.* §. 24. Grundſ. *p.* 1. *c.* 4.

§. 11. Neque etiam perpetua loci definitio, *neceſſaria & utilis* exiſtimari poteſt, nam uti, ad conſervandam Statuum libertatem, eadem nihil confert, ita varia incidere poſſunt, quæ ejus obſervantiæ obſtent, ut ſatius ſit, loci definitionem, arbitrio indicentium, utilitati civitatis attemperato, committere, quam perpetua lege eam facere.

§. 12. Porro nec, ratione *cauſæ* vel *temporis* habendorum comitiorum, aliqua reſtrictio occurrit, nam quod, *à frequenti comitiorum indictione deſiſtere*, jubeantur Imperatores, *vid. d. art.* 17. id nullam limitationem continet, cum ſit nimis indefinitum, monitum

tum vero Statuum, de *comitiis quovis ſexennio minimum, ac alias, quoties utilitas imperii id exegerit, habendis*, hactenus capitulationibus inſertum haut eſt, quamvis nec id indiſtincte reſtrictionem involat, nec etiam priori ſanctioni contrarium ſit, quod non ſatis percepit AUTOR. der Grundſ. *p.1.c.3.*

§. 13. Convocantur ad Comitia, omnes imperii Status, qui jus ferendi ſuffragii habent. In ſpecie *Principes Eccleſiaſtici*, licet nondum *infulati & inveſtiti, vid.* KULPIS. *ad Monzamb. c.4.§.4.* ſede autem vacante *capitulum, vid.* SCHWED. *ſect. 1. c.30. §.5.* LEHM. *Chr. Spir. l.7.c.113.*

§. 14. Porro *Principes ſeculares*, etiam nondum *inveſtiti*, aut, ſi defectum ætatis patiantur, eorum *tutores*; In caſu factæ diviſionis, omnes, qui de ſua portione ſunt inveſtiti, ac jus voti ac ſeſſionis obtinuerunt, de quo diximus *l.4.c.2.§.15.ſeqq.*

§. 15. Denique *civitates imperiales, vid. d. l. 4. c. 2. §. 5.* LEHM. *Chr. Spir. l.7.c.116.118.* non etiam *Nobiles immediati*, nam licet forte olim jus Comitiorum habuerint, hodie tamen eos à Comitiis excludi experientia teſtatur, quæcunque tandem illius rei cauſa ſit.

§. 16. Ut explicatius nonnihil hac de re dicatur, varia quæri ſolent (1.) an Nobiles imedia-

mediati olim habuerint jus Comitiorum (2.) an adhuc habeant (3.) quomodo illud amiſerint (4.) an illud denuo conſequi laboraverint (5.) an eos admitti æquum ſit? *vid.* LIMN. *J.P.l.6.c.3.n.7.ſeqq.* KULPIS. *ad Monzamb.c.2.* §.*14.* VITRIAR. *J. J.P.l.4.tit.1.*§.*34.ſeqq.* Sed quoad tria priora quæſita, probanda videtur ſententia DATTII *de pac. publ. l.5. c. 4. 5.* Nobiles immediatos nunquam habuiſſe jus Comitiorum, partem tamen Nobilitatis Svevicæ, occaſione Svevici fœderis, ad Comitia, in Svevia præſertim habita, olim nonnunquam fuiſſe convocatam, cenſentis.

§. 17. Olim convocatio fiebat generali edicto, & verbis imperativis, *vid.* LEHM. *d. tr. l.7.c.92.97.98.113.124. n.* 2. hodie vero, ad ſingulos Status, literas dirigit eosque blandiori, ac libertati germanicæ conveniente alloquio, invitat Cæſar, *vid.* Grundſ. *p.1.c.2.*

§ 18. Status convocati, virtute nexus, quo imperio obſtringuntur, comparere debent, Rex tamen Bohemiæ, domus Auſtriaca & Status circuli Burgundici, ab illa obligatione ſunt immunes, *vid.* KULPIS. *ad Monzamb. c. 5.* §. *25. in fin. add.* LEHMAN. *d.c.113. p. m. 900.* emanentes, decretis comitialibus nihilominus teneri, obſervat Grundſ. *p. 1. cap. 6. p. 38.*

§. 19. De cætero liberum eſt Statibus, utrum

utrum *in perſona* quod dicitur, an *per Legatos* comparere velint, *illud* vero an *hoc*, ſit conſultius, alia & quidem *prudentiæ* quæſtio eſt, quæ in utramque partem diſputari poſſe videtur, licet alii aliter ſentiant. *vid.* KULPIS. *d. §. 25. add.* LEHM. *d. tr. l. 7. c. 112. 115.*

§. 20. Quo autem, Imperator & Status imperii, commode vivere queant, in loco Comitiis deſtinato, Marſchallus imperii hoſpitia præparare, aliorumque ad victum nec non ipſos conventus pertinentium, curam interim gerere ſolet Grundſ. *p. 1. c. 6. vid.* LEHM. *l. 7. c. 123. in addit. p. 953.*

§. 21. Ut autem Status prius, Cæſare, in locum condictum adveniant, ejusque ingreſſum ſuo comitatu ſplendidiorem faciant, id non ex *neceſſitate juris*, ſed *regulis decori*, & *civilitatis* eſt Grundſ. *d. c. 6. p. 41.* Olim de inceſſu pompatico, aliisq; ſequioris ævi inventis, non fuerunt ſolliciti Germani, de quo legi meretur LEHM. *Chr. Spir. l. c. 37.*

§. 22. Poſtquam Status, vel eorum Legati comparuerunt, Directorio Moguntino adventum intimare, atque hi, literas credentiales & mandata, ſimul offerre tenentur Grundſ. *d. c. 6. p. 51.* KULPIS. *de Legation. c. 12. §. 3.* circa quam oblationem, magna ſatis, in *modo offerendi* occurrit concertatio KULPIS. *d. tr. c. 13. §. 14. 16. add. d. tr. c. 11.*

§. 23. Nimirum quæritur (1.) an *mandati Originalis formula, penes Directorium Moguntinum maneat, copia ejusdem anſcultata vel ſimplici teſtatione Legato reddita*, an vice verſa *Legatus tabulas authenticas recipiat ac mandati exemplum in Moguntina Cancellaria, ad acta publica referatur?* quidam prius, alii poſterius aſſerunt.

§. 24. Deinde (2.) diſputatur, an *tabulas mandati per Secretarium Directorio mittere poſſit Legatus* an vero *Ipſe, præſtita ſimul, ut loquuntur, viſitatione idem offerre debeat?* Illud legati, hoc Directorium aſſerere ſolent. Controverſia aliquando ſic fuit compoſita, ut mandatum, per Secretarium miſſum, Directorium, itidem per Secretarium, addita proteſtatione, reciperet.

§. 25. Uti autem, ex regulis curialibus, mutuæ Viſitationes, ante Comitia, inſtitui ſolent, KULPIS. *d. c. 13. §. 15.* ita, ante publicationem propoſitionis Cæſareæ, fas non eſſe Statibus, inſtituere conventus, annotat, ejusque rationem ex longa obſervantia repetit Grundſ. *d. c. 6. p. 53.*

§. 26. His peractis, Comitia *conſtituta* recte dixeris, deinceps igitur eorum *operatio* conſideranda, quæ variis actibus conſtat, in quibus omnibus fere & ſingulis, varia dubia Statuumque concertationes occurrunt, cum enim,

enim, mutata civitatis indole, antiquus operandi modus amplius locum non habeat, novus vero adæquata conventione non ſit conſtitutus, ejusmodi ſane controverſiæ ceſſare non poſſunt.

§. 27. De cætero operatio Comitiorum, conſiſtit vel in actibus *præparatoriis* vel *principalibus*, & debebat quidem ſtatim elapſo die, in literis convocatoriis expreſſo, operationum initium fieri, ſed, diu ſæpe illud differri teſtatur Grundſ. *p.* 2. *c.* 1. commemoratis ſimul dilationis illius vel prætextibus, vel veris cauſis.

§. 28. Per actus *præparatorios* intelligimus omnes illos actus, qui Cæſaris Statuumque deliberationem ac decretum antecedunt. Qualis eſt (1.) Statuum convocatio ad audiendam in Curia propoſitionem Cæſaream (2.) Statuum congregatio in aula Cæſaris die condicto facta, non ſine contradictionibus quoad præcedentiam Grundſ. *p.* 2. *c.* 2. *p.* 65.

§. 29. Solennis ad templum proceſſio. (4.) liturgia ritu pontificio peracta (5.) pompoſus, à templo ad Curiam, progreſſus, in eaquæ Cæſaris & Statuum conſvetus conſeſſus Grundſ. *d. c.* 2. (6.) Cæſaris gratiarum actio & propoſitionis mox legendæ initimatio, quam excipit (7.) reſponſio Statuum, per Electorem aliquem facta, tum ſequitur (8.) lectio

 pro-

propoſitionis Cæſareæ, cum adhortatione de maturandis deliberationibus, *vid.* LEHM. *l.* 7. *c.* 120.

§. 30. Poſtea (9.) Electores, Principes & Civitates in ſuas claſſes ſeparati, breviter, de reſponſione Cæſari danda, deliberant, quam (10.) Elector Moguntinus Cæſari reddit, ac ſimul communicationem propoſitionis petit, Grundſ. *d.c.* 2. *p.*65. Tum ſuccedit (11.) Cæſaris mandatum, de propoſitione concedenda, cum repetita adhortatione gratiæque promiſſione, quibus peractis (12.) conventus ſolvitur, Cæſare, eadem ſolennitate & pompa, in palatium ſuum deducto *add.* KVLPIS. *de Legat. c.* 17.

§. 31. Deinde ſequuntur actus *principales*, qui in deliberationibus ac decretis conſiſtunt. Conſiderabimus *deliberationes ac decreta ipſa*, poſtea *eorum effectum*, nam tractatio *perſonarum deliberantium* nec non *materiæ*, circa quam deliberatur, non hic inſtitui, ſed præſupponi debet, *vid. l.* 4. *c.* 2. §. 3. *ſeqq. l.*6. *c.*2. §. 9 *ſeqq.*

§. 32. Propoſitione igitur Cæſarea, ad monitum Moguntini, deſcripta *vid.* Grundſ. *p.* 2. *c.*2. *p.*72. Status, mandato Electoris Moguntini & Saxonis, convocantur, per Vice-Marſchallum, *vid.* VITRIAR. *l.* 4. *tit.* 1. §. 51. Congregati in tria collegia *Electorum, Principum*

pum & civitatum ſeparantur, quæ ſeparatio quo tempore cœperit, non ſatis liquet VITRIAR. *d. l.* §. 54. KULPIS. *ad. Monzamb. c.* 5. §. 26. *p.* 162. *vid.* LEHM. *Chr. Spir. l.* 7. *c.* 11. 80. 112. 113. 120. COCCEJ. *J. P. F. c.* 20. §. 21.

§. 33. In collegio Electorali, ea eſt *ſedendi ratio*, quæ Electorum exiſtimationi congruit. *Directorium* eſt penes Moguntinum, ſi cauſa ipſum concernat, Saxo ſibi illud aſſerit, ſicut etiam, illo mortuo, id prætendit, Capitulo Moguntino, Trevirenſi & Colonienſi Electoribus, contradicentibus, *vid.* Grundſ. *p.* 2. *c.* 4. KULPIS. *d. l.* §. 26. *p* 163.

§. 34. Quæ in hoc collegio aguntur, ſingulorum Electorum Secretarii conſignant, ut tamen maxima fides protocollo Moguntino habeatur Grundſ. *d. c.* 4.

§. 35. In Senatu Principum, tria ſcamna hodie occurrunt, *Eccleſiaſticum*, quod Principes Eccleſiaſticos Pontificios, *Seculare*, quod Seculares, & *Transverſum*, quod Eccleſiaſticos Proteſtantes continet, ſchemata adducit Grundſ. *p.* 2. *c.* 5.

§. 36. Quoad *Directorium*, hodie alternant Archidux Auſtriæ, & Archiepiſcopus Salisburgenſis, ita ut illius ſemper primæ partes ſint; Acta collegii, Directorum Secretarii conſignant Grundſ. *d. c.* 5.

Digitized by Google

§. 37. Collegium Civitatum, diſtinguitur in Scamnum *Rhenanum & Svevicum*, utriusque membra recenſet, SCHWED. *ſect. 1. c. 30. §. 15. add.* LEHM. *de tr. l. 7. c. 113. 124. n. 7.* Competit *Directorium* civitati, in qua Comitia celebrantur; ſi hæc non ſit imperialis, tum illud pertinet ad primariam civitatem cujusque Scamni Grundſ. *p. 2. c. 6. p. 116.* KULPIS. *ad Monzamb. p. 2. c. 5. §. 2.6. p. 172.* COCCEI. *J. P. P. c.* 20. §. 26.

§. 38. Geſta hujus collegii, Civitas dirigens, cum Civitatis Ulmenſis & Spirenſis Regiſtratoribus, in protocollum refert, Grundſ. *d. l.* SCHWED. *d. l.* §. 14. reliquis civitatibus privata protocolla habentibus.

§. 39. Deliberationes, juxta *ordinem* propoſitionis Cæſareæ, præciſe inſtitui non debent, *vid.* MONZAMB. *c. 5.* §. 26. *ibique* KULPIS. nulla enim lex fundamentalis illam neceſſitatem Statibus impoſuit, ergo, pro libertate eorum pronunciandum erit. *add.* LEHM. *d. tr. l. 7. c. 115.*

§. 40. Deliberandi *modus* conſiſtit in expoſitione & collectione votorum, id quod, vel ratione *ſingulorum*, vel *omnium Collegiorum*, expendi poteſt.

§. 41. In collegio Electorali, Moguntinus vota coligit, ſuumque à Saxone interrogatus addit. Grundſ. *p. 2. c. 4.* SCHWED. *d. c. 30. §. 12.*

§. 42.

§. 42. In Senatu principum, Vota alternative, per Scamnum Eccleſiaſticum & Seculare, per Vice-Marſchallum evocantur, ex quibus deinde Directoria concluſum formant Grundſ. *p. 2. c. 5.*

§. 43. In Senatu Civitatum per Directorium vota evocantur & colliguntur, ita quidem ut initium fiat, à Scamno Rhenano, ac ad Suevicum tranſeatur, atque ita per alternationem continuetur SCHWED. *d. l.* §. 14. ubique autem vota lingua germanica redduntur ID. *d. l.* §. *16.* quæ omnia uſu certius diſcenda ſunt.

§. 44. Quod ſi in ſingulis Collegiis, unanimi conſenſu concludi nequeat, *majora* valere communiter volunt, niſi ſit cauſa *religionis*, *collectarum*, aut in qua *Status ut unum corpus conſiderari nequeant*, *v. J. P. W. art. 5.* §. *52.* Grundſ. *p. 2. c. 5. p. 100. p. 3. c. 7. p. 255. c. 8. p. 260.* KULPIS. *ad Monzamb. d.* §. *26. p. 172.*

§. 45. Ex tribus illis collegiis, exiſtunt tria *vota curiata*, quæ deinceps *communi deliberatione* conferuntur. Et primo quidem, quo ſuperiora Collegia, ſententias ſuas ſibi mutuo aperiunt, in loco tertio, plerumque atrio propoſitionis, eoque nomine tamdiu re- & correferunt, donec in eandem ſententiam convenerint vel conjunctio deſperanda videatur

 Grundſ.

Grundf. *p.* 2. *c.* 8. KVLPIS. *de placit. Ordin. imper.* §. 4. *n.* 19.

§. 46. Tum admittitur Collegium civitatum, ac cum eo, communicatis ſententiis, deliberationes inſtituuntur a Collegiis ſuperioribus Grundf. *d. p.* 2. *c.* 8. Poſt *J. P. art.* 8. §. 4. dubio procul Civitates gaudent *voto deciſivo*, de quo olim varie diſputatum, *vid.* KVLPIS. *ad Monzamb. c.* 2. §. 13. & licet, à ſimultanea re- & correlatione, excludantur, non tamen ideo, voti illius effectu, privantur, cum inter vota curiata, majora non valeant, ut deinde videbimus. *add.* LEHM. *Chr. ſpir. l.* 7. *c.* 116. 118.

§. 47. Quod ſi, poſt factas deliberationes, Collegia conſpirent, res bene ſe habet, ſed ſi diſſentiant, tum, *majoritatem* quidem attendi, putat VITRIAR. *l.* 4. *tit.* 1. §. 70. eamque ſententiam, aliquot rationibus & praxi Comitiali, confirmaſſe Autorem der Grundfeſte/ *p.* 2. *c.* 8. exiſtimat KVLPIS. *de placit. Ordin. imper.* §. 3. *n.* 14.

§. 48. Sed uti levia ſunt, quæ Autor ille affert, ita, in votis curiatis, majora valere, tam diu negabo, donec eorum autoritas, ex lege fundamentali, probabitur, nam brocardica generalia, de efficacia majorum, fortaſſis etiam ex jure civili deſumta, hic nullius ſunt momenti *add.* FURSTENER. *de jur. ſupremat.*

mat. c. 40. 41. Grundſ. *p.* 2. *c.* 8. *vid.* VINDIC. VITRIAR. CASTIG. §. 299. *ſeqq.*

§. 49. Ex votis curiatis conſpirantibus, oritur *Placitum Ordinum Imperii* ein Reichs-Gutachten/ quod etiam, licet non ſine controverſia, dicitur ein Reichs-Schluß/ *vid.* KULPIS. *ad Monzamb. c.* 5. §. 26. *p.* 175.

§. 50. Si vero vota curiata inter ſe diſcrepent, tum diverſa placita fiunt, quod etiam contingit, ſi v. gr. Principes Proteſtantes, à Romano-catholicis, Collegio Electorali conſentientibus, diſſentiant, *vid.* KULPIS. *de placit. ordin. imper.* §. 3. *n.* 15.

§. 51. Placitum univerſale, à Moguntino conficitur, confectum in pleno prælegitur, prælectum per dictaturam communicatur, communicatum ac denuo probatum, per Cancellariam Moguntinam, in mundum redigitur & ſignatur, Cæſarique, prævia notificatione, per Directorium Moguntinum facta, de die oblationis, â Cæſare ſtatuendo per Deputatos offertur KULPIS. *d. diſſert.* §. 4. *n.* 20. 21. Grundſ. *p.* 2. *c.* 9. *add.* LEHM. *Chr. Spir. l.* 2. *c.* 37. *l.* 7. *c.* 118.

§. 52. Quoad Oblationem, Cæſare abſente, circa ejus Legatos, duo controverti ſolent (1.) An, ſi plures ſint Legati Cæſarei principales, omnium nomina Placitis inſerenda, atq; ita omnibus oblatio facienda (2.) ſi unus ex iis,

iis, à Comitiis abſiti ac vel in aula Cæſarea, vel alibi degat, abſentis quoq;, in oblatione placitorum, facienda mentio? Primam affirmat, ſecundam vero, quoad Legatum, extra aulam Cæſaream degentem, in medio relinquit KVLPIS. *d. diſſert. n.* 21.

§. 53. Non minus inter ipſos Statuum Deputatos (quorum munus *deputatio nuntiaturæ* dici ſolet) lites quoque agitantur, quibus præcavendis invaluit, ut, per ſolum directorium Moguntinum, oblatio fiat KVLPIS. *d. l. n.* 22. 23. Grundſ. *d. c.* 9.

§. 54. Facta oblatione, Cæſar, per Vice-Cancellarium, *reſolutionem*, quam vocant, mox ſecuturam promittit, quæ deinceps, in ſcriptis, Directorio Moguntino inſinuatur, quod, reliquis Statibus, per dictaturam eandem communicat, KVLPIS. *d. l. n.* 24.

§. 55. Cæſaris ſententia, Placito Statuum conſentiende, res confecta eſt, & fit *decretum* ein Reichs-Schluß/ ab eodem vero diſſentiente diverſis inſtantiis, conciliario tentatur, quæ ſi obtineri nequeat, nihil actum eſt. KVLPIS. *d. diſſert.* §. 3. *n.* 16. SCHWED. *d. c.* 30. §. 17. *vid. ſupr. l.* 2. *c.* 2. §. 9. 10. ad commune etiam concluſam deveniri non poteſt, ſi Statuum vota curiata diſſentiant, ob ea quæ diximus §. 48. *add.* LEHM. *l.* 7. *c.* 118.

§. 56. Ea itaque in univerſum concluden-

di

di ratio in Comitiis obtinet: ſine ſuffragio unius & alterius Status, in quibusdam caſibus, ſtatui poteſt, ſed ſine conſenſu Cæſaris, aut voto Statuum curiato, nunquam.

§. 57. Vulgo Comitiorum ſemis, Cæſari, alter vero, Statibus tribuitur, ita quidem, ut in tres ſexantes iterum dividatur, quorum unus Electoribus, alter Principibus, tertius Civitatibus tribuatur, *vid.* HIPPOLYTH. *à lapid. p. 1. ſect. 2. c. 4. p. 61.* LAMPAD. *de Republ. Rom. p. 3. c. 8. §. 13. 14.*

§. 58. Ex quo enata videtur fabula, de *duobus votis*, collegio Civitatum competentibus, quã ſe non itelligere profeſſus eſt LAMPADIUS *de Republ. Rom. d. p. 3. c. 8. §. 11.* Niſi forte illam doctrinam, ut hoc obiter adjiciamus, ita excuſare velis: Civitatibus competere duo vota, ſi deliberationes totius Imperii, ſine conſideratione Trium Collegiorum, ſive ab His abſtrahendo, ſpectes, quo, neſcio, an reſpiciat doctrina SCHWED. *part. ſpec. ſect. 1. c. 30. §. 14.* ſed ita tamen, neque illius ſuppoſitionis, neque doctrinæ inde reſultantis, aliquis in praxi eſt uſus.

§. 59. Licet autem illa comparatio eatenus admitti poſſit, quatenus æqualitatem, inter vota Statuum curiata, innuit, ea tamen neutiquam eſt neceſſaria, cum iſta proportio, terminis popularibus & perſpicuis, rectius exprimatur.

§. 60.

§. 60. Æqualitatem illam Votorum Curiatorum, non admittit COCCEJ. *J.P.P.c.* 20. §. 37. *n.* 2. exiſtimans, *ſextante non recte æquari Civitates toti Principum, Prælatorum ac Comitum Collegio, cum contra ſoli Prælati Civitates ſuffragiorum numero æquent, Comites vero, duplo vincant*, ſed non aſſequor, quomodo, ſtantibus Collegiorum trium diſtinctione, ac inde ortis votis Curiatis, iſta computandi ratio defendi queat.

§. 61. Quando autem Cæſari Comitiorum ſemiſſem tribuit vulgaris illa comparatio, tum penitus falſa eſt, nam, quod ſine Cæſaris conſenſu nihil poſſit concludi, id ſaltem indicat Conſenſus Cæſarei *neceſſitatem*, non ejus *quantitatem*, &, ad reliqua Statuum vota *proportionem*.

§. 62. Nam quis Statui uni, v. gr. in negotio religionis, tribuit comitiorum ſemiſſem, ideo quod, ſine ejus conſenſu, nihil queat concludi? imo, juxta illam philoſophiam, omni propemodum caſu, ſolus Cæſar de ſumma rerum ſtatuere poteſt, admiſſa ſcilicet majorum prærogativa, quam vulgo ſane admittunt.

§. 63. Non tantum enim illud contingeret, ſi Cæſari v. gr. Electores accederent, qualem caſum refert SCHWED. *d. c.* 30. §. 17. ſed & ſi Status leviter ſaltem inter ſe diſſentirent,

nam

nam ut ſemis integer, qualis foret Cæſaris, ſemiſſi, per unius aut alterius diſſenſum debilitato, præponeretur, id quidem rationis omnino eſſet.

§ 64. Tota igitur illa comparatio eſt, otioſum inepti gloſſatoris, febriculoſam juris civilis cognitionem ubiq; immiſcentis, commentum, quod velut ambiguum, ex parte falſum, ac in genere non neceſſarium, merito rejicitur.

§. 65. Videtur autem, quoad expoſitam ſuffragandi rationem, magna eſſe, Statuum *inæqualitas*, nam ſi vota viritim data expendas, ex æqualitate illa, qua v. gr. exigua civitas imperialis, perinde ſuo voto gaudet, ac potentiſſimus Princeps, maxima utique exoritur inæqualitas, cum ſuffragia viribus attemperare, rationis ſit.

§. 66. Inprimis maligne agi videtur cum Prælatis & Comitibus, ſive, cum Prælatis principali dignitate fulgentibus, ſive civitatibus imperialibus, conferantur, nam illis, in univerſum, ſex vota tantum competunt, iſti vero & hæ viritim in ſuo Collegio, ſuffragia ferunt, *vid. §. 60. h.*

§. 67. Corrigendæ nimiæ illi inæqualitati, forte ſunt introducta vota curiata, verum & horum æqualitas, magnam utique introducit inæqualitatem, hinc tandem effectum eſt, ut,

ut, per majora, ultimato plane nequeat concludi juxta §. *48. h.*

§. 68. Sed pergendum ad deliberationum decretorumque comitialium *effectum*, *v.* §. *31.* nimirum ſi plura, Cæſaris Statuumque conſenſu, concluſa ſint, tum decreta illa particularia, in generale placitum, colliguntur, quod dicitur *Receſſus imperii* Reichs-Abſchied/ quem merito Comitiorum effectum dixeris.

§. 69. De Receſſibus imperii in genere hic agere, eſt extra inſtitutum, ſunt enim, maximam partem leges fundamentales, adeoque expoſiti *l. 2. c. 2.* Saltem *modus* eos conficiendi hic explicandus eſt, pertinet enim ad *operationem* imperii, quam hic unice ſpectamus.

§. 70. Poſtquam igitur à Cancellaria Moguntina, receſſus conceptus eſt, a Deputatis revidetur & approbatur, tum bis in membrana deſcribitur, Cæſare & quibusdam Statibus, catholicis & proteſtantibus ejusdem numeri, eum ſubſcribentibus & ſubſignantibus, ſolenni iſti ſubſcriptioni, nomina omnium Statuum quoque adjici ſolent.

§. 71. Deinde receſſus, per Imperatorem, Statibus congregatis, publicatur, alterum ejus originale judicio aulico, alterum Cancellariæ Moguntinæ, copia vero fide digna, Cameræ imperiali inſinuatur, *vid.* Grundſ. *p. 2. c. 10.*

Vi-

VITRIAR. *l. 4. tit. 1. §. 82.* ſed iſta rectius uſu, quam ex libris, diſcuntur.

§. 72. Præter *operationem* Comitiorum *principalem & univerſalem*, datur etiam alia, quæ vel non ſit *univerſalis ſubjective*, qualis inſtituitur à *deputatione extraordinaria*, *vid.* ARUM. *de Comit. c. 7. n. 119.* LEHM. *Chr. Spir. l. 7. c. 118. c. 124. n. 8.* vel non *principalis*, qua lis ſuſcipitur, à *deputatione ſupplicationum* vom Supplication-Rath / *vid.* COMITIOLOG. RATISBON. *p. 3. diſſert. 4. pag. 179.* LEHM. *d. c. 124. n. 8.* vel à *Cæſare & Electoribus*, circa negotia, ad eorum curam tantum pertinentia, *vid.* KULPIS. *de placit. ord. imper. §. 3. n. 17.*

§. 73. Comitiorum *duratio*, *vid. §. 5.* in *otioſam ſeu non neceſſariam*, & *negotioſam ſeu neceſſariam* diſtingui ſolet; illius cauſam à *Statuum Legatis & Directoriis* repetendam eſſe cenſet KULPIS. *d. diſſert. §. 5.* ſed alii ulterius progrediuntur, *vid.* MONZAMB. *c. 5. §. 2. 24.* Grundſ. *p. 1. c. 3. in fin. p. 2. c. 1.* Niſi *laxitas vinculi communis* id indulgeret, moræ ejusmodi necti non poſſent.

§. 74. Duratio neceſſaria, hodie negotiis expediendis & neceſſitatibus Reipublicæ, definitur, licet olim menſis ſpatio, comitia fortaſſis fuerint circumſcripta, ut cenſet MONZAMB. *c. 5. §. 24.* imo plerumque triduo, ex

Tt ſen-

Digitized by Google

ſententia LEHMANNI *Chr. Spir. l. 5. c. 32. p. m.* 400.

§. 75. Cum autem moderna Comitia, jam ab anno 1663. *vid.* SCHWED. *p. ſp. Sect. 1. c. 19. §. 2.* ducantur, non incongrue quæritur, *utrum in univerſum utilitatibus Germaniæ magis conducant Comitia temporaria, quam perpetua?*

§. 76. Pro his pronunciarem, cum enim Status, non ſine magnis difficultatibus, congregari queant, & tamen ſubito quædam incidere poſſint, quæ comitiali decreto expedienda ſint, hinc utiliſſimum Germaniæ cenſeri debet, ſi commune & adæquatum agendi principium, ſemper adſit.

§. 77. Nec eſt, quod perpetuitati, *magnitudinem ſumtuum* objicias, hoc enim, ad temporaria & frequentia, pertinet, dum impenſæ itineris ſæpius recurrunt, & ipſa diſceſſus recordatio, pretia intendit, ac homines in prodigalitatem magis reddit proclives, ſed perpetua commoratio parſimoniam provocat, ac venditorum avaritiæ modum ponit.

§. 78. Neque *defectus negotiorum expediendorum*, recte allegabitur, nam in Germania non ſolum conſiderandum, *an agant Status*, ſed &, *an agere poſſint*, ſola agendi potentia, quantivis pretii exiſtimari debet, ut taceam, non temere Comitiis defutura eſſe negotia, ſi

de

de omnibus, quæ ad ea pertinent, ſuſciperetur tractatio.

CAP. V.

De Conventibus Imperii repræſentatitiis.

SUMMARIA.

Conventus imperii repræſentatitii §. 1. dicuntur etiam particulares §. 2. ſub iis comprehenduntur, Regimentum imperii §. 3. 4. 5. deputationes ordinariæ §. 6. ſeqq. conventus Viſitatorum Cameræ §. 16. ſeqq. conventus quivis extraordinarii per deputatos inſtituti §. 20. epicriſis de hujus generis conventibus §. 21.

§. 1.

PRæter Comitia univerſalia, in quibus totius imperii negotia, à Cæſare & omnibus Statibus, tractantur, de quibus hactenus, dantur quoque Conventus, in quibus, de rebus ad univerſum imperium pertinentibus, non tamen ab omnibus, ſed quibusdam, omnes repræſentantibus, tractatio ſuſcipitur; Hos, ſi per Grammaticos licet, recte dixeris *repræſentatitios* i.e. ex *repræſentatione univerſales.*

§. 2. Alii illos dicunt *Particulares*, *vid.* ARUM. *de Comit. c. 2. n. 48.* SCHWED. *Sect. 1.*

 c.21.

c.31.§.1. VITRIAR. *J. J. P. l.4.tit.2.pr.* quæ denominatio etiam admitti poteſt, modo recte intelligatur. Sunt *particulares* ratione *ſubjecti*, ſeu perſonarum deliberantium, *univerſales* vero, ratione *objecti*, *finis* & *effectus.*

§. 3. Sub iis comprehendimus (I.) *Regimentum imperii*, quod erat, *conventus perpetuus, ex Cæſaris & Ordinum deputatis, a Maximiliano I. anno 1500. inſtitutus, ac a Carolo V. 1521. reſtauratus, quo, in loco congruo, negotia ad totum imperium pertinentia, rite expediret.*

§. 4. Deſiit hic conventus 1531. cujus rei cauſam in Carolum V. transfert HIPPOLYTHUS a LAPIDE, *p. 2. c. 4. ſeqq.* ſed alii rectius arbitrantur, ipſorum Ordinum, in ſuppeditandis ſumtibus difficilium, ac religionum diſſidio, in partes ſciſſorum, voluntate, eum exoleviſſe.

§. 5. Magnam, ejus interitu, jacturam feciſſe libertatem Ordinum, HIPPOLYTHUS cenſet, verum alii prudenti conſilio illum eſſe ſublatum opinantur, cum, negotiis expediendis, non ſatis idoneus fuerit deprehenſus. *vid. D.* RECHENBRG. *diſſert. de Regiment. imper. in Volum. diſſert. p. 2. n. 14.*

§. 6. Spectant huc (II.) *Deputationes ordinariæ*, Deputations-Täge/ quæ ſunt *conventus,*

tus, à Cæſaris Ordinumque deputatis ordinariis, ad expedienda quædam negotia, totum imperium concernentia, certis temporibus legitime inſtituti.

§. 7. Inſtitui cœperunt 1555. in Comitiis Auguſtanis, & quidem ad defenſionem & ſecuritatis publicæ conſervationem, cui producendæ Circuli non ſufficiebant, *vid.* Grundſ. *p. 3. c. 6. p. 249,* poſtea vero, ad alia quoque negotia, extenſi ſunt.

§. 8. Conſtituunt hos conventus *Commiſſarii Cæſarei,* quos, pro lubitu ſuo, Cæſar deligit, & *Ordinum deputati, ordinarii* i. e. lege perpetua deſignati. Qui vero primo ſint *conſtituti,* qui dein *adjecti,* tum *quo numero,* juxta *J. P.* ſint *conſtituendi,* quæ denique hoc reſpectu, inter Status, vertantur *controverſiæ,* id paſſim traditur, *vid.* Grundſ. *d. l.* Schwed. *ſect. 1. c. 31. §. 2.*

§. 9. Indicit hos conventus Elector Moguntinus toties, quoties utilitas Imperii hoc expoſtulare ipſi videtur. Olim iis deſtinatum erat *Francofurtum ad Mænum,* ſed poſtea locus utilitatibus reipublicæ definiri cœpit; tam tempus autem, quam locus habendorum Conventuum, mature Cæſari indicanda ſunt.

§. 10. *Jus proponendi* in his conventibus, eſt penes Commiſſarios Cæſareos: Quæ ta-

Digitized by Google

men *materia* ad eos referri debea
que adeo liquidum imprimis va
tum, an etiam, de *moderatione*
his comitiis agendum ſit.

§. 11. Deinde ſequuntur del
a Statibus, in duas claſſes, Elect
Principum, diſtributis, inſtitut
iſtam ſeparationem ægre ferant
nec hodie controverſia compoſ

§. 12. In utraque claſſe, a Dir
ferenda ſuffragia, Status evocar
dentur majora valere, cum null
ſtitutum ſit, quod inprimis tam
neceſſarium eſſet, ubi totius Imp
paucis deliberantibus conſiſtit,
§. 48. Vota omnia, in *duo vota*
ſunt, quorum alterum Electoril
reliquis Statibus omnibus comp
ſe neceſſario conſentientibus, ac
Cæſareum, alias nihil agitur.

§. 13. Concluſum à Directo
tino, in formam receſſus, redig
ceſſus deputationis dici ſolet, ac ej
cæteris eſt *autoritatis*, niſi forte d
paratio ſaltem, non *deciſio* fue
tum enim concluſum, à Comiti
bus vim demum accipit, *v.* MA
ceſſ. imper. §. *10.*

§. 14. Mortuo Cæſare, conv

tationum non expirant, quia à ſolo Cæſare non dependent, & Ejus vices ſtatim ſupplent Vicarii, aut Rex Romanorum jam electus, quin tamen mors illa *prætextui* ſumi queat ab iis, qui alias à comitiis abhorrent, dubium non eſt, *vid.* SCHWED. *d. c. 31.* §. *3. ſeq.*

§. 15. Cum nimis magna, circa conventus deputationum, ſit *incertitudo* ſive *deputatos*, ſive *deliberandi modum*, ſive *materiam*, ſive *durationem* ſpectes, non videntur eam, quæ ſperabatur, præſtare poſſe *utilitatem*, quam etiam non probant tradita VITRIAR. *J. J. P. l. 4. tit. 2.* §. *13. 14.* Si comitia univerſalia, quæ hodie ſunt, deinceps non deſinant, illorum *uſus* plane ceſſabit.

§. 16. Ad hanc claſſem referendi (III.) *Conventus Viſitatorum Cameræ*, qui ſunt *Conventus, defectuum Cameralium inquirendorum & corrigendorum; nec non reviſionis peragendæ gratia, ab Imperatoris & Statuum deputatis, ex diſpoſitione legum fundamentalium, habendi.*

§. 17. Poſſunt diſtingui in *Ordinarios*, qui jam olim ſunt inſtituti, *vid.* ARUM. *de Comit. c. 2. n. 48. ſeqq.* & *Extraordinarios ſeu ſubſidiarios*, qui, amovendæ cauſarum revidendarum multitudini, ac in uſum revocandis conventibus ordinariis, introducti ſunt *R. J. 1654.* §. *130.*

§. 18. Ordinarii jam ab anno
runt, *vid. d. R. J. 1654. §. 132.* nec
unquam habiti ſunt, ceu docet M
de receſſ. imper. §. 12. an inpoſteru
nia conventum ejusmodi viſura
cebit, *add.* SCHWED. *p. ſpec. ſect.*
ſeqq. p. gen. c. 3. § 3.

§. 19. Spem maximam de iſtis
bus concipi poſſe exiſtimat M
cum impedimenta remota eſſe d
1654. §. 128. Verum non ex verbis
blicarum ſed Statu Reipublicæ,
quæ hic ſubſunt, Studiis, ſpes in
formandæ ſunt.

§. 20. Denique huc pertinent
generis *conventus extraordinarii*
imperii evenientia, ſubinde ſeorſ
nam tales, à Germanis, inſtitui po
maniæ avtonomia liquet. *Modus*
di, à libertate Procerum depende
lege fundamentali jam cautum
tatorum conſtitutio, religionis di
temperetur *J. P. art. 5. §. 51.*

§. 21. In genere, pro neceſſi
tate Conventuum repræſentatitio
ri poteſt, quod *commune aliquod*
que agendi principium, in Germa
ſarium; ſed contra eam, urgere
conventus illi non exhibeant *pri*

quatum, rebus expediendis per omnia ſufficiens. Sola igitur Comitia univerſalia, eaque perpetua, commune illud adæquatumque agendi principium conſtituunt, quæ adeo Germanis Proceribus debebant eſſe commendatiſſima.

CAP. VI.

De Conventibus Circularibus.

SUMMARIA.

Conventus circulares §. 1. *eorum varietas* §. 2. 3. 4. *perſonæ convocantes & convocatæ* §. 5. 6. 7. *modus deliberandi* §. 8. 9. *materia* §. 10. *ſeqq. effectus* §. 15. *utilitas* §. 16.

§. 1.

POſtea conſiderandi ſunt *Conventus Particulares.* Ad eos ſpectant Comitia circularia Crayß-Tåge / quæ ſunt *conventus Statuum circularium, eo fine inſtituti, ut negotia circularia debite expediantur.*

§. 2. A *perſonis coeuntibus* ſunt vel *generalia*, quando omnes circuli conveniunt SCHWED. *part. gener. c.* 5. §. 19. vel *particularia*, quando quidam congregantur, exem-

Digitized by Google

plum eſt in den Correſpondiren
ſen SCHWED. *d. l.* vel *ſingula*
membra unius circuli conſocia
§. 3. Hæc tamen, in ſuo gen
ſunt vel *univerſalia*, dum omnia
eorum deputati (unde die en
Convent) vel *particularia*, dum
Eccleſiaſtici, vel Seculares tantu
que generis aliqui, coeunt SCHW
§. 4. Deinde *à neceſſitate hab*
guuntur in *Stataria*, quæ certo
beri debent, qualia ſunt die Prob
vid. VITRIAR. *l. 4. tit.* 2. §. *18.* 19.
quæ, juxta utilitates circuloru
tur.
§. 5. Jus convocandi conve
res *generales*, tribuunt Mogunti
d. §. *19.* ſed forte neque quoad c
nerales, neque *particulares*, pec
tui alicui competit *jus convoca*
men omnibus *jus*, ſeſe mutuo
utilitatis, ad *comitia illa provoca*
§. 6. Conventus ſingulares i
culorum Directores, etiam ſin
conſenſu Cæſaris, SCHWED. *d. l.*
diſſentiant, *vid.* MULLER. *de co*
c. 3. n. 14. per literas, ad ſingulos
lares, directas, quæ *tempus*, *loc*
conventus habendi continent, f

hibet, MULLER. *de convent. circular. c. 14. n. 2.* *aad.* SCHWED. *p. gen. c. 5. §. 21.* VITRIAR. *J. J. P. l. 4. tit. 2. §. 24. ſeqq.*

§. 7. Neceſſitas comparendi dependet ab illa obligatione, quæ, ex circulorum inſtituto, reſultat, quæ ipſum etiam Directorem ad comparendum movere debet. Civitates per Legatos, reliqui immediate vel mediate comparent, ſi quis non vocetur, is juris tuendi cauſa ultro venire ſolet, *vid.* MULLER. *d. tr. c. 14. n. 13. 14.* Nobiles immediatos non vocari, ait COCCEJ. *J. P. P. c. 4. §. 20. in fin.*

§. 8. Status advenientes nomina ſua, apud Directorium, edunt, ſicut Legati mandata & creditiva, deinde ſtatuto die ad operationes procedunt, *vid.* MULLER. *d. tr. c. 14. n. 6.* ubi quidem prima congregatio, Directorii *propoſitione*, ac *mandatorum literarumq; credentialium lectione*, fere abſolvitur.

§. 9. Poſtea, aliis diebus, de negotiis deliberant, & vel unanimi conſenſu, vel per majora concludunt, *vid. R. J. 1654. §. 183.* MULLER. *d. c. 14. n. 28.* evocante ſingulorum vota Directorio ſuumque addente. Emanentium nulla habetur ratio, *vid.* MULLER. *d. c. 14. n. 6. ſeqq.*

§. 10. Negotia conventuum circularium, pluribus perſequi voluit MULLER. *d. tr. c. 6. ſeqq.* forte non incongrue in negotia *imperii,*

&

& Circuli, eadem diſtingueres,
omnia, ſi *jus & neceſſitatem* tracta
ſunt *negotia circularia*, quod vi
§. 1. h.

§. 11. Ad primam claſſem refe
præſentatio aſſeſſorum Cameralium:
tam à *Circulis non congregatis*, qua
tibus circularibus, eo tempore fi
fieri poteſt, quo ſenſu adeo, præ
pro negotio circularis conventu
betur.

§. 12. (2.) *Probatio monetæ* (3.)
tranquillitatis publicæ, quam ſæpe
circuli ſibi ſoli aſſerit (4.) *collectæ*
utilitatem imperii adhibendæ, ſec
tium circuli deprecari, ac, ad com
ſalia, remittere ſolent, *vid.* Gru
art. 4. n. 3. p. 202. CONRING. *de n*
imper. §. 89 90.

§. 13. (5.) *Sententiarum &*
imperialium executio; Nam hæc
caſuum temporumque diverſitat
culis non conſociatis, quam *conve*
laribus, fieri poteſt, (6.) *collectio*
emendatio matriculæ, præparatio
culis fieri poſſe, concedo, ſed ple
dationem, nego.

§. 14. Ad ſecundam claſſem ſ
collectæ circulares, quæ, ob conſ

circuli, exiguntur (2.) *conſtitutio officialium circularium* (3.) *ea omnia quæ circuli utilitatem reſpiciunt*, quæ facilius, ubi evenerint, cognoſci, quam una ſerie recenſeri poſſunt.

§. 15. Deliberationum circularium effectus eſt *Receſſus circularis*, qui à Directorio conficitur, confectus relegitur, &, ſi placeat, à Statibus circularibus ſubſcribitur & ſigillatur, originali in circuli Archivum relato, *vid.* MÜLLER. *d. c. 14. n. 19.* SCHWED. *d. c. 5. §. 23.*

§. 16. Æſtimatio utilitatis Conventuum circularium, ſequitur judicium, de utilitate ipſorum circulorum, de quo diximus *c. 3. §. 30. ſeqq. add.* LIMN. *1. addit. ad l. 9. c. 1. n. 242.* ubi plura de conventibus circularibus præcipue Franconicis recenſet.

CAP. VII.

De Conventibus Statuum Imperii.

SUMMARIA.

Sub Comitiis particularibus comprehenduntur Conventus electorales §. 1. horum definitio §. 2. varietas §. 3. fundamentum §. 4. 5. perſona §. 6. 7. materia §. 8. 9. 10. modus agendi §. 11. exempla §. 12. deinde Conventus Principum, Comitum, Civitatum imperialium & Nobilium immediatorum §. 13.

Digitized by Google

§. 13. 14. 15. 16. denique conventus Stat
§. 17.

§. 1.

AD Conventus
quoque pertine
Comitia , ex c
ſunt (1.) *Conve*
rales , Collegial
fürſten-Tåge ,
electionis Cæſareæ cauſa i
Wahl-Tåge/ huc non pertine
enim *univerſalibus* annumerantu
de iis *l. 5. c. 1. §. 51. ſeqq.*

§. 2. Illi ſunt *conventus* , *vi*
Territorialis, ab Electoribus, vel p
vel Cæſaris autoritate, inſtituti eo fi
gotiis, utilitatem propriam ac imp
nentibus, deliberent, ac de iis, in
ges fundamentales permittunt, dece

§. 3. Sunt vel *Imperatorio-Ele*
à Cæſare & Electoribus, vel *Elec*
cie, qui ab his ſolis inſtituuntur.

§. 4. Fundamentum horum
um, à parte Electorum, eſt *Supe*
ritorialis, ex quo facile, de illorum
cari poteſt, circa quam alias fluctu
CHEL. *de Comit. Electoral. §. 2.*

§. 5. Exinde etiam conſequ
Electorales in ſpecie, inſcio Imp

dici & haberi queant, nec ejus rei ratio, ab *ambigua conſuetudine*, repetenda cum RACHELIO *d. l.* §. 2. 3. quicquid autem *regulæ decori* hic poſtulant, aut ex *libertate* fieri poteſt, id omne eſt extra *neceſſitatem juris*.

§. 6. Conventus Imperatorio - Electorales indicit Cæſar, Electorales in ſpecie, Moguntinus, non etiam, ob unionem Electoralem Wormatiæ 1521. renovatam, Capitulum RACHEL. *d. l.* §. 6. 7. quin de cætero reliqui Electores, ſeſe mutuo ſubmonere poſſint de habendo conventu, nullum plane eſt dubium.

§. 7. Convocantur omnes Electores, non Capitula, nec Rex Bohemiæ, qui nec ultro accedens admittitur RACHEL. *d. l.* §. 7. *ſeqq.* utrum vero *immediate*, an *mediate*, comparere, tum *quando* & *quo loco*, conventus cogere velint, id omne, à *libertate* Electorum *civili*, dependet, ac in his decidendis, magis ad *J. P.* quam *A. B.* eſt reſpiciendum, contra quod videtur impingere RACHEL. *d. l.* §. 15. *ſeqq.*

§. 8. Materia horum conventuum ſunt (1.) *negotia ad utilitatem Electorum innoxiam pertinentia*, de quo nemo dubitat (2.) *negotia totum imperium reſpicientia*, ſed hic diſtincte pronunciandum.

§. 9. De iis, exemplo cæterorum Statuum,

Ele-

Electores deliberare poſſe, dubium no
ſed *decernere* nequeunt, niſi in quan
terorum Statuum conſenſus, cum
præſumtus,hoc admittit,quod in exe
cile cognoſcitur.

§. 10. Nam v. gr. Legationem,
imperii, decernere, conventuum
menſuram excedit, ſi vero imperii
auxilia opponenda decernantur, ho
laudabiliter factum, omnes dixeri
RACHEL. *d. diſſert.* §. 20. 21. 22. VITR
P. l. 4. tit. 2. §. 3.

§. 11. Modus agendi in his con
partim à *libertate*, partim à *conven*
pendet, quæ ſpecialius exequi, ni
cum, poſitis generalibus principiis,
queant addiſci.

§. 12. Exempla horum comitior
geſſit RACHEL. *d. l.* §. 23. *ſeqq. add.* S
ſect. 2. *c.* 2. §. 7. qui autem eadem ho
ta eſſe cenſent, quorum meminit R
l. §. 45. illi procul dubio falluntur,
nente Superioritate Territoriali, c
deſiiſſe dici nequeunt.

§. 13. Deinde ex hoc genere ſunt
ventus Principum (III.) *Comitum* (IV
tum imperialium (V.) *Nobilium i*
rum, vid. LEHM. *Chr. Spir. l.* 7. *c.* 107.
900. *c.* 116.

§. 14. Qui ſunt *conventus, à Statibus illis, vi Superioritatis Territorialis, de negotiis, ad utilitatem propriam & imperii pertinentibus, juxta legum fundamentalium permiſſionem, inſtituti.*

§. 15. Quæ de *fundamento, origine, requiſitis, loco, tempore, materia, modo agendi & uſu* modo diximus, intuitu conventuum Electoralium, eadem etiam hic locum habent, nam *ſolo ſubjecto* ſeu *perſonis agentibus,* videntur comitia illa diſcerni.

§. 16. Quoad eas autem velut naturale eſt, ut potentioribus, ac exiſtimatione cæteras antecellentibus, *jus convocandi & dirigendi,* competat, hinc in ſpecie inter civitates occurrunt, quæ **auſſchreibende Städte** dicuntur, *vid.* Schwed. *ſect. 1. c. 31.* §. 10. *ſeqq.*

§. 17. Tandem huc referendi erunt (VI.) *Conventus Statuum inter ſe*, ſi enim ejusdem generis Status convenire poſſunt, etiam v. gr. Electoribus & Principibus integrum erit, conventus cogere, quorum indoles, ex præcedentibus, facile poterit intelligi.

Digitized by Google

CAP. VIII.

De Executione Decretorum Co-mitialium.

SUMMARIA.

Executio decretorum comitialium §. 1. fit ... tos mediatos §. 2. Status imperii §. 3. ſeq ... teros §. 7. per Legatos §. 8. 9. & bella, qu... tiis decerni debent §. 10. modus gerendi §. 11 ... exitus §. 15

§. 1.

HÆc ut recte intelliga... ſervandum, quod ... comitialia, tam u... lia, quam particula... ſpiciant vel *Imperi... Exteros.*

§. 2. Prioris generis decreta, ve... nent ad *Statuum Subditos*, dum v. gr... mercia quædam interdicuntur, hor... cutionem ſinguli Status, in ſuis Te... faciunt, quæ etiam ſatis bene ſe hab... ob Statuum imperium, habere poteſt... *tus ipſos.*

§. 3. Hic, intelligendæ executioni... guendi conventus, nam ſi particula... v. gr. Electorum, tum ſingula mem...

plici ſaltem *obligatione*, ad faciendam executionem obſtringuntur, quæ etiam *pœna conventionali* muniri poteſt, & *autoritate judiciorum communium* defenditur.

§. 4. Imo cum ejusmodi conventus non habeantur, niſi ob *ſingularem cauſam*, v. gr. periculi præſentis, ideo quæ cauſa impulit, ad conventus habendos, eadem quoque, ad exequenda decreta, efficaciter ſatis inſtigare videtur.

§. 5. Executio decretorum circularium, iisdem momentis niti videtur; nam utrum toti circulo competat poteſtas, membrum contumax, ad implendam obligationem cogendi, adeoque, præter illa momenta, peculiare hic occurrat, mihi non liquet, in negativam tamen ſum proclivior, *add.* BOECLER. *N. J. l. 3. c. 1. n. 3. p. 60.* LIMN. L. *addit. l. 1. c. 7. n. 32. p. 45.*

§. 6. Denique ſi quid in Comitiis univerſalibus decretum fuerit, tum *pœnæ & judiciorum conſideratio*, contumaces movere debet, ad faciendam executionem, quodſi *præſens aliquod periculum* concurrat, efficaciſſime Status ad implendum officium compellere ſolet.

§. 7. Poſterioris generis decreta executioni

tioni dantur, vel per *Legationes* v
nam omnes civitates, inter ſe du
agunt, amice vel hoſtiliter.

§. 8. Poſſe univerſum imperi
mittere, dubio caret, & legation
exempla hiſtoriæ quoque ſuppe
SCHWED. *ſect.* 1. *c.* 28. §. 4. Ut
legationes, conſenſu comitiali, c
vid. CONRING. *de negot. convent.*
98. ita ſæpe, ſolo Imperatoris n
guntur, *vid.* KULPIS. *de Legat. ju*

§. 9. De Legatorum indole, v
ſtimatione, poteſtate ac officio
xis, multa dicere nil attinet, nan
§. 7. *ſeqq. l.* 4. *c.* 91. §. 2. *ſeqq.* dixin
hic locum habent, nec dubitanc
quin Legationes, à toto Imperi
Germaniæ ſint utiliſſimæ, inte
nulla earum ſunt hodie exempl

§. 10. De jure belli, toti imp
tente, nemo dubitat, ipſa bella,
decernuntur, quemadmodum e
tus bellicus, ac omnia ad bellu
comitiali conſenſu definiuntur, *v*
d. diſſert. §. 83. *ſeqq.* SCHWED. *ſec*
ſeqq. certe definiri debebant, *vi*
Spir. l. 7. *c.* 99. 120.

§. 11. Deinde ſequitur decretorum executio ſeu ipſa *belli geſtio.* Circa hanc uti repeti debent, quæ *l. 4. c.* 11. *§.* 35. *ſeqq.* dixi, ita hodierna belli gerendi ratio vel reſpicit *hoſtem*, erga hunc quid liceat ex communibus principiis ſupponendum, vel *Status eorumque territoria.*

§. 12. Per hæc, ſæpe *tranſitus* inſtituitur, qui innoxius eſſe debebat, in abuſum invehitur Schwed. *ſect.* 2. *c.* 16. §. 12. deinde in iis *munimenta aliquando exſtruenda,* ad hoc conſenſus comitialis requiritur *I. P. art.* 8. §. 2. *vid.* Conring. *d. l.* §. 93. eo ſcil. ſenſu, quod ſolus Imperator id imperare nequeat, nam alias, conſenſu Domini & vicinorum, munimenta exſtrui poſſe, imo illius ſolo, ſi ſumtus unice ferre velit, certum eſt.

§. 13. Præterea *hoſpitationes militum*, in Statuum Territoriis, fiunt, quæ itidem, conſenſu comitiali, ita definiendæ erant, ut immunium Statuum contributio, onus hoſpitationum reliquis levaret, ſed plerumque bello vicini, onus hoc ſoli ſentiunt, & cum Conſtatibus, non ſecus, ac cum exteris, eo nomine, utcunque paciſci coguntur.

§. 14. Si verus neceſſitatis caſus, in bello, ſe exſerat, *dominium* quoque *eminens*, erga

Statum, locum habebit, ut nim
Imperio, Statui ea imponi quean
renda alias non erat obſtrictus, *v*
N. J. l. 18. *c.* 1. *n.* 8.

§. 15. Si quid favente Marte
id non ad Imperatorem, ſed t
rium, non excluſo tamen Jure S
net, *vid.* CONRING. *d. diſſert.* §.
ſect. 1. *c.* 26. §. 3. *n.* 7. ſi autem re
tantur, tum, ad juris translation
lis quoque conſenſus requir
SCHWED. *ſect.* 1. *c.* 23.
§. 4.

LIBER SEPTIMUS.

CAP. I.

De Judiciis Germaniæ.

SUMMARIA

Triplicis generis Judicia, in Germania ſupponi posſunt §. 1. 2. 3. judicia Regum §. 4. fruſtra aſſeruntur §. 5. ſubditi ſubfuere Gravionum, Epiſcoporum & Advocatorum judicio §. 6. ſeqq. ab his ad judicium aulicum appellatum §. 10. origo judicii Weſtphalici §. 11. indoles §. 12. 13. epicriſis de his judiciis §. 14. iſta judiciorum ratio ſenſim mutari cœpit §. 15. ſeqq. adeo ut jurisdictio propria Statibus acquiſita §. 20. Proceres Regis judicio ſubfuere §. 21. ſed in cauſis gravioribus acceſſit ſenatus Principum §. 22. 23. 24. fuit quoque jus manuarium §. 25. judicium papale §. 26. 27. poſt Maximilianum, Principum Senatus deſiit §. 28. ſeqq. judicium Procerum in cauſis Eccleſiaſticis §. 34. ſeqq. quanam judicia ad Jus publicum pertineant §. 39. 40. 41.

§. 1.

AD communem totius Reipublicæ contextum explicandum, tandem etiam pertinet conſideratio *Judiciorum Germanico-*

rum de quibus peculiaris exſtat diſſ
CONRINGII, noſtrum eſt, brevem j
rum illorum hic texere hiſtoriam, ac e
quantum eorum tractatio huc ſpectet
de oſtendere.

§. 2. A temporibus igitur Francoru
in ſpecie *Caroli M.* (nam, ulterius aſce
nil attinet) Reges Germaniæ, per Duc
mites, Epiſcopos aliosque Proceres,
ſubditos ſuos, hinc in univerſum conſ
poſſunt *judicia ipſorum Regum*, deinde
torum ac tandem *Procerum.*

§. 3. Et diſtincte quidem judicia ill
ma periodo, usque ad noſtra tempor
ctabimus, non vero eadem, juxta dive
riodos, conjungemus, quod placuit
RINGIO, nam ex tractatione ſeparatin
tuta, & evidentius indoles eorum a
& ſimul conſtat, quæ judicia, ad comn
civitatis Germanicæ contextum, ſp
adeoque hujus loci ſint.

§. 4. Reges igitur, tam quoad ca
viles quam criminales, *Concilio Proc*
populi ſubfuiſſe olim, poſtea vero Con
toritatem, ad *Electores ſolos*, & *Pontific*
manum tranſire cœpiſſe cenſet CONRI
ſert de judic. Germ. §. 22. 43. *ſeqq.* cui co
MONZAMB. *c.* 5. §. 14. 15.

§. 5. Sed uti Pontifex nunquam p

timo judice haberi poteſt, utut ſæpius illud munus affectarit, *vid.* LEHM. *Chron. Spir. l. 5. c.* 34. ita, vel olim concilium Procerum & populi, vel hodie Electores, quicquam *pro imperio* in Reges & Imperatores decernere potuiſſe aut poſſe, nunquam probabitur, ſive de cauſa criminali, ſive civili quæſtio ſit, KULPIS. *ad Monzamb d. c.* 5, §. 14. hinc *vera Regum judicia* nec fuerunt olim, nec hodie ſunt, quare de iis nihil etiam nunc dici poteſt, *vid. l. 5. c.* 4. §. 5. *ſeqq. add.* LEHM. *d. tr. l. 5. c.* 28. 32. *l. 7. c.* 3.

§. 6. *Judicia ſubditorum* ut recte declarentur, videntur omnes ſubditi, in duas claſſes, diſtinguendi, vel enim occurrunt, in *ditionibus Eccleſiaſticis*, quæ ad Epiſcopatus & Monaſteria pertinent, vel *ſecularibus*, quæ dominio eccleſiaſtico exemtæ manſerunt.

§. 7. In *his* ſubditi, juxta certos diſtrictus, ſubfuerunt *Gravionibus*, qui ſuos *Scabinos* ſeu Aſſeſſores, & *Sculteſios* ſeu ſubſtitutos in vicis habuerunt CONRING. *d. diſſert.* §. 25. *ſeqq.* Clerici tamen, Epiſcopis ſubfuerunt, nec non Laici, quoad cauſas Eccleſiaſticas, imo, ſucceſſu temporis, quasvis lites Epiſcoporum deciſioni committere licuit ID. §. 31. 34. 76. 77. *ſeqq.* MONZAMB. *c. 5.* §. 14.

§. 8. Illud autem probabile eſt, Epiſcoporum diœceſes, Gravionum pagis, fuiſſe am-

 plio-

pliores, aut certe, iisdem plane limitibus, non circumſcriptas; Hinc videntur ſubinde ejusdem pagi ſubditi, ad diverſos Epiſcopos pertinuiſſe, aut multorum pagorum, eundem Epiſcopum, velut judicem, agnoviſſe, juxta modum antea expoſitum. Aliter ſentit LEHM. *Chr. Spir. l.* 2. *c.* 18. ſibi tamen non ſatis conſtans *l.* 4. *c.* 9. & COCCEJ *J. P. P. c.* 18. §. 36.

§. 9. In *illis*, jurisdictio ſecularis non ad *Graviones*, ſed Eccleſiarum ac Monaſteriorum *Advocatos*, pertinuit CONRING. *d. l.* §. 35. *Jurisdictio* vero *eccleſiaſtica*, dubio procul, Epiſcopis & Prælatis hic quoque eſt aſſerenda.

§. 10. Ab iſtis judicibus fuit provocatum ad *ipſum Regem*, vel Ejus *palatium*, *ſeu judicium aulicum*, non tamen temere ID. §. 38. 39. ſed *Miſſi Regii*, non tam appellationibus recipiendis, ut cenſet ID. §. 36. 37. quam viſitationi potius videntur vacaſſe, niſi appellationis nomine latius velis uti.

§. 11. Hæc judiciorum privatorum ratio, tempore *Caroli M. & Ludovici Pii*, obtinuiſſe creditur CONRING. *d. l.* §. 40. Ad illius ætatem refertur quoque *origo Judicii Weſtphalici* ſeu *occulti* & *Vemici*. *vid.* MAURIT. *de Judic. Rothwil. c.* 1. §. 3. *ſeqq.* COCCEJ. *J. P. P. c.* 9. §. 13. *add* CLASEN. *ad Nemes. Carolin. art.* 193. aliis tamen ea de re dubitantibus CONRING. *d.* §. 40.

§. 40. & de O. J. G. c. 29. GRYPHIAND. *de Weichbild. c. 54.* SCHWED. *ſect. 1. c. 14. §. 14.*

§. 12. Sive autem tempora illa attigerit judicium illud Weſtphalicum, ſive iisdem ſit recentius, judicum ordinariorum jurisdictionem videtur limitaſſe; fuit enim judicium vagum, nulli certo diſtrictui adſtrictum, cognitionem criminum, præcipue religionem reſpicientium, ſibi vindicans, & nulli provocationi obnoxium, adde tamen DATT. *de pac. publ. l. 4.*

§. 13. Uti autem hoc judicium, vel ejus abuſus merito reprehenditur, dum, immani crudelitate ad religionem homines coëgit, ac, modo penitus abſurdo & inhumano, proceſſus contra delinquentes inſtituit, ita, circa reliqua judicia, hoc omnino etiam reprehendi debet, quod quædam Laicorum cauſæ, ſub nomine cauſarum eccleſiaſticarum, Epiſcoporum cognitioni fuerint ſubjectæ.

§. 14. Majorem vero reprehenſionem meretur illa ſuperſtitio, qua tandem, omnes Laicorum cauſæ, Epiſcoporũ judicio ſubmiſſæ fuerunt, nam inde nihil niſi confuſio oriri potuit, quæ etiam hodienum ſuperat, præterea illo inſtituto, Clerici, ad ſtabiliendum imperium ſeculare, ſunt velut invitati, ceu CONRING. quoque agnoſcit *d. l. §. 34.* cujus adeo doctrina, cum epicriſi, quam IDEM de his

his judiciis dedit *d. l.* §. *41.* non ſatis convenit.

§. 15. Ad *Caroli M.* ſucceſſores, illam judiciorum privatorum rationem, fuiſſe transmiſſam, ex communibus præſumtionum principiis, recte aſſeritur, mox tamen fluctuare, ac, ad mutationem, ſe componere cœpit.

§. 16. Omnis autem mutatio in eo poſita eſt, quod Magiſtratus jurisdictionem, nomine Cæſaris hactenus exercitam, ſibi velut propriam attribuere cæperint, quam etiam per eosdem gradus & iisdem mediis, quibus univerſum jus territoriale, tandem, maximam partem conſecuti ſunt.

§. 17. Nam Epiſcopi & Prælati, excuſſis Advocatis, jurisdictionem Secularem acquiſiverunt, Ducibus & Comitibus jurisdictio hæreditario jure conceſſa, Miſſi deſierunt, per privilegia, de non appellando libertati Procerum amplius proſpectum eſt, *add.* Lehm. *Chr. Spir. l.* 5. *c.* 116. 125. *l.* 7. *c.* 13. *in addit. in fin.*

§. 18. Conſervandæ tamen jurisdictioni Imperatoris, in certis diſtrictibus, inſtitutum eſt judicium Rothwilenſe, manſit etiam ſuo modo provocatio ad judicium aulicum, imo cum, propter invaleſcentem juris Canonici & Romani uſum, lites & provocationes multiplicarentur, inſtitutum, ob hanc quoque cauſam, fuit judicium Camerale Conring. *d. l.* §. 82. *ſeqq.*

§. 19.

§. 19. Ab iniquitate vero judicii Weſtphalici Proceres & ſubditi Germaniæ liberati ſunt, poſtquam illud penitus à *Maximiliano I.* fuit ſublatum, quod ſi hanc abrogationem admittere nolis, increſcens Statuum poteſtas videtur illud judicium deſtruxiſſe, *vid.* MAURIT. *d. l. c. 1.* §. 7. SCHWED. *ſect. 1. c. 14.* §. 14.

§. 20. Jurisdictio tamen eccleſiaſtica, tum temporis adhuc fuit penes Epiſcopos, Pontifici Romano ſubordinatos, per conventiones vero religioſas, & inprimis inſtrumentum pacis, hanc etiam jurisdictionem, Status proteſtantes nacti ſunt, *vid. l. 2. c. 5.* §. 24. *ſeqq. c. 6.* §. 22. *l. 3. c. 6.* §. 7. *ſeqq.* §. 63. *ſeqq.* à quo etiam, omnis poteſtatis judiciariæ complementum, ultimato dependet.

§. 21. Superſunt *judicia Procerum.* Nimirum tam Comites quam Epiſcopi, in officio negligentes, ſubfuerunt judicio Miſſorum, in cauſis quoque minoribus aliis, Solius Regis arbitrio fuere ſubjecti CONRING. *d. l.* §. 24. 36. 38.

§. 22. In cauſis autem majoribus, ſo eines Fürſten Leib/ Ehre oder Lehnſchafft betreffen/ ſemper quoque judicavit Imperator, num vero *ſolus*, an *adhibito Principum Senatu* quæritur? quidam illud, alii hoc affirmant, argumenta utriusque partis recenſet quoque SCHWED. *ſect. 1. c. 9.* §. 11. *ſeqq.*

§. 23.

§. 23. Putaverim diſtinguenda eſſe tempora; A Carolinis temporibus, usque ad *Maximiliani I.* ætatem, Cæſarem ſemper adhibuiſſe conſilium Principum, per exempla ſatis probavit CONRING. *d. l.* §. 23. *48. ſeqq.* adjiciens §. 52. controverſias, brevi & ſimplici proceſſu, ac ab ipſo quidem Cæſare Principibusque, fuiſſe terminatas, *add.* LEHM. *Chron. Spir. l. 4. c. 2. l. 5. c. 63. 89. l. 7. c. 11. n. 2. c. 71. 76. 86. 88. 113. 114.*

§. 24. Nec videtur ea res *nudi arbitrii*, ſed potius *neceſſitatis* fuiſſe, quod ex indole *imperii limitati*, ac *libertatis Statuum*, majori gradu deinde ſubſecutæ, inprimis patere videtur: Quod autem Proceres, judicium tale, expreſſe ſibi etiam ſtipulati ſint, ceu nonnulli volunt, id parum probabile eſt, *vid.* SCHWED. *d. c. 9. §. 12.*

§. 25. Neque tamen unica illa judicandi ratio, per ea tempora, ſemper obtinuit, nam poſt tempora *Friderici II.* præcipue, cœpit *jus manuarium* ſeu *hoſtiles diffidationes*, LEHM. *l. 7. c. 3. ſeqq.* controverſiæ etiam Procerum, in *judicio Auſtregarum*, tractari cœperunt CONRING. *d. l.* §. *53. 54. 93. 94.*

§. 26. Imo Pontifices quoque, cauſas Principum ſeculares, ad ſe traxerunt, nam, imminuta Cæſarum poteſtate, ſæpe vel ſuperſtitio, vel commodi privati ſtudium, Principes com-

compulit, ut Pontificis judicio controverſias ſubmittere non dubitaverint Id. *d. l.* §. *55. 56. add.* Lehm. *Chr. Spir. l. 5. c. 121. 122. l. 7. c. 3. 6. 85. p. m. 809. l. 7. c. 109.*

§. 27. Iſta tamen Pontificum Romanorum iniquitas, abrogata quodammodo eſt, ætate *Maximiliani I.* Eodem tempore jus manuarium ſublatum, Auſtregæ limitatæ Idem. *d. l.* §. *57. ſeqq.* Inſtituta quoque eſt Camera imperialis, imo, auſpiciis *Caroli V.* poteſtas, de maximis Principum cauſis, cognoſcendi, judicio aulico aſſeri cæpit Idem. §. *65. 100. add.* Lehm. *l. 7. c. 118. in addit.*

§. 28. Poſt tempora igitur *Maximiliani I.* conſilium principum, das Fürſtenrecht / per judicium aulicum, videtur eſſe expunctum, *proprio Statuum conſenſu,* dum cauſas majoris momenti, ad id judicium vel detulerunt, vel deferri paſſi ſunt.

§. 29. Hæc vera ratio ceſſantis judicii Principum nobis eſſe videtur, quæ adeo ſaltem, quoad tempora recentiora, obtinet. Qui autem ſimpliciter judicium Principum negant, illi aliis rationibus uti ſolent, *vid.* Rhet. *J. J. P. l. 4. tit. 4. §. 11. n. 1.* ſed uti ſententia illa, quoad tempora antiquiora, à veritate omnino abludit, ita rationes etiam non concludunt, inprimis incongruum argumentum eſt, quod ex *1. F. 18.* deſumitur, *vid.* Schwed. *d. c. 9. §. 14.*

§. 30.

§. 30. Qui autem etiam, poſt hæc tempora, judicium Principum aſſerunt, ut poſt alios MONZAMB. *c. 5. §. 15.* SCHWED *d. c. 9. §. 13.* illi ſolum conſideraſſe videntur, quid *Status Germaniæ* & *libertas Procerum* poſtulet, non etiam, quid juxta *Statuum conſenſum* ſit dicendum.

§. 31. Ob *quas cauſas* vero, Proceres, in juriſdictionem judicii aulici, cum Præjudicio libertatis propriæ, conſenſerint, id cuivis perſpicaci conjiciendum relinquimus; Auſim tamen dicere, *modum procedendi, jure canonico & civili introductum*, & hinc enatum *diuturni proceſſus præjudicium*, quo Germanorum animi ſenſim imbui cœperunt, multum ad hoc contuliſſe.

§. 32. Equidem ſunt, quæ de Statuum *diſſenſu* teſtari, ac adeo, autoritatem judicii aulici, elevare videantur, *vid.* CONRING. *d. diſſert.* §. 63. SCHWED. *ſect. 1. c. 9. §. 14. n. 2. J. P. art.* 8. *§. 2. R. J.* 1654. *§. 188.* verum uti non deſunt, quæ ad ea poſſint reſponderi, *vid.* RHET. *d. tit. 4. §. 11.* SCHWED. *d. n. 2.* ita *conſenſum* & verba, *v. J.P. art. 5. §. 55. art. 4. §. 57.* & antiqua pariter, *vid.* CONRING. *d. diſſert. §. 65. 100.* KULPIS *ad Monzamb. c. 5. §. 15.* ac recentia exempla, ſatis oſtendunt.

§. 33. Conſenſum tamen, omni exceptione majorem, nolim ego aſſerere; In ſpecie, quo-

quoad infligendam banni pœnam, judicii aulici autoritas, extra controverſiam, non eſt poſita, ſed hujus rei determinatio, ad Comitia remiſſa *J. P. art.8. §. 3.* Electoribus interim modum velut proviſionarium introducentibus *C.L. art. 28.* non tamen, ſine reliquorum Statuum contradictione, *vid.* Grundſ. *p. 3. c. 3. art. 28. p. 222.*

§. 34. Hactenus dicta pertinent ad *Proceres imperii, qua tales,* eorumque *cauſas ſeculares;* Cuinam vero judicio, Proceres Eccleſiaſtici, *qua Clerici,* aut Status ſeculares, quoad *cauſas eccleſiaſticas* ſubfuerint, id explicandum reſtat.

§. 35. Olim igitur Monachi, eorumque Præpoſiti & Abbates, ſubfuerunt Epiſcopis, cauſæ vero Epiſcopales, in Synodo, & coram Metropolitano, ſunt agitatæ, ut aliquando, invaleſcente ſenſim hierotyrannide, licuerit ad Papam provocare, niſi ſententia ſynodalis, Regis decreto, eſſet confirmata CONRING. *d. diſſert. §. 31. ſeqq. add.* LEHM. *l. 3. c. 24. in fin.*

§. 36. An ævo Carolingico, cauſæ Eccleſiaſticæ Procerum ſecularium, in eodem judicio fuerint agitatæ, id non ſatis liquet; fortaſſis diſtinctio cauſarum ſecularium & eccleſiaſticarum, tum nondum ſatis invaluerat.

§. 37. Poſtea, artibus aulæ papalis, eo de-

Digitized by Google

ventum eſt,ut Status Eccleſiaſtici, in *perſonalibus*, ſeu clarius, qua *Clerici*, ſubſint judicio Papæ, in realibus vero, ſeu qua *Status imperii*, communibus Germaniæ judiciis CONRING. *d l.* §. *66. ſeqq.* ad idem Papæ judicium, cauſæ quoque eccleſiaſticæ Procerum Secularium, ultimato tandem ſunt devolutæ.

§. 38. Ab iſto tamen Pontificum dominatu, liberati ſunt Proteſtantes Status, tam Eccleſiaſtici quam Seculares. Ipſi etiam Catholici, procul dubio, à Curia Romana, mitius hodie tractantur, ne forte iniquius habiti, exemplo Proteſtantium, jugum illud injuſtum excutiant.

§. 39. Ex brevi hac judiciorum germanicorum hiſtoria, nunc oſtendendum eſt, in quantum illorum tractatio ad juris publici diſciplinam pertineat.

§. 40. Nimirum, judiciis dudum obſoletis, nec non, quæ ſtatus, in ſuos ſubditos, vi ſuperioritatis Territorialis, exercent, omiſſis (illorum enim conſideratio, ad Jurisprudentiam curioſam, horum, ad privatam, pertinet) ſola illa Imperii judicia, quibus vel ipſi Status ſubſunt, vel, ad quæ, eorum ſubditi, appellant, aut, quæ Statuum poteſtatem judiciariam, ſuo concurſu, temperant, hic conſiderari debent.

§. 41. Quare deinceps agendum erit (1)

de

de judicio Rothvvilenſi, ſimilibusque (2.) *Auſtregarum* (3.) *Camerali* (4.) *Aulico Imperatoris*; Cum vero iſta paſſim tradantur, præterea etiam multa hic uſu magis, quam præceptis diſcenda ſint, ideo, quantum fieri poterit, breviſſimi erimus.

CAP. II.

De Judicio Rothvvilenſi.

SUMMARIA.

Judicii Rothvvilenſis definitio §. 1. origo §. 2. perſonæ §. 3. jurisdictio §. 4. 5. 6. quæ valde limitata per privilegia exemtionis §. 7. 8. 9. 10. eſt ordinaria §. 11. ſummis tribunalibus ſubjecta §. 12. eſt hoc judicium primæ & ſecundæ inſtantiæ §. 13. non concurrit cum ſuperioribus §. 14. ſententias exequitur §. 15. 16. præſenti Germaniæ ſtatui non convenit §. 17. ac recte aboleri poteſt §. 18. judicia ſimilia §. 26.

§. 1.

AD judicia Statuum jurisdictionem potiſſimum, concurſu ſuo temperantia, pertinet judicium *Rothvvilenſe*, quod eſt *Collegium Judicis & Aſſeſſorum, nomine & autoritate Cæſaris, per certas Germaniæ provincias, jus dicentium.*

§. 2. Inſtitutum creditur ab Imperatore

Conrado, anno 1146. *vid.* LEHM. *Chr. Spir. l.* 5. *c.* 50. CONRING. *de judic. German.* §. 92. hinc etiam *ſolius Cæſaris judicium* vulgo exiſtimatur, licet hodie quædam occurrant, quæ ejus, à toto imperio, dependentiam partialem, arguant, qualia conſignavit MAURIT. *de judic. Rothwil. c.* 2. §. 5. *in fin.*

§. 3. *Præſes* judicii, ſub nexu feudali, perpetuus eſt *Comes Sulcenſis, vid.* RHET. *J. J. P. l.* 4. *tit.* 5. §. 5. SCHWED. *ſect.* 1. *c.* 14. §. 6. qui *Vice-præſidibus* ac *Aſſeſſoribus* ſtipatur, quos paſſim exponunt, *vid.* SCHWED. *ſect.* 1. *c.* 14. §. 6. Habet etiam hoc judicium, alias *perſonas acceſſorias*, de quibus tamen quædam dicere nil attinet, cum earum *conſtitutio & officium* ex principiis generalibus facile intelligatur.

§. 4. Intelligendæ autem judicii hujus jurisdictioni & competentiæ, requiritur, ut ad *certum diſtrictum*, in eo *contentas perſonas*, ac earum *cauſas* reſpiciamus.

§. 5. Pertinet jurisdictio Rothwilenſis judicii, ad circulum *Auſtriacum*, *Franconicum*, *Svevicum & Rhenanum*, ut tamen integros non complectatur.

§. 6. Exercetur autem in *omnes perſonas*, quoad *omnes cauſas*, *voluntariæ & contentioſæ* jurisdictionis, *civiles & criminales*, ad cauſas tamen *feudales & ſpirituales* eadem non pertinet, *vid.* MAURIT. *d. c.* 2. §. 7. 9. *c.* 3. §. 1. 2. 5.

§. 7.

§. 7. Sed iſta procedunt, *niſi exemtio doceatur*, quæ hic frequentiſſima eſt, ut forte nullus majorum gentium Status, in diſtrictu Rothwilenſi, occurrat, quin ipſe, & plerumq; etiam ejus ſubditi, exemti ſint, *vid.* MAURIT. *d. c. 2.* §. *9. 10.* SCHWED. *d. l.* §. 4.

§. 8. Exemtionis vero privilegium Rothwilenſibus eſt inſinuandum, quo facto, cauſæ exemtæ, à judicio illo, avocantur, vel exemtionis privilegium ſtatim opponitur, MAURIT. *d. l. c. 3.* §. 3. c. 4. §. 4.

§. 9. Uti autem iſti privilegio renunciari poteſt (non tamen à ſubditis, in præjudicium dominorum ſuorum, ID. *c. 2.* §. 11. *c. 3.* §. 3.) ita regulariter illud ad *cauſas reſervatas* Eh-hafften/ non pertinet, ID. *c. 3.* §. 4. 5. *c. 2.* §. *11.*

§. 10. Poſſe tamen, etiam contra *caſus reſervatos*, privilegia exemtionis concedi, imo conceſſa eſſe, certum eſt ID. *d. c. 2.* §. 11. nec exciperem *caſum denegatæ juſtitiæ*, quicquid etiam Rothwilenſes, vel alii cauſentur.

§. 11. De cætero jurisdictio hujus judicii dicitur *ordinaria*, i. e. ea intentione conceſſa, ut perpetuo duret, hinc morte Cæſaris non exſpirat, ſed, vacante ſolio, judicium continuatur, & quidem nomine ordinarii judicis, ac ſub ſigillo dicaſteriali, quod quidem, Scriptoribus quibusdam, viſum non fuit, *vid.* SCHWED. *d. l.* §. 7.

Digitized by Google

§. 12. A. Judicio Rothwilenſi, poteſt appellari ad Cameram vel Judicium aulicum *R. J.* 1570. §. und nachdem uns 71. *C. L. art.* 18. quodſi, citra appellationẽ, alio remedio cauſa transferenda ſit, ſolum judicium aulicum, competens eſſe, quidam exiſtimant, *vid.* MAURIT. *d. l. c.* 4. §. 1. 5. *add.* RHET. *J. J. P. l.* 4. *tit.* 5. §. 5.

§. 13. De cætero, ad judicium Rothwilenſe, cauſæ deferuntur, vel per *modum ſimplicis querelæ*, (dum vel Status coram eo conveniuntur, *vid.* SCHWEDER. *ſect.* 2. *c.* 17. §. 12. *in fin.* vel id, cum Statuum territorialibus Magiſtratibus, concurrit elective & cumulative MAURIT. *d. l. c.* 2. §. 8.) vel *per Viam appellationis* MAURIT. *c.* 4 §. 3. quod ultimum, ad ſolos Statuum ſubditos, videtur reſtringendum.

§. 14. Licet autem, quædam cauſæ promiſcue, ad judicium Aulicum, Camerale & Rothwilenſe, deferri queant, hoc tamen, cum illis, eo reſpectu, *concurrentem habere jurisdictionem*, dici non poteſt, quia judiciis illis Superioribus, cauſas à Rothwilenſi avocare licet, quæ avocatio concurſui contrariatur MAURIT. *d. l. c.* 2. §. 8.

§. 15. Jurisdictionis effectus eſt, *Executio*, quam Rothwilenſes Status imperii, vel aliis, qui iſti judicio obſequium debent, committere

tere ſolere teſtatur MAURIT. *d. l. c. 4. §. 4.*

§. 16. Diſtinctius forte dicendum; ſi cauſa reſpiciat Statum, executionem aliis Statibus, & fortaſſis circulo demandari; ſi Statuum ſubditos, illi Statui, cui reus ſubeſt, quin de cætero tota illa executio frigeat, dubitandum non videtur.

§. 17. Cum autem judicium illud, præſens imperii ſtatus, velut repudiet, ideo ſæpe Ordines imperii, de eo, queſti ſunt, ejusque abolitionem urſerunt, *vid.* MAURIT. *d. diſſert. c. 4. §. 6. 7.* ſed hactenus querelæ effectu caruere, cujus rei ratio, peritis facile ſuboler.

§. 18. Illud certum, regulas juſtitiæ non obſtare, quo minus judicium illud aboleatur, quod tamen Rothwilenſes, *memoriali* quodam, quod per excerpta refert MAURIT. *d. c. 4. §. 7.* perſvadere voluerunt.

§. 19. Nam eſto, *quod, ob bene merita, Rothvvilenſibus judicium illud ſit conceſſum* (de quo tamen dubitant, qui illud, à *Conrado*, inſtitutum negant) facta tamen eſt conceſſio, ſub *conditione Status Monarchici*, qua ceſſante, illa exſpirat.

§. 20. Sub *eadem conditione*, intelligendus eſt *nexus feudalis*, quo Comiti Sulcenſi, munus Præſidis, conceſſum perhibetur; quo facto, nullam judicii perpetuitatem infert.

§. 21. Ex eo autem, quod *tam Comes Sul-*

Digitized by Google

cenſis, quam civitas Rothwila, judicii nomine, in publicos uſus, aliquid ſolvant, hoc quidem ſequitur, ſublato judicio, ſolutionem iſtam eſſe ceſſaturam, non vero, judicium debere eſſe perpetuum.

§. 22. Nec porro *cum ratione naturali pugnat, ſi Imperator, dum Statuum jura confirmat, propriorum faciat jacturam*, nam iſta potius ſe mutuo conſequuntur, &, ſi Status jure territoriali quiete frui debent, ea utique, quæ illud turbant, tollenda ſunt.

§. 23. Quod ſi autem Rothwilenſes, *limites juriſdictionis, & Reformationem judicii, magna religione obſervant* (de quo tamen aliqui dubitant apud MAURIT. *c.* 4. §. 4.) tum quidem faciunt, quod hactenus eſt ſui officii, ſed inde judicii immutabilitas non ſequitur.

§. 24. Denique *omnia jura & privilegia, civitatibus imperialibus, quidem ſunt confirmata J. P. art.8.§. 4.* ſed id, proculdubio, intelligendum eſt de juribus, *non controverſis*: aſt controverſa, & quibus, tempore pacis Weſtphalicæ, contradictum eſt, non ſunt confirmata, ſed potius in ſtatu *quo*, ceu loquuntur, relicta, id quod in ſpecie, circa Judicium Rothwilenſe, factum *J. P. art.5. §.56. in fin.*

§. 25. Tandem *pactum cum Helvetiis 1463. defendendo huic judicio, à Rothwilenſibus initum,*

tum, *ac poſtea* 1519. *repetitum*, abolitionem non impedit, quod, neſcio, an exiſtimet MAURITIUS *d. c.* 4. §. 7. pertinet enim ad *vim injuſtam*, quæ eo tempore, quo jus manuarium vigebat, inprimis metuenda erat, aſt libertati Germaniæ nec obeſt, obeſſe poteſt.

§. 26. Occurrunt adhuc *alia Judicia*, ejusdem fere, cum Rothwilenſi, indolis ſed nominis obſcurioris, *vid.* SCHWED. *d. c.* 14. §. 11. 12. 13. de quibus, quædam nunc commentari, nec libet, nec licet, maxime cum eorum *indoles* & *Juriſdictio*, nec non utilitas, *in ordine ad totum imperium*, imo etiam Statuum, de iis abolendis, *querelæ* ac *monita*, eorumque *moralitas* & *impedimenta*, ex hactenus dictis quodammodo intelligi queant.

CAP. III.

De Auſtregis.

SUMMARIA.

Auſtregæ §. 1. eorum origo §. 2. 3. 4. tractationis capita §. 5. perſonæ Auſtregas habentes §. 6. ſeqq. Auſtregarum conſtitutio §. 11. ſeqq. materia §. 15. ſeqq. juriſdictio §. 21. ſeqq. uſus §. 28. Auſtregæ conventionales §. 20. 30. mixtæ §. 31. faciunt ceſſare legales §. 32. auſtregæ mere arbitrariæ §. 33. 34. 35.

Digitized by Google

§. 1.

AUſtregæ, à multis expoſitæ, *vid.* KULPIS. *ad Monzamb. c. 5. §. 19.* ſunt *Judices, arbitrio quorundam Statuum, juxta normam legum fundamentalium, eo fine conſtituti, ut controverſias quaſdam, quoad primam inſtantiam, ſua ſententia definiant.* Alii, per judicium, hic intelligunt, *diſceptationem cauſæ controverſæ*, eoque ſenſu Auſtregas definiunt. *vid.* SCHWED. *p. ſp. ſect. 2. c. 17. §. 4.* Sed illa ſuppoſitio, non ad Jus publicum, ſed privatum pertinet.

§. 2. *Origo* Auſtregarum ab interregno, quod *Friderici II.* tempora inſecutum eſt, non tam *teſtimoniis* quam *conjecturis* repetitur. *vid.* CONRING. *de judic. German. §. 53. add.* LEHM. *Chr. Spir. l. 5. c. 115. 121. l. 7. c. 6. 12. 48. 85. 108.* Poſtea *Maximilianus I.* illas magis efformavit, ſtatuique Reipublicæ attemperavit.

§. 3. Ante Maximilianum, fuerunt *conventionales* i. e. Statuum litigantium voluntate, unice formatæ, poſt illum, *Legales*, i. e. talia judicia, quæ compromiſſo quidem conſtituuntur, ut tamen, juxta præſcriptum legum fundamentalium, illud fiat.

§. 4. Qui igitur *Maximilianum*, eo fine, Auſtregas inſtituiſſe cenſent, *quo Status quoq;* duas

duas haberent inſtantias, vid. OSTERM. *Diſp. Cam. 6.* §. *4.* COCCEJ. *J. P. P. c. 32. §. 24.* SCHW. *d. c. 17. §. 12. in fin.* illi &, præter fidem hiſtoriæ, unice Auſtregas à *Maximiliano* repetunt, & Cæſari id adſcribunt, quod ejus affectui plane repugnare videtur, niſi forte, laudatam illam cauſam impulſivam, non ad *introductionem*, ſed *confirmationem*, Auſtregarum, referre, eamque non tam ex Cæſaris, quam Procerum *affectu*, repetere velis, *add.* CONRING. *d. l.* §. *61.*

§. 5. Intelligendis Auſtregis, hæc potiſſimum conſideranda (1.) *quinam habeant jus eligendi judices Auſtregarios* (2.) *quomodo hi conſtituantur* (3.) *ad quas cauſas, eorum poteſtas, ſe extendat* (4.) *quæ ſit jurisdictionis Auſtregariæ indoles ac vis, in ordine ad judicia ſuperiora.*

§. 6. Circa primum hæc obtinet regula: *omnia imperii membra immediata, ſi reorum partes ſuſtinere debeant, habent, licet non indiſtincte, privilegium Auſtregarum, exceptis civitatibus imperialibus.*

§. 7. Specialem recenſionem, vi regulæ, facile facies, *vid.* SCHWED. *ſect 2. c. 17. §. 7.* ubi ſolennes quæſtiones, de Principibus *nondum inveſtitis, de Capitulo, Ducatuum & Epiſcopatuum Adminiſtratoribus,* de *Statuum Tutoribus* occurrunt, in quibus affirmativa tenenda eſt.

§. 8.

§. 8. Principibus vero apanagiatis, aut Principum regentium Uxoribus vel liberis, male privilegium Auſtregarum tribui videtur, *vid.* SCHWED. *d. l.* §. 8. nam omnes illi juri Territoriali ſubſunt, nec ejus vim poſſunt effugere. Ex quo jactata *O. C. p. 2. tit. 2. ſeqq.* generalitas, facile etiam eliditur.

§. 9. Intuitu autem Auſtregarum, perſonæ indicatæ diſtinguuntur, quod ſint vel *primi ordinis*, quo pertinent Principes, vel *ſecundi ordinis*, quo referendi Prælati ſimplices, Comites, Barones & Nobiles immediati.

§. 10. *Illis* indiſtincte competit jus Auſtregarum ſive ab immediato, ſive mediato, incola vel peregrino, conveniendi ſint. *Hi* vero tum demum illud habent, ſi conveniantur ab actore, Auſtregas habente, *v.* COCCEJ. *J. P. P. c. 32. §. 30.*

§. 11. *Conſtitutio* judicum auſtregariorum, *vid.* §. 5. fit juxta diverſitatem *ordinis*, modo indicatam. Nam ſi *primi ordinis* perſonæ conveniendæ ſint (1.) ab *actore ejusdem ordinis*, tum Princeps ex quatuor, á reo nominatis, electus, judex eſt, qui, per Conſiliarios ſuos, litem determinat.

§. 12. Si vero (2.) *ab actore ſecundi ordinis, vel qui omnino Auſtregis deſtituitur*; tum octo modi judicem conſtituendi, quos vulgo *vias* appellant, introducti, ac plene deſcripti

ſunt

ſunt in *O. C. p. 2. tit. 4.* paſſim etiam illos recenſet Scriptores, *vid.* SCHWED. *d. l.* §. 10. RHET. *J. J. P. l. 4. tit. 2.* §. 15. *ſeqq.*

§. 13. Quod ſi autem, *ſecundi ordinis* perſonæ, conveniri debeant, idque (1) à *primi ordinis actore*, tum duplex modus judicem conſtituendi, præſcriptus eſt *O. C. p. 2. tit. 3.* (2) *ab ejusdem ordinis actore*, tum itidem duplex conſtituendi ratio obtinet *O. C. p. 2. tit. 5.* SCHWED. *d. l.* §. 11. *add.* COCCEJ. *d. c. 32.* §. 31. *ſeqq.*

§. 14. In genere id notant, judices electos, debere munus delatum ſuſcipere, alias vel ab ipſo reo, ſi ei ſubſint, vel à Camera aut judicio aulico, mandatis pœnalibus, ad hoc cogi.

§. 15. Non autem in *omnibus cauſis* Auſtregæ judicare poſſunt, *vid.* §. 5. nam ab earum jurisdictione excipiuntur (1) *cauſæ feudales* (2) *ſpirituales*, *v.* LEHM. *Chr. Spir. l. 7. c. 105.* & ſpeciatim, *matrimoniales* (3) *criminales* (4) *vectigales*, quæ Electores reſpiciunt (5) *præcedentiæ* (6) *ſævitiæ erga ſubditos* (7) *pacis profanæ & religioſæ* (8) *ex L. diffamari* (9) *poſſeſſoriæ* (10) *pignorationis* & *arreſti* (11) *violati privilegii Cæſarei* (12) *juramenti relaxandi ad effectum agendi* (13) *tutelarum* & *curarum* (14) *executivæ* (15) *teſtimonii ad perpetuam rei memoriam* (16) *fiſcales* & forte aliæ, *vid.* BECHMANN. *exercit. jur. publ.* 10. §. 32. *ſeqq.*

§. 16.

§. 16. Adeo vero has cauſas exceptas dicunt, ut ne quidem *per modum reconventionis*, Auſtregis queant ſubjici, non tamen, omnium ſcriptorum, eadem hic eſt ſententia, in quas otioſas controverſias, multis inquirere, operæ pretium non videtur.

§. 17. Pertinent igitur ad Auſtregas, *cauſæ civiles*, ut tamen, & earum intuitu, jurisdictio auſtregaria aliquando ceſſet. Nimirum (1.) *ob qualitatem actoris*, ſi ſit perſona *miſerabilis*, vel cum actore ad auſtregas adſtricto, concurrat *actor ab iis immunis*, *vid.* OSTERM. *diſp. Cam. 6. §. 30 ſeqq.*

§. 18. (2) *Ex perſona rei*, ſi auſtregis *renunciet*, etiam invito actore, *vid.* SCHWED. *d. c. 17. §. 15.* in *bannum incidat*, aut, in *conſtituendis auſtregis*, ſit *moroſus*.

§. 19. (3) Ob *connexitatem cauſarum*, quæ in caſu *rei Auſtregarii, cum non Auſtregario concurrentis, in cauſa generali*, nec non *poſſeſſorio* & *petitorio* cenſetur adeſſe.

§. 20. (4) Ob *neceſſitatem reconventionis* ut & forte (5) ob *qualitatem judicii, alii ſubjecti*, v. gr. Rothwilenſis *vid.* SCHWED. *d. c. 17. §. 12. in fin.* vix autem (6.) ob *factum judicis*, in ſuſcipiendo ſcil. munere auſtregario, moroſi, nam & cogi ſolet, & in caſu perſeverantis contumaciæ, alius eligi poteſt.

§. 21. Ex his *indoles jurisdictionis auſtre-*

gariæ,

gariæ, facile explicari poteſt, *v.* §. 5. nam manifeſtum eſt, quod eadem, per *compromiſſum*, ſeu *partium litigantium conſenſum*, excitetur, adeoque hactenus Auſtregæ, alia *arbitria* imitentur.

§. 22. Quicquid autem leges fundamentales hic diſpoſuerunt, id non pertinet ad *jurisdictionem actu producendam*, ſed potius, ad *facultatem & modum eligendi* Auſtregas, nec non *earum exercitium*; quæ omnia, non ſolius Cæſaris arbitrio, ſed ejus potius, & Statuum conſenſu, effecta eſſe, ex *conditione civitatis*, facile patet, circa quod caput, perverſe philoſophatur BECHMAN. *d. exercit.* 10. §. 4. *dum judices Auſtregarios, à ſolo Cæſare, habere jurisdictionem*, pronunciat.

§. 23. Juxta leges igitur publicas, judices Auſtregarii, conſenſu partium electi, ſuo nomine judicant, ſuſpenſa jurisdictione Cameræ & judicii aulici, *vid. J.P. art.* 5. §. 56. *vid.* SCHWED. *d. c.* 17. §. 12. omnis tamen cognitio, intra ſemeſtre ſpatium, vel, ad ſummum, annum & diem, finiri debet, ex doctrina OSTERMANNI *d. diſp.* 6. §. 28.

§. 24. Deinde ab Auſtregis, ad Cameram, vel judicium aulicum, appellari poteſt, ceſſante vero appellatione, auſtregas ſuam ſententiam exequi poſſe, aliqui volunt, aliis tamen contradicentibus, *vid.* SCHWED. *d. l.* §. 16. COCCEJ. *d. c.* 32. §. 25.

§. 25.

§. 25. Dum itaque Auſtregæ, communibus imperii judiciis, ſunt ſubordinatæ, aliaque, earum intuitu, legibus fundamentalibus conſtituta, eo ipſo, ab aliis *judiciis arbitrariis*, utique differunt.

§. 26. Ex his patet, jurisdictionem Auſtregarum, non eſſe *mandatum*; à nullo enim imperii judicio, eadem auſtregis delegatur, nec *ordinariam*; neque enim, ab Imperantibus, eadem, in uſum perpetuum, conſtituitur; ſed potius, ex *ordinaria & compromiſſoria, mixtam*, nam conventio partium, jurisdictionem actu producit, ſed leges publicæ, illam judiciis communibus attemperant.

§. 27. *Prorogabilem* forte non recte dixeris, jurisdictionem auſtregariam, *vid.* RHET. *J. J. P. l. 4. tit. 2. §. 13.* nam *conventionalis* eſt, quatenus ut actu producta, ſpectatur, circa quam nulla prorogatio occurrere vel ſolet vel poteſt, aut ſaltem illa non eſt neceſſaria.

§. 28. Auſtregas *abrogatas* eſſe, nemo recte dixerit, earum tamen, ob ſcrupuloſa requiſita, jurisdictionisque incertitudinem, aliaque incommoda, non magnam eſſe *utilitatem*, ac ideo *rariſſimum uſum*, non immerito forſitan aſſeri poteſt, *vid.* CONRING. *de judic. German. §. 62.* Exceptio tamen Auſtregarum, Judiciis Imperii, excludendæ, minimum ad tempus, jurisdictioni, non infrequenter allegari ſolet.

§. 29.

§. 29. Præter auſtregas legales, de quibus hactenus, dantur etiam *conventionales*, quæ iterum duplicis generis nobis eſſe videntur, vel enim *pacto perpetuo judices auſtregarii jam in anteceſſum ſunt conſtituti*, vel *orta controverſia, pro lubitu litigantium, eliguntur*.

§. 30. De prioribus vulgo ſaltem loquuntur, easque dicunt **gewillkührte Austräge**/ vel, ſi certam familiam reſpiciant, **Stamm-Austräge**/ *vid.* BECHMAN. *d. exercit.* 10. §. 5. eo quoque referunt *auſtregas quarundam civitatum imperialium* ID. *d. l.* licet eas *legalibus* annumeraverit SCHVVED. *d. c.* 17. §. 6.

§. 31. Videntur Auſtregæ Civitatum, mixti generis eſſe, plerumque enim per privilegia, Jus Auſtregarum ad Eas eſt extenſum, ſed modus conſtituendi, earum arbitrio relictus; illo reſpectu, legalibus, hoc, conventionalibus ſimiles ſunt. De cætero, præter Civitates paſſim adductas, *vid.* LIMN. *J. P. l.* 9. *c.* 5. *n.* 16. etiam Northuſa Auſtregas habet, Mülhuſam vel Goslariam, utram illa elegerit, ex privilegio Maximiliani I. Friburgi in Brisgovia *d.* 28. *Aug.* 1498. conceſſo, cuius Originale, in Archivo Northuſienſi, aſſervatur.

§. 32. De conventionalibus auſtregis, porro dicunt, quod faciant *ceſſare auſtregas legales* BECHMANN. *d. exercit.* 35. *in fin.* deinde *quod ab iis quoque, ad judicia imperii, appellari*

ri queat, vid. RHET. *J J.P.l.4. tit. 2. §. 32.* ſed hoc dubium, nam judicia arbitraria, regulariter judiciis civitatis, non ſunt ſubordinata, hinc niſi ſpeciatim hoc probetur, illa ſeparata, & velut ſui juris, pronuncianda videntur, niſi forte legalium exemplum, probandæ ſubordinationi, ſufficit.

§. 33. Poſterioris generis auſtregæ, plane imitantur arbitria, mera conventione conſtantia, & toties locum habere poſſunt, quoties controverſia incidit, de qua diſponendi libertas Statibus competit.

§. 34. Exemplum eſt, in controverſia Wildfangiatus, Electorem Moguntinum & Palatinum concernente, quæ Arbitrorum ſententia fuit deciſa Heilbronnæ *1667. vid.* VITRIAR. *J. J. P. l. 3. tit. 12. §. 27.* RHET. *d. tit. 2. §. 36.*

§. 35. Uſus auſtregarum conventionalium, prioris generis, videtur eſſe exiguus, & nomina ſaltem, ex antiquo tempore, ſuperare: poſterioris vero generis auſtregæ, cæteris omnibus, fortaſſis ſunt frequentiores.

CAP. IV.

De Judicio Camerali.

SUMMARIA.

Judicii Cameralis §. 1. origo §. 2, 3. perſona §. 4. ſeqq.

juris-

juriſdictio §. 21. 22. 23. perſonæ ſubjectæ §. 24. ſeqq. materia §. 28. cum judicio aulico concurſus §. 29. 30. tarditas §. 31. libertas §. 32. 33. 34. autoritas §. 35. exitus §. 36. locus §. 37. 38. 39. utilitas §. 40. 41.

§. 1.

JUdicium Camerale eſt *collegium, à Cæſare & Statibus inſtitutum, ac poteſtate judiciaria inſtructum, ut eorum nomine, inter Status eorumque ſubditos, certis in cauſis jus dicat, vid.* SCHVVED. *Sect.* 1. *c.* 13. §. 1.

§. 2. Inſtitutum eſt auſpiciis *Maximiliani I.* in Comitiis Wormatienſibus 1495. ob multitudinem litium, *vid.* SCHVVED. *ſect.* 1. *c.* 13. §. 2. ex jure civili & Canonico, dubio procul, propullulantium, *vid.* LEHM. *Chr. Spir. l.* 7. *c.* 118. *in addit.*

§. 3. Ante tempora *Maximiliani I.* ſubinde etiam judicium imperii, ſub nomine **des Cammer-Gerichts**/ certis temporibus, & plerumque quidem in Comitiis, fuiſſe exercitum, probabile eſt. *vid.* MAURIT. *de judic. Rothwil. c.* 1. §. 9. LEHM. *d. tr. l.* 7. *c.* 108. 109. 118. *in addit. p. m.* 919. quod fortaſſis de judicio Principum **den Fürſten-Rath** exponi debet, per ea, quæ *c.* 1. §. 13. *ſeqq.* dixi.

§. 4. Perſonæ, ex quibus collegium hoc

componitur, videntur eſſe triplicis generis, vel enim formant (1) *judicium*, vel (2) *Cancellariam*, vel (3) *Juſtentationi perſonarum Cameralium vacant.*

§. 5. Primi generis perſonæ, vel *jus dicunt*, quo pertinent Judex Cameralis, Præſides & Aſſeſſores, vel *jus dici petunt*, ut Procuratores & Advocati, vel in *judicio occupatis inſerviunt*, ut Pedelli, *vid.* OSTERM. *diſp. Cameral.* 3. *concluſ.* 1. *n.* 2.

§. 6. *Judex Cameræ* debet eſſe Germanus, Princeps, Comes vel Baro, religionis catholicæ vel Proteſtantium. *Conſtituitur* ab Imperatore *Salarium* hodie habet 4400. imperialium *R. J.* 1654. §. 11. *Officium* ejus ex generali doctrina facile intelligitur, *vid.* OSTERM. *d. l. n.* 13. *ſqq. ad Thucel. Elect. Jur. publ. c.* 10.

§. 7. *Præſides* hodie, ex *J. P.* ſunt *quatuor*, quorum duo religionis catholicæ, duo Proteſtantium, eſſe debent. *Conſtituuntur* à ſolo Cæſare, ad certam dignitatem non adſtricto, *vid.* KULPIS *ad Monzamb. c.* 5. §. 20.

§. 8. *Salarium* ſinguli Præſides accipiunt 1371. imperialium *d. R. J.* 1654. §. 11. Eorum *officium* eſt, impediti vel abſentis judicis vices ſupplere SCHWED. *ſect.* 1. *c.* 13. §. 5.

§. 9. *Aſſeſſores*, non conſilii ſaltem ſuggerendi gratia, judici aſſidere, ſed judicandi quoque ac decidendi munere fungi, tralatitium

tium eſt. *Numerus* eorum juxta tempora variavit. Hodie ex *J. P. quinquaginta* eſſe debebant, ſed, ob defectum Salariorum, ne dimidia quidem illius numeri pars, expleta eſt KULPIS. *d.* §. *20.*

§. 10. Debent Aſſeſſores eſſe, Germani, legitime nati, juris periti, religionis pontificiæ, & proteſtantium, ita ut viginti ſex, illam, viginti quatuor, hanc ſectentur, *J. P. art. 5. §. 53.*

§. 11. *Conſtituuntur* ab Imperatore, Electoribus & circulis, *vid.* SCHWED. *d.c. 13. §. 6.* ita ut, ſi, intra ſex menſes utiles, locus vacans non expleatur, ipſi judicio jus conſtituendi competat *R. J. 1654. §. 22. ſeqq. vid.* RHET. *J. J. P. l. 4. tit. 1. §. 8. ſeqq.*

§. 12. *Salarium* mille imperialium, hodie ſinguli habent *d. R. J. §. 11.* Illorum *officium* ſummatim, in juſtitia debite adminiſtranda, conſiſtit, quod fuſius perſequi voluit OSTERM. *d. diſp. 3. n. 40. ſeqq.*

§. 13. De cætero judex & Aſſeſſores, diverſa ratione objectorum, formant corpora, ſic diſtinguitur judicium *Audientiæ & Senatus, vid.* SCHWED. *d. c. 13. §. 13.*

§. 14. Procuratorem & Advocatum fiſci Cæſar conſtituit, *v. d. R. J. §. 11.* Reliqui Procuratores & Advocati, à Judice & Aſſeſſoribus, conſtituuntur, *vid.* OSTERM. *diſp. 4.* de Pedellis, eorumque Salario & officio, agit ID. *diſput. 5. n. 1. ſeqq.*

Digitized by Google

§. 15. Ad *Cancellariam* referuntur Adminiſtrator Cancellariæ, Protonotarii, Notarii, Secretarii, Lectores, Ingroſſiſtæ, *v.* Grundſ. *p.* 2. *c.* 10. *p.* 161. Copiſtæ, Magiſter nunciorum, Nuncii equites & Pedites, famulus Cancellariæ.

§. 16. De iis, & ſi adhuc alii ejus generis ſunt, videnda eſt Ordinatio Cameralis, pluribus quoque illos perſequitur Osterm. *d. diſp.* 5. *n.* 5. *ſeqq.* nobis, minutias illas conſectari, jam quidem nec libet, nec licet.

§. 17. Denique tertii generis perſonæ, *v.* §. 4. ſunt Præfectus rei nummariæ der Pfennigmeiſter/ *vid.* Osterm. *d. diſp.* 5. *n.* 39. *ſeqq.* & *Medicus Cameralis, vid. R. J.* 1654. §. 11.

§. 18. Cum autem omnis judicii conſtitutio, nitatur *præbitione Salariorum*, neque enim gratis operas exhibere ſolent, aut ſemper poſſunt homines, hinc ſemper etiam, hac de re, fuit actum, prout aliquam ejus rei hiſtoriam texere voluit Osterm. *diſp.* 2. *n.* 2. *ſeqq.*

§. 19. Hodie præbitio Salariorum, eſt onus Statuum, qui, juxta definitionem *matriculæ Cameralis*, eadem præſtare debent, quem in finem, varia conſtituta ſunt *R. J.* 1654. §. 8. *ſeqq.*

§. 20. Solennes tamen Cameralium, de tarditate ſolutionis, ſunt querelæ, *vid.* Kulpis.

PIS. *d. c.* 5. §. 20. De cætero partem ſalarii quodam modo conſtituunt, immunitates ab oneribus publicis, quas latius iterum recenſet OSTERM. *d. diſp.* 2. §. 18. *ſeqq.*

§. 21. *Juriſdictionem* habet Judicium Camerale, à *Cæſare & Statibus* ſimul, quod horum *libertas* ſatis indicat. Diſtinctio, quam hic LAMPADIUS *de Republ. Rom. p.* 3. *c.* 16. §. 1. 8. 11. molitur, quaque judicii Cameralis *conſtitutionem & Juriſdictionem* diſcernit, ac illam, à Cæſare & Statibus ſimul, hanc, à ſolo Cæſare dependere, contendit, non *erudita*, ut putat KULPIS. *ad Monzamb. c.* 5. §. 14. 20. ſed *inepta* eſt.

§. 22. Non enim ſubmittunt Status καφὰ κρίνοντα, quæ deinceps, per infuſionem juriſdictionis, à Cæſare animentur, ſed dum ad *conſtitutionem* Cameræ, velut *cauſa coefficiens*, concurrunt, ad *collationem* quoque *juriſdictionis*, eos concurrere dicendum eſt, hæc enim cohærent. Ex quo etiam ratio LAMPADII: *Juriſdictionem Statibus nunquam eſſe communicatam*, facile eliditur, quidni enim communicata eſſet, poſtquam Status facti ſunt, Coimperantes; *add.* VITRIAR. *J. J. P. l.* 3. *tit.* 2. §. 68.

§. 23. An juriſdictio Cameræ ſit *ordinaria* an *delegata*, forte otioſe quæritur, cum ex falſo, de origine Juriſdictionis, præſuppo-

ſito, quæſtio videatur oriri, nam ſi à Cæſare & Statibus, jurisdictionem, prout par eſt, repetas, tum, eam eſſe Ordinariam, dubio caret.

§. 24. Jurisdictioni Cameræ, quoad *primam inſtantiam*, regulariter non ſubſunt *ſubditi mediati*: Excipiunt tamen cauſas ſo ohne Mittel an das Cammer-Gerichte gehören/ quas longe ſerie Camerales enumerare ſolent, *vid.* SCHWED. *d. c. 13.* §. *12.* id vero haut attendunt, annon Ordinatio Cameralis, per Inſtrumentum pacis, ſit interpolata, *add.* VITRIAR. *l. 4. tit. 6.* §. *27.* RHET. *l. 4. tit. 1.* §. *29.*

§. 25. Per *modum* vero *appellationis*, ſubditorum mediatorum lites, ad Cameram, deferuntur, juxta jura de non appellando, Statibus competentia de quibus diximus *l. 6. c. 2.* §. *41. ſeqq.* neqve enim, iſta tractatio, hic inſtitui, ſed præſupponi debet.

§. 26. *Membra* autem *immediata imperii*, regulariter in Camera conveniuntur vel in *prima inſtantia*, vel *per modum appellationis* ſi Auſtregis gaudeant, vel aliud primæ inſtantiæ judicium, v. gr. Rothvvilenſe, habeant; Quidam tamen Status, â Camerali jurisdictione, plane immunes pronunciantur, *vid.* SCHWED. *d. c. 13.* §. *10.* VITRIAR. *d. tit. 6.* §. *9.*

§. 27. Denique *Perſonæ Camerales*, jurisdictioni Cameræ ſubſunt, *vid.* OSTERM. *diſp.*

2. *n.*

2. n. 26.27.28. quæ jurisdictio, judicii alio fine conſtituti, eſt velut *appendix*, & ejus conſideratio, potius ad jus privatum, quam publicum pertinet.

§. 28. Non tamen membra imperii immediata, quoad *omnes cauſas*, camerali judicio ſubjacent, nam excipiuntur (1.) *cauſæ feudorum regalium*, *vid.* SCHWED. *ſect. 1. c. 9. §. 10. 15. 16.* ratio autem exceptionis, ineptiſſime, ex jure feudali longobardico, vulgo deſumitur (2) *reſervata Cæſarea* ID. *c. 13. §. 11.* (3) *cauſæ criminales* ID. *d. c. 13. §. 11. c. 21. ſect. 2. c. 17. §. 17. ſeqq.* (4) *cauſæ Eccleſiaſticæ*, ac in ſpecie *matrimoniales* ID. *d. c. 17. §. 22. ſeqq.* Regulariter *pro competentia judicii Cameralis, erit præſumendum, donec probetur exceptio, add.* COCCEJ. *J. P. P. c. 32. §. 23.*

§. 29. Per judicium Camerale, jurisdictio judicii aulici, non eſt ſublata, quod pluribus docere voluit ARUM. *ad A. B. diſcurſ. 3. §. 32.* nec, vice verſa, judicium aulicum, cauſas in Camera pendentes, avocare poteſt.

§. 30. Sed habent duo illa judicia, concurrentem jurisdictionem, ac, inter ea, præventioni locus eſt, in quantum ſcil. indoles cauſarum id admittit *R. J.* 1654. §. 166. *C. L. art. 42.* quidam tamen Status, ſi reorum perſonam ſuſtineant, habent *electionem fori*, *vid.* RHET. *J. J. P. l. 4. tit. 4.*

§. 31. De cætero, exercitium juriſdictionis Cameralis, eſt *tardiſſimum*, cujus tarditatis cauſas, & *a vitio hominum, & laxitate Reipublicæ, & proceſſus, per jus Canonicum & Romanum introducti, ambagibus*, dependere, dicendum eſt, *vid. R. J.* 1654. §. 34. *ſeqq. add.* OSTERM. *diſput.* 1 *concluſ.* 34. ſeqq.

§. 32. A Judicio Camerali, *non datur appellatio*, repræſentat enim rempublicam ſui juris, *reſtitutio* vero *in integrum, Reviſio & Syndicatus* locum in eo habent, neque enim illa, autonomiam judicii, offendunt.

§. 33. Reſtitutio in integrum in jure civili explicatur, *vid. Obſervat ad Lauterb. Obſerv.* 105. *ſeqq.* Reviſio eſt *actus, quo Cæſarei Commiſſarii, Statuumque Deputati, ope Aſſeſſorum Cameralium, acta denuo perluſtrant, ac, in cauſa controverſa, deinde pronunciant.* de quo autores proprii ZEPPERUS BENDERUS conſulendi. De uſu reviſionum diximus *l.* 6. *c.* 5. §. 16. *ſeqq.*

§. 34. Syndicatus, perinde ut reviſio, ad corrigendam iniquam ſententiam, pertinet, ſed inſuper quoque pœnam inique judicantium poſtulat; In eo petendo inſtituendoque, eundem proceſſum easdemque leges, quæ in reviſione occurrunt, obſervari, ex BLUMIO notat SCHWEDER. *ſect.* 1. *c.* 13. §. 16.

§. 35.

§. 35. Sententiæ Camerales, inter litigantes, controverſiam decidunt, ſed, quoad alios, nullius ſunt autoritatis, inprimis vero Statibus, ob acquiſitum jus legislatorium, liberum eſt, an ſententias illas in ſuis judiciis, obſervare velint, nec ne, quod aliis, ob male applicatum §. *fin. J. de Satisd.* non videtur, *vid.* SCHWED. *d. l.* §. 17. OSTERM. *diſp. 1. n.* 13. 14.

§. 36. Exitus jurisdictionis eſt, *Executio*, de qua multa quidem ſunt conſtituta, ut tamen, de præſentiori & efficaciori exequendi ratione, ſuperioribus & his Comitiis, adhuc fuerit deliberatum, *vid.* KULPIS. *ad Monzamb. c. 5.* §. 22. quis interim modus obtineat, breviter oſtendit MONZAMB. *d. c. 5.* §. 22. *v. R. J.* 1654. §. 159. *ſeqq.*

§. 37. *Locus* judicii Cameralis, primo fuit *Francofurtum ad Mœnum*, poſtea diverſis in locis conſedit, donec, in Comitiis Auguſtanis 1530. certa ſedes *Spiræ* ei fuerit conſtituta, *vid.* OSTERMAN. *diſp.* 1. §. 15. *ſeqq.*

§. 38. Cum tamen iſte locus, omnibus Statibus, non eſſet ſatis opportunus, nec, ob vicinos Gallos, ſatis tutus, ideo à temporibus pacis Weſtphalicæ, ſæpe, de judicio transferendo, fuit deliberatum, ſed, aliis civitatibus, receptionem collegii Cameralis, deprecantibus, deliberationes effectu caruerunt, *vid.* KULPIS. *ad Monzamb. c.* 5. §. 20. THUCEL. *elect. jur. public. c.* 9.

§. 39.

§. 39. Spira autem per Gallos excidio deleta, judicium Camerale plane conticuit, ſed *anno 1693. die* $\frac{15}{25}$ *Maji* reſponſa iterum *Wezlariæ* dare cœpit, atque, in iſta ſede, tamdiu commorabitur, donec, comitiali decreto, alia ei fuerit aſſignata THUCEL. *d. tr. c. 10.*

§. 40. *Utilitatem* judicii Cameralis, operoſe deprædicare ſolent, *vid.* OSTERM. *diſp. 1. n. 4. 5. 11. 23.* THUCEL. *d. tr. c. 10. add.* MULLER. *de Convent. Circul. c. 7. n. 11.* nec forte ſequius ſentire fas, certe non conſultum eſt, imo nec præciſe neceſſarium, cum cuivis perito, ex *ſtatu Reipublicæ*, genuinum, ea de re, formare judicium, in proclivi ſit.

§. 41. Quod vero jurisdictio Germaniæ, cuicunque demum judicio illa concedi debeat, *non ſit integra*, ſed aliquam ejus partem ſibi adhuc afferat Pontifex, id procul dubio non laudari ſed deplorari debet, *vid.* CONRING. *de judic. Germ. §. 102. 103.*

CAP. V.

De Judicio Aulico.

SUMMARIA.

Judicii Aulici §. 1 origo §. 2. perſonæ conſtituentes §. 3. ſeqq. jurisdictio §. 8. 9. 10. materia communis §. 11. & propria §. 12. ſeqq. quædam cauſæ neque judicio Camerali neque aulico ſubſunt §. 16. 17. ut inprimis

mis cauſæ matrimoniales §. 18. *ſeqq. judicii aulici proceſſus* §. 30. *deſiderata* §. 31. 32. *libertas* §. 33. *duratio* §. 34. *exitus* §. 35. *locus* §. 36. *utilitas* §. 37.

§. 1.

JUdicium aulicum, *vid.* SCHWED. *Sect. 1. c. 12.* §. 1. eſt *Collegium, à Cæſare inſtitutum, ac, ejus nomine & autoritate, inter Status eorumque ſubditos, jus dicens.* In eius explicatione, ex profeſſo occupantur diſſertationes MAURITII & SCHEFFERI nec non tractatus peculiaris UFFENBACHII.

§. 2. Judicium aulicum *vulgare*, quod ad cauſas ſubditorum, aut controverſias Procerum minores, pertinuit, imperio germanico eſt coævum, adeoque judicio Camerali longe antiquius, ſed *eminens*, quod de vita & fortunis Statuum judicet, à temporibus *Caroli V.* repetendum videtur, ſic forſitan diſſentientes circa *originem*, *vid.* SCHVVED. *d. c. 12.* §. 2. MONZAMB. *c. 2.* §. 21. ſententias conciliaveris, *add. c. 1.* §. 27. *ſeqq.*

§. 3. Perſonæ, ex quibus hoc judicium conſtituitur, in *Senatum & Cancellariam* diſtinguuntur.

§. 4. Ad *illum* pertinent *Præſes & Aſſeſſores*, quos omnes conſtituit ſolus Imperator, cui etiam ſoli juramento obſtringuntur, quod malè aliqui negant, *v.* KULPIS. *ad Monzamb.*

zamb. c. 5. §. 21. SCHVVED. *ſect. 1. c. 12. §. 3.* RHET. *J. J. P. l. 4. tit. 4. §. 6.*

§. 5. Quæ autem illorum ſint *requiſita, numerus, religio, ratio ſedendi, vota ferendi, officium* ac *ſalarium,* id paſſim traditur, ut, illa quidem huc tranſcribere, nil attineat, *vid. C. L. art. 41.* SCHVVED. *d. l. §. 3. ſeqq.*

§. 6. Ad *Cancellariam* ſpectant Vice-Cancellarius (qui in Senatu ſimul Vice-Præſes *d. art. 41. C. L.*) Secretarii, Protonotarii, Protocolliſtæ , quorum conſtitutio ad Electorem Moguntinum tanquam Archi-Cancellarium pertinet *C. L. art. 40. verſ. fin.*

§. 7. Idem quoque illos ſibi juramento obſtringit, unde natus eſt eorum error, qui Aſſeſſores, Sacramento obligari Moguntino, aſſerunt, quorum meminimus §. 4. An veto jus Moguntini ſit ſaltem honorarium, an etiam efficax, noverint ii, quibus, in publico, verſari datum eſt.

§. 8. *Jurisdictio* judicii aulici eſt à ſolo Cæſare, hinc illud non *efficienter*, ſed *objective,* dici Reichs Hoff-Rath / paſſim admonetur, cujus rei ſeriem & rationem expoſuimus *c. 1. §. 22. ſeqq.* ut ſimul, Status, libertatis memores, iſti jurisdictioni ſubinde obniti, adeoque eam quodammodo fluctuare, faſſi ſimus *add. J. P. art. 5. §. 26.*

§. 9. Illud certum, *promiſſionem Cæſaream,* de

de adminiſtranda juſtitia, quam in Capitulationibus facit, pro defendenda illa jurisdictione, male allegari à LAMPADIO *de R. R. G. p.3. c. 16. §. 12.* cum promiſſionem, juxta ſtatus publici indolem, debere explicari, nemo non præjudiciis vacuus intelligat, *add.* MONZAMB. *d. c.5. § 21.*

§. 10. Utrum *jurisdictio, ſit ordinaria*, an *delegata*, hic etiam quæri ſolet, & putant aliqui, eam eſſe delegatam, *vid.* SCHWED. *ſect. 1. c. 12. §. 13.* quod non temere crediderim, nam licet illa, à ſolo Cæſare dependeat, ſecus ac Cameralis, de qua *c. præc. §. 23.* attamen &, animo perpetuæ Jurisdictionis efficiendæ, illa conceditur, & Cæſar non moritur.

§. 11. Omnes cauſas, quæ in Camera tractari poſſunt, etiam, in judicio aulico, tractari poſſe, exceptis ſaltem perſonarum Cameralium cauſis, jam diximus *c. præc. §. 30.* idque teſtimoniis propriis firmat SCHWED. *d. c. 12. §. 6. 7.*

§. 12. Quædam præterea cauſæ judicio aulico ſunt *propriæ*, ex quo genere ſunt (1.) *controverſiæ de feudis regalibus*, quæ inter Vaſallos agitantur. Facultas judicandi, abſurde, ex *jure longobardico*, Cæſari aſſeritur, cum, ex *legibus Germanicis*, deduci debeat.

§. 13. Juxta has, Principum erat adhibendum conſilium, *vid.* SCHVVED. *ſect. 1. c. 9. §. 10. ſeqq.*

ſeqq. ſed illud, per judicium aulicum, expunctum eſſe, jam diximus.

§. 14. Si controverſia *Cæſarem & Vaſallum* reſpiciat, tum *Pares Curiæ*, judicare debere, contendunt, *vid.* SCHWED. *d. c. 9. §. 9.* ſed videntur Proceres imperii admitti, non quà *Pares*, ſed quà *Status*, ut etiam Status non-Vaſalli, admittendi forte ſint, hoc enim libertas Procerum, & Status Reipublicæ expoſcit, *vid.* LEHM. *Chr. Spir. l. 7. c. 3. 114.* utut alii vim hujus rationis, nolint agnoſcere, *vid.* ITTER. *d. F. I. c. 25. §. 17.* Quod ſi omnino, ſub illa qualitate, eos judices eſſe exiſtimes, veritas tamen illius rei, ex jure longobardico, iterum non dependet.

§. 15. Porro ad illud genus pertinent (2) *Cauſæ vectigales*, quod tamen valde controverſum, *vid.* SCHVVED. *ſect.* 1. *c.* 10. §. 6. (3) *controverſiæ de jure præcedentiæ* SCHVVED. *d. c.* 10. §. 9. KULPIS. *de jur. Legat. c. 14. §. 33.* (4) *Cauſæ italicæ* (5) *reſervata Cæſaris* SCHWED. *d. c. 12. §. 7.*

§. 16. Denique dantur cauſæ, quæ perinde iurisdictioni udicii aulici, quam Cameralis, eximuntur, ut tamen illa res non usque adeo ſit liquida.

§. 17. Spectant ad hanc claſſem (1) *cauſa Statuum Criminales*, *vid.* SCHVVED. *d. c. 12. §. 7. & ſect. 2. c. 17. §. 17. ſeqq.* fluctuare hic juris-

riſdictionem imperii, jam indicavimus *l. 6. c. 2. §. 67. ſeqq.* (2) *cauſæ eccleſiaſticæ, add.* LEHM. *Chr. Spir. l. 7. c. 109.* ac ſub iis, *matrimoniales.*

§. 18. Sed de his diſtinctius videndum, nam ſi ſolum, *occaſione matrimonii, incidat quæſtio* v. gr. *de dote, de ſævitia,* ea ad judicia conſveta pertinet, *vid.* SCHWED. *ſect. 2. c. 17. §. 27.*

§. 19. Si autem, *de ipſo matrimonii vinculo, conſtituendo vel diſſolvendo* dubium oriatur, tum Status catholici, ſive circa negotium matrimoniale *conſentiant,* ſive *diſſentiant,* Pontificis judicio ſe ſubmittunt ID. *d. l.* §. 22.

§. 20. Verum Status Proteſtantes in caſu *conſenſus,* nullum habere Superiorem, à quo v. gr. diſpenſationem, circa gradus, jure humano prohibitos, petant, nec etiam præciſe habere debere, vulgo recte agnoſcunt, ID. *d. l.* §. 23. *ſeqq.*

§. 21. In caſu autem *diſſenſus, de judice competente,* valde ſunt ſolliciti; Quidam, Proteſtantes ſubjiciunt *Papæ & Epiſcoporum judicio,* alii *Auſtregis & judicio Camerali,* quidam *judicio aulico.*

§. 22. Quibus iſta diſplicent, illi Eos ad *arbitros compromiſſarios,* vel *conſiſtorium proprium,* aut *extranei Status,* remittunt, vel *deciſionem decreto comitali* committunt, aut *commune judicium, vi coactiva inſtructum*

Statuum Proteſtantium coſenſu erigendum ſvadent, ceu pluribus recenſet, SCHWED. *d.c.17.§.23.29.ſeqq.*

§. 23. Si de iis ſententiam dicere liceat, *judicium papale* quidem merito exploditur, quia nunquam fuit legitimum, ſed jurisdictio *Auſtregarum, judicii Cameralis & aulici*, ſatis fundata videtur, ſive *conditionem objecti*, ſive *ſententiam Proteſtantium* conſideres.

§. 24. Quia tamen judicia ſuperiora, malunt hic perſvaſionem pontificiam ſequi, ac jurisdictionem iſtam ultro à ſe repellunt, ideo hactenus Proteſtantes ab illis judiciis immunes erunt pronunciandi.

§. 25. Qui vero *arbitros compromiſſarios*, vel *conſiſtoria* loquuntur, illi revera nihil agunt, nam judex, qui *jus ſaltem declaret*, nullo negotio inveniri poteſt, ad, de *judicio imperante*, quæſtio eſt.

§. 26. Neque tamen, his ita ſe habentibus, tempeſtive ſatis *deciſio comitialis* poſtulatur, nam quando ex inductione conſtat, quod nullibi Status proteſtantes, in matrimonialibus, conveniri queant, tum quæſtio ſatis deciſa eſt, nempe, *eos nullum habere judiciem*, cur igitur, in quæſtione deciſa, deciſionem poſtulemus?

§. 27. Videntur, qui iſta poſtulant, velut indubiam hypotheſin præſupponere, *Status*

in

in omnibus negotiis, *judices habere debere*, cujus tamen neceſſitas nullibi comparet, ſed indoli Status magis *libertas*, quam *ſubjectio* convenit.

§. 28. Ex quo etiam liquet, quam inconſultum ſit eorum conſilium, qui, *judicium coactivum erigi*, ſvadebant, nam hoc nihil aliud eſt, quam conſulere, ut Status ſumtus faciant, quo deterioris fiant conditionis, ſeu, ex claſſe Imperantium, ad ſortem ſubditorum, demittantur.

§. 29. Eo igitur res redit, ſicut, in cauſis eccleſiaſticis, Status habent, quoad ſubditos ſuos, imperium ἀνυπεύθυνον, ita ipſi, in iis, plane ſunt ſui juris, hinc, orta controverſia, nihil aliud ipſis agendum, quam ut Viris cordatis, ac non ſuſpectis, litem ſubmittant, quo jus partium declarent; Executio ad ipſum Statum pertinet, *add.* COCCEJ. *J.P.P.c.32.§.8.*

§. 30. *Modum procedendi*, in judicio aulico, definit *peculiaris Ordinatio*, quam hactenus ſolus Cæſar compoſuit, Statibus, ob diſſenſum, libertati ſuæ non ſatis proſpicientibus, *vid.* SCHWED. *ſect. 1. c. 12. §. 10.* Grundſ. *p. 3. c. 5. p. 243.* de cætero, Camerali procedendi modo, ille cenſetur eſſe celerior, quod, inter commoda, refert, cum aliis, KULPIS. *ad Monzamb. c. 5. §. 21.* id quod admitti poteſt, ſi modo cætera eſſent paria.

§. 31. Ne autem, odio religionis, iniquis gravarentur ſententiis Proteſtantes, aliquot ſuæ religionis aſſeſſores aſſumi deſiderarunt, quo judicantium paritas haberi queat, cui etiam deſiderio partim reipſa, partim per fictionem ſatisfactum eſt, *vid. J. P. art. 5. §. 54. 56.* dum ſcilicet vel æquali numero deputatis, negotia expedienda committuntur, vel in pleno Senatu, Proteſtantes, in unam conſpirantes ſententiam, Pontificiis æquales habentur. Interim iſta multis non ſufficere videntur, *vid.* Grundſ. *p. 3. c. 5. p. 241.* SCHWED. *d. c. 12. §. 5.* FRITSCH. *ad Limn. l. 9. c. 4. n. 5. p. 397. ſeqq.*

§. 32. Aliquando etiam ſententiæ, in judicio aulico ferendæ, prius, in judicio Cæſaris ſecretiori & proprio, juxta *reſpectus utilitatis* ſeu *conſiderationes politicas*, expendi ſolent, quod inſtitutum *plenam prudentiæ laudem habere* cenſet BOECLER. *N. J. l. 13. c. 4.* ſed ſine ſuffragio Statuum, qui adeo Cæſari id voluere prohibitum, *vid. Cap. Leopold. art. 42. add.* BURGOLD. *ad J. P. W. p. 2. Diſc. 20. p. m. 212.* MONZAMB. *c. 5. §. 21.*

§. 33. A judicio aulico nulla permittitur *appellatio, vid.* SCHWED. *ſect. 1. c. 11. §. 5.* Gravatis tamen datur *remedium ſupplicationis*, cui etiam effectus ſuſpenſivus videtur tribuendus *J. P. art. 5. §. 55.* SCHWED. *d. c. 11. §. 4.*

§. 34.

§. 34. Jurisdictio judicii aulici eſt *perpetua*, nam mors Cæſaris, non tollit *ipſum judicium*, ſed ſolum *externum ejus exercendi modum*, in cujus locum, ſub imperio Vicariorum, novus velut intercalatur, *vid.* §. 10. *h.* SCHWED. *d. c.* 12. §. 13.

§. 35. Sententiæ latæ *executioni* mandantur, juxta ea, quæ indicavimus *c.* 4. §. 36. An tamen Cæſar præciſe executionem Circulis committere debeat, gravis quæſtio eſt, *vid.* CONRING. *de judic. Germ.* §. 64. SCHWED. *p. gen. c.* 5. §. 15. quæ tamen poſt *J. P. art.* 16. §. 2. *R. J.* 1654. §. 86. 160. 162. omnino affirmanda, *vid. Diſſertat.* THOMAS. *de Offic. Director. & Duc. Circular. in execution. Sententiar.* quam Scriptori anonymo oppoſuit *Hall.* 1697. *add.* BURGOLD. *ad J. P. p.* 2. *Diſcurſ.* 8.

§. 36. Sequitur judicium, *Cæſaris aulam*, ut tamen huic integrum ſit, id quoque ab aula ſeparare, dummodo, extra Germaniam, Status in jus non vocentur, omni tamen caſu, citationes, ad aulam Cæſaream fieri, exiſtimant, *vid.* SCHWED. *ſect.* 1. *c.* 12. §. 9. *ſect.* 2. *c.* 17. §. 3.

§. 37. *Habitudo* & *utilitas* judicii aulici, partim rationibus, judicio Camerali communibus, partim propriis æſtimanda eſt, ſed id omne cordatorum judicio ſubmiſſum eſto.

CAP. VI.

De Actionibus, in judiciis Germaniæ, inſtituendis, earumque proceſſu.

SUMMARIA.

Ex juribus germanicis oriuntur actiones §. 1. quibus jus aſſeri debet §. 2. earum nomina ſunt arbitraria §. 3. iis quoque denominationes Romanas applicare licet §. 4. 5. 6. 7. proceſſus judiciarius, in Jurisprudentia privata, explicandus eſt §. 8. 9.

§. 1.

DUm Status, erga ſe invicem, jura acquirunt, ac ſibi mutuo, ad aliquid præſtandum, obligantur, eo ipſo quoque conſequuntur *actiones*, hæ enim ſunt, *juris competentis allegationes*, adeoque, cum jure quæſito, naturaliter connectuntur.

§. 2. Cum porro judicia, in Germania ſint conſtituta, hinc *actionibus*, non *propria autoritate*, jus aſſeri debet, ob illorum quoque autoritatem, iſtæ ſunt *remedia coactiva*, ſed, pro ratione præſuppoſitæ autoritatis, non usque adeo valida *add. l.3.c.8.§.31.36.*

§. 3. Quomodo autem, actiones illas, appellare velis, id perinde eſt, nam ſive hoc, ſive

alio

alio nomine, eas efferas, aut nomen plane omittas, rei ipſi nihil detrahes: Ut tamen apte, perſpicue & rotunde mentem explices, id utique prudentia requirit, adeoque negligendum illud haut eſt.

§. 4. Poſſumus etiam, nomina juris Romani, his actionibus applicare, dummodo puerilis error evitetur, quo veritas actionum germanicarum, à nominibus illis, dependere, aut illarum appellationum, magna neceſſitas eſſe creditur.

§. 5. Non enim vivimus, in ſeculo Romanorum formulario, in quo magna ſollicitudine, actiones directæ & utiles, & quicquid ejus generis ars rabularia amplius introduxerat, diſtingvi debebant.

§. 6. Videntur ſane illo errore laborare, qui tantopere deprædicant operam HUGONIS, qua uſum actionum Romanarum in controverſiis Statuum oſtenderit, *vid.* VITRIAR, *l.* 4. *tit.* 9. nam alias modica videri poterat ei, qui, eam omnem, ad macilenta actionum vocabula, pertinere, expenderit.

§. 7. Non eſt ſermo, de *ipſis actionibus*, quas neceſſarias eſſe, facile liquet, ſed de *actionum nominibus*, præterea, quoad hæc, non improbatur *congrua reique conveniens appellatio*, ſed *ſuperſtitio* ſolum, qua nomina Romana præciſe adhibenda eſſe exiſtimantur, explodi-

 tur,

tur, *vid.* VINDIC. VITRIAR. CASTIG. §. 306. *ſeqq.*

§. 8. Datur etiam, in judiciis Germaniæ, peculiaris *Procedendi modus*, qui, in Ordinationibus judiciorum, prolixe deſcribi ſolet, ac, ex Scriptoribus practicis, imo ipſo uſu, optime addiſcitur.

§. 9. Pertinet ejus explicatio, non ad diſciplinam juris publici, ſed privati, nam illa ſaltem oſtendit, *an & in quantum* Status imperii, judiciis ſubſint, *v. l. 6. c. 2.* §. *51. ſeqq.* de qua ſubjectione poſtquam conſtitit, proceſſus, in jure privato explicatus, aut explicandus, ad Eos quoque applicatur; quæ igitur, quidam juris publici Scriptores, de *proceſſu*, pluribus recenſent, ea, limites ſtudii hujus turbatos, arguunt, quod SCHILT. *J. J. P. l. 4. tit. 5.* §. *5.* etiam agnoſcit, *v. ſupr. l. 1. c. 1.* §. *57.*

CAP. VII.

De Principiis, ad Jura Statuum imperii, habitum Territoriorum, ac totius Reipublicæ formam, dijudicanda, neceſſariis.

SUMMARIA.

Jura germanica ad regulas politicas expendere §. *1. eſt difficile* §. *2. utile* §. *3. 4. ac ultimo loco peragendum*

dum §. 5. 6. materia tractanda §. 7. ſeqq. Structura Civitatum §. 12. ſeqq. civitatis ſimplicis definitio §. 19. perfectio §. 20. ſeqq. unitas §. 26. ſpecies §. 27. 28. affectiones §. 29. ſeqq. civitas compoſita §. 34. ejus variæ ſpecies §. 35. 36. 37. oritur aliquando ex Monarchia §. 38. quæ plenius exhibetur §. 39. ſeqq. comparatio, Syſtematum tam inter ſe, quam cum Ariſtocratiis §. 51. civitas regularis & irregularis §. 52. 53. 54. ſimplex & mixta §. 55. ſeqq. monita quoad has ſpecies §. 61. 62. 63. modus applicandi principia generalia ad certas Reſpublicas §. 64. ſeqq. quæ ut eo rectius procedat, vulgaria quædam præjudicia ſeponi debent §. 73. ſeqq. Majeſtatis indoles 94. 95. ordo dicendorum §. 96. Majeſtati non obeſt diverſa acquirendi ratio §. 97. inveſtitura & nexus feudalis §. 98. 99. 100. 101. nec indiſtincte homagium §. 102. 103. 104. judicium ejus acquiſitionem antecedens §. 105. Majeſtas non eſt indiviſibilis §. 106. ſeqq. exiſtimatio, libertas alienandi, aliaque obligationes ei ſunt accidentales §. 110. 111. nexus Syſtematicus eam imminuit §. 112. 113. non vero modus agendi præſcriptus §. 114. nec judicium, in caſum delicti, conſtitutum §. 115 ſeqq. bene vero alius imperium §. 118. Majeſtas non requirit perpetuitatem §. 119. ſeqq. monitum generale quoad hactenus dicta §. 122. jus dependens §. 123. idem jus eodem reſpectu non poteſt eſſe dependens & independens §. 124. 125. modus applicandi principia generalia §. 126.

§. I.

EMenſi ſumus Imperii noſtri ſtructuram, quatenus, legibus Germanicis, eadem formata nobis videtur.

 Super-

Digitized by Google

Supereſt, ut Jura Statuum imperii, ac hinc ortam Eorum conditionem, nec non Territoria Germanica, imo totius Reipublicæ corpus ad regulas politices, expendamus, ac, quæ prædicata, ex his, illa ſortiantur, diſpiciamus.

§. 2. Eſt iſta disquiſitio, ſatis *difficilis*, cum & juris germanici, & principiorum jurisprudentiæ univerſalis, peritum eſſe oporteat, qui eam debite velit exequi, hinc locus hic ſolennis eſt, in quo ſcriptorum vulgus, infantiam oſtendere ſolet.

§. 3. Non minus tamen eadem eſt *neceſſaria & utilis*, nam vis legum germanicarum, juriumque hinc dependentium natura, magis apparet, ſi cum principiis generalibus, conferantur, cum ſine reſpectu ad hanc normam, leges publicas conſiderantibus, rei imago, ac externa ſpecies, facile imponat.

§. 4. Non immerito igitur, in ſpecie, quæſtionem, de forma imperii, *quæſtionem juris publici capitalem* dixit BOECLERUS, teſte KULPISIO *ad Monzamb. c. 6. §. 3.* qui & ipſe, in eadem *univerſum juris publici argumentum, velut in centro, confluere* contendit, *d. c. 6. §. 1.*

§. 5. Id autem operoſe probandum non eſt, disquiſitionem hanc non antea eſſe inſtituendam, quam tota imperii noſtri ſtructura, ex legibus propriis, fuerit exhibita, quomodo enim

enim rem aliquam, ad normam, expendere, ac de ejus habitu ac forma disquirere poteris, niſi eam in anteceſſum adæquate habeas cognitam.

§. 6. Uti autem, de Juribus Statuum imperii, Eorumque conditione civili, nec non habitu Territoriorum germanicorum, vulgo fere non ſunt ſolliciti, ita oppido quoque in regulas ordinate ratiocinandi, impingunt, qui ſtatim, de forma imperii diſquirunt, antequam vel leviter jura civitatis noſtræ ex legibus propriis declaraverant, quam confuſionem, frigida & inſufficiens tractatio, neceſſario ſequitur.

§. 7. Sed ut ad rem veniamus, ſi generalis, de formis rerumpublicarum, ac indole imperii civilis ſive Majeſtatis, philoſophia, extra controverſiam, poſita eſſet, hic quidem nihil agendum eſſet, quam ut, ſub præſuppoſita generali propoſitione, qualitas Jurium Statibus competentium, habitus Territoriorum ac Imperii noſtri forma, brevi ſubſumtione, ex præcedenti tractatu probanda, oſtenderetur.

§. 8. Verum cum, generalia illa principia, aliquo modo fluctuent, ideo non minus, de norma ipſa, quam de re, ad illam expendenda, laborandum eſt.

§. 9. Ergo (1.) ex jurisprudentia univerſali de formis rerumpublicarum tantum erit ſuppo-

ſupponendum, quantum, rei huic dijudicandæ, videbitur neceſſarium.

§. 10. Deinde (2.) in genere oſtendendum, quomodo ea, ad quodvis Reipublicæ individuum, applicari debeant, poſtea (3.) indicandum, quæ præjudicia, circa faciendam applicationem, debeant ſeponi, Denique (4.) indoles imperii civilis in genere repræſentanda erit, quibus ad liquidum deductis, (5.) applicatio ad Jura Statuum, Territoria Germanica, totiusque Reipublicæ Corpus, expedite procedet.

§. 11. Nos iſta exequemur, non prout rei dignitas id exigit, ſed ingenii tenuitas permittit, ac ratio inſtituti poſtulat, præterea generalia principia magis præſupponemus, quam prolixe demonſtrabimus, hoc enim alio pertinet.

§. 12. Primum igitur quod attinet, unaquæque Civitas *conſenſu* ſeu *pactis* conſtruitur, quæ ſuam efficaciam ſortiuntur, à lege naturali, iisque mediis, quæ firmandæ hujus divinæ legis autoritati, ſolertia humana adinvenit, qualia ſunt jusjurandum, ſpes lucri, &, quod cæteris efficacius eſt, repræſentatio malorum.

§. 13. Circa pacta autem, in genere, obſervandum, quod ſint duplicis generis; vel enim *paciſcentes manent æquales*, ac omnibus,

bus, de mediis, ad finem facientibus, ſtatuendi competit, arbitrium, vel *fiunt inæquales*, adeo ut, in unum, aut quosdam, dirigendi jus & autoritas, transferatur, eique integrum ſit, reliquos, repræſentatione malorum, cogendi.

§. 14. Ex primi generis pactis, nexus *non adeo firmus* oritur, quia ſola lege naturali, & aliquando jure jurando, vel ſpe lucri defenditur, ſed ex ſecundi generis, *arctiſſimus*, qualis quidem ingenio humano effici poteſt, nam quibusdam ex paciſcentibus, competit jus, mala reluctantibus, infligendi, quibus efficaciſſime homines moveri, jam diximus.

§. 15. Doctrinæ gratia, prior nexus, *ſimplicis obligationis*, poſterior, *imperii* vocari poteſt. Homines *pacto & imperio* connecti dixerat PUFENDORFIUS. *de J. N. G. l. 7. c. 4. §. 9.* non ſatis accurate, quia, inter duo illa, non eſt oppoſitio.

§. 16. Jam ut conſtet, quo nexus genere, civitates conſtituantur, præſupponendum eſt, eas eſſe *ſimplices & compoſitas*.

§. 17. Civitas *ſimplex*, ſeu *una*, (hæc enim promiſcue nobis ſumere liceat) non conſtituitur *duobus pactis*, quod aliqui volunt, ſed *unico* ſaltem quo futuro Imperanti imperium defertur, & reliquis parendi neceſſitas imponitur, *v.* OBSERV. *ad Pufend. Obſerv. 555.*

§. 18.

Digitized by Google

§. 18. Eſt illud pactum *reciprocum*, & ſubditos, *nexu imperii*, Imperantem vero, *ſimplici obligatione* obſtringit.

§. 19. Eſt igitur civitas ſimplex, *cœtus multorum hominum peculiaris, ad obtinendam felicitatem civilem, pacto ita conſociatus, ut unus aut quidam, omnium nomine, quosvis actus, intuitu finis intenti, cum exteris ſuſcipere, omniumque, de illo cœtu, actiones & vires, ſummo imperio, ad eundem finem, dirigere queant & debeant.*

§. 20. Civitas itaque *vera & perfecta*, tunc demum exiſtit, ſi in cœtu ſui juris, *ſubjectum proprium* conſtituatur, eique *imperium civile*, ſeu *Majeſtas* deferatur, parendi gloria reliquis relicta.

§. 21. Ergo in limine ſtatim impingit philoſophia KULPISII, doctrinam MONZAMBANI jugulatura, qua *civitatis* formam eſſentialem *adeſſe, ſi magna multitudo, pacto æquali, conſocietur, ſi antem ille vel illi conſtituantur, penes quos ſumma poteſtas eſſe debeat, tum ei* formam accidentalem *ſuperinduci*, contenditur *in commentat. c. 6. §. 7. p. 226. n. 2.*

§. 22. Nam ejusmodi pactum æquale, quod ex philoſophia PUFENDORFII aſſeritur, revera non datur, dein admiſſum, facit ſaltem civitatem *imperfectam* & naſcentem, non, ad *perfectionem deductam.*

§. 23.

§. 23. Si enim, forma civitatis eſſentialis, conſiſtit in *ordine imperandi & parendi*, quod ipſe KULPISIUS rectiſſime docet, is ſane. inter æquales, non occurrit, ſed, translato, in ſubjectum proprium, imperio, demum oritur.

§. 24. Nimirum prætervifa eſt diſtinctio, inter *exiſtentiam imperii, in ſubjecto proprio, & exiſtentiam, in hoc ſubjecto proprio*, hæc quidem, ad formam accidentalem, pertinet, ſed illa, ad eſſentialem, nec poteſt, ſine ea, concipi civitas.

§. 25. Niſi malis dicere, laudatum AUTOREM, conſulto iſtam hypotheſin aſſumſiſſe, quo ita *unitatem Reipublicæ*, ibi intentam, eo citius perſvaderet, ſi enim civitati imperfectæ, civitatis perfectio & unitas tribui poteſt, non temere, ulli corpori politico, eadem deinceps negabitur.

§. 26. Uti autem civitas *perfectio* adeſt, ſi, *in ſubjecto proprio, Majeſtas exiſtat*, ita ejus *unitas* in eo conſiſtit, quod *ab eodem ſubjecto, imperium civile, quoad omnes partes, per veram poteſtatum ſubordinationem, in eundem cœtum, aut nomine ejus, erga exteros, exerceatur.*

§. 27. Subjecti proprii *diverſitas*, civitati in genere, *accidentalis*, diverſas facit Reipublicæ ſimplicis *ſpecies*, nempe *Monarchiam, Ari-*

Digitized by Google

Ariſtocratiam & Democratiam, totuplex enim ſubjectum proprium eſſe poteſt.

§. 28. Monarchia (Ariſtocratia) (Democratia) *eſt civitas, in qua Majeſtas* (*ſubjecto phyſice uni*) (pluribus) (majori multitudinis parti) *inhæret*, &, *ab eodem ſubjecto, quoad omnes partes, in eosdem ſubditos, exercetur*.

§. 29. Quoad iſtas ſpecies notandum, (1) quod aliquando bene, aliquando prave adminiſtrentur, hinc invaluit diſtinctio, inter respublicas *ſanas & morbidas*.

§. 30. Deinde (2) quod modus exercendi imperium civile, aliquando, arbitrio imperantis, relinquatur, aliquando, juxta ſcopum civitatis, legibus fundamentalibus, determinetur, inde orta eſt diſtinctio imperii *abſoluti & limitati*, in utroque *eandem eſſe poteſtatem* Imperantis, *modum ſaltem eam exercendi* differre, apud peritos, ſatis conſtat.

§. 31. Tandem (3) quod, pro diverſo conſtruendi modo, civitates ſimplices ſint vel *adſtrictæ*, in quibus tota Majeſtas, Subjecto, vel phyſice uni, vel nexu imperii, unito inhæret, vel *laxæ*, in quibus Majeſtas, pluribus, ſimplici ſaltem obligatione connexis, diviſim vel indiviſim competit.

§. 32. Reſultat adeo *arctitudo & laxitas*, ex diverſa ſubjecti Majeſtatis proprii habitudine: De cætero, civitas laxa, nihilominus

una

una eſt, nam in ea eſt totius Majeſtatis ſubjectum *unum*, licet *non ſatis unitum.*

§. 33. Differt laxitas à morbo, vitiis perſonarum generato, illa enim legibus publicis approbata, palam faciem exhibet, hic vero legibus improbatus, adeſſe debeat; In *ſe* tamen *ſpectata laxitas*, utique *morbus* eſt, & *vitium Status.*

§. 34. *Civitas compoſita,* ſive *Syſtema civitatum,* eſt *corpus civile, ex pluribus civitatibus, ita compoſitum, ut unaquæque Civitas, ſummum, ac plerumque etiam, pelnum imperium habeat, ſed ita limitatum, ut, quædam ejus partes, conjunctim, ab omnibus, ſint exercendæ.*

§. 35. Coaleſcunt autem *plures civitates,* vel *ſub uno Rege,* de quo caſu quædam dicere, jam nihil attinet, vel *plures civitates, proprio regimine ac Imperante gaudentes,* conjunguntur.

§. 36. Hoc duplici modo contingit, vel *dum plures civitates ſeparatæ, expreſſo fœdere, juxta modum, in definitione indicatum, connectuntur,* vel dum *magnæ cujusdam civitatis vinculum, ita laxatur, ut ejus provinciæ autonomiam conſequantur, juxta indolem tamen nexus Syſtematici, adhuc utcunque cohæreant.*

§. 37. Priora recte dixeris, *adſtricta,* de quibus quædam hic commentari non opus, cum ad ſcopum noſtrum, iſta diſquiſitio nihil

faciat, interim *vid.* Pufend. *de J. N. G. l. 7. c. 5. §. 18. ſeqq.* Poſteriora vero, *laxa*, ſeu *remiſſa*, circa quæ, aliqua notari debent, cum vulgo fere negligantur, & eorum tamen explicatio, inprimis hic ſit neceſſaria.

§. 38. Poterit autem quævis reſpublica ſimplex, plures complexa provincias, in Syſtema degenerare. In ſpecie, talis mutatio, accidere poteſt *Monarchiæ*, quæ diligenter expendi meretur, cum non unum ſit, quod novam civitatis conditionem, velut abſcondat.

§. 39. Ad duo autem ſummatim reſpiciendum (1) *quomodo vinculum unius civitatis tollatur, ac provinciæ autonomiam conſequantur* (2) *qua compage univerſa moles deinde cohæreat.*

§. 40. Tum provinciæ fiunt ſui juris, quando res ſuas ſeorſim, jure proprio ac independente, habere incipiunt, ita quidem, ut iſta conditio, non *uſurpatione* ſed *legitimo pacto*, nitatur.

§. 41. Sicut autem ejusmodi mutationes ſolenni aliquo decreto, non incipiunt, ſed tacite, temporum caſuumque impetu, fiunt, ita manifeſtum eſt, provincias modo plenam, modo reſtrictam ac quodammodo mancam, poſſe acquirere libertatem.

§. 42. Poſſunt enim quædam jura penes antiquum Monarcham, remanere, aut, alia adhuc

adhuc ratione, ſingulæ provinciæ, Ei reliquoque Corpori, ſubeſſe, quo caſu, unitas civitatis, certo modo adhuc ſupereſt, ſed alio reſpectu ceſſat.

§. 43. Quoad compagem autem, qua Monarchia degenerans cohæret, non exiſtimandum eſt, quaſi ſingulæ provinciæ, in plenam antea evadant libertatem, ac deinceps in Syſtema, fœdere expreſſo, recolligantur, hoc enim ſi fieret, nova conditio civitatis, non eſſet obſcura.

§. 44. Sed dicendum potius, quod, ſicut unitas & vinculum veræ ſubjectionis, aliquando ex parte, manere ſolet, ita etiam nexus ſyſtematicus, ſub antiquis ſubjectionis formulis & ſchematibus, revera conſtituatur & deliteſcat.

§. 45. Hinc *pactum*, quo ille nexus producitur, non alibi quærendum, quam in *ipſa priſtini Monarchæ, vel electione vel ſucceſſione, mutuisque, quæ ſibi invicem Imperans ac provinciæ præſtant, juramentis*, dum enim illa omnia fiunt, *ſalva provinciarum independentia*, utique, in effectu, plus continere nequeunt, quam, maximam partem, fœdus aliquod ſyſtematicum.

§. 46. Non tamen, commune illud Monarchiæ degenerantis vinculum, ejusdem plane indolis ac efficaciæ eſt, cujus eſſe poteſt

Digitized by Google

& ſolet nexus, expreſſo pacto, in vero ſyſtemate conſtitutus, longe laxius illud cenſeri debet, & talis Monarchia, deterioris conditionis, quam Syſtema verum.

§. 47. Oritur laxitas illa (1.) à *defectu Statutorum ſyſtematicorum*, nam utcunque quidem plures provinciæ conſociantur, ſed *modus agendi*, in tali corpore neceſſarius, non eſt adæquate definitus, hinc laxitas, imo propemodum anarchia, ubique apparet.

§. 48. Auget eam (2) *vinculi & indiciorum externorum, ſub quibus latet, contrarietas*, hæc enim vinculum abſcondit, adeoque impedit, ne ejus defectus emendari queant.

§. 49. Non minus ad laxitatem aliquid confert (3.) *corporum, in quæ Monarchia dilabi ſolet, inæqualitas, tam quoad vires, quam Statum*, hæc enim nunquam ſatis bona fide coaleſcunt, ſed perpetuis æmulationibus colliduntur.

§. 50. Quod ſi his accedat (4) *mutua antiqui Imperantis, & provinciarum renitentia*, qua in has, ad priſtinam conditionem, revocare, Hæ vero, in libertatem, tendere ſolent, tum ea, procul dubio, laxitatis cauſis debet annumerari.

§. 51. Quoad *eſſentialia* tamen, Syſtemata laxa, cum adſtrictis, conveniunt, ſicut etiam utriusque generis ſyſtema, quandam cum

cum Ariſtocratiis convenientiam habent, dum utrobique, *peculiaris Senatus* ſeu *Concilium procerum*, occurrit, verum diſcrimen concilii Ariſtocratici & Syſtematici, ex *objecto*, ſeu *negotiis tractandis*, facile patet.

§. 52. Hæc, de formis rerumpublicarum, breviter noſtra eſt ſententia, ſupereſt, ut, ei illuſtrandæ, pauca, ex aliorum placitis, addamus.

§. 53. Nota eſt diſtinctio reipublicæ *regularis & irregularis*; hæc coincidit cum noſtra diſtinctione, in civitates *adſtrictas & laxas*, ſive eam, ad civitates ſimplices, ſeu compoſitas referamus.

§. 54. Uti autem diſtinctionis memoratæ Autores, *regularitatem & irregularitatem*, perſpicue ſatis non expoſuerunt & applicaverunt, *vid.* Obſerv. *ad Puſend. Obſerv. 580. 581. 586. 587. 588. 591.* ita, cum neque *natura rei*, neque *conſenſu gentium*, aliquam reipublicæ formam, *regulæ* loco conſtituerit, hinc *regularis & irregularis appellatio*, inconcinnitatis quid habere videtur: Neque tamen termini illi, etiam valde improbandi ſunt, cum *uſus Gentium*, regulæ vicem quodammodo ſubeat, ac *regulare*, idem ſit, quod *ordinarium* aut *conſvetum*.

§. 55. Tritiſſima quoque eſt diſtinctio, qua civitas, in *ſimplicem & mixtam*, diſtin-

guitur, quam à multis aſſeri, à multis negari, contendit Kulpis. *ad Monzamb. c. 6. §. 7. p. 225. Colleg. Grot. diſſert. 2. §. 10.*

§. 56. Sed forte pauci ſunt, qui eam negant, cum omnes potius, Reipublicæ mixtæ *utilitatem*, ab ineptulis tantopere laudatam, vel, *quædam mixturæ exempla*, ſaltem inficientur, aut terminorum *ambiguitatem* accuſent, de quo tamen multis disquirere, jam non attinet.

§. 57. De ſenſu ſolum diſtinctionis diſpiciendum. Notat igitur potisſimum civitas *ſimplex & mixta* (1.) rempublicam *unam & compoſitam*, quem ſenſum, ni fallor, ſectatur Conring. *ad Lampad. p. 1. §. 61.*

§. 58. Sed frequentius diſtinctio illa, refertur ad *civitatem unam*, & tum (2.) diverſitatem *formæ & modi adminiſtrandi*, ſignificat, ut civitas *ſimplex* ſit, ubi forma & modus adminiſtrandi conſpirant, *mixta*, ubi differunt.

§. 59. Aut notat (3.) *peculiarem ſubjecti Majeſtatis proprii habitudinem*, ut *ſimplicitas* innuat eam affectionem, quam diximus arctitudinem, alii autem regularitatem vocant, *mixtura* vero eam, quæ, laxitatis aut irregularitatis nomine, venit.

§. 60. Non me latet, eos, qui mixturæ termino valde delectantur, oppido contra hanc ſuppoſitionem proteſtari, *vid.* Kulpis.

ad

ad Monz. c. 6. §. 1. ſed ſive velint, ſive nolint hoc fateri, identitas à nobis aſſerta, ex exemplis, *vid.* Thomas. *Ph. Pr. tab. 45. n. 3.* Pufendorf. *de J. N. G. l. 7. c. 4. §. 13.* Kulpis. *d. l. c. 6. §. 7. p. 235.* ſatis cognoſcitur.

§. 61. Ex his liquet, MONZAMBANUM non mereri cenſuram KULPISII *in not. ad c. 4. §. 1.* quod, *rempublicam* ſimplicem & unam, *ſolerter ſubinde confuderit;* Nam utut aliquando ſimplicitas, non *unitatem*, ſed *unitatis affectionem quandam*, notet, attamen & proprius vocabuli ſignificatus, & libertas academica, & bonorum Scriptorum conſenſus, permittit, ut eodem, ipſam unitatem, quoque ſignificemus.

§. 62. Apparet quoque, quod IDEM non recte rejiciat civitates *regulares & irregulares d. l. c. 6. §. 9. p. 240. ſeqq. Si terminorum inconcinnitatem* ſaltem notare voluiſſet, tum ſpeciem haberet doctrina *v. §. 54. h.* ſed cum *ipſum nexum, terminis illi notatum*, negare quoque ſuſtineat, *vid. Colleg. Grot. exercit. 2. ad c. 3. §. 11. lit. b.* veritati utique, imo ſibi ipſi, videtur contrarius.

§. 63. Nam non tantum diverſum illum nexum, ſub terminis civitatis *ſimplicis & mixtæ*, admittit, ſed & plus vice ſimplici, ſub ipſa PUFENDORFII notatione, eum agnoſcit, *d. c. 6. §. 1. 9. p. 245. &c.*

Digitized by Google

§. 64. Poſtea videndum, quomodo generalia illa principia, ad hypotheſin ſint transferenda, *v.* §. *9.* Id igitur (1.) vulgo notant, *majorem* eſſe deſumendam, ex placitis generalibus politicis, *minorem*, ex legibus civitati propriis, hoc facto, formam reipublicæ, in *concluſione* oſtendi.

§. 65. Quoad autem diverſas ſæpe formas, circa eandem rempublicam, obſervata eadem procedendi ratione, Scriptores aſſerant, id ex eo eſt, quod neque, in principiis generalibus, conſentiant, nequo eodem modo, ex legibus propriis, ſubſumant: hinc, ut alibi, ita hinc etiam, de bonitate Concluſionis, ex præmiſſis, judicandum erit.

§. 66. Ulterius (2.) *in quavis applicatione facienda, primo diſpiciendum, ſitne civitas, ſimplicibus an compoſitis, annumeranda.* Contra hoc peccant Cenſores Monzambanei, dum MONZAMBANO, conditionem ſyſtematicam, imperio noſtro, tribuenti, *mixturam*, quæ quidem reipubl. *unius* affectio ſit, opponunt.

§. 67. Nam qua ratione ille negat *unitatem*, eadem quoque negabit *omnes unitatis affectiones*, quare, juxta leges genuinæ contradictionis, non *mixtura*, ſed *unitas* ſolide erat adſtruenda.

§. 68. Eodem præpoſteræ ratiocinationis vitio

vitio laborant, qui ſine reſpectu ad MONZAMBANUM, in imperio noſtro, *mixturam* aſſerunt, &, de *prærogativa Monarchiæ* vel *Ariſtocratiæ*, quærunt, antequam vel leviter *unitatem*, demonſtraverant, nam, hac non demonſtrata, illæ quæſtiones ſunt ineptæ.

§. 69. Idem propemodum dicendum de quæſtione, *an Capitulatio futuræ Cæſaris Majeſtati deroget?* nam & hæc incongrue movetur, niſi antea unitas oſtendatur. Negata enim unitate, non tantum Cæſaris Majeſtas imminuitur, ſed & imperium Civile in Germania, revera multiplicatur.

§. 70. Quando autem, de *unitate* vel *compoſitione* civitatis, conſtat, tum (3.) *habitus unius cujusque accuratius inveſtigandus*. Hinc in republica *una*, ſubjectum Majeſtatis proprium, probe erit expendendum, ac, ex diverſa ejus habitudine, judicandum, ſitne civitas *adſtricta* vel *remiſſa*, ſeu *regularis* aut *irregularis*, ſtilo aliorum.

§. 71. In civitate vero *compoſita*, conditio ſingularum Corporum, nec non nexus communis, ſollicite erunt conſideranda, quo facto, patebit, num, ad perfectum ſyſtema, illa accedat, an, inter civitatem unam & compoſitam, velut fluctuet.

§. 72. Cæterum hactenus dicta non ita ſunt accipienda, quaſi ſemper ſeorſim de *uni-*

tate & compoſitione, ac poſtea de *earum affe-ctionibus*, ſit diſquirendum: Nihil vetat, quo minus, conjuncta tractatione, in certo aliquo exemplo, oſtendatur, Civitatem eſſe v. gr. & *unam*, & *Monarchiam*: Id igitur monita allata ſaltem exigunt, ne affectiones Unitatis vel Compoſitionis aſſeramus, antequam hæ ſint probatæ, inprimis ſi de his ſit controverſia, contra quod ſane vulgo impingere ſolent.

§. 73. Ut illa eo rectius procedant, *quædam præjudicia ſeponi debent*, de quibus tertio dicendum, *vid.* §. 9. Nempe (1.) cavendum eſt ne *habitum reipublicæ ex titulis ac ſchematibus externis æſtimemus*, *v.* Kulpis. *ad Monzamb. p. 2. c. 6.* §. *6. n. 4. p. 218.*

§. 74. Pucrile præjudicium diceres, niſi, Viros eodem laborare, certum ſit, rectius TACITUS *annal. 1. Fuere tunc* (Auguſti tempeſtate) *eadem Magiſtratuum vocabula, at, verſo civitatis ſtatu, nihil nunquam priſci & integri moris*, id quod, ad Germaniam, non male applicaveris.

§. 75. Abſtinendum (2.) ab inſigni illo præjudicio, quo *invictum argumentum, ipſaque naturali ratione*, *munitum* creditur: *in omni bene conſtituta republica, de forma & ſtatu reipublicæ, nemini licere debere aliter loqui, quam leges publicæ loquantur & decernant*, *v.* Bœcler. *N. I. l. 22. c. 2. p. 575.*

§. 76.

§. 76. nihil nunc dicam, quanta hic opus ſit cautione, circa ſuppoſitionem legum publicarum, ne quasvis *orationes*, in Comitiis forte habitas, in hunc cenſum referamus, aut, ex antiquo ſeculo, obſoletas leges repetamus.

§. 77. De eo quoque nihil dicam, locutiones publicas, ſæpe ita eſſe comparatas, ut varios ſenſus recipere queant, nec ſtatim inferre id, quod volunt, argumento illo utentes.

§. 78. Dabo & leges publicas recte ſupponi, & perſpicue Civitatis formam exprimere, nego tamen illicitum eſſe, aliter loqui, quam leges publicæ loquuntur: Nam, omnis quidem civitatis forma, dependet à legibus fundamentalibus, ſed hoc, ad *vim & ſenſum* earum, non *verba*, referendum eſt.

§. 79. Hinc vel locutiones cum *ſenſu conveniunt*, tum forma, non ob *illas*, ſed *hunc*, aſſerenda erit, vel *ab eo diſcrepant*, hoc caſu, eas ſequi non licebit, niſi, falſam normam conſulto ſequendam eſſe, quis velit dicere.

§. 80. Sane à locutionibus, hinc inde velut inſidioſe captatis auxilium petere, paupertinæ philoſophiæ certisſimum eſt indicium, qui enim rationibus ſententiam ſuam tueri poteſt, is, autoritatis μορμολύκειον objicere, ignominioſum putat.

§. 81.

§. 81. Illud non nego, poſſe lege publica decerni, ut non aliter, de forma civitatis, loqui liceat, quam leges publicæ loquuntur, ſed talis lex non temere præſumenda eſt, neque ejus ferendæ tanta eſt neceſſitas, quantam ſibi ſæpe Heroes togati, in Scholis, imaginantur.

§. 82. Ex his ſequitur (3.) non ſimplex præjudicium, ſed propemodum etiam calumniam eſſe, quando illi, qui aliter, quam fortaſſe leges publicæ loquuntur, formam civitatis explicant, *legibus publicis bellum indicere, ac contra officium boni civis peccare* dicuntur, *vid.* Bœcler. *d. l. 22. c. 2. p. 372.* Kulpis. *diſſert. de Unitat. Reipubl. in S. R. I. c. 2. §. 12. in fin. c. 3. §. 4.* quod adeo vitare debet, qui, veritati unice ſtudere, intendit.

§. 83. Porro hoc agendum eſt (4) *ut animum, ad omnes formas, velut indifferentem, ad hanc disquiſitionem afferamus,* nam ſi quis odio vel amore, erga certam formam, ſit occupatus, ei, veritatis inquiſitio, non recte procedet.

§. 84. Contra hoc monitum, certa ratione ſubnixum, impingunt operoſæ declamationes, quibus ſententia MONZAMBANI perſtringitur, *vid.* Bœcler. *d. l. 22. c. 2.* Kulpis. *d. diſſert. in præloqu.* Nam in iis, maximam partem, non quæritur, an *falſa ſit illa ſententia*, ſed hoc, ei improbandæ, ſatis eſſe puta-

putatur, quod *formam ſyſtematicam* Imperio noſtro tribuat.

§. 85. Cum iſto præjudicio regulariter connectitur alterum, quo honori & ſecuritati Imperii noſtri, non aliter proſpici poſſe exiſtimatur, quam ſi *mixtura* in eodem aſſeratur, quo quid magis ridiculum ſit, non facile dixeris, Nam vel mixtura jactata, revera non datur, ſed. *ſimplex ſaltem regimen polyarchicum* exhibet, *vid.* Vitriar. *J. J. l. 1. tit. 2. §. 3. tit. 7. §. fin.* Vindic. Vitriar. Caſtig. §. *16. ſeqq.* vel in *irregularitatem*, aut *conditionem ſyſtematicam* incidit, ceu §. 57. *ſeqq. h.* eſt oſtenſum, talem vero formam, mixturæ Patroni, nolunt admittere: Vel admiſſa, *formam Germaniæ ſaltem particulariter* ſiſtit, *v. infr. c. 9. §. 26. ſeqq.*

§. 86. Id procul dubio (5.) vitandum præjudicium eſt, *quo illi, qui formam civitatis ita delineant, ut, ſive Monarchiam in ea declarare, ſive mixtum, ex Monarchia & Ariſtocratia ſtatum, probare velis, non ſis habiturus eas adverſarios, caute, ſobrie eruditeque incedere* exiſtimantur, *vid.* Bœcler. *d. l. 22. c. 3. in fin.*

§. 87. Cum enim, Monarchia & ſtatus mixtus, plane differant, hinc manifeſtum eſt, philoſophos illos, non ſobrie & erudite incedere, ſed potius contraria loqui, aut, verbis nihil ſigni-

gnificantibus vel ambiguis, lectori illudere.

§. 88. Plane quoque exiſtimandum eſt (6) *morbos & vitia civitatum, non eſſe variis coloribus diſſimulanda*, nam tale diſſimulandi inſtitutum, quoad homines privatæ ſortis, *ineptum & injuſtum* eſt, falſitas enim per ſe expeti nec ſolet, nec debet, hinc, in homine privato, pravum animi ſtatum, neceſſario arguit.

§. 89. E contrario hominibus, priuatam vitam agentibus, licitum quoque cenſeri debet (7) *morbos Reipublicæ palam oſtendere ac remedia recenſere.*

§. 90. Nam, ad hoc, ſola rationis humanæ participatione autorantur, cum enim hæc, eo fine, data ſit, ut veritatem inquirat, hinc iſta inquiſitio etiam circa peculiare hoc objectum, civitatem ſcil. tamdiu licita dicenda erit, donec prohibitio oſtendatur.

§. 91. Neque hac ratione *Civitas Exteris proſtituitur*, quod aliqui in contrarium opponunt, nam Exteris vitia illa, ex infirmitate operationum, quas ejusmodi Corpus edit, plerumque notiora ſunt, quam ut nunc demum ipſis innoteſcere debeant, aut, dilutis coloribus, eorum notitiæ, ſubtrahi poſſint.

§. 92. Sed tamen ineptum eſt, *conſilia ſua publico obtrudere!* ſit ita, non tamen injuſtum erit! quamvis &, ab ineptitudine, hoc inſtitutum, facile queat abſolvi, nam veritas etiam per ſe poteſt expeti, ſecus ac falſitas. §. 93.

§. 93. Hinc quæ privatus hic meditatur, non eo pertinent, quaſi curis publicis, inepto faſtu, ſe immiſcere velit (ſaltem ille faſtus, non eſt neceſſarius) ſed ut ſolum, naturali ductui, quo in veritatis inquiſitionem propendet, ſatisfaciat.

§. 94. Denique, juxta monitum §. 10. quarto etiam de *indole imperii civilis*, ſeu *Majeſtatis*, explicatius non nihil agendum eſt. Majeſtas eſt, *ſumma & independens poteſtas, ob mutuum futuri Imperantis & Subditorum conſenſum, lege naturali Imperanti tributa, qua, ad obtinendam beatitudinem civilem, quosvis actus, cum exteris ſuscipere, ſubditorumque actiones & vires dirigere poteſt.*

§. 95. Conſiſtit adeo Majeſtatis eſſentia in duobus (1) in jure dirigendi actiones ad finem civitatis (2.) in independentia, quæ in eo poſita eſt, quod quis jus, alterius nomine & loco, non exerceat, & nemo actus, ex illo jure profluentes, velut ſuperior, poſſit reddere irritos, aut jus pro lubitu avocare.

§. 96. Sed paulo diſtinctius oſtendendum, quid cum Majeſtate conſiſtere poſſit, necne; Qua in re, ut aliquem ſervemus ordinem, conſiderabimus Majeſtatem *conſtituendam, conſtitutam & tollendam.*

§. 97. Primum quod attinet, id utique Majeſtati perinde eſt, ſive *electione* ſive *ſucceſ-*

ſione

ſione acquiratur, quemadmodum etiam nihil refert, *ſimul* an *ſucceſſive* quis eam obtinuerit, aut quæ ejus acquirendæ fuerit *occaſio & initium;* hinc, ex *privilegio* quoque, Majeſtas originem ducere poteſt, licet diſſentiat Kulpis *ad Monzamb. p. 2. c. 5. §. 28. & de unitat. Reipubl. c. 2 §. 16.* non omnia illa eam præcurrunt, nec adeo ejus eſſentiam attingunt.

§. 98. Neque etiam Majeſtati nocet *conceſſio feudalis & inveſtitura*, nam uti hoc certum eſt, ſi ſaltem ea, *ſolennis inaugurationis* inſtar ſit, per quam jus non *conferatur* ſed jam competens *agnoſcatur & confirmetur*, ita item dicendum, licet *vim veræ collationis*, habeat.

§. 99. Nam conceſſio extra rem eſt, hinc non magis nocebit iuveſtitura juri Vaſalli, ſi modo de ejus independentia, ex genuinis principiis, alias conſtet, atque non obeſt Majeſtati Imperantis, quod eam, ex pacto & vera collatione ſubditorum, habeat.

§. 100. Porro nec *nexus feudalis*, imperio civili, oberit, hoc enim, cum obligatione ad fidelitatem, optime conſiſtit, hinc ſæpe, ſuperiores inferioribus, eo nexus genere obſtringuntur.

§. 101. Hæc ſi vera ſunt, *jus beneficiarium & dependens* pro iisdem haberi non poſſunt, ſeu, ab *inveſtitura & vaſallagio*, nullum plane pro

pro *dependentia* argumentum deſumi poteſt, fruſtra diſſentiente KULPIS. *ad Monzamb. d. c. 5. §. 28.*

§. 102. *Homagium* quidem, quatenus veram innuit ſubjectionem, cum Majeſtate conſiſtere nequit: Sed ſi, de hac, iterum, ex propriis principiis, conſtet, & tamen homagium præſtetur, quis tam pervicax erit, ut, ob ſolum homagii nomen, illam negare velit?

§. 103. Quod igitur KULPIS. *ad Monzamb. c. 5. §. fin.* cenſet, *ſi forte exemplum alicujus fœderis afferri poſſet, cujus partes, homagiali juramento, connecterentur, in vocabulo luderemus, abuſive* fœdus *appellaretur, quod revera* Reſpublica *eſſet.*

§. 104. Id tum demum verum erit, poſtquam immutabili decreto ſancitum fuerit, ut homagium ſemper, veram ſubjectionem & unitatem civitatis, arguat, alias, ſi conſvetas ſaltem verborum leges ſequamur, eadem facilitate, *luſum* ad *vocabulum homagii* referre licebit, qua idem, ad *nomen fœderis*, refertur, ut amplius, in tali caſu, ex genuinis fundamentis diſpiciendum ſit, utri ille ſit adhibitus.

§. 105. Id quoque Majeſtati nihil detrahit, ſi, ante ejus acquiſitionem, alicui ſtatus quæſtio moveatur, ac is, eo reſpectu, alterius judicium pati teneatur, nam ſi, in regno uſufru-

ctuario, inter plures ſucceſſores, lis oriatur, deciſio ad populum pertinet, quam ſecutæ Majeſtati non obeſſe, omnes concedunt. *add.* Kulpis. *de Unitat. Reipubl. c.3.§.4.n.7.*

§. 106. Pergimus ad Majeſtatem *conſtitutam.* Hæc, per eſſenriam, non eſt *indiviſibilis*, cum enim, ad exemplum aliorum jurium, conſenſu, quoad plura objecta, excitetur, utique illius partes, juxta hæc, ſeparari poſſunt.

§. 107. Hinc vel ita partes dividi poſſunt, ut diverſis ſubjectis independenter competant, vel poſſunt quædam partes plane tolli, ut manca ſit Majeſtas, ac aliquando, in locum partis deficientis, poteſtas ignobilior & dependens ſubſtitui. *add.* Pufend. *de J. N. G. l.7. c.4.§.9.ſeqq.*

§. 108. Imprimis igitur vitandum opinionis monſtrum, ex ignorantia rerum moralium enatum, quo *indiviſibilitas Majeſtatis* jactatur, nam ex eo, quicquid hic occurrit ineptiarum, fere propullulavit, *vid.* Vitriar. *J. J. P. l.1.tit.7.§.5.*

§. 109. Quod ſi autem Majeſtas, velut *Totum*, ſupponatur, tum utique, ad ejus eſſentiam, pertinet *plenitudo & univerſalitas*, ſed hoc indiviſibilitatem, abſolute eſſentialem, non probat.

§. 110. Majeſtatem ſumma quidem comitatur *exiſtimatio*, ſed hæc, illi, non eſt eſſen-

tialis

tialis, quod, exemplo ſummorum Imperantium, patet, qui *eodem imperio civili*, ſed *diverſa exiſtimatione* ſæpe gaudent.

§. 111. Majeſtas non requirit libertatem alienandi, aliud enim eſt *imperare*, aliud *imperium transferre*, nec ei obeſt *fœdus inæquale*, aut *Vaſallagium*, *imperare* enim & *obligari*, inter ſe conſiſtunt.

§. 112. Nexus ſyſtematicus, accurate loquendo, quasdam imperii partes, imminuit, quoad ſingula membra; Nam, alias partes, totum ſyſtema ſaltem habet, ergo, ſingula membra, integras habere non poſſunt.

§. 113. Quod ſi, in deliberationibus communibus, majora valeant, tum membrum victum, in illo caſu, parte aliqua imperii, plane deſtituitur, vincentia vero, ratam velut conferunt, ſi majora non præponderent, omnia membra ad communem partem, ſymbolas contribuunt, *add.* Puſendorf. *de J. N. G. l. 7. c. 6. §. 2. 12.* Kulpis. *ad Monzamb. c. 6. §. 7. p.* 222.

§. 114. Cum Majeſtas non notet jus vagum, ſed fine & utilitate civitatis, circumſcribatur, hinc ei non obeſt, ſi, *modus agendi*, expreſſa lege fundamentali, definiatur.

§. 115. Ex his ſequitur, Majeſtatis indelebilem characterem, non eſſe *inviolabilitatem abſolutam*, cum enim ille non notet jus, quæ-

vis flagitia patrandi, *vid.* Lehm. *Chr. Spir. l. 5. c. 25.* igitur ſi quis imperanti, enormiter flagitioſo, reſiſtat, Majeſtatem eo ipſo non lædit, utpote, iſto reſpectu, non occurrentem.

§. 116. Hinc porro, ſalva Majeſtate, Imperans, in *caſu delicti*, judicem habere poteſt, quod etiam dicendum de *exiſtimatione*, cujus intuitu, judicem quoque poteſt pati, nam & illud, & hæc, à Majeſtate, ſint diſtincta.

§. 117. Interim fatendum eſt, quod, in *Rebuspublicis ſimplicibus*, ac præcipue potentibus, morali æſtimatione, non occurrat *Subjectum*, cui munus judicandi conferri queat. Alia ratio eſt *Civitatum Sociarum*, nam in his, Totum Corpus, ratione ſingularum Partium conjunctarum, Judicis autocratici perſonam ſuſtinere poteſt, de quo diſtinctius actum in Diſſert. *de habit. Territor. German. hab. Lipſ. 1704. §. 61. ſeqq.*

§. 118. Si quis vero, ob contractum, coram alio, *conveniri* queat, aut alterius *imperium*, in ſua ditione, aliquo modo *pati* debeat, vel, ab *ipſo*, ad *alium*, certo reſpectu, poſſit *appellari*, id utique Majeſtatem imminutam arguit, omnem tamen non negat.

§. 119. Supereſt Majeſtas *tollenda*. Certum eſt, quod ejus eſſentia non requirat *perpetuitatem*, aliud enim eſt, *eſſe*, aliud *continuari*, aut aliud, *vere*, aliud, *diu* vel *perpetuo imperare*.

§. 120.

§. 120. Male igitur *irrevocabilitas*, Majeſtatis *naturale internum* ac *inſeparabile* eſſe, à quibusdam creditur, *vid.* Ekholt. *diſp. de Jur. Majeſt. Imper. Rom. hab. Lipſ. 1687. §. 10.* Quod ſi dicas, excludi *revocationem*, quam *Superior, per modum imperii*, faciat, tum fallacia cauſæ, fit manifeſta, non enim *revocabilitas*, ſed *dependentia* tum deſtruit Majeſtatem.

§. 121. Exinde ſequitur, poſſe vel, ab initio, terminum Majeſtati præſtitui, vel eam, ſub clauſula commiſſoria, deferri, ut ob delictum amittatur.

§. 122. In genere, quoad ea omnia, quæ hactenus adduxinus, dicendum, eadem vel omnino non afficere imperium civile, vel id ex parte ſaltem imminuere, vel ejus ſplendori officere (qualia ſunt homagium, Vaſallagium, judicium de delictis & exiſtimatione, definitio modi agendi, & temporalitas) adeoque abſurde, negandæ omni Majeſtati, adduci.

§. 123. Juri independenti, ſeu Majeſtatico, opponitur *dependens*, quod *quis*, *nomine & loco Superioris*, *exercet*, & *plerumque*, *pro illius lubitu*, *avocari poteſt*, quamvis hoc ultimum, præciſe non requiratur, cum *modus exercendi*, reſpectum ad Superiorem, adeoq; *juris dependentiam*, ſatis inſinuet.

Digitized by Google

§. 124. Uti autem dubium non eſt, quin, inter varii generis jura, quæ hominibus competunt, hoc, *independens*, illud, *dependens* eſſe queat, quemadmodum etiam certum, quod nonnunquam, jus iudependens, & dependens in eodem ſubjecto concurrere, ac Totum aliquod compoſitum, efficere poſſit, v. §. *107. h. ſupr. l. 3. c. 9.* §. *3.* ita nihilominus etiam certiſſimum eſt, quod idem Jus, eodẽ reſpectu, non poſſit eſſe ſimul Dependens & Independens.

§. 125. Nam hoc reſpectu, termini illi non notant *duas qualitates contrarias*, ex quarum commixtione, *tertia intermedia* oriri queat, ſed ſunt ſaltem *termini contradictorii*, quorum alter dependentiam aſſerit, alter negat. Hinc perinde impoſſibile eſt ex dependenti & independenti, formare tertiam ſpeciem, atque impoſſibile eſt, ex calido & non calido tertium producere, quomodo enim ex uno tertium fieret? aut quomodo idem, ſimul eſſet et non eſſet?

§. 126. De applicatione doctrinæ generalis, ad hypotheſin, ſeu ad certum aliquod jus, ac in ſpecie, Supertoritatem Territorialem, non operoſa ac difficilis eſt diſquiſitio. Nimirum id, quod nodo diximus: *idem jus eodem reſpectu, non poſſe ſimul pependens & independens eſſe, ſed, alterum prædicatum, ſolum admittere,* pro certo principio ſupponendum

dum erit, quo facto, diſpiciendum ſaltem, utrum juri controverſo, definitio juris independentis ex §. *94. 95.* an dependentis ex §. *123.* magis conveniat, ubi quidem removendis objectionibus, inſervire poſſunt dicta §. *96. ſeqq.*

CAPUT. VIII.

De Jurium, Statibus imperii competentium, ut & Territoriorum Germanicorum habitu civili.

SUMMARIA.

In applicatione dictorum ad Germaniam, quæ conſideranda §. 1. à qua parte incipiendum §. 2. de juribus imperatoris, Regis Romani & Vicariarum agi non debet §. 3. ſeqq. bene vero de jure Territoriali & ſuffragii Statuum §. 6. 7. hæc jura non debent ſeparari §. 8. ſeqq. Status controverſiæ §. 11. jus ſuffragii eſt Majeſtaticum §. 12. ſed circa territoriale vulgo fluctuant §. 13. recte tamen pro Majeſtatico idem habetur §. 14. quo cum temperamento §. 15. ſeqq. non obeſt aſſertioni nexus feudalis §. 19. homagium §. 20. appellationes §. 21. 22. judicia imperii §. 23. Status imperii male pro Subditis ſimpliciter habentur §. 24. 27. regulariter ſunt coimperantes & Socii, aliquando vero ſubditi §. 26. quid de nomine Vaſallorum §. 27. & Civium ſentiendum

 §. 28.

Digitized by Google

§. 28. ſubditorum nomen raro Statibus competit. §. 29. Territoria Germanica quid §. 30.

§. 1.

SUpereſt, ut, ex monito §. *10. cap. præc.* generalia illa principia, ad Germaniam applicemus. In univerſum quatuor conſideranda veniunt (1.) quæ, juxta regulas politicas, ſit indoles jurium Proceribus Germanicis competentium (2.) quæ Statuum imperii conditio civilis (3.) quis Territoriorum Germanicorum habitus & (4.) quæ totius Reipublicæ forma.

§. 2. Illud autem facile liquet, hæc omnia ita, inter ſe, eſſe connexa, ut ab unius deciſione, reliquorum etiam deciſio dependeat. Interim natura rei exigit, ut, ex cognitione Territoriorum Germanicorum, in notitiam totius Reipublicæ provehamur, non autem ab hac, ad illa digrediamur: Tria priora igitur hoc, & ultimum, ſequente capite, expediemus.

§. 3. Quod igitur primo *Jura Procerum Germanicorum*, attinet, poteſt quidem de Cæſare, Rege Romano, Vicariis & Statibus imperii quæri, ſed in his fere quæſtio ſubſiſtit: Nam jura Cæſaris, *Majeſtatica* eſſe, ab omnibus fere conceditur, certe, à nemine, cum ratio-

tione, negari poteſt: hinc ſupra, in loco proprio, ſtatim prædicatum illud, juribus Cæſareis, adjecimus.

§. 4. Nec, quoad regem Romanum, peculiari hic opus erit diſquiſitione, nam Eum actuale aliquod jus, vivo Cæſare, non habere, itidem ſuo loco oſtendimus, hinc de ejus indole, diſputari nequit.

§. 5. Jura autem Vicariorum, eſſe *Majeſtatica*, operosè itidem probandum non videtur, licet id negare ſuſtineat VITRIARIUS, quamobrem prædicatum non adeo controverſum, juribus illis ſtatim addere, ſupra non dubitavimus, *vid.* Vindic. Vitriar. caſtig. §. *265. ſeqq.* §. *315.*

§. 6. Alia ratio eſt jurium, Statibus competentium, quorum indoles, juxta regulas politicas, valde controverſa eſt, hinc ſupra, verbis popularibus, illa declarare, à prædicatis vero, eorum indolem, juxta regulas politicas, notantibus, abſtinere voluimus, de qua re nunc diſquirendum.

§. 7. Id præmoneri debet, eſſe ſaltem quæſtionem, de *Superioritate Territoriali & jure ſuffragii*, nam jura, quæ reſpiciunt functiones imperii, vel vicinos, v. gr. jus protectionis Wildfangiatus, *Majeſtatica* non eſſe, facile liquet.

§. 8. Nolumus autem variorum ſententias

quæ ſententia etiam veriſſima eſt. Aſt circa jus Territoriale plerique fluctuant, cumque hoc facile liqueat, pro nudo Magiſtratus jure, illud haberi non poſſe, attamen, nec ad jurium independentium claſſem, idem aſcendere, putant.

§. 13. Hinc plerumque dicitur eſſe *dependens ſed Majeſtatis æmulum, cui quædam, è viſceribus Majeſtatis, progreſſa virtus, ſe velut inſinuet, vigoremque Majeſtati cognatum conciliet, vid.* Kulpis. *diſſert. de Unitat. Reipubl. in S. R. I. c. 2. §. 13. de jur.* Legat. *c. 6. §. 11.* Schvv. *introd. ad J. P. part. ſpec. Sect. 1. c. 4. §. 4. Sect. 2. c. 10. §. 3. 4.* Vitriar. *J. J. p. l. 3. tit. 1. 5. 15. §. 6. ſeqq.* Furſtner. *de Jur. Supremat. c. 26.* Verum cum impoſſibile ſit, ut idem jus, ſit dependens & independens, ceu *cap. præc. §. 125.* oſtenſum, hinc ſine ſcrupuloſa inquiſitione, patet, doctrinam illam ſibi ipſi contradicere, ejusque Autores, inanibus verbis, ſibi lectoribusque incautis, imponere.

§. 14. Non poteſt igitur, ex monito §. *126. cap. præc.* Jus Territoriale, ſimul dependens & independens dici, ſed alterum prædicatum ei ſolum eſt aſſerendum. Nihil autem obſtat, quo minus, pro *Jure independente & majeſtatico,* idem habeatur; exercent enim illud Status, proprio nomine, ac in ejus exercitio, à nemine, velut Superiore, dependent, quæ ſatis

ſatis certa Juris independentis ſunt Criteria, *vid. cap. præc.* §. *94. 95.* *add.* Grot. *de J. B. P. 1. 3. 7.*

§. 15. Illud tamen adjiciendum, non involvere Superioritatem Territorialem, *independens aliquod jus omnibus numeris abſolutum*, ſed potius aliquando *ſatis exiguum, non valde ſplendidum, nec, per omnia, integrum.*

§. 16. Eſt aliquando Superioritas T. *jus independens ſatis exiguum*, ob defectum ſcilicet virium & potentiæ, in Statibus minoribus, adeo, ut illa, inter Gentes ambitioſas potentesque, fere nullo in numero, ſed ludibrio potius contemtuique paſſim ſit expoſita: Interim, exiguam quantitaten, rei eſſentiam non deſtruere, ſatis alias in confeſſo eſt.

§. 17. Deinde quoque illa exhibet *jus independens, non valde ſplendidum*, id quod tam, à virium exilitate, in nonnullis, quam ob nexum, quo ſingula Territoria, toti Reipublicæ, connectuntur, in omnibus, accidit, iſta enim ſplendorem minuere, certum eſt, ut Territoria Germaniæ, in iisque contentum imperium civile, cum Rebuspublicis plane liberis, comparare non liceat.

§. 18. Denique *nec per omnia integrum*, nam non tantum quædam imperii civilis partes, in Statibus minoribus deficiunt, aut exigua in quantitate, occurrunt, ſed & in genere,

re nexus communis, modo laudatus, illud, in omnibus, quodammodo imminuit.

§. 19. Cum his reſtrictionibus ſi Superioritatem Territorialem, jus independens dicas, aſſertionem, contra diſſentientium objectiones facile quoque ſuſtinueris: Nam (1.) *nexum feudalem, quo Status Cæſari totique imperio obſtringuntur*, independentiæ non obesſe, *cap. præc.* §. *98. ſeqq.* §. *111.* oſtenſum *add.* Grot. *de J. B. P. 1. 3. 23.*

§. 20. Majori quidem cum effectu urgeri poſſe videtur (2.) *homagium, quod à Statibus Germaniæ quoque præſtari dicitur*, ſed præſtatur illud, ſalva libertate, juxta hunc autem ſenſum, independentiam id non deſtruere, ex *cap. præc.* §. *162.* patet, ut omnino oleum & operam perdant, qui juratas Statuum promiſſiones, ex vulgaribus Homagiorum regulis æſtimant, *vid.* Itter. *de F. I. c. 9.* §. *43. ſeqq. v. ſupra. l. 6. c. 2.* §. *74.*

§. 21. Sed tamen (3.) *appellationes, ad ſumma Imperii tribunalia, directæ, independentiam tollunt!* minime vero: neque enim, à Superioritate Territoriali, ſed jure aliquo ignobiliori, quale in Magiſtratum cadit, appellationes fiunt, hinc Juris territorialis independentiam non deſtruunt, ſed, id non per omnia eſſe integrum, ſive, non omni reſpectu, Germaniæ Proceribus competere, ſaltem oſtendunt.

§. 22.

§. 22. In nonuullis enim Statibus, eſt velut mixta conditio, dum ex parte libertatem ſunt conſecuti, ex parte etiam in priſtino Statu, quem olim habuerunt, remanſere: primo ſenſu ſaltem ipſis Superioritas territorialis tribui poteſt, eaque ſemper eſt libera, utut, juxta alterum reſpectum, Superiorem illi habeant, *v. cap. præc. §. 118.*

§. 23. Inprimis vero (4.) *independentiæ obeſſe videtur, quod Proceres Germaniæ, in Tribunalibus imperii, conveniri queant*, ſed, iſtam etiam ſubjectionem, cum Juris Territorialis independentia, poſſe conciliari, ex *cap. præc. §. 116.* liquet, de quibus omnibus etiam prolixius nonnihil actum in Diſſert. *de Habit Territor. Germ. hab. Lipſ. 1704. §. 58. ſeqq.*

§. 24. Atque ex his ſecundo *conditio Statuum imperii ciuilis, v. §. 1. h.* facile explicatur. Nimirum id quæritur *an Status imperii ſint ſubditi vel Cæſaris, vel Hujus & Imperii ſimul?* circa quam quæſtionem, plerumq; vel nihil, vel nimium dicunt, *vid.* Rhet. *J. J. P. l. 1. c. 3. §. 4. junct. l. 4. tit. 23. §. 13.* Schvved. *introd. ad J. P. p. ſp. Sect. 1. c. 32. §. 4. c. 9. §. 8.* Kulpis. *de unitat. Reipubl. in S. R. I. c. 3. §. 4.*

§. 25. Inprimis falſa, ac, ad Statuum injuriam, compoſita cenſeri debet ſententia, quæ eos, *ſimpliciter Subditos* pronunciat, licet eam firmiſſimis rationibus, à *juramento ſub-*

jectio-

jectionis, formulis legum publicarum imperioſis, modo procedendi in ſummis Tribunalibus uſitato, crimine læſæ Majeſtatis, quod Status, in Cæſarem ac Imperium, committere queant, propria Ordinum confeſſione, ac denique à *nexu feudali ligio*, deſumtis, probari poſſe cenſeat, Itter. *de F. I. c. 19. §. ſeqq.* nam, iis nihil roboris ineſſe ex dictis *cap. præc.* ut & *l. 6. c. 2. §. 59.* conſtat.

§. 26. Dicendum igitur eſt: Status, ratione Superioritatis Territorialis, juris ſuffragii & nexus æqualis, quo toti Reipublicæ conjunguntur, *vid. l. 6. c. 2. §. 72.* non eſſe *Subditos*, ſed *Imperantes & Socios*; verum ratione arctioris vinculi, quod ex prima ſubjectione, in nonnullis caſibus, adhuc ſupereſt *d. c. 2. §. 72.* eos pro *Subditis* poſſe haberi.

§. 27. Primo reſpectu, etiam poſſunt dici *Vaſalli*, quamvis illa appellatio, nec omnibus Statibus competat, nec eorum, quibus competit, conditionem, perſpicue & adæquate ſatis exprimat, ut cum nomine *Imperantium & Sociorum*, neutiquam comparari poſſit, utpote quod conditionem Statuum, tam ratione Territoriorum, quam totius Reipublicæ, perſpicue exhibet.

§. 28. Alii, Status, dicere malunt *Cives*, *vid.* Kulpis. *de jur. Legat. c. 4. §. 2.* Schvved. *Sect. 1. c. 9. §. 8.* ſed uti, vel ob ineptam Philo-

ſophiæ

ſophiæ græcanicæ imitationem, cordatis iſta appellatio diſplicere poteſt, ita incongrua quoque videtur, nam, communi loquendi uſu, *Civis* notat *ſubditum*, ſenſu vero Ariſtotelico, *Concilii Ariſtocratici*, vel *Democratici membrum*, hinc neuter ſignificatus huc quadrat.

§. 29. Nomen *Subditorum*, quod, ſecundo reſpectu, Statibus tribuimus, in ſe perſpicuum eſt, & itidem ſtatum Procerum, hac parte, ſatis innuit, ut adeo, ſi iſta conjungamus, *conditio Statuū imperii civilis* ſufficienter poſſit intelligi. Calculo etiam rite ſubducto, ſimul conſtabit, primum reſpectum, ſecundo, longe eſſe frequentiorem, imo Status potentiores, magis Subditos videri, quam eſſe.

§. 30. Denique tertio, *habitus Territoriorum germanicorum*, verbo etiam, ex hactenus dictis, inferendus eſt, *vid.* §. *1. h.* Nimirum Territoria Germaniæ, ſunt *Corpora libera, imperio proprio ac independente velut animata, toti tamen Reipublicæ, nexu ſociali, ac, in caſibus nonnullis, vinculo ſubjectionis conjuncta*, ſeu breviter: *ditiones, jure Status poſſeſſæ.* *add.* Diſſertat. *de Habit. territor. german.* §. *67. 68.*

CAPUT

CAPUT. IX.
De Forma Imperii Romano Germanici.

SUMMARIA.

In Germania eſt plurium Corporum ſociorum Syſtema §. 1. 2. qua ratione hoc probandum §. 3. 4. eſt Syſtema extraordinarium §. 5. quod cum aliis quoad eſſentialia, convenit §. 6. quoad accidentalia differt §. 7. id quod diſtinctius oſtenditur §. 8. 9. 10. ex quo objectiones facile diluuntur §. 11. Autores, quibus hæc ſententia placuit §. 12. cur iis acceſſerimus §. 13. aliis diſplicuit §. 14. ſententiæ oppoſitæ quomodo refellendæ §. 15. multis illæ placuerunt §. 16. refutantur rationes, quæ pro unitate Reipublicæ in genere, afferuntur §. 17. 18. 19. Monarchia abſoluta abſurde aſſeritur §. 20. nec limitata defendi poteſt §. 21. 22. Ariſtocratia videri poteſt probabilis §. 23. ſed attenta Germaniæ conſideratio, ejus ſimulacrum facile diſſipat §. 24. 25. plerique mixtura delectantur §. 26. ſed oritur doctrina ex falſa hypotheſi §. 27. ac particulariter ſolum formam Germaniæ exhibet §. 28. 29. forma democratica, Germaniæ applicata, refutationem non meretur §. 30.

§. I.

DE hac etiam nunc videndum eſt: Putamus autem, Germaniam pertinere ad Reſpublicas compoſitas, ac eſſe adeo *plurium Corporum ſociorum Syſtema.* Hæc ſententia, ex totius Diſciplinæ noſtræ contextu, apparet.

Quæ de mutatione interna diximus *l. 1. c. 3. §. 32. ſeqq. c. 4. 5.* originem Corporis Syſtematici exhibent. Leges fundamentales, *l. 2.* explicatæ, ſunt pacta Sociorum: Libertas Statuum, in *l. 3. 4.* inculcata eſt: Jura Cæſarea, *l. 5.* tradita, Caput Corporis Syſtematici, repræſentant: Nexus denique communis, quo Corpora libera connectuntur, in *l. 6. 7.* explicatus eſt.

§. 2. Quæ autem proxime, in *c. præc.* de Juribus Statuum, & habitu Territoriorum, juxta regulas politicas generales, diximus, illa memoratam Reipublicæ formam, neceſſario expoſcunt, niſi præcedentem doctrinam [illegible]erum deſerere, vel nobis ipſis contradicere velimus.

§. 3. Quomodo igitur, doctrinæ præcedenti convenienter, Forma Germaniæ, modo laudata, probanda, ac aliæ, aliis probatæ, refellendæ ſint, id, in *DISSERT. de Habit. Territor. German. c. 2.* ſatis eſt oſtenſum, ſed inſtituti præſentis ratio exigit, ut hic etiam ſumma capita legantur.

§. 4. Quodſi adeo, ſepoſitis præjudiciis, *c. 7. §. 73. ſeqq.* notatis, juxta, recte ratiocinandi ordinem, *d. c. 7. §. 64. ſeqq.* exhibitum, generalia principia, ad Germaniam applicemus, tum, ſub definitione Reipublicæ Compoſitæ, *d. c. 7. §. 34.* tradita, quoad Germaniam, valide ſubſumi, minoremque propoſitionem, ex legibus fundamentalibus germanicis, probari

bari poſſe, certum, ac, in toto tractatū præcedente ſatis probatum eſt, hinc maxime probabilis erit Concluſio, quæ Germaniam, *plurium Corporum ſociorum Syſtema* dicit.

§. 5. Cum vero Sociorum Syſtemata, non unius generis eſſe ſoleant, ceu dictum *d. c. 7.* §. *35. ſeq.* ideo ex monito *d. c. 7.* §. *70. 71.* amplius inquirendum, quale in Germania occurrat, paucis: *Extraordinarium, ex conſvetis regulis ſyſtematicis, per omnia, non æſtimandum*, quale *d. c. 7.* §. *38. ſeqq.* delineavi.

§. 6. Sed explicatius nonnihil hac de re agendum eſt: Convenit Syſtema germanicum, cum aliis, expreſſo fœdere conſtitutis, quoad *eſſentialia*, dum in Eo, plura Corpora libera, ac res ſuas, ſeparatis rationibus, expedientia occurrunt, quæ tamen, quoad negotia, totam Rempublicam concernentia, in commune deliberare ac decernere, nec non onera communia, conjunctim ferre debent.

§. 7. Sed in aliis, quæ *accidentium* rationem habent, ab illis differt. In ſumma, diſcrimen, occurrit (1.) ratione *Originis*: Syſtemata ordinaria, deliberato conſilio, iniri ſolent, ſed Germania, in talem conditionem, variis mutationibus, eſt velut provoluta.

§. 8. (2.) *Conſtitutionis*: In Syſtematibus ordinariis, diverſa Corpora libera, expreſſo fœdere, ad defenſionem communem, coaleſcunt, ſed in Germania, & libertas ſingulo-

rum Corporum, & communis Eorum conjunctio, per electiones Cæſareas, iisque ſurrogatas Capitulationes, nec non juratas Statuum promiſſiones producitur.

§. 9. (3.) *Corporum conjunctorum:* Syſtemata ordinaria, ex membris non adeo multis, quoad vires ac conditionem civilem, fere æqualibus, imperio, ad regimen territorii neceſſario, ſufficienter inſtructis ac, nullo caſu, toti Syſtemati ſubjectis, conſtare ſolent, quæ omnia in Germania, inprimis quoad Status minores, ſecus ſe habere, manifeſtum eſt.

§. 10. Denique (4.) *nexus communis:* Ordinaria Syſtemata, nexu ſociali conjunguntur, ac ſingulorum membrorum officia, expreſſo pacto, accurate & adæquate determinantur, ſed commune Germaniæ vinculum, uti, nonnullas priſtinæ Reipublicæ reliquias, adhuc continet, quod Reſervata Cæſarea aliquo modo, inprimis vero ſumma Imperii Judicia oſtendunt, ita, maximam partem, ſociale quidem eſt, ſed nec adæquate ſatis efformatum, nec arcte ſatis adſtrictum, ceu ex dictis *l. 6. c. 2.* apparet.

§. 11. Atque ex his facile objectiones disſentientium dilui, ac in ſpecie, ad macilentas illas quæſtiones, quas PACIFICUS *à* LAPIDE *in not. ad Monzamb. Diſcurſ. 12. §. 10.* non ſine proprio applauſu, propoſuit, ſine hæſitatione, reſponderi poterit: Omnes ſcilicet *di-*

ſcri-

ſcrimen aliquod accidentale argunut, *fundamentum* vero & *eſſentiam* non deſtruunt.

§. 12. Sententia hactenus defenſa, placuit CONRINGIO, *vid. Diſſert. de Duc. & Comit.* §. *23. 31. 41. Not. ad Lampad. ad Libr. tit. p. 5. 6. ad præfat. p. 10. part. 1. p. 12. in fin. part. 2.* §. *12. p. 93. de Negot. Conv. imper.* §. *24. add.* KULPIS. *de unitat. Reipubl. in S. R. I. c. 3.* §. *3.* ſed velut in transcurſu, eam ſaltem Ille attigit, nunquam autem, ſtudio ſatis profeſſo, eam excoluit. Plus præſtitit MONZAMB. *de ſtat. imper. germ. c. 6.* quem ſequitur RACHEL. *in diſſert. de Capitul. Imper. c. 6.* §. 7. ut & in *Otio Noviomag. c. 18.*

§. 13. Nos, ad eam amplectendam, non autoritatis cujusdam præjudicio, multo minus aliquo Partium ſtudio, ſed veritatis evidentia, ſumus permoti, ſperamusque, qualibuscunque noſtris Obſervationibus, eam ita ad liquidum eſſe deductam, ut ſolido alicui dubio amplius locus non ſit.

§. 14. Sed non minus ſententia illa multos nacta quoque eſt adverſarios, quibus, maximam partem, reſpondit PUFENDORF. *in diſſert. de Republ. irregul.* Inprimis etiam, graviter, ut ſibi videtur, contra eam declamat BOECLER. *N. I. L. 22. c. 2.* cujus veſtigiis inhæret KULPIS. *de Unitat. Reipubl. in S. R. I.* Sed rationibus ſolidis, non anticipatis declamationibus, hic agendum, ac, illis deficien-

 tibus,

tibus, incommoda, quæ Structuram Germaniæ comitantur, non Scriptoribus, ſed morbo Reipublicæ, imputanda erant, v. DISSERT. *de Habit. Territor. Germ.* P. 73. *ſeqq.*

§. 15. Sicut autem, juxta principia, *c.* 7. inculcata, veritas noſtræ ſententiæ oſtenditur, ita non minus ſententiarum oppoſitarum falſitas, ex illis demonſtrari poteſt & debet: Nam ſi quis, ex monito *d. c.* 7. §. 64. *ſeqq.* definitionem vel *Reipublicæ unius in genere*, vel in ſpecie, *Monarchiæ*, *Ariſtocratiæ*, *Democratiæ* aut *Reipublicæ mixtæ*, quatenus hæc, unius civitatis ſpeciebus, accenſetur, juxta doctrinam *d. c.* 7. §. 26. 28. 58. *ſeqq.* loco *Majoris propoſitionis*, præſupponat, tum, quoad Germaniam, ſubſumi, ac *Minor*, ex legibus fundamentalibus, probari non poterit, hinc nec *Concluſio*, aliquam, ex memoratis Formis, Germaniæ tributura ſubſiſtet, v. DISSERT. *de hab. Territor. germ.* §. 81.

§. 16. Interim multi formas illas, in Germania, non tantum quærunt, ſed & ſe repeSrisse arbitrantur, imo, illarum defenſione, officium boni Civis, vana omnino hæreſi, metiuntur, quæ philoſophandi ratio, ex ſtudio adulandi, rerum politicarum ignorantia, ac involuto Germaniæ Statu, ſummatim reſultare videtur, *vid. d.* DISSERT. §. 82.

§. 17. In genere, pro *Unitate Reipublicæ*, quædam afferuntur in *diſſert. hab. ſub præſid.*

LYNCKERI *Jen. 1686. de form. S. R. I. pag.* 31. ſed laudantur *quædam jura Majeſtatica,* quæ, à quovis Corpore fœderato, exerceri poſſunt & ſolent, *unum* vero *principium, a quo per omnia Germaniæ Territoria, imperium civile diſpenſetur,* nullibi probatur.

§. 18. Multa deinde, pro deſtruenda Territoriorum libertate & Independentiâ, accumulantur, *p. 31. 32.* ſed quæ ex iis, quæ *c. 7. h.* præſuppoſuimus, ac ad territoria Germaniæ *c. 8. h.* applicavimus, ſine ulla difficultate dilui poſſunt: ut, illa ſpeciatim refellere, opus non ſit, *vid.* DISSERT. *de Habit. territor. germ.* § 83. 84.

§. 19. Non melioribus rationibus Unitatem efendit KULPIS, *in diſſert. de Unitat. Reipubl. in S. R. I.* nam *locutiones legum publicarum* captat, aut *exercitium imperii civilis, à toto Corpore germanico, particulariter ſuſceptum* allegat, vel *judicia imperii* urget, quæ omnia qua ratione elidi poſſint, ex ante dictis ſatis conſtat.

§. 20. In ſpecie a nonnullis defenditur *Monarchia abſoluta,* quæ ſententia *Reinkingio, Wizendorfio, Schützio, Stamlero & Schookio* tribuitur, ſed diu exploſa, ac in aula quoque Cæſarea, minus grata eſſe perhibetur, teſte KULPIS. *ad Monzamb. p. 2. c. 6. §. 6.* Pedantiſmus utique & adulandi Studium, in ea, nimis elucent.

Digitized by Google

§. 21. Sententia, de *Monarchia quadam limitata*, probabilior videri poteſt, cenſuram tamen non ſuſtinet: In Monarchia limitata, omne imperium eſt penes Regem, ab eoque quoad omnes partes, in omnes & ſingulos ſubditos, per veram poteſtatum ſubordinationem, exercetur. Proceres vero, ad ejus exercitium, nonnunquam, voto ſaltem conſultativo concurrunt, præterea in ditionibus, quas poſſident, vel quibus præfecti ſunt, proprio quodam imperio non gaudent.

§. 22. Sed in Germania, Status imperii, cum Cæſare, in Comitiis congregati, voto deciſivo, velut Coimperantes, negotia expediunt, ſed ea ſaltem, quæ totius Reipublicæ rationes attingunt, cætera vero, in Territoriis ſuis, proprio imperio, ſinguli determinant, ex quo Regni limitati & Germaniæ differentia, eſt manifeſtiſſima.

§. 23. Ut *Ariſtocratiam* nonnulli, in Germania, aſſererent, inter quos *Bodinus & Hippolythus a lapide* præcipue numerantur, *vid. KULPIS. ad Monzamb. d. c. 6.* §. 4. negligentior Comitiorum germanicorum, conſideratio facile efficere potuit, *vid. c. 7.* §. *51.* Verum ſi attentius libertatem Territoriorum expendamus, Ariſtocratiæ ſimulacrum ſtatim diſparet.

§. 24. Nam Status imperii, in Territoriis ſuis, proprio ac independente imperio gaudent,

dent, ditionesque ſuo nomine gubernant: Sed Optimates Ariſtocratici, domi ſuæ, privatam agunt vitam, ac, extra Çomitia, omni imperio civili deſtituuntur, & non minus addicte, Singuli Concilio Ariſtocratico parent, quam cæteri ſubditi.

§. 25. Atque ex eo notabile etiam Conciliorum Ariſtocraticorum. & Comitiorum Germanicorum, diſcrimen emergit: In illis, omnia Reipublicæ negotia expediuntur, in his ea ſaltem, quæ totius Corporis rationes attingunt: In illis, totius Imperii civilis, in his, nonnullarum ſaltem partium exercitium occurrit, pleraque vero in Territoriis, proprio imperio, à Statibus definiuntur.

§. 26. Plerique *mixtura* delectantur, adeoque, in Germania, cenſent eſſe *Rempublicam, ex Monarchia & Ariſtocratia, mixtam*, imo parum abeſt, quin, in aſſertione & defenſione hujus Formæ, ſalutem Germaniæ, poſitam eſſe exiſtiment, *vid. KULPIS. ad Monzamb. c. 6. §. 7. p. 224.* Admiſſa autem illa mixtura, amplius diſputari ſolet, utrum *Monarchia* an *Ariſtocratia in ea prævaleat? vid LIMN. J. P. l. 1. c. 10. n. 12. BOECLER. N. I. l. 22. c. 3. LYNCKER. diſſert. de form. S. R. I. p. 50. ſeqq.*

§. 27. Enimvero mixta illa forma, ex falſa hypotheſi, quaſi in *Reſervatis Cæſareis & Communicatis*, quæ vocant, univerſum imperium civile germanicum conſiſtat oritur,

cum maxima ejus pars, quod, ſine calumnia, negari nequit, in regimine Territoriorum ſingulari occurrat.

§. 28. Jam eſto, quod circa Reſervata & Communicata, mixtum aliquod regimen detur, liceat etiam, inventi hujus Autoribus, ſenſu ſuo abundare, ac prout viſum fuerit, vel Monarchiæ, vel Ariſtocratiæ, prærogativam decernere, attamen hoc omne pertinet ſaltem, ad commune totius Corporis germanici regimen, ad adminiſtrationem vero Territoriorum ſingulorum non pertingit, nec adeo totius imperii civilis germanici habitum exhaurit, & ex hoc tamen, de forma Reipublicæ, ferendum eſſe judicium, quis non videt?

§. 29. Callide igitur vel etiam imperite, in iſto mixturæ invento, particulariter ſolum, Forma Reipublicæ Germanicæ exprimitur, & eo quidem reſpectu, quo quævis Syſtemata, unam Rempublicam imitantur: Habitus vero Territoriorum ſingulorum, ex quo Civitatis noſtræ forma potiſſimum dependet, omittitur, *add. c. 7. §. 85.*

§. 39. Qui Germaniæ *formam Democraticam* attribuerit, ſe non vidiſſe, dicit *MONZAMB. de Stat. imper. german. c. 6. §. 3.* quædam tamen, eam in rem, propoſuiſſe *Relfendſo*, ſive *Roſenſeldium*, refert *KULPIS. ad Monzamb. d. §. 3.* in quæ inquirere, aut ipſius formæ, ad Germaniam applicatæ, abſurditatem oſten-

oſtendere, operæ non eſt pretium, cum hæc ſit manifeſtiſſima, vid. DISSERT. de Habit. Territor. German. §. 85. ſeqq.

CAPUT. X.
De Ratione Status germanici.

SUMMARIA.

Diſquiſitioni de juſto, non male adjungitur tractatio de utili §. 1. Ratio Status §. 2. 3. notat utilitatem §. 4. ac prudentiam §. 5. eſt noxia & innoxia §. 6. 7. ejus objectum §. 8. 9. alii eam ſtrictius ſupponunt §. 10. 11. 12. ejus differentia a Politica §. 13. legibus §. 14. 15. Ratio Status germanici §. 16. disquiſitionis hujus habitus §. 17. objectum §. 18. quæ circa Rempublicam formandam attendenda §. 19. vitia civitatum §. 20. ſeqq. quæ civitates ſanæ aut morbidæ §. 24. 25. Monarchia degenerans morbidis annumeranda §. 26. 27. quod ſpecialius oſtenditur §. 28. ſeqq. ex morbo oritur imbecillitas §. 33. 34. vitiorum emendatio hujusque impedimenta §. 35. Monarchia degenerans quomodo emendanda §. 36. emendationis impedimenta §. 37. ſeqq. applicatio dictorum ad Germaniam §. 43. ſeqq. quænam in civitate conſtituta, circa ſtructuram, ex prudentiæ regulis obſervanda §. 46 ſeqq. quæ circa ipſas regiones §. 52. Germania natura felix eſt §. 53. inter ſubditos ſocialitas conſervanda §. 54. 55. bello illi aſſvefaciendi §. 56. literaturæ §. 57. & commerciorum habenda ratio §. 58. diciones colendæ §. 59. opes conſervandæ & recte collocandæ §. 60. Exterorum imita-

Digitized by Google

imitatio omittenda §. 61. *Viri probi & prudentes in conſortium regiminis admittendi* §. 62. *praeceptorum generalium applicatio, cum epilogo* §. 63.

§. 1.

HActenus, quid, circa publicum Germaniæ ſtatum, nobis *juſtum* videatur, expoſuimus; per modum appendicis, ex *prudentia* preſſe dicta, addendum, quid, circa illum, *utile* ſit, quæ tractatio vulgo, ſub nomine *Rationis ſtatus*, inſtituitur.

§. 2. Sed, quid iſto nomine proprie veniat, illud ipſum ſolicitius paulo, ſub initium, eſt inquirendum, ſine prolixa tamen, in aliorum ſententias, digreſſione, quam inſtitutum non adeo fert.

§. 3. Res vulgaris eſt & paſſim obvia, ac nulla, circa eam, niſi forte ex nomine, intelligendi difficultas, *vid.* HIPPOLYTH. *à* LAPID. *de Ration. Stat. Germ. in proleg.* ZUCCOLI *diſſertat. de Ration. Stat.* quam latine edidit JOH. GARMERS *Hamburgi 1663.*

§. 4. Breviter: Ratio Status in genere, notat *utilitatem*, quæ vel in mali averſione, vel boni procuratione & conſervatione, ſita eſt, nam ſi quid, utilitate exigente, factum ſit; Rationem ſtatus id poſtulaſſe, dicimus.

§. 5. Deinde Ratio Status, pro ipſa *prudentia procurandi, conſervandi & promovendi utilita-*

litatem, ſumi poteſt; de cætero, duo illi ſignificatus, ſibi invicem ſubordinantur, quicquid enim utilitas poſtulat, id quoque prudentia, circa hanc occupata, neceſſarium eſſe dictitat.

§. 6. Supponitur autem vel utilitas & prudentia *noxia*, quæ leges ſpernit, ac cum aliorum læſione injuſta, eſt conjuncta, vel *innoxia*, quæ limites, à legibus poſitos, non exeedit.

§. 7. Hinc Ratio ſtatus, eſt vel *perverſa*, quam boni omnes merito deteſtantur, vel *licita*, cui prudens quisque ſtudet & ad quam, illius odium, abſurde transfertur.

§. 8. De cætero Ratio ſtatus, vel refertur ad *ſingulos homines*, nam unusquisq;, per rationẽ Status ſui, quædam facere vel omittere debet, vel ad *integras civitates*, nam quid, in his utilitas ſeu ratio ſtatus poſtulet, ſæpe disquiritur.

§. 9. His poſitis, intelligimus hic, Rationem ſtatus licitam, ad civitates relatam i. e. *omnem civitatum utilitatem innoxiam, & prudentiam, eandem procurandi, conſervandi ac promovendi.*

§. 10. Aliqui ſaltem intelligunt utilitatem, quæ in *averſione periculi magni*, *per damnum rei minoris facta*, conſiſtat, hinc Rationem Status tantum, in *caſu neceſſitatis*, ſe exſerere exiſtimant, quam in rem, BOECLERI ſententiam, laudat KULPISIUS *ad Monzamb. c. 8. §. 1.*

§. 11. Uti autem quivis ſuo ſenſu abunda-

re poteſt, ita fatendum omnino fuerit, reſtrictæ illius ſuppoſitionis, nullam eſſe neceſſitatem, nam qua facilitate quis dixerit, rationem ſtatus puſtulare, ut, *ob metum obſidionis, ædes privatæ dejiciantur,* eadem quoque contendam, illam exigere, ut *v. gr. leges ferantur, milites conſcribantur,* nec temere quis probaverit, *rationem Status & dominium eminens,* iisdem limitibus, eſſe coercenda.

§. 12. Adhuc magis inuſitata & cerebrina eſt reſtrictio ZUCCOLI *diſſert. de ration. ſtat. p. 21.* qua rationem ſtatus explicat, eam *utilitatem & prudentiam, quæ, in certæ civitatis formæ introductione & conſervatione,* conſiſtat, quam, ex illiquida cognitione, profectam eſſe non dubito.

§. 13. Ex his patet, *Rationem Status & politicam* preſſe dictam, pro iisdem poſſe haberi; Utraque enim notat prudentiam, civitatis commoda promovendi; poſſe etiam velut *objectum & habitum* diſtingvi, dum, circa rationem ſtatus, ſeu utilitatem, Politica verſatur.

§. 14. *A legibus* differre *Rationem ſtatus,* manifeſtum eſt, illæ, hujus ſunt *media*, ſed non *ſola*, nam pro ratione utilitatis publicæ, leges ferri & abrogari notum eſt, quemadmodum etiam certum, quod aliis mediis, commerciis ſcilicet artibus mechanicis agricultura ſimilibusque, eadem promoveatur.

§. 15. Legibus civilibus aliquando repugnat

gnat Ratio ſtatus, & tum illæ, huic cedere debent; legibus vero divinis, quatenus hic ſupponitur, nunquam contraria eſt, apparens tamen contrarietas, in caſu neceſſitatis, occurrit.

§. 16. Jam, ut ad ſcopum veniamus, ex dictis liquet, rubricam, de *Ratione ſtatus germanici*, innuere diſquiſitionem de eo, *quod, ſalvis legibus, Civitati germanicæ, juxta regulas prudentiæ politicæ, utile aut inutile ſit.*

§. 17. Hæc Philoſophia, uti invidiæ & periculo facile obnoxia eſt, teſte *KULPISIO ad Monzamb. c. 7. §. 1.* ita propter lubricam utilitatis æſtimationem, difficillima quoque exiſtimari debet, quæ nobis, in excuſationem tractationis conciſioris & parum accuratæ, proficient.

§. 18. In univerſum, præſens utilitatis diſquiſitio, vel ad ſtatum Germaniæ *conſtituendum*, vel *conſtitutum* pertinere videtur.

§. 19. Prior tractatio expendit, *an & quænam vitia*, in ſtructura imperii germanici, hæreat, dein, *quibus remediis*, eadem tolli queant, tum, quid horum uſum & applicationem, *impediat*.

§. 20. Quo autem illa, eo rectius, inſtitui queat, in theſi rem iſtam breviter prius expendemus. Vitia in republica duplicis generis eſſe, vel *Hominum* vel *Status*, notum eſt.

§. 21. *Illa* in genere oriuntur, ab Imperantibus

tibus & Subditius, officia ſua negligentibus, *hæc* vero deſcendunt ex pactis fundamentalibus, male temperatis, quibus Civitas, finis intenti procurationi, inidonea redditur.

§. 22. Videtur autem id triplici modo contingere (1.) ſi pactis efficiatur, ne Civitas ſui juris ſit, ſed, ab extero capite, in multis dependeat (2.) ſi internus nexus non ſatis adſtringatur (3.) juſtis exterorum odiis, Civitas exponatur, quod ultimum, etiam leges poſitivæ, aliaque inſtituta, præſtare poſſunt.

§. 23. Illud tamen in genere præmonendum, nullam ſtructuram civilem, adeo perfecte ingenio humano effici poſſe, ut nulla plane incommoda eam comitentur, quare ea, pro perfecta, haberi debet, quæ minimis, aut non adeo magnis urgetur, & vitia, magis per comparationem, quam ſeorſim æſtimanda ſunt.

§. 24. Juxta hæc, ex Civitatibus *ſimplicibus*, eæ, quas *adſtrictas* diximus, regulariter, pro rebus publicis *perfectis*, haberi debent, licet, inter ſe ſpectatæ, commodis vel incommodis diſtingvantur, *laxas* vero, *vitiis ſtatus* laborare, dicendum eſt.

§. 25. E Repuspublicis *compoſitis*, illas quoque, menſuram *bonæ Civitatis* implere, exiſtimandum eſt, in quibus ſingula corpora ſui juris ſunt, habentque omne jus, provinciarum regimini neceſſarium, inter ſe vero, nexu

xu adæquate & accurate compoſito, connectuntur, ubi iſta deficiunt, ibi, *vitia ſtatus* agnoſcere par eſt.

§. 26. In ſpecie igitur, in *Monarchia degenerante*, talia occurrunt, quæ ſummatim in eo conſiſtunt, quod tale corpus, *neque ad regnum ſimplex*, *neque ad ſyſtema ſociarum civitatum, exacte quadret*.

§. 27. Etſi vel maxime excipias, *nec tale corpus ad ea quadrare debere, probibentibus id legibus, ſuper ſtatu Reipublicæ latis*, v. KULPIS. *ad M. c. 7. §. 8.* non tamen, aſſertio præcedens, ideo dubia redditur, nam qui vitia ſtatus allegat, is, eadem opera, leges ipſas vitii inſimulat.

§. 28. Quod ſi ſpecialius vitia explicanda ſint, tam ad *ſingula corpora*, quam *nexum communem*, reſpiciendum erit, neque tamen eadem ſemper allegare licebit, cum, pro ratione mutationis diverſæ, illa varient.

§. 29. Poſſunt tamen, primo reſpectu, hæc occurrere v. gr. quod Imperantes ſingularum provinciarum, ſubditis ſuis, nonſatis obſtringantur, quod iidem, ab externo capite, dependeant, quod imperio, regendis provinciis neceſſario, per omnia, non fruantur, quod ipſarum provinciarum nimia ſæpe ſit infirmitas, aut multitudo.

§. 30. Secundo autem reſpectu, laxitas vinculi communis, procul dubio vitiis erit annu-

meranda, & eo majus vitium illa cenſeri debet, quo plura reperiuntur, quæ vinculum illud magis magisque laxare poſſunt & ſolent.

§. 31. Nec eſt quod excipias, tale corpus ſatis bene ſe habere poſſe, *ſi ſecundum præſcriptum legum fundamentalium, eo quo debebat modo adminiſtretur*, v. *KULPIS.d.* c.7.§.7.

§. 32. Nam ipſa laxitas, obſervantiæ obſtat, hinc fruſtra exigimus & expectamus effectum, quem leges illæ præſtare nequeunt; ſi magna hominum multitudo, pacto æquali, prolixe & accurate deſcripto, coaleſceret, non tamen inde orietur corpus validum, licet, obſervantiam pacti fundamentalis, ſingulis inculces, nam illud, connectendis hominum, ad validam operationem, voluntatibus, in ſe inſufficiens eſt.

§. 33. Ex iſtis autem vitiis, non poteſt non maxima ejusmodi corporis imbecillitas oriri, quam eleganter repræſentat *PUFENDORF. de republ. irregular.* §. 27. *in publicum*, inquiens, *lenta & frigida ſunt conſilia, dilatandæ Reipublicæ nulla facultas, imo defenſio, adverſus invaſionem Exterorum, hic fere languet, dum, qui ab hoſte paulo remotior eſt, iſtas clades, velut alienas, adſpicit, & tarde demum, ac, poſt longas ſollicitationes, maligna auxilia molitur.*

§. 34. Hinc utut forte tale Corpus, ingruente & impellente magno periculo, utcunq; ſe defendere queat, ad omne tamen facinus ma-

magnum gloriæque capax, idem eſt inhabile. Singula vero iſtiusmodi corporis membra, pro diverſitate ſitus, potentiæ ac obtenti imperii civilis, vel bene, vel male ſe habent, nam de morbo, ex Perſonarum vitiis orto, jam non agimus.

§. 35. Iſta igitur vitia, reipublicæ noxia, tolli jubet Ratio ſtatus, certis *mediis*, & cum illa, a *pactis male ſe habentibus*, dependeant, hinc manifeſtum eſt, *conſenſu meliori*, omnem emendationem eſſe peragendam, huic tamen varia obſtare ſolent *impedimenta* quæ rectius, in hypotheſi, quam, in tractatione generali, cognoſcuntur.

§. 36. In ſpecie Monarchia degenerans, in nullam aliam formam, facilius reformari poteſt, quam *ſyſtematicam, vid. MONZAMB. c. 8. §. 4.* cujus doctrinæ, nullo cum effectu ſe oppoſuit *KULPIS. d. l.* Talis igitur emendatio ſi ſuſcipienda ſit, conditio ſingularum provinciarum accuratius erit definienda, dein vinculum commune, arctius adſtringendum, prout id leges ſyſtematum exigunt.

§. 37. Licet autem iſta emendatio, omnium ſit facillima, ſi comparate eam ſpectes, attamen in ſe conſiderata, ſatis difficilis, imo propemodum impoſſibilis, ob maxima, quæ ei obſtant, *impedimenta*, cenſeri debet.

§. 38. Nam provinciarum multitudo, inæqualitas, & nimia quarundam imbecillitas

impediunt, ne tale corpus in concinnum ſyſtema digeri queat: Non injuſtum quidem, mea ſententia, fuerit, imbellia ejusmodi corpora potentioribus ſubjicere, nam quæ hic ſubeſſe videtur iniquitas, ea, conſiderata utilitate publica, diſparet, attamen & ſpecies juſti, & commodi privati ſtudium, talem reformationem facile impediet.

§. 39. Id tamen etiam addendum, talem reformationem non aliter defendi poſſe, quam ſi bono fine, ad ſalutem Reipublicæ, ſuſcipiatur, nam ſi ex mera ambitione & avaritia, ad luxum magis inſtruendum, vanitatesque intendendas, fiat, tum neque juſta, neque Reipublicæ utilis, illa dici poteſt. Inprimis igitur non invaſionibus, ſed legitimo totius Civitatis conſenſu, hæc res expedienda fuerit, *add. l. 4. c. 8. §. 15.*

§. 40. Deinde, omnia ejusmodi corporis membra, ſuis quæque rationibus, ab emendatione, abhorrere, ac, in communis vinculi laxitate, & ſtatu præſente, intereſſe ſuum quærere ſolent, quod ſpecialius exponere, jam non attinet.

§. 41. Denique ſæpe morbi ignorantia, emendationi obſtat, quæ uti facile, ob mutationis incertitudinem, ac ſuperſtites priſtini ſtatus reliquias, obrepere poteſt, ita ab iis, qui morbi diſſimulatione, officium boni civis metiuntur, ac vinculum unius Reipublicæ,

dudum

dudum amiſſum, inanibus ſemper verbis deprædicant, ſtrenue conſervari ſolet.

§. 42. Quod ſi religionum diverſitas, in tali corpore, quoque occurrat, &, religionem mentiens, ſuperſtitio, nec non peſſimum illud, de diſſentientibus odio habendis, præjudicium dominetur, tum ad efficaciſſima impedimenta, hæc merito retuleris.

§. 43. Hæc ſi, ad hypotheſin, trasferenda ſint, ac ſecundum ea, *vitia ſtatus*, eorumque *remedia*, horumque *impedimenta*, in Germania, oſtendi debeant, id primo præſupponendũ, quod homini privato, etiam, de his omnibus, diſſerere liceat, ceu diximus *c.7.§.89.ſeqq.*

§. 44. Poſtea id manifeſtum eſt, disquiſitionem hanc, ſequi ſententiam, de forma imperii germanici, nam, prout hanc, civitati germanicæ, aſſignaveris, ita etiam, de vitiis ſtatus, eorumque emendatione, judicabis.

§. 45. Quid alii hinc ſenſerint, id prolixe referre ac expendere, ratio inſtituti non fert. Interim multi frigide nimis philoſophantur, *v.* BOECLER. *N.I.l.24.c.2.* VITRIAR. *J.J.P. l.4.tit.11.§.6.l.1.tit.18.§.14.* rectius, quoad pleraque incedit MONZAMB. *c.7. 8.* Quid mihi, ex hactenus dictis, Germaniæ applicandum videatur, Capita proxime præcedentia, ſatis oſtendunt, ut nihil amplius jam dicendum ſit.

§. 46. Poſtea expendamus, quid Ratio ſtatus, circa imperium Germaniæ *conſtitutum*,

 vid.

vid. §. *18.* obſervari jubeat, ubi quidem, communia omnibus civitatibus præcepta, occurrunt. Nimirum, ex generali utilitatis regula: *de bonis conſervandis & malis avertendis,* hæ fere fluunt concluſiones.

§. 47. *Vinculum commune, quo Germania cohæret, hactenus eſſe conſervandum, ne in deterius ruat magisque laxetur,* nam utique præſtat, aliquod, quam nullum vinculum, habere.

§. 48. Iſti autem dictamini, tria cumprimis obſtant vitia, *luxus, ſtudium commodi privati & perverſum, de hominibus diverſæ religionis odio habendis, præjudicium,* quæ adeo vitanda ſunt.

§. 49. Porro, *vires eſſe comparandas, quibus ſtatus Germaniæ integer, cum inſigni illa prærogativa, quà Cæſar, omnibus Regibus, præſtat, contra exterorum machinationes, queat conſervari.*

§. 50. Denique, *ſingulorum etiam Territoriorum ſtatum, a ruina, eſſe præſervandum,* hinc inconſultæ diviſiones, & omnia, vires ditionum deſtructura, vitari debent.

§. 57. Poſtea, ſepoſito ſtructuræ communis reſpectu, circa ipſa territoria, ex regulis utilitatis innoxiæ varia obſervari debent, quæ quidem magis, ad Status, ſigillatim, quam conjunctim ſpectatos, pertinent.

§. 52. Germaniam natura ſatis eſſe felicem, adeo ut illa ſive homines, ſive res ipſas

ſpe-

ſpectes, nulli civitati concedere debeat, poſt alios, breviter & eleganter oſtendit MONZAMBANO *c. 7. §. 1 ſeqq.*

§. 53. Quo igitur illa omnia, ad utilitatem civitatis, dirigantur, hoc agendum, quo, inter ſubditos, ſocialitas conſervetur, hinc, vera pietate & juſtitia, eorum animi imbuendi.

§. 54. Lites vero exortæ, quam celerrime terminari debent, ſed hoc forte magis optare, quam ſperare licet, poſtquam Jurisprudentia Germaniæ, hybrida eſſe cœpit.

§. 55. Bello quoque ſubditi aſſvefaciendi ſunt, ac inſtituta, civitati neceſſaria, introducenda, ſimulque proſpiciendum, ne alterum, in reliquorũ perniciem, nimium intumeſcat.

§ 56. Inprimis literaturæ eſt habenda ratio, quantum enim, barbaries ac ſuperſtitio, civitatibus noceat, vel ſola hierotyrannis Pontificia, illis obſtetricantibus introducta, ac hodie quoque Imperantibus gravis, docuerit.

§. 57. Non minor tamen commerciis eſt adhibenda ſollicitudo, nam uti genuinus eorum uſus, civitatibus eſt utiliſſimus, ita, niſi accuratiſſima cura ſemper eadem proſequatur Imperans, in furta facile illa degenerant.

§. 58. Quæ autem territorium fert, ad uſum rite applicari debent, hic non ſolum, externa ſoli facies excolenda, ſed &, divitiæ ſubterraneæ, eruendæ ſunt, imo ditio, ubi natura negavit, arte formanda eſt, quo uberiorem utilitatem præſtare poſſit.

§. 59

§. 59. Opes vero partæ, prudenti frugalitate ac parſimonia, conſervandæ ac collocandæ ſunt, hinc luxus vitandus, ac ineptæ circumcurſitationes ſubditis prohibendæ, *v. MONZAMB. d.c.7.§.3.*

§. 60. Inprimis cavendum, ne Exteros, in veſtibus ſimilibusque actibus, imitemur, nam uti omnis imitatio, quandam ſtuporis proprii habet confeſſionem, adeoque ignominioſa eſt, ita, dum Exterorum admirationem, animis Germanorum, tacite ingenerat, imo, commerciis inutilibus ac peregrinationibus, anſam præbet, propriæ civitati, ſumme noxia etiam cenſeri debet. Sed hic Autore opus eſt, quo deficiente, privatorum facta merito excuſantur.

§. 61. Quo autem illa, & ejus generis plura alia, ab Imperantibus, præſtari queant, Viros probos & prudentes in conſortium curarum ac regiminis, admittere, eorumque conſiliis uti debent; probitas vero & prudentia, nulli inſtituto humano, alligata cenſeri debet.

§. 62. Sed præcepta genaralia, plana ſunt, concluſiones vero ſpeciales, nemo recte formare, objectisque ſuis rite applicare poterit, niſi qui, ſingulorum objectorum, exactam habet notitiam, *uſu* potiſſimum, ac *experientia* acquiſitam. Manum igitur de tabula! nam *philoſophari quidem hic licet, ſed paucis.*

S. D. G.

VINDICIÆ
PRO
VIRO CLARISSIMO,
DN. PHILIPPO REINHARDO VITRIARIO, JCto,
ET
ANTECESSORE ORDINARIO LUGDUNENSI,
CONTRA
GOTTLIEB GERHARD TITIUM.
IN
SPECIMINE JURISPUBLICI RESTAURATI, &c.
SCRIPTÆ
à
J. J. V. L. S.
LUGDUNI BATAVORUM APUD CORNELIUM BOUTESTEIN 1698.
AC
ANNOTATIONIBUS CASTIGATÆ
à
GOTTLIEB GERHARD TITIO.

LIPSIÆ, MDCCXVII.

Digitized by Google

Gottlieb Gerhard Titius

LECTURIS

S. P. D.

PErſtrinxeram paulo liberius, in meo ſpecimine juris publici, ante annum publicato, methodum Tribonianeam, a Vitriario, ad jus publicum, applicatam. Animo Vitriarium injuriandi me id feciſſe, nemo forte facile exiſtimabit, certe non probabit, cum enim ille hacte-

Digitized by Google

minus, neque beneficio, neque injuria, mihi fuerit cognitus, quis, me humanitatem adeo exuiſſe, arbitrabitur, ut, eum ultro injuriis laceſſere, non dubitaverim? quare, quicquid tum ſcripſi, id amore & ſtudio veritatis à me factum eſt, & ſane ſi, ab aliis diſſenſiſſe, injuria eſt, nullus amplius, veritatis inquiſitioni, locus relinquitur. Quod autem, mordaciori paululum ſale, ſententiam Vitriarii perfricuerim, id ejus effecit ineptitudo, ſicut enim, ad eluendas maculas valde inolitas, acriori opus eſt lixivia, ita errores vulgares ac inſigniter inepti, liberiori etiam ſtilo ſunt caſtigandi, cum, ſi molliter cum iis agas, eorum ineptitudo ac abſurditas, non ſatis ſentiatur, & in univerſum, in diſſentiendo, modus ac diſcretio adhiberi debet, nam uti abſurdum ac improbum eſt, Virorum, de re literaria optime meritorum, ſententias, maxime, in materia probabili, acriter perſtringere, ita, è contrario, ridiculum ineptumque putandum, a nullo minorum Gentium ſcriptore, præcipue quoad ſententias evidenter falſas, diſſentire velle, niſi poſt impetratam velut veniam, timi-

dasque

dasque extenuationes, prolixe præmiſſas. Scapha potius, tum ſcapha vocanda eſt, ac falſitas ſententiæ, intrepite ac ſine circuitu, oſtendenda. Neque vero ideo quis munus judicis ſibi arrogat, qui decreto peremptorio, ac nulli provocationi amplius obnoxio, adverſam partem condemnare velit, manet potius hoc munus, penes Lectores, modus agendi ſolum variat. Interim uti facile prævidi, meam præfationem, omnibus non eſſe placituram, cum nunquam crabrones facilius irritentur, quam ſi, in jure Romano, aliquid carpas, ita inprimis Vitriarius, quem iſta res proxime tangebat, ad illam valde excanduit, hinc, in his vindiciis, non tantum methodum ſuam vindicare, ſed &, ad omnia vel pleraque loca, in quibus, vel leviter ab eodem diſſenſeram, reſpondere voluit, ita quidem, ut in ſingulis fere reſponſionibus, me nomine reſtauratoris, novatoris, Doctoris obſcuri & novicii ſuggillet, ac ſtultitiam, ſtuporem, iudiciique ingenii & memoriæ defectum largiter imputet. Enimvero

vero uti bene eſt, quod effato Vitriarii, judicia hominum nec ſtent, nec cadant, cum eum politiora ingenia, non ſcriptoribus judicioſis, ſed ineptis ſcribillatoribus, eſſe annumeratura, plane exiſtimem, ita quoad rem ipſam, nihil quidem his Vindiciis à me reſpondendum erat, ſi judicibus cordatis & prudentibus cauſa approbanda ſit, hi enim, ſi libellum meum ſua lectione dignari, ac has vindicias conferre velint, facile intelligent, à qua parte veritas ſtet. Verum propter eos, qui autoritatis præjudicio reguntur, ac inprimis, ob ipſum Vitriarium, reſpondendum eſſe videtur, ne, ex ſilentio, majores ſumat Spiritus, ac malam cauſam, his vindiciis, egregie defenſam exiſtimet; Nam profecto ita factum non eſt, cum vitreæ ſint, quas levi ictu contundere liceat: Deinde cum temporis noſtri Capitonibus, liberiores conatus valde diſpliceant, ab iisque inconſultæ præcipitantiæ facile damnentur, ideo ne & me, temerario aliquo impetu, contra Vitriarii methodum, ſcripſiſſe, exiſtimare poſſint, repli-

Digitized by Google

replicatione aliqua ipſis forte oſtendendum fuit, mihi nec animum, nec vires, mea defendendi, deeſſe. Denique cum, in his vindiciis, non tantum Vitriariana vindicentur, ſed & meo libello doctrinæ impiæ, abſurdæ ac contradictoriæ, magno numero, imputentur, hinc vel hæc imputatio reſponſionem aliquam requirere videbatur. Ob has igitur cauſas, vindiciis illis recuſis, ANNOTATIONES MEAS inſerere volui, quo ita lectores, ſi qui futuri ſunt, ex toto rationum, inter ſe pugnantium, contextu, veritatem eo rectius dijudicare posſint. Fabula agitur, millies & amplius, in orbe literario, jam acta, ſed fortaſſis ſemel ineptire licet! De eo non valde ſum ſollicitus, utrum Vitriarius ipſe, has vindicias ſcripſerit, ac ſcenæ ſaltem cauſa, quo, titulo *Viri Clariſſimi* ac *JCti*, ſe titillare poſſet, alium nominaverit, an ſtrenuus hic Vindex, à Vitriario, revera diverſus ſit, cum enim idem genius, idemque acumen in iis ſit, quod, in Inſtitutionibus Vitriarianis, deprehenditur, hinc facile exiſtimare licet, quod Vindex, ſi a Vitriario alius eſt, ſit ſtatua Dæ-

Digitized by Google

dalea, alienis nervis mota, aut ſi mavis, tibia utricularis, a Vitriario inflata, & quod adeo, hæ vindiciæ, primario ſint huic imputandæ. Interim quo fabula eo jucundior fiat, retinebo etiam hunc hominem, ac modo cum ipſo, modo cum Vitriario, modo cum utroque colloquar.

Scribeb. Lipſiæ d. 5.
Jun. 1699.

VIN-

Digitized by Google

Vindiciæ Vitriarii Castigatæ.

AD BENEVOLUM LECTOREM.

§. 1.

ANte annos viginti Dominus Vitriarius ſcripſit Genevæ Inſtitutiones Juris publici Romano-Germanici, methodo Inſtitutionum Juſtiniani; quia eam non minus Juri publico clare & facile explicando commodam & aptam exiſtimavit, quam Juri privato. Cum liber adhuc eſſet tantum manuſcriptus, etiam a ſtudioſis ita circumferretur anno 1683. incidit in manus Illuſtris Domini

Digitized by Google

*mini Mauritii, aſſeſſoris Cameræ Spirenſis, Viri omnium judicio & confesſione, ut in aliorum ſtudiorum genere, ita inprimis in ſtudio Juris publici Romano-Germanici, conſummatisſimi, qui cum eum legiſſet, ſtatim dignum iudicavit, ut prælo ſubjiceretur, id quod etiam à bibliopola Olſſen, inſcio tamen Domino Vitriario factum: cum tempore ſubſequente, anno ſc. 1686. alia editio Lugduni Batavorum ab ipſo fuiſſet curata auctior & correctior priore, non tantum viri * illuſtres & clarisſimi partim Principum conſiliarii, partim Profeſſores erudito ſuo iudicio eam probarunt, verum etiam factum eſt, ut pasſim in Academiis Germaniæ ſtudioſæ juventuti in collegiis explicaretur.*

ANNO-

* *Vid. Dn. Kulpis in tractatu de ſtudio juris publici recte inſtituendo.*

Digitized by Google

ANNOTATIO 1.

Ad hoc reſpondi in *ſpecim. l. 1. c. 1. §. 52. (84)* Non teſtlmoniis Scriptorum, ſed rationibus, librorum bonitas æſtimari debet, laborat Noſter præjudicio autoritatis humanæ, ac lectores tales etiam requirit.

§. 2.

Prodiit adhuc alia editio notis illuſtrata 1691. ſub titulo Vitriarius Illuſtratus: *Imo præſenti anno alia, cujus prior pars jam abſoluta dicitur, poſterior vero adhuc ſub prælo ſudat.*

ANNOTATIO 2.

Aſpexit lucem præteritis nundinis Lipſienſibus. Putabat nonnemo operi illi non immerito præfigi illud Lanſii contra German. p. m. 636. *Et quem hodie paulo videas literatiorem, imo quem literatorem, qui non libros parturiat amplos, tumidos, & omnium, etiam maxime diverſorum argumentorum, congerie prægnantes? quibus ſi abſurda detraxeris & expunxeris aliena, parum ſucci & genuini ſanguinis relinquetur.* Sed ego illi ſerio contradixi, nam licet ejusmodi tractatus, juxta regulas artis, non ſint concinnati, attamen rerum multifariarum collectio, inutilis cenſeri non debet. Inſtitutiones autem Vitriarianæ, nunc non ſunt abſimiles vetulæ, vitia corporis fuco occul-

Digitized by Google

cultanti, *Interea fœda adſpectu ridendaque multo Pane tumet facies.*

§. 3.

Quamvis autem pluribus viris Illuſtribus & eruditione & ingenio, & judicio Clariſſimis, ut dictum, methodus iſta placuerit probataque fuerit, tamen labente hoc anno 1698. Lipſiæ impreſſum eſt ſpecimen Juris publici Romano-Germanici à conſueta ordinis materiarumque confuſione variisque ſcriptorum præjudiciis adæquata brevitate reſtituti. Auctore Gottlieb Gerhard Titio, *in cujus præfatione auctor obſcuri hactenus.*

ANNOTATIO 3.

Sed qui, ob illuſtre certamen, cum Viro Clariſſimo, Vitriario, inſtitutum, iſtas obſcuritatis tenebras, ſi Diis placet, evadet!

§. 4.

Si non ficti nominis,

ANNO-

ANNOTATIO 4.

Forte eſt ille Titius, de quo Poeta *Horat. l. 1. Epiſt. 3. v. 9. Quid Titius Romana breui venturus in ora?* ob audax nimirum facinus, quo Vitriarium, Virum Clariſſimum, aggredi non dubitavit. Tros Rutulusve fuat, veri an ficti nominis Autor, nihil hactenus refert, dummodo ineptias Vitriarianas, rationibus non fictis, oſtenderit!

§. 5.

Methodum Cl. Vitriarii, ut abſurdam & ineptam tradendo juri publico diffamat: quæ cum ipſe legiſſet, rationes autem vel nullas, vel leves, verum cavillationes tantum & convicia vidiſſet, hominem contemtu potius, quam ſua reſponſione dignum judicavit.

ANNOTATIO 5.

Utinam non reſpondiſſes Vitriari! jam enim intelligent lectores, te & ſub tuo nomine, & vindicis larva, imperite ſcribere.

§. 6.

Cum autem alii ques vel in partes trahit, vel etiam quibus non vacat, ut hæc

Digitized by Google

hæc accuratiori examini ſubjiciant, facile ea pro veris arripere, & hac ratione labes libro aſpergi poſſet, ego, qui jam aliquoties collegiis Dni Vitriarii interfui, ejusque mentem ſatis mihi perſpectam eſſe puto.

ANNOTATIO 6.

Eſt in juvencis patrum virtus. Et filii vox, tanquam Patris, intelligitur, dicente Magnifico Triboniano §. 4. *J. de inutil. ſtipulat.*

§. 7.

Ob pietatem quam ipſi debeo ferre nolui, ut iſta convicia inulta manerent.

ANNOTATIO 7.

Subit ira cadentem ulciſci patriam!

§. 8.

Propterea pro ipſo vindicias has contra dictum Titium adornare debui, ut omnibus pateret quam vel nullis, vel levibus rationibus & meris cavillatio-

tionibus Cl. Virum aggredi ſuſtinuerit.

ANNOTATIO 8.

Nunc omnis populus poterit ſpectare triumphos
Cumque Ducum titulis oppida capta leget!

§. 9.

In eo vindicando ſoleo præmittere verba dicti Titii, & reſponſionem ſtatim ſubjicere.

ANNOTATIO 9.

Quam ſemper ſequitur Titii annotatio, quæ ſtrophas vindicis detegit.

§. 10.

Quid præſtitum jam fuerit vel ab uno vel altero, benevolus lector judicabit.

ANNOTATIO 10.

Ac videbit, maxime ſi annotationes conferre velit, quod omne Vindicis artificium in eo conſiſtat, quod vel ſupponat illud, de quo quæritur, vel ſtatum controverſiæ mutet, vel ad aliena dilabatur, vel, bajulorum aut anicularum more, convicietur, imperitiam vero ſine arte paſſim oſtendat. Sed hæc ex ſequentibus diſtinctius intelligentur.

§. 11.

Digitized by Google

§. 11.

Verba Titii Reſtauratoris.

ANNOTATIO 11.

Malo dici Reſtaurator, quam, cum Vitriario, imitator Tribonianeus. *O imitatores ſervum pecus!*

§. 12.

PRimum incommodum non immerito illud habetur, quod materiæ cognitu valde neceſſariæ, ſed quarum illa trium vocabulorum methodus capax non eſt, vel omnino omitti vel obiter ſaltem tractari ſoleant v. gr. diſquiſitio de Imperii Romano-Germanici origine, merito fundamentalis pars exiſtimatur, ſine qua ſpecialior Imperatoris Germaniæque jurium tractatio, rite inſtitui nequit. Porro tractatio de forma Imperii Romano-Germanici inter principales jure ſuo refertur, nam in ea, velut in centro, vniverſum jus publicum confluit ac ejus ope jurium Germanicorum, ad normam generalem relatorum, indoles ſolide demum intelligitur, ſed cum neutri methodus Tribonianea locum aliquem

liquem relinqueret, illam occaſione tituli Imperatorii l. 1. tit. 4. §. 4. 5. hanc in tractatu de ſubditis imperii l. 1. tit. 19. §. 23. incidenter & frigidiſſime inſtituit.

RESPONSIO.

Sciendum eſt ſcripſiſſe Cl. Vitriarium Inſtitutiones Juris Publici Romano-Germanici, non vero tradere voluiſſe vel hiſtoricam vel Geographicam Germaniæ deſcriptionem; in qua omnino inquirendum in originem Germanorum, varia eorum nomina, linguam, mores, varias per temporum intervalla viciſſitudines & mutationes; Jus publicum autem exhibet leges publicas & ea, quæ faciunt ad earum interpretationem. vid. reſtauratorem noſtrum *lib. 1. c. 1. §. 33. (68. qui tamen interpolatus eſt.)*

ANNOTATIO 12.

Calva eſt hæc excuſatio, ego non requiro, ut hiſtoria aut Geographia Germanica, in jure publico, tradatur, ſed ut, origo imperii Germanici, & utraque breviter ac ſuccincte exhibeatur, nam ſine hac, tractationem ſpecialem jurium Germanicorum, non poſſe inſtitui, recta ratio ſatis oſtendit, nec, vel levi ratione, à miſero Vindice negari potuit.

§. 13.

Qui ſui ipſius immemor jam aliud à Viro Cl. exigit, etiam, ſumma cum confuſione eorum quæ erant ſeparanda, aliud agit *lib. 2. cap. 1. §. 6. & ſeqq. (l. 1. c. 2. §. 7. ſeqq.)* cum hæc tan-

Digitized by Google

tantum ex Germanica hiſtoria & Geographia ſint præſupponenda, vel etiam, per remiſſionem ad ſcriptores, tractanda.

ANNOTATIO 13.

Hæc bene cohærent: *In jure publico leges publicæ tractandæ ſunt*, & tamen *origo imperii ex hiſtoria quoque breviter præmittenda*, hinc dum illa ſcripſi, mei non fui immemor, tu vero, mi Vindex iſta jactando, ſtultitiam cordatis oſtendis. In explicatione autem originis imperii Germanici, à me confuſionem eſſe admiſſam, id vero probandum erat, non enim quid tu garrias, ſed quid probes, lectores conſiderabunt.

§. 14.

Hinc in dicto *lib. 1. tit. 4.* inquiſivit tantum à quo tempore in Germaniam imperium Romanum ſit translatum, ex quibus cauſis, quid Germani ex tali translatione ſint conſecuti, an utilis ſit? quæ omnia ad jus publicum Romano-Germanicum interpretandum, docendum, & diſcendum ſufficiunt, & apud cordatos viros evincunt, ea nec incidenter nec frigidiſſime, pro ratione inſtituti ſui, eſſe tractata, ſecus ac novus hic philoſophus corrupto & iniquo judicio æſtimat.

ANNOTATIO 14.

Judicium & cenſura mea adhuc ſubſiſtit, quia tu, tractationem Vitriarii mancam ſufficere, aſſeris ſaltem, ſed non probas, & ſi Vitriarius tradendam ſibi eſſe putavit *translationem imperii Romani ad Germanos*, quo judicio *originem Germaniæ* omiſit?

ſit? imo ſi, ut modo dicebas Vindex, illa ſaltem præſupponenda & remiſſive tractanda ſunt, cur Vitriarius quædam propoſuit? plane enim illa omittere debebat, ex tua quidem ſententia! nimirum Vitriarius, ſub ſuo nomine, male ſcribit, ac, ſub larva Vindicis, male dicta pejus defendit!

§. 15.

Ex quo ſequitur, tria iſta vocabula Triboniani, apta omnino eſſe, ut omnia, quæ ad Juris publici notitiam pertinent, poſſint tractari. Imo ſi apta ſint, ut frigidiſſime tractentur, ut fatetur inſulſus iſte philoſophus, etiam apta ſunt, ut ſolide & accurate hoc fiat.

ANNOTATIO 15.

[E]go dixi, quod Vitriarius, de origine imperii Germanici, *incidenter & frigidiſſime* egerit, illud lapſum in *ordine*, hoc in *tractatione* arguit. Jam tu inſulſe Vindex, prædicatum poſterius ad ordinem transfers, atque ita, te vel ſophiſtam vel valde ſtupidum eſſe, oſtendis, ſic debebas inferre: *ſi juxta methodum Triboniani, materia aliqua* incidenter *poteſt tractari, ergo etiam* congrue & in loco proprio *id fieri poteſt*, ſic abſurditatem illationis forte vidiſſes, nam alias, loco alieno & incidenter, materiam aliquam, plene poſſe etiam tractari, non nego, interim quia nec hoc à Vitriario factum erat, recte etiam, præter confuſionem in ordine frigidiſſimam tractationem ei imputavi.

§. 16.

Quæſtio de imperii forma, etiam commo-

do & debito loco ſolide, quantum inſtituti ratio patitur, eſt propoſita: forma enim imperii ordinem tradit inter imperantes & parentes, ſuam denominationem accipit à ſubjecto majeſtatis exiſtentiæ, quod cum in præcedentibus titulis, à Cl. Viro, præſtitum fuiſſet, firma ratione concludere potuit, quod forma Imperii ſit mixta, in quo ſubjecta majeſtatis exiſtentiæ ſunt mixta, ut hoc leges imperii fundamentales & recta ratio, licet forte philoſophus noſter hoc non intelligat, docent.

ANNOTATIO 16.

De forma reipublicæ ſolide judicari nequit, niſi cognitis ex univerſa diſciplina Cæſaris Statuumque juribus, ceu probavi in *ſpecim. l. 6. (7.) c. 7. §. 5.* cum vero Vitriarius in *lib. 1.* pauciſſima jura attulerit, exinde utique ſequitur, quod disquiſitio de forma imperii in *d. lib.* propoſita, alieno loco & incidenter ſit inſtituta, ad hoc reſpondendum tibi erat, Vindex, non mera aſſertione defungendum. Quod porro frigidiſſime idem egerit de forma imperii, id quidem manifeſtum eſt, quid enim ineptius illa Vitriarii cantilena: *In quocunque imperio ſubjecta majeſtatis exiſtentiæ ſunt mixta, ibi forma eſt mixta?* quid ſunt *ſubjecta mixta?* an idem quod *plura?* tum vero ſaltem ariſtocratia aut democratia inde ſequitur, non civitas mixta, an idem, quod *ſubjecta monarchica & ariſtocratica?* tum vero idem per idem, incertum per æque incertum, definitur.

§. 17.

§. 17.

Nec curandum eſt, quod nihil magis ridiculum dicat novus reſtaurator, quam ſi quis putet, non aliter proſpici poſſe ſecuritati Imperii noſtri, quam ſi mixtura in eodem aſſeratur *lib.6.c.7.§.85.(l.7.c.7.§.85. ubi etiam ratio addita)* Democritus enim hic redivivus nullam allegat ſui riſus rationem vel cauſam.

ANNOTATIO 17.

Cauſam adduxi in *ſpec.l.6.(7) c.7.§.55.ſeqq.* ex qua tractatione liquet, quod vel mixtura non detur (qualis etiam eſt Vitriariana) vel incidat in talem formam, quam tamen mixturæ Patroni, in imperio noſtro, eſſe negant, jam nonne ridiculum eſt, ſecuritatem reipublicæ æſtimare ex forma, quæ vel non eſt, vel quæ in republica (ſub aliis ſaltem terminis) eſſe negatur?

§. 18.

Et niſi ejus ſtultitiæ hoc tribuas, excuſari non poteſt: ridet enim Imperii leges, vid. *art.8.§.1.Inſtr.pac.Svec.* ridet Imperii Principes, qui idem exiſtimant, vid. *literas Elect. Saxoniæ ad Ferd.II. de anno 1630. 24.Aug.* exhibentur in theatro Europ. *tom.II.p.194.circa fin.*

ANNOTATIO 18.

Tu vero Vitriari larvate, conſuetæ ſtultitiæ hic etiam edis documentum; in allegato *art.8.§.1.2.* nihil habetur de *mixtura*. Silent eam literæ Electoris Saxoniæ, quæ ſaltem queruntur, quod

Ferdinandus II. contra leges imperii & libertatem Statuum, *abſolutum imperium* ſibi arroget. Tu valde lepidus es, mi homo, quando ex eo, quod Cæſari omne imperium in Germania non competat, ineptam tuam mixturam ſtatim ſequi putas,

§. 19.

Inde etiam rejecit opiniones quæ videntur erroneæ eſſe, imo, ſi ea, quæ ſcripſit, conferantur cum iis, quæ Thraſo Germanicus abſurde admodum, confuſe & impie tradit *lib. 6. (7) cap. 7. §. 75. & ſeqq.* meliora longe ſunt & ſolidiora: eo enim philoſophia ſua delapſus eſt, ut vel ipſe neſciat, ad minimum non audeat dicere, quæ ſit forma imperii noſtri, vid. *d. c. §. 96. (hic §. in nova editione, eſt omiſſus, quia defectum l. 7. c. 5. ſupplevi)* multa enim & ſolida, non ex verbis eorumque multitudine & faſtu, ſed ex re æſtimanda ſunt.

ANNOTATIO 19.

Quod me Thraſonem dicas, convitium eſt, ruſtico ingenio tuo condonandum, ubi enim falſa jacto? abſurde, confuſe & impie, de formis imperiorum, me diſſeruiſſe, tu more tuo dicis, ſed non probas, abeunt illa quidem longiſſime, à næniis Vitriarianis, ſed impietatem, abſurditatem ac confuſionem, nec tu, nec ullus alius temere docuerit. Quod diſerte, de forma imperii noſtri, non pronunciaverim, ejus rei habui cauſas, ſi opus erit, rectius de ea pronunciabo, quam Vitriarius vel ipſius Vindex.

§. 20.

§. 20.

Quod tandem in dicto loco miratur, quod in tractatu de perſonis, Imperio Romano-Germanico, velut perſonæ morali compoſitæ, non tribuerit primum locum, & quod forte ideo hoc fecerit, quia in verba magiſtri juravit, qui nullas niſi perſonas ſingulares intellexit, vanum eſt & vani capitis indicium, ſicut non tantum ex hoc loco, ſed ubique ex ſpecimine ejus apparet. Certe magiſter Dni Vitriarii eam eruditionis ſolidæ laudem eſt promeritus, ut hic ſciolus ne quidem dignus ſit, ut cum eo in comparationem deduci debeat, neque iſtud futurum ſpes ſit, niſi cerebrum ab inſanis & monſtroſis conceptibus quos erudito orbi obtrudere ſatagit, purget. Imo, mirandum, tertii hujus è cœlo delapſi Catonis philoſophiam adeo eſſe obtuſam, ut non videat, eadem opera, qua imperantes in Imperio Romano-Germanico recenſetur, agi de eo, ut eſt perſona moralis, ejus hic membra proponi.

ANNOTATIO 20.

Hoc intelligo, civitatem ex perſonis *imperantibus & parentibus* componi, ſicut etiam, quod illa per Imperantes ſæpe *repræſentetur.* Interim nihilominus verum eſt, quod *tota civitas*, ab *Imperantibus & parentibus ſigillatim ſpectatis*, ſit diverſa, & quod adeo *illius* conſideratio ab *horum* conſideratione

 tione

tione omnino differat. Jam, illius tractationem, a Vitriario hactenus bonis rationibus poſtulavi, hic adjeci, quod eam etiam dare potuerit, niſi, qui ipſius ſtupor eſt, methodum ſuam, ad ſolas perſonas *ſingulares*, reſtrinxerit; ad hoc reſpondendum erat, non ad aliena digrediendum!

§. 21.

Legat Bœcleri diſſertationem Grotianam, de eo quod civitas egit, *pag. 42. & ſeqq.* imprimis *pag. 49.* ubi ejus verba hæc ſunt: *nihil enim certius apud philoſophos hac ſententia: quicquid majeſtas agit, ſive quicquid habentes majeſtatem agunt, id a civitate, idque adeo ab omnibus civibus actum cenſeri debet. Neque quidquam abſurdius dici poteſt, quam ſummam poteſtatem civitatis, civitati opponere:* IN QUEMCUNQUE ENIM VEL QUOSCUNQUE CIVITAS SUMMAM POTESTATEM CONTULIT, ILLE VEL ILLI REFERUNT PERSONAM CIVITATIS. Ex his videbit Magiſtrum Dni Vitriarii non tantum perſonas ſingulares intellexiſſe, ſed & morales.

ANNOTATIO 21.

Hoc video, quod & Vitriarius, & Vindex inſaniat, quæ ego de *Magiſtro Vitriarii*, in præfatione dixi, ea ſtipites hi, de *præceptore* ejus, ac ſpeciatim de *Bœclero* explicant, ego profecto nunquam vel fando aliquid, de Vitriarii præceptoribus, in-

inaudivi, qui igitur ignorantiam perſonarum moralium compoſitarum iis imputare potuerim? & quis, niſi fungus, ex verborum meorum contextu non videt, me per Vitriarii magiſtrum, intellexiſſe *Tribonianum?* hic enim in inſtitutionibus ſuis perſonas morales compoſitas non habet, & Vitriarii magiſter eſt, dum ei methodum ſuppeditat. Navigate Anticyras & capita inſana helleboro purgate largiter!

§. 22.

Tandem, quo acumine videre potuit hic agi de perſonis ſingularibus & individuis, cum agatur de imperantibus in Imperio Romano-Germanico in genere. Ubi fit mentio Leopoldi? Joſephi? &c. verum ut videtur, novo huic philoſopho, ſub novo conceptu, perſonæ in genere conſideratæ, apparuerunt, ut ſingulæ, abſurde admodum!

ANNOTATIO 22.

Imperantes, quæ una perſona conſtant, ſunt *perſonæ morales ſingulares,* ſive in abſtracto ſive in *concreto,* v. gr. in Leopoldo, conſiderentur, ergo ecclipſis judicii eſt, quando Vindex, *illas* putat eſſe, *perſonas morales compoſitas.* Sed quid ab hoc homine expectes, qui paulo ante, evidenti imperitiæ argumento, perſonas *ſingulares* & *morales* ſibi invicem oppoſuit?

§. 23.

Verba Titii Reſtauratoris.

Alterum vitium in ordine præpoſtero recte conſtitueris, quo imitaretur Vitriarius divi-

Digitized by Google

diviſionem Tribonianeam in liberos & ſervos, perſonas ſtatim diſtinxit *lib. 1. tit. 3.* in Imperantes & Parentes, ſed hæc diviſio perinde temeraria eſt, ac ſi homines eminus conſpectos, & extra ſphæram oculorum conſtitutos, in Mares & Fœminas velis diſpeſcere, nam quis in Germania ſubditus ſit dicendus, illud valde dubium eſt, nec poterit ea de re judicari, niſi jura Imperatoris Procerumque ex univerſa juris publici diſciplina accurate cognoveris.

RESPONSIO.

Juſtus & naturæ rei, ſive omni diſciplinæ practicæ conveniens ordo eſt, ut poſt finem agatur de ejus objecto & partibus ejus, in quibus finem quærit, qui ordo cum etiam in omni Jurisprudentia poſſit ſervari, etiam ſervari poteſt in Jurisprudentia publica, quæ a privata tantum objecto, non vero modo tractandi differt, quicquid etiam ſine ratione & fundamento ineptiat novus hic Philoſophus in præfatione ad lectorem *pag. 10. & lib. 1. cap. 1. §. 30. (65.)* neque enim vel Tribonianus vel alius quiſquam Jurisprudentiæ ſive in genere, ſive in ſpecie Jurisprudentiæ Germanorum hunc ordinem præſcripſit, ſed ipſius rei natura, ut dictum, eum exigit, eum oſtendit atque docet: hic nullum vitium eſt, aut ſi aliquod ſit, non in ordine hoc quærendum, ſed in novi hujus reſtauratoris mente.

ANNO-

ANNOTATIO 23.

Si dixiſſe ſufficit, dudum vincit Vindex! ſed, mi homo, ego methodum illam, practicis diſciplinis adhibendam, quam tu, ex rancidis philoſophiæ ſcholaſticæ hypotheſibus, hic aſſeris, velut ineptum hominum obſcurorum commentum, rejeci, quia non licet methodum, ante objectum, fingere, ſed ex hoc, illa fluere debet, ineptis igitur, quando id, de quo quæritur, velut certum & conceſſum præſupponis.

§. 24.

Et ſicut non eſt temerarium, homines eminus conſtitutos ſive cominus, eos dividere in mares ratione ſexus, aut fœminas: de hermaphroditis nihil dico, ſi enim dentur, erit præter regulam: ita optima ratione in omni civitate omnes perſonæ, ſive accurate notam habeas ejus formam, ſive non, dividuntur in imperantes, & (aut) parentes, ea enim quæ rei eſſentiam in genere reſpiciunt, in quacunque ſpecie oportet ut deprehendantur: quamvis verum ſit, ſi homines eminus conſpiciam, quod temerarium ſit, ſi dicam ſunt & mares & fœminæ, aliud enim eſt, ſunt aut mares aut fœminæ, aliud ſunt & mares & fœminæ: illud certum, hoc temerarium eſt.

ANNOTATIO 24.

Poterit diviſio tripliciter explicari, vel (1) ita, *in hominibus eminus viſis, aut eſt ſexus maſculinus aut fœmini-*

mininus, ſine ulla ſubjecti determinatione, hoc ſenſu certa eſt aſſertio, vel (2) homines illi, *aut tantum mares ſunt, aut tantum fœminæ*, tum eſt temeraria, quia poſſunt eſſe conjunctim mares & fœminæ, vel (3) *aut partim mares ſunt, aut partim fœminæ*, hoc ſenſu cum diviſione *in mares & fœminas* coincidit, ac itidem temeraria eſt, quia tantum mares aut fœminæ eſſe queunt, in quod ultimum Vindex conſentit. Jam is quidem hic credi vult, quod Vitriarius primum ſenſum fuerit ſectatus, ſed ego mox oſtendam, quod in tertio ſenſu ille diviſionem ſuam propoſuerit, adeoque, vel judicio Vindicis, *temerarius* ſit.

§. 25.

Et ſi noſter philoſophus animum advertiſſet ad particulum *aut*, qua Dn. Vitriarius utitur, forte ab hoc intempeſtiva cenſura abſtinuiſſet.

ANNOTATIO 25.

Noli credere! nam diviſio Vitriarii, qua homines, *in Imperantes aut parentes* diſtinguit, hunc habet ſenſum, homines *partim ſunt Imperantes, partim parentes*, ſeu quod eodem recidit, *homines ſunt imperantes & parentes*. Probo ex *d. tit. 3. lib. 1.* nam poſtquam illa dixerat Vitriarius, deinde determinat ſubjecta, oſtendit Imperantes, nempe *Imperatorem, Regem Romanum, Vicarios, Status imperii*, & parentes, nimirum hi ſunt *omnes præter Imperatorem*, hoccine eſt, in genere dividere homines, *in imperantes aut parentes* nulla facta ſubjectorum determinatione? annon potius eſt, in effectu dicere, homines ſunt *imperantes & paren-*

rentes? hoc ultimum hic perſpicue oſtendi, hinc antea etiam in mea cenſura nihil peccavi, quando in locum ambiguæ vocis: *aut*, ſubſtitui clariorem: *Et.* Tu vero, Vitriari, tuæ exiſtimationi male proſpicis, quando, ſub larva Vindicis, te ipſum *temerarium* dicis, talis ergo nunc es, & veritate & tua ſententia! magis te hic ſapuit magiſter tuus, Tribonianus, qui à determinatione ſubjectorum abſtinuit.

§. 26.

Unde non obſtat: quod in Germania dubium ſit, quis ſit ſubditus; quamvis enim in ſpecie forte hoc dubium eſſe quibusdam poſſit, nullus tamen de eo dubitat, quin omnes perſonæ aut imperantes ſint aut parentes in Imperio Romano-Germanico.

ANNOTATIO 26.

Si diviſio primo ſenſu, antea notato, intelligatur, tum *certa* quidem eſt, ſed eo illam propoſuiſſe Vitriarium modo negavi & probavi. Si autem ſecundo ſenſu accipiatur, tum plane foret *falſa*, quia non unum tantum hominum genus, ſed utique duplex in Germania occurrit. Si denique tertio ſenſu capiatur (nempe homines eſſe Imperantes & parentes quo ſenſu Vitriarium eam accepiſſe modo oſtendi) tum vera quidem eſt, ſed *temeraria* i. e. eo loco propoſita, ubi proponi non debebat, nam lectores vel eam hactenus non intelligent, ſed ſola verba tenebunt, vel falſo conceptu imbuentur, vel ſi verum conceptum habere velint, antea jura Cæſaris ac Statuum imperii, ex tota juris publici diſciplina,

co-

cognoſcere debent, quæ omnia temeritatem oſtendunt. Quod ſi autem lectores periti ſint, qui diviſionem ſatis intelligant, illi tamen, ex ordine cognitionis ſuæ, judicabunt, præpoſtere eam eſſe propoſitam.

§. 27.

Et cum Doctori juris, qui jus publicum vel docet vel ſcribit, hoc ex Regiminis forma notum & certum eſſe debeat, temerarium non eſt, ſi eos recenſeat, antequam de juribus cujusque tractavit, ſed id facit, quod ordô & methodus diſciplinæ, quam tradit poſtulat, licet ſi is, qui jus publicum nunquam didicit, vel ſtatim Reip. Romano-Germanicæ plane ignorat, id faceret, à temeritate non eſſet excuſandus.

ANNOTATIO 27.

De methodo tua taceas, velim, quia ſomnium eſt, ne leviter quidem vel alibi, vel hic probatum. Diſtinctio autem, quam nunc facis inter *juris peritum & imperitum*, cum antea dictis tuis non ſatis cohæret, nam ſi diviſio, in *Imperantes aut parentes*, primo ſenſu, quam antea notavi, accipiatur, quia certa eſt, cur eam non eodem jure proponeret imperitus quo peritus? (diſputo κατ' ἄνθρωπον, nam hac ratione hactenus Vitriarium defendit Vindex, licet fruſtra, cum illa ad eum non quadret; Alias diviſionem illam indeterminatam, à ſubjectis abſtractam, ſub initium Jurisprudentiæ publicæ, non quidem *temere*, attamen *otioſe* proponi, plane etiam exiſtimo,

mo, ut hoc præcedentibus adjiciam, quia nullius uſus eſt) ſi vero capiatur tertio ſenſu, quem antea expoſui, quoque Vitriarium eam ſumſiſſe oſtendi, tum nec juris imperitus, nec peritus, eam proponere debet, quia illa, ut ex annotatione præcedenti liquet, lectores imperitos confundit, peritis autem ſcriptoris confuſionem ob oculos ponit.

§. 28.

Verba Titii Reſtauratoris.

Ulterius non omittenda videbatur diviſio in res mobiles & immobiles, in harum exemplum feuda Imperii producuntur, & ne nimis arida eſſet tractatio, modus inveſtituræ ejusque renovatio exponitur l. 2. tit. 1. ſed cum inveſtitura acquiſitionem ſuperioritatis territorialis conſummet, ac adeo ſemper electionem vel ſucceſſionem aliamve collationem præſupponat, de his modis autem acquirendi, demum agatur lib. 3. tit. 20. hinc ὕστερον πρώτερον eſt liquidiſſimum, non alia fortaſſis cauſa, quam methodi vitio productum.

RESPONSIO.

Nec hic vitium methodi eſt, quia omnino methodus juridica vult, ut poſt perſonas tractetur de rebus.

ANNOTATIO 28.

Tace tandem de illis nugis, methodus tua juridica, eſt vani capitis, vanum commentum! proba ſi vir es, non per ſtultam principii petitionem ſuppone illud, de quo controverſia eſt.

§. 29.

§. 29.

Verum vitium eſſet Dni Vitriarii, qui non bene & convenienti loco diſpoſuit: ſed nec hoc dicendum: cum enim agat de feudis Imperii in genere, prout conſiderantur ut res corporales immobiles, & abſtrahat à juribus ſuperioritatis, occaſione ipſorum competentibus, merito hic egit de inveſtitura rerum ejusque renovatione, tanquam de modo, quo feuda acquirimus potius, quam ſuperioritatem territorialem, quæ ratione ipſorum, in formula inveſtiturarum, concedi ſolet, licet non ſit negandum, etiam regalia per inveſtituram acquiri, & ſic ibi tractari potuiſſe; quod tamen non factum ob dictam rationem, non vero, ne nimis arida eſſet tractatio; potuiſſent enim omnia Imperii feuda ab Imperio avulſa pluribus, quam ob inſtituti rationem factum eſt, in dicto libro exhiberi.

ANNOTATIO 29.

Quid fecerit Vitriarius, tu ſaltem recenſes, Vindex, ſed quod recte fecerit, hoc oſtendere debuiſſes, ſed quî potuiſſes, cum ne quidem cenſuram meam intellexeris? hoc ego reprehendi, quod Vitriarius prius egerit de *inveſtitura*, quam de *electione & ſucceſſione*, cum tamen hæ illam antecedant, tu vero hic garris de *ſuperioritate territoriali*, *inveſtituræ poſtpoſita*, quamvis utique & hæc confuſio non ferenda ſit, de ea tamen hactenus locutus non eram.

§. 30.

§. 30.

Verba Titii Reſtauratoris.

Tertio iſta methodus otioſas peperit repetitiones, exemplum præbet jam memorata diviſio rerum in mobiles & immobiles, nam illas dicit l. 2. tit. 1. eſſe res, quæ in actu coronationis adhibentur, de quibus dictum ſit in titulo: *de modo perveniendi ad Imperium*, ergo nihil repetitionem poſtulabat, niſi methodi incongruitas.

RESPONSIO.

Levis certe objectio.

ANNOTATIO 30.

Et tu tamen ad eam reſpondere non potuiſti! forte tam levis non eſt, ut tu quidem credi vis. Fateor quod illa Vitriarii repetitio non multum chartæ abſumſerit, adeoque hactenus mea objectio levis videri potuerit, aſt ſi illa repetitio, juxta regulas ordinare ratiocinandi, examinetur, ſat gravis error, ac mea objectio, non levis cenſeri debet. Perpende ſis lector: Vitriarius *l. 1. c. 8.* recenſuit *inſignia* ſeu *Clinodia*, quæ vocant, in actu coronationis adhiberi ſolita, potuiſſent nunc illa cum honore dimitti, quia locus iſte iis erat proprius. Sed *l. 2. c. 1.* vi methodi ſuæ, denuo ea in genere proponit, quoad ſpecialem vero eorum recenſionem ſe ad *d. c. 8.* remittit. Nonne igitur methodus illa ſtulta eſt, quæ ſine ulla cauſa eandem rem bis proponi jubet? nonne ille ſcriptor inſanit, qui eo loco, ubi principaliter de aliqua re agendum eſt (quod juxta e-

legantem methodum Tribonianeo-Vitriarianam *d.l.2.c.1.* fieri debebat) remiſſione defungitur?

§. 31.

Quid ſi reſtaurator novus *lib.4.(5.)c.1.* de iis egiſſet, quod tamen non fecit.

ANNOTATIO 31.

Feci *l.4.c.2.§.17.(l.5.c.2.§.18.)* citando *Schwederum*, nam illa carmina, à ſexcentis jam deſcripta & exſcripta, amplius exſcribere, brevitatis ſtudio, nolui ceu ibi jam dixi.

§. 32.

An propterea ſi in ſequentibus libris vel titulis de Imperii bonis tractaret.

ANNOTATIO 32.

De quibus vero? de *Clinodiis coronationis?* ſic vero imitarer ſtultitiam Vitriarii, quod non temere faciam! an de *rebus imperii immobilibus?* de his ſatis egi, nunquam tamen, quod ſciam, bis eandem rem propoſui more Vitriariano, ſicut etiam illas res nunquam, ſine juribus ſuis, adduxi, quod Vitriarius, ſine judicio & ſine effectu, conatus eſt.

§. 33.

Quod etiam omiſſum, ita ut & hic & pluribus aliis in locis ejus ſpecimen imperfectione laboret.

ANNOTATIO 33.

Pro ſcripto omnibus numeris abſoluto, ſpecimen meum non vendito, tu tamen imperfectionem aliquam nondum oſtendiſti.

§. 34.

§. 34.

Se ad priora referret, otioſa eſſet repetitio? an vero neceſſaria potius, ne idem bis diceretur?

ANNOTATIO 34.

Quid hoc eſt: *neceſſaria eſt repetitio, ne idem bis diceretur?* ſi repetitur, bis dicitur! hæc igitur ſibi contradicunt! forte pro: *repetitio* voluit dicere: *remiſſio*, condonemus igitur hoc homini.

§. 35.

An quando ſtatim in principio ſui ſpeciminis *interim* præſupponit qualem qualem ſtatus Germaniæ publici cognitionem, & ſic ſe refert ad *lib. 6. (7.) cap. 7.* hæc tacita relatio, quæ conſiſtit in voce *interim*, eſt otioſa? an eſt ex vitio methodi? an vero potius res hoc exigit?

ANNOTATIO 35.

Ego non improbo *remiſſiones*, ſed *repetitiones otioſas*, ſive *prolixas* ſive *remiſſione contractas*, qualem fecerat Vitriarius. Interim falleris, quando putas me reſpexiſſe ad *l. 6. (7.) c. 7.* ego præſuppono qualem qualem cognitionem, ex toto tractatu, non uno ejus capite, deinde excolendam.

§. 36.

Verba Titii Reſtauratoris.

Quarto cauſatur illa diſtractiones rerum conjungendarum. Solennes Vitriarii ſunt formulæ: de hac poteſtate Imperatoris plura

(C) 2 dice-

dicemus *lib.3.* de juribus regis Romani infra *lib. 3.* plura dicemus: de poteſtate in ſpecie vicariis conceſſa agimus *lib.3. &c.* atqui præſtabat res connexas una ſerie proponere, quam invitas diſcerpere! nunc quævis tractatio fere hiat, ac velut indignabunda partem ſibi ereptam repoſcit, & eadem opera methodi ineptitudinem auctori exprobrat.

RESPONSIO.

Jam à nobis dictum Cl. Vitriarium tradere Inſtitutiones Juris publici ſecundum ordinem, quem res ipſa ſive Jurisprudentia exigit;

ANNOTATIO, 36.

Audivimus te dixiſſe, ſed nondum audivimus te etiam probaſſe, mi homo! apage tandem putidam illam principii petitionem, ac datis rationibus oſtende, quod res ipſa ſive Jurisprudentia ordinem Vitriarianum exegerit, tum magnus eris Apollo!

§. 37.

Unde neceſſario ne confundat ea, quæ ſunt ſeparanda, tractat primo de perſonis, & quia ordo & ratio docendi exigit, ut jura perſonis competentia, tanquam res incorporales abſtrahantur ab iſtis, & commodo ſuo loco collocentur, ibique doceantur & diſcantur, hic in libro primo interim tantum ſupponenda ſunt iſta jura, ſuo autem loco tractanda.

ANNO-

ANNOTATIO 37.

Hoccine eſt res incorporales à perſonis abſtrahere, quando agitut de *exiſtimatione* Cæſaris, de ejus *majeſtate capitulationibus limitata*, de ipſius *depoſitione*, *de poteſtate* Regis Romani, *de jure eum eligendi*, *de controverſiis* Vicariatuum, de *jure Electorum* &c. quæ omnia & plura alia Vitriarius *lib. 1.* proponit? imo potius hoc eſt, *ipſa jura proponere*, cur vero ab illis cætera abruperit ac *lib. 3.* reſervaverit Vitriarius, ejus rei nullam habuit cauſam, hinc methodi abſurditas inde elucet. Interim notetur, quod Vitriarius larvatus dixerit; *ſe in lib. 1. agere de perſonis, quatenus ab iis res incorporales abſtrahantur*, nam mox habebimus reum variantem.

§. 38.

Hoc obſervatur in omnibus fere diſciplinis ut interdum quædam tantum ſupponamus vel per indicem dicamus commodiori poſtea loco explicanda. Sic optima ratione Tribonianus in titulo *per quas perſonas cuique acquiritur* §. *6.* dicit: *hactenus tantiſper admonuiſſe ſufficit, quemadmodum ſingulæ res vobis acquirantur: nam legatorum jus, quo & ipſæ ſingulæ res vobis acquiruntur, item fidei commiſſorum ubi ſingulæ res vobis relinquuntur, opportunius inferiore loco referemus.* Quamvis enim legata & fideicommiſſa ſingularia, ſint modi acquirendi dominium ſingulares, & ſic cum uſucapione & donatione conjungi debuiſ-

ſent, tamen quia ſunt acceſſoria teſtamenti, recte Tribonianus poſt teſtamenta ea proponit & explicat.

ANNOTATIO 38.

Exempla non probant, ſed illuſtrant rem probatam, tu autem nihil hactenus probaſti, hæc tibi reſponſi loco nunc ſufficiant, nam ſi hujus loci eſſet, facile oſtenderem, Tibonianum tam in hoc exemplo, quam in omni reliquo ordine, perinde deſtituiſſe judicium, ac Vitriarium in imitatione.

§. 39.

Sic in politicis quamquam majeſtas & ejus jura regibus, optimatibus & populis liberis competat, prius tamen tractatur de regno, ariſtocratia, & democratia, quæque eo pertinent explicantur, iſta vero, quæ ſunt de majeſtate & ejus juribus, ab iis abſtrahuntur, & ſuo loco ponuntur.

ANNOTATIO 39.

Ut a generalibus ad ſpecialia procedamus, rectæ rationi eſt conſentaneum, ſed nihil inde ad diſtractionem rerum connectendarum, qua laborare Vitriarium probavi.

§. 40.

Sic Hugo Grotius in incomparabili ſuo & divino opere de Jure belli & pacis *libro 1. cap. 3.* belli diviſionem, & perſonas, quæ bellum gerere poſſunt, recenſet, jura vero & effectus explicat in libro tertio.

ANNO-

ANNOTATIO 40.

Quid culicem elephanti, quid Vitriarium Grotio confers? nihil hic habet, quod illius confuſioni patrocinetur, jura omnia uno loco effundi non poſſunt, ſed ſucceſſive, ſine diſtractione, proponi debent, quod fecit Grotius, ſed Vitriarius res connectendas diſtraxit, ecce e multis exemplum unum. In *l. 1.* agit de Cæſaris *exiſtimatione.* In *l. 3.* de ejus *majeſtate.* Nonne ſatius erat, hæc una ſerie proponere? nonne melius, illam huic poſtponere? cedo, Vindex, rationem in contrarium, ſi potes, ſed aliam, quam quæ a methodo jam impugnata ſit deſumta!

§. 41.

Ita ut hic nullum ſit methodi vitium, neque ejus ineptitudo hac ratione viro Cl. exprobretur per formulas ſuas ſolennes, verum oſtendant, eum ſecundum rationem & rei naturam ſeparaſſe ea, quæ erant ſeparanda, a novo vero Philoſopho noſtro inepte confundi; neque ſic hiat ejus tractatio, cum nihil in libro primo ſit omiſſum, quod ibi tractandum erat, neque methodus & ratio res connectendas invitas ſibi ereptas repetat, nec ſine confuſione eas repetere poſſit.

ANNOTATIO 41.

Crocitas, Vindex, more tuo dicis, non probas, apage te cito, alias te pueri luto perſequentur, ſicut circumforaneum, quem, in extrahendis ruſticorum dentibus, ars deſtituit!

§. 42.

Verba Titii Reſtauratoris.

Sed illa Particularia ſunt, fortius agendum,& quod nullo penitus fundamento methodus illa nitatur, oſtendendum eſt. Perſuaſit ſibi & aliis perſuadere vult Vitriarius, ſe in libro primo agere de perſonis, in ſecundo de rebus corporalibus, in tertio de incorporalibus, in quarto de actionibus ſeu potius comitiis & judiciis. Atqui in libro primo agitur etiam de rebus corporalibus mobilibus, quæ in actu coronationis occurrunt, ut jam dictum, & immobilibus, nam quæ regna habeat Imperator, quibus diſtrictibus præſint Vicarii, commemoratur, ſtatibus vero Eccleſiaſticis epiſcopatus, abbatiæ, ſecularibus, ducatus,comitatus &c. aſſignantur. Porro in eodem etiam libro agitur de rebus incorporalibus, nam exiſtimatio Cæſaris Regisque Romani, munera Electorum, aliaque Statuum jura ibidem recenſentur. Vice verſa in libro ſecundo agitur quoque de perſonis, nempe inveſtientibus & inveſtiendis, eximentibus & exemtis, de officialibus circulorum, de varietate Statuum, nec temere quis negaverit in eodem etiam libro occurrere res incorporales, qui jura inveſtiturarum, finium, circulorum,tales eſſe intelligit. Rurſus in libro tertio perſonarum quoque

&

& rerum corporalium conſideratio occurrit, nam reſervata Cæſarea juraque Statuum perſonis, velut ſuo ſubjecto, inhærent, ac Germaniam ejusque territoria reſpiciunt, & velim omnino audire diſcrimen, quo tractatio libri tertii, a libri primi vel ſecundi tractatione differat. Denique in libro quarto de perſonis non agi, is demum dixerit, qui comitia & judicia ſine perſonis concipere poterit, nec res corporales hic exulant, nam comitia & judicia in certa aliqua urbe habentur, quæ rebus immobilibus omnino accenſenda, præterea tam in comitiis quam judiciis multæ res mobiles occurrunt, ut mirum ſit, quare Vitriarius d.l.2. tit.1. de paucitate rerum mobilium Imperii ſit queſtus, nam ſane ſi ad eas, quæ in comitiis & judiciis uſum præbent, reſpexiſſet, prolixum & ſua methodo non indignum rerum mobilium texere potuiſſet catalogum. Ulterius etiam res incorporales in libro quarto dari, ſexcentis jurium exemplis oſtendi poſſet, niſi res adeo evidens eſſet, ut probationem moliri velle, ineptum videatur. Ex his ſatis liquet, quam ruinoſa ſit illa methodus, & ſane qui conſiderat, quod cujusvis Jurisprudentiæ ſcopus ſit docere, quomodo leges varia jura & obligationes perſonis, intuitu rerum, tribuant aut imponant; is facile deprehendit iſta divelli nec

Digitized by Google

poſſe nec debere, inſignis igitur ἀβλεψία eſt, quando ea quis non tantum ſeparare, ſed & iſti diſtractioni totius operis diſtributionem ſuperſtruere nititur, hinc nec auſui eventus reſpondet, nam materiæ ſeparatæ, ultro iterũ coeunt, & cum juxta intentionem ſuppoſitæ partitionis diſtincta de perſonis, rebus corporalibus, incorporalibus, negotiisque humanis deberet prodire tractatio, ubique potius res incorporales, velut objectum diſciplinæ formale, cum perſonis & rebus, tanquam objecto materiali, concurrunt, ceu per exempla antea oſtenſum; dum autem fallax iſta methodus, ſuavis ſomnii inſtar, diſparet, hinc fit, ut tandem in tractatibus juxta eam concinnatis ordo omnis ſit fortuitus, in quo nec ars nec ingenium occurrat, niſi quod juribus juxta methodi præconceptæ imaginem, disjiciendis, diſcerpendis, aut otioſe repetendis fuerit adhibitum, ceu ſpeciminibus antea conductis demonſtravimus. Si caupo prandium paraturus, allato primo ferculo, omnibus requiſitis inſtructo, hoſpitibus ſuis perſuadere vellet, ſe hac vice nullas dapes, ſed tantum vaſa, iis recipiendis idonea, afferre, appoſito ſecundo, ejusdem omnino cum præcedente indolis, contenderet, ſe nunc ſolas dapes, carnem v. gr. vel piſces, ſine lance, & jure apportare, tandem tertio allato, quod itidem

itidem juxta regulas coquinarias ſua perfectione conſtabat, ſerio adſtrueret, ſola juſcula, dapibus præcedentibus deſtinata, & quidem ſine catino, nunc afferri, certe qui mitiſſime de hoc homine judicabunt, illum minimum valde feſtivum & lepidum dixerint, & tamen ab ejusmodi commento methodus Tribonianeo-Vitriariana nihil differt, niſi quod illius abſurditas ſenſu, hujus vero ratione ſaltem percipiatur!

RESPONSIO.

Hic jam philoſophus noſter deſinit eſſe philoſophus & dum putat ſe fortius agere, nihil agit, omnisque ratio ipſum deſtituit.

ANNOTATIO 42.

Canis triumphum ante victoriam mi homo! te, ut alias, ita hic etiam mentiri, ſequentia oſtendent. Sophiſta es, dum rationes meas ſigillatim non aggrederis, ſed confuſo & prolixo diſcurſu iis reſpondes, quo ita vim earum, quantum in te eſt, abſcondas, ac verborum ambiguitate lectoribus incautis illudas. Sed veritas præfationis meæ hic clarior eſt, quam ut nugarum tuarum nebulis queat obſcurari. Theſis Vitriarii eſt: *ſe velle in lib. 1. agere unice de perſonis; in lib. 2. unice de rebus corporalibus: in lib. 3. unice de incorporalibus: in l. 4. unice de comitiis & judiciis*, nam ſenſu excluſivo illam theſin eſſe accipiendam, non tantum patet ex inſcriptionibus librorum: de *perſonis*, de *rebus corporalibus*: de *rebus incorporalibus*, ſed & communi ratione intelligitur, utiq; enim qui de pomis

mis vult agere, eo ipſo fatetur, quod non agat de piris, & quando Vitriarius v. gr. agit de Electoribus, eo ipſo excludit v. gr. civitates imperiales. Cum autem illa methodus & tractandi ratio indoli Jurisprudentiæ penitus repugnet, nec ab ipſo etiam Vitriario obſervata ſit, aut obſervari potuerit, adeoque abſurditatis a me clare ſit convicta, hinc Vitriarius, cum ad ea reſpondere haut potuerit, aſſumta larva, ſicut faciem, ita ſtatum controverſiæ mutat, jam enim voluit *de perſonis agere* principaliter, *de reliquis* incidenter, *& ita porro.* Inane effugium eſt, ſed dabo hoc, ne ſic quidem evadet. Ego enim oſtendi quod Vitriarius in *l. 1. 2. 3. 4.* de perſonis, rebus & juribus *conjunctim & eodem modo* agat (licet utique aliæ perſonæ res & jura, aut ſaltem alia eorum conſideratio occurrat, quod ad rem non pertinet) patet hoc ex inductione, patet ex data ratione, *quod objectum Jurisprudentiæ proprium & formale, ſint jura, materiale vero, perſonæ & res, hoc duplex autem objectum divelli nec poſſit nec debeat*, ad quam obmutuit Vindex. Sed videamus de his ſpecialius.

§. 43.

Quod enim Dnus Vitriarius ſibi perſuadeat & aliis perſuadere velit, quod in libro primo agat de perſonis, in ſecundo de rebus corporalibus, in tertio de incorporalibus, in quarto de actionibus, ſeu potius comitiis & judiciis, inepte dicitur: ubi ſunt ergo rationes quas ad perſuadendum adhibet? unde depromtæ ſunt? ſunt ne dialecticæ an rhetoricæ?

Digitized by Google

cæ? fulgentne an pungunt? ſæpe enim argumento imbelli è loco ſimilium petito plus efficit apud populum is, qui perſvadet, quam forti apodicticus, è cauſis proximis petito; nuſpiam quidem in toto libro Vir Cl. id egit ut ſibi vel aliis hoc perſvaderet; in notoriis enim, quæ omnium in oculos incurrunt non opus eſt perſvaſione, imo, ne quidem clamor requiritur; *aperiat librum, ad primum oculi ictum videbit, vera eſſe quæ dixit Dnus Vitriarius.

* *C. 9. x. de accuſat.*

ANNOTATIO 43.

Inepta eſt hæc tua declamatio. Latine loquentibus ſatis latinum eſt: *perſvaſit ſibi Vitriarius & aliis perſvadere vult*, i.e. *credit & credi vult.* An vero argumentis conquiſitis ſibi ipſi methodum perſvaſerit, aut, more Pedantarum, de incomparabili hoc invento ſibi gratulatus etiam fuerit, id nihil ad me. Interim ſi verum eſt, ceu fateris, quod Vitriarius ſenſu excluſivo (hunc enim intendi) de perſonis, rebus & juribus agere voluerit, cur mox ſtatum controverſiæ mutas?

§. 44.

Pergit porro: atqui etiam in libro primo agitur de rebus corporalibus mobilibus, quæ in actu coronationis occurrunt &c. quis unquam, etiam ſimplex, modo non deſtituatur plane rationis uſu, argumentabitur ita? agitur in libro primo etiam de rebus mobilibus &c.

ergo

itized by Google

ergo falſum eſt, quod ibi agatur de perſonis?

ANNOTATIO 44.

Ita eſt, nemo ita argumentabitur niſi Vitriarius aliquis, ſed ego ſic non intuli. Mea collectio hæc eſt: *ſi in libro primo* eodem modo *agitur de rebus ac de perſonis, falſum eſt, quod ibi vel* unice *vel* principaliter *de perſonis agatur*, ad hoc reſponde.

§. 45.

Corruptum ſane hic apparet ejus judicium & meras cavillationes hæc & ſequentia redolent; ſi enim naturam rei propius inſpexiſſet, videre potuiſſet, de omnibus his tantum agi incidenter, in quantum faciunt ad probanda ea, quæ de perſonis referuntur:

ANNOTATIO 45.

Falſum eſt, quod de illis rebus tantum agatur *incidenter*, qui enim actum coronationis explicat, is *æque principaliter* de *rebus* ac *perſonis* agit, utrasque vero conſiderat ob *jus*, quod circa illum actum occurrit, tu fingis ſaltem, mi Vindex, tractationis diverſitatem, quo malæ cauſæ colorem poſſis allinere, ſed nihil efficis, quin peritis ſaltem imperitiam tuam oſtendis.

§. 46.

Poteſtne actus coronationis deſcribi, niſi referantur ea inſignia, quæ tradi ſolent Imperatori in hac ſolenni inauguratione?

ANNOTATIO 46.

Non poteſt. Ergo inſaniit Vitriarius, quando in *lib. 1.* de perſonis ſe vel *unice* vel *principaliter* agere exiſtimavit;

§. 47.

Cum è contrario in libro ſecundo tantum ſimpliciter citra reſpectum ad hunc actum ſolennem, ut Imperii res conſiderentur.

ANNOTATIO 47.

Quicquid juris circa illas res mobiles occurrit, illud omne in actu coronationis expoſitum eſt, ſi autem res illæ ab omni jure abſtrahantur, tum ad Jurisprudentiam plane non pertinent. Ergo tractatio libri primi & ſecundi vel coincidit, vel hujus, à Jurisprudentia plane eſt aliena, utrum eligat Vitriarius, ſcuticam merebitur, prius enim ei exprobrat otioſam repetitionem, poſterius oſtendit, quod Profeſſor juris non intelligat, quid ad diſciplinam juris pertineat. Illud nota, Lector benevole, nam non ſemper occurrit. Dixit Vindex; *in lib. 1. agi de rebus illis incidenter*, ergo in ſecundo *de iis agitur principaliter*, hoc enim methodus poſtulat. Sed in hoc nihil aut parum de iis dicitur. Ergo, ſi Diis placet, tractatio incidens eſt, *ubi prolixe de aliqua re agitur*, principalis, *ubi nihil aut parum proponitur*, egregie!

§. 48.

Sic agitur de regnis Imperatoris, quia exponunt varios titulos Imperatoris noſtri: de diſtrictibus & limitibus Vicariorum, ut oſtendatur duos hos Vicarios durante interregno jura ſua exercere per univerſum Imperium, ut appareat alterum nihil poſſe in diſtrictu alterius: cum in libro ſecundo conſideren-

Digitized by Google

derentur ſimpliciter ut res Imperii immobiles, citra reſpectum ad hoc munus & ejus probationem.

ANNOTATIO 48.

Eſto quod res immobiles cum aliis juribus conſiderentur in libro primo, cum aliis in ſecundo, quod facile concedo, attamen verum manet, quod in utroque perſonæ, res & jura *ſimul & eadem conſiderandi ratione* tractentur, nec adeo de perſonis aut rebus *unice* vel *principaliter* in altero agatur.

§. 49.

Porro cum inquiramus in originem Statuum Imperii Eccleſiaſticorum & Secularium, quales ſc. olim & antiquis temporibus fuerint, quales hodie ſint, & quæ ſit cauſa iſtius mutationis, probandum id erat ab epiſcopatibus, abbatiis, ducatibus, comitatibus ipſis aſſignatis, quæ incrementum ſimul & augmentum præſenti ſtatui dederunt; in libro ſecundo hæ res immobiles conſiderantur in ſe citra dictum reſpectum.

ANNOTATIO 49.

Novi hoc, ſed ſimul intelligo, quod illa reſponſio nihil ſignificet, non quæritur, *an in libro primo & ſecundo diverſa territoriorum jura proponantur*, quod concedo, ſed *annon in utroque libro æque principaliter de perſonis, rebus & juribus agatur?* hoc nega ſi potes!

§. 50.

In eodem libro agitur de exiſtimatione Cæ-

Cæſaris &c. cum enim dicat Imperatorem eſſe principem Imperii legitime electum, ut Reip. Romano-Germanicæ tanquam caput præſit & vero in dubium hoc fuerit vocatum, an Imperator etiam Romanis præſit & an penes ipſum eſſent jura Romanorum, ut ergo veritas iſtius aſſertionis appareret, agendum erat de hac eminentia, quam omnes exteri ideo ipſi tribuunt, quia etiam Romanis præeſt, vel quia eſt caput Reip. Romano-Germanicæ: in libro tertio vero de rebus incorporalibus ſimpliciter agitur, prout vel ſoli Imperatori competunt in univerſo Imperio citra reſpectum ad exteros, qui aliquando dictam exiſtimationem in dubium vocarunt; vel quæ cum aliis ipſi communia ſunt.

ANNOTATIO 50.

Adhuc ineptis, diverſa jura in libro primo & tertio proponi, nunquam negavi. Tu oſtende, quod in libro primo *unice* aut *principaliter* agas de *perſonis*, in tertio de *juribus*, cum de his & illis in utroque *eadem ratione* agas! Interim recordare eorum, quæ circa partem præfationis proxime præcedentem dixiſti, vid. Annot. 37. te agere *in lib. 1. de perſonis, quatenus res incorporales ab iis abſtrahantur*, hic vero dicis, *te in eodem libro agere de exiſtimatione Cæſaris aliarumque rerum incorporalium*, mendacem oportet eſſe memorem!

§. 51.

Sic cum dicatur in definitione Regis Ro-

(D) mano-

manorum, ipſum eſſe perpetuum Imperii Vicarium, ad definitionem iſtam probandam & contra alios qui propriam poteſtatem & majeſtatem ipſi tribuunt, quæſtio, an Rex Romanorum habeat propriam an vero vicariam poteſtatem, admiſſa eſt, & ſic hoc jus non tractatur in hoc libro primario & per ſe, ſed occaſione dictæ quæſtionis:

ANNOTATIO 51.

Utique tractatur *primario* & *per ſe*, ſicut in libro tertio, nam jura ſunt Jurisprudentiæ objectum formale, ut aliquoties dixi, atque ſub hac ratione in tota diſciplina illa conſiderantur, ergo eadem ubique eſt conſiderandi ratio. Et quæ eſt illa illatio: *tractatur jus occaſione quæſtionis, ergo non primario.* Multa jura occaſione quæſtionis proponit in *lib. 3.* Vitriarius, ergone illa non tractantur primario! quis te docuit ad tractationem principalem requiri, ne per modum quæſtionis, res proponatur? Imo ſine quæſtione in *lib. 1.* dixit Vitriarius: *Regem Romanum eſſe Imperatoris Vicarium*, hic agit de jure, perinde ac cum quærit, quale ſit illud jus!

§. 52.

In libro tertio vero ejus jura ſimpliciter & per ſe tractantur.

ANNOTATIO 52.

Somnium hoc eſſe delirantis cerebri, ex modo dictis intelligitur, tu tractationis diverſitatem nunquam probabis!

§. 53.

Digitized by Google

§. 53.

Idem dic de muneribus Electorum: cum enim probandus eſſet ſtatus præſens munerum Electoralium, prout diſtinctus eſt à ſtatu antiquo, eorum neceſſario debuit mentio fieri; imo quomodo diviſionem Electorum Eccleſiaſticorum & Secularium alias accurate exponeres, niſi ipſorum munerum faceres mentionem.

ANNOTATIO 53.

Ergo agnoſce, quod inſanum ſit, perſonas in Jurisprudentia, velle abſtrahere à juribus, & quod adeo Vitriarium fugerit ratio, quando de perſonis *unice* aut *principaliter* ſe in *lib. 1.* agere exiſtimavit.

§. 54.

Eadem eſt reſponſio ad ea, quando dicitur in libro ſecundo agitur etiam de perſonis inveſtientibus & inveſtiendis, eximentibus & exemtis; hoc enim fit occaſione inveſtituræ, quæ ſine talibus perſonis conſiderari non poteſt, & fines Imperii, ſive feuda ejus, non poſſunt conſiderari ut imminuta vel recuperanda, niſi hac occaſione agatur de dictis perſonis:

ANNOTATIO 54.

Eadem eſt utique reſponſio, quam hic das, quia perinde inepta eſt, ſicut præcedentes omnes, tu dicis quidem, quo cauſæ ſervias, te agere in *l. 2.* de rebus *principaliter*, de perſonis *incidenter*, ſed non probas. Agis potius de *rebus & perſonis*, tan-

Digitized by Google

quam objecto materiali aut communi, de *juribus* vero, tanquam formali & proprio, perinde ſicut in *lib. 1. 3. 4.* Tractatio omnium, in ſuo genere, eſt *principalis*, contrarium tu nunquam probabis.

§. 55.

In libro primo ſimpliciter conſiderantur vel ut imperantes, vel ut parentes, eo prætermiſſo an inveſtiantur, an eximentes ſint an exemti.

ANNOTATIO 55.

Quid inde? ergo conſideras perſonas in *lib. 1.* cum aliis juribus! ſed de hoc non quæritur, ut ſæpius dictum eſt, ac, ob continuatas ineptias tuas, dicendum erit.

§. 56.

In eodem libro ſecundo agitur de officialibus circulorum, varietate Statuum &c. Verum ſi novo huic reſtauratori licuiſſet per cavillandi animum, extra omne dubium vidiſſet, in libro primo dividi Imperantes Imperii Romano-Germanici in Imperatorem, Regem Romanorum, Vicarios, Electores &c. citra reſpectum ad circulos, ita ut officiales eorum ad nullum ordinem potuerint referri, imprimis dux circuil, qui poteſt eſſe princeps, comes, baro, aut alia perſona idonea, etiam extranea, ut fuit Chriſtianus III. Rex Daniæ anno 1566. qui ad nullum dictorum ordinum referri poteſt; ita ut occaſione circu-

circulorum harum perſonarum debuerit mentio fieri, non vero ibi tractantur ut Imperii Status, vel ut Electores, Archiduces &c. ut fit in libro primo.

ANNOTATIO 56.

Deſine tandem deſipere! ſatis ego vidi, quod Vitriarius in *lib.1.* non egerit de officialibus circulorum, ſed ſecundum alia jura perſonas conſideraverit, verum quid hoc ad rem? Vitriarius dixit: ſe in *lib. 1. unice aut principaliter agere de perſonis*, ego vero probavi, quod in *lib. 2. itidem & æque principaliter de perſonis agatur adeoque methodus Vitriarii ſit abſurda.* Hoc remove, ſi ignominiam inepti Sophiſtæ vis effugere.

§. 57.

Sic etiam inveſtiturarum, finium, circulorum jura recenſetur, cum in libro tertio talis reſpectus non attendatur.

ANNOTATIO 57.

Credo, quia, quod ſciam, de his juribus in *lib.3.* non egit Vitriarius, ergo non entis nullæ ſunt affectiones! ſed ſi egiſſet de juribus inveſtiturarum, finium & circulorum, an tu putas reſpectum, qui in *lib. 2.* occurrebat, tum non attendi? ergo jura finium, ſine finibus, circulorum, ſine circulis inveſtiturarum, ſine inveſtituris deinceps habebimus! bonum factum!

§. 58.

Ad ea quæ ſequuntur ipſe reſtaurator reſpondet: ſc. in libro tertio perſonarum oc-

Digitized by Google

currit conſideratio & rerum corporalium, quia reſervata Cæſarea, & jura Statuum perſonis velut ſubjecto inhærent & Germaniam ejusque territoria reſpiciunt. Ergo hic perſonarum & rerum fit mentio, quatenus ſunt ſubjectum jurium, & propterea neceſſario nominari debuerunt.

ANNOTATIO 58.

Credite Homines, ego hic pro Vitriario reſpondeo! ille dicit: *in lib. 3. unice aut principaliter de juribus agitur, excluſa vel omni vel principali perſonarum & rerum tractatione*, ego vero dico: *in illo lib. 3. de juribus, perſonis ac rebus æque principaliter agitur ac in lib. 1. & 2.* hæc duo ergo coincidunt! ubi frons tua eſt mi Vindex?

§. 59.

Non vero quatenus ſimpliciter citra hunc reſpectum concipiuntur, ut in libro primo & ſecundo:

ANNOTATIO 59.

Jam iterum dicis, quod in lib. primo & ſecundo, perſonas & res, ſine *reſpectu juris* i. e. *ſine juribus* conſideraveris, ſed quam falſum hoc eſt? quoties hoc ipſe in præcedentibus negaſti? imo in verbis, quæ ſtatim ſequuntur, hoc negas! diſce igitur tandem magis artificioſe mentiri!

§. 60.

Ibi enim inquirit Vir Cl. in perſonarum imperantium originem, definitiones, diviſiones, varias pro temporum viciſſitudinibus muta-

mutationes, circa res corporales, quid, quotuplices ſint, quis fuerit ſtatus earum antiquus, quis hodiernus? in libro tertio inquirit quatenus imperium, vel etiam Status Imperii in iis habeant dominium, quid, quotuplex hoc ſit, qui hujus Dominii effectus; quatenus etiam vel Imperium vel Status Imperii in his rebus regimen aliquod exercent &c.

ANNOTATIO 60.

Ergo oſtendis quod in *l. 1. 2. 3.* egerit Vitriarius de variis juribus (neque enim puto te eſſe tractationem jurium negaturum ideo, quod de Imperantium origine, definitionibus, diviſionibus &c. egerit, hic enim nimis magnus foret ſtupor) ſed quid hoc ad rem, an de hoc unquam fuit quæſtio?

§. 61.

Ex quibus adeo perſpicue & clare patet differentia inter librum primum, ſecundum, & tertium, ut mirum ſit, quomodo homo hic eam non viderit, niſi dicas eum noluiſſe.

ANNOTATIO 61.

Hanc differentiam ſemper vidi, quod alia jura propoſuerit Vitriarius in *lib. 1.* alia in *ſecundo &c.* ſed de hac non quæritur: Methodus Vitriarii hoc diſcrimen aſſeruit: *in lib. 1. agi de perſonis, excluſa rerum & jurium tractatione: in lib. 2. de rebus, ſine perſonis & juribus ſpectatis: in lib. 3. de juribus à perſonis & rebus abſtractis.* Hoc autem diſcrimen falſum eſſe, & in omnibus libris, *de perſonis, rebus ac juribus conjunctim ac æque principaliter*

liter agi, adeoque nullam eſſe hactenus inter eos differentiam, clare iterum contra ineptas ſophiſticationes hic aſſerui, ut methodus Vitriariana, quæ iſto diſcrimine nititur, ſit maneatque inſigniter ſtulta.

§. 62.

Denique quod in libro quarto etiam agatur de perſonis, quia comitia & judicia ſine perſonis non poſſunt conſiderari, eadem plane diſtinctione, quo ſuperiora, conficitur.

ANNOTATIO. 62.

Diſtinctionem inter tractationem *principalem & incidentem* ex liberalitate & commiſeratione admiſi quidem, ſed eadem hactenus nihil profecit Vindex, quia oſtendi, quod illa hic applicari nequeat, hinc dubia, quæ circa *lib. 4.* ego oppoſui, per illam etiam non removebuntur, cum manifeſtum ſit, quod etiam in libro quarto de *juribus* velut objecto diſciplinæ proprio, ac *rebus & perſonis*, velut communi, & de ſingulis quidem *principaliter* agatur.

§. 63.

Unum illud optarem, ut res corporales mobiles Imperii de quarum paucitate queritur Cl. Vitriarius, & quarum multitudinem infelix hic reſtaurator aſſerit, unde prolixum catalogum & ſua methodo non indignum texere potuiſſet, recenſere voluiſſet: nam quicunque cordatus cogitaverit de rebus mobi-

mobilibus, quæ uſum in comitiis & judiciis præbent, deprehendet nullas eſſe Imperii: &, ſi velit intelligi de ſupellectile iſtiusmodi perſonarum, equis, rhedis & ſimilibus, hic riſum promereretur, ſicut fere in omnibus, quæ dixit:

ANNOTATIO 63.

Oedipus hic es, non Davus, mi Vindex, recte divinas, intellexi tales res mobiles, quales indicaſti, adde iis, ſi placet, chartam, pennas, thecas calamarias, forfices, atramentum, atramentarium, cultellum calamis temperandis neceſſarium & ſimiles. Dicis hoc ridiculum eſſe! ita eſt, ipſe rideo tecum, ſed methodo Vitriarii ridiculæ, res alienæ, & hactenus ridendæ, probe conveniunt, illi igitur eas commendavi, nam ipſe ita inſanire nolim, ut eas velim ad juris publici diſciplinam referre. Quod ſupereſt, mi Vindex, quænam ſunt illa, quæ ego dixerim, quæque riſum mereantur, ceu in fine hujus periodi muſſitabas? cedo illa, alias homines cordati mendacem te vocabunt!

§. 64.

Quæ enim in curiis uſum præbent neceſſarium, civiliter immobiles ſunt.

ANNOTATIO 64.

De hoc nolim jam contendere, referat igitur eas Vitriarius ad res immobiles, nam aridum rerum mobilium & immobilium, a juribus abſtractarum, catalogum ille moliebatur, vi methodi ſuæ, ergo res ridiculæ, ſive mobiles, ſive immobiles, illi probe conveniunt!

§. 65.

Quod autem in libro quarto rerum incorporalium etiam fiat mentio, & ex his omnibus liqueat, methodum hanc eſſe ruinoſam, reſponſionem velle moliri ineptum videretur, cum jam toties idem & dictum & reſponſum fuerit.

ANNOTATIO 65.

Hiat hic oratio, ſicut methodus Vitriarii! interim hoc intelligo, Vindicem ſæpe quidem idem dixiſſe & reſpondiſſe, ſed nondum apposite aliquid dixiſſe.

§. 66.

Hoc fatendum Jurisprudentiæ ſcopum eſſe docere, quomodo leges, varia jura, & obligationes perſonis intuitu rerum tribuant aut imponant, ſed non intendit, ut confuſe hoc fiat, verum ordine. Ordinis autem finis eſt, ut facilius diſcas, ſive a facilioribus ad difficiliora veniendum.

ANNOTATIO 66.

Vera hæc ſunt, ſed nihil juvant confuſionem Vitriarii.

§. 67.

Hoc in omnibus diſciplinis, quæ non conſiſtunt in nuda Theoria, commodiſſime & feliciter fit, ſi incipiamus a fine, progrediamur ad objectum, & tandem ad media perveniamus, quæ à fine modum accipiunt.

ANNO-

ANNOTATIO 67.

Enecas lectores tuo ſtupore, inſulſe Vindex, quoties dixi, te non debere ſupponere, id, de quo quæritur?

§. 68.

Nec hac ratione divelluntur ea, quæ nec poſſunt nec debent divelli; omnino enim, ſi facile, clare & diſtincte docere velis, hoc faciendum, & optime auſui eventus reſpondet, licet interdum, ut hunc ordinis finem obtineamus, eorum quæ ſeparata fuerunt, iterum faciamus mentionem.

ANNOTATIO. 68.

Hæc mihi parum nocent, quia ſine probatione dicuntur, interim Vindex ſæpe neſcit, quid garriat, quid enim hoc eſt: *nec hac ratione divelluntur ea; quæ nec poſſunt nec debent divelli.* Et tamen, *ſi facile clare & diſtincte docere velis omnino hoc faciendum* i. e. res conjunctæ divellendæ!

§. 69.

Exemplis optime hoc docuit Ariſtoteles, per omnes ſuos commentarios in ethicis & politicis. *Vid. hic Arnis. doctr. polit. c. 1.* Tribonianus in Inſtitutionibus (quicquid etiam garriat hic novus reſtaurator) & plures viri eruditione clariſſimi; ſive antiquiores, ſive recentiores reſpicias.

ANNOTATIO 69.

Apage autoritates, dudum me in eam obfirmavi ſententiam, quod illis nihil dare velim; veritas non autoritatibus ſed rationibus ſtat!

§. 70.

Digitized by Google

§. 70.

Ita ut hæc methodus non ſit fallax, fortuita, vel in qua nec ars, nec ingenium occurrat, niſi quod juribus juxta methodi præconceptæ imaginem disjiciendis, diſcerpendis, aut otioſe repetendis fuerit adhibitum: omnia enim hæc falſa eſſe, & ſomnium inanis & vani hominis, in antedictis demonſtratum eſt.

ANNOTATIO 70.

Artem demonſtrandi peſſime didiciſti, mi Vindex, te in antedictis nihil demonſtraſſe, niſi quod ineptus ſis Sophiſta, hoc ego prolixe oſtendi, igitur ſicut cætera, ita etiam iſta mea asſertio, quam hic ſine ratione vellicas adhuc ſubſiſtit, methodus autem Vitriarii ſuo merito vapulat.

§. 71.

Nec obſtat: ordinem naturæ cognoſcendi ſequi ordinem; ſeu, modus cognoſcendi ſequitur modum eſſendi; ſeu, ars imitatur naturam; ſeu, ſcientia menſuratur à re ſcita; ſeu, ut reſtaurator loquitur: *id ſolum contendo, omnem methodum objecto ſuo antiquiorem, ſeu priorem, eſſe ineptam, nam ſicut conceptus ex rei conſideratione oriuntur, ita illorum ordo ex hujus quoque connexione oriri debet, &c.*

ANNOTATIO 71.

Hic quoque Vitriarius larvatus imitatur magiſtrum ſuum Tribonianum, qui, cum res difficiles explicare nequeat, in tradendis rebus planisſimis, ac omnium rationi obviis, inepte verbo-

boſus eſſe ſolet, *vid. §. 6. 7. J. de nupt. §. 34. J. de action.* ſic etiam hic rem planiſſimam quinquies eloquitur Vindicis larva.

§. 72.

Hic enim diſtingvendum videtur inter naturam rei ut res eſt, & inter naturam rei prout à nobis cognoſci facile poteſt.

ANNOTATIO 72.

Abſurda eſt hæc diſtinctio, nam quando de rerum cognitione ac cognitionis ordine quæritur, utique res non aliter, quam ut cognoſcendæ aut cognoſcibiles poſſunt ſupponi.

§. 73.

Illam ordo cognoſcendi aliquando ex accidenti ſequitur, ut cum in phyſicis à principiis ad compoſita fit progreſſus, ſed ſemper hoc fieri non poteſt, alias, ſicut domus eſt ultimum in conſtructione, ultimum etiam eſſe deberet in cognitione architecti, cum tamen idea domus, ſive domus exemplaris prius in ejus cognitione eſſe debeat, ut ſecundum eam, realem exſtruere poſſit. (a) ἡ οἰκίας ἄνω ὕλης οἰκία ἔχυσα ὕλης, Sic, (b) *nemo quamvis paratos habeat colores ſimilitudinem exprimit, niſi jam conſtet, quid velit pingere.* Sic ſtatuarius Cæſarem facturus, naturam imitari non poteſt, ut enim phyſici volunt, partes

(a) *Ariſt. 7. methaph. c. 7. 23.*
(b) *Vid. Senec. Epiſt. 21.*

tes hominis principales non una poſt alteram ſed omnes ſimul effinguntur, impoſſibile hoc eſt ſtatuario, ergo ſucceſſive ſingulas partes exſculpit, ut ars ipſa ferre poteſt, & tamen, licet non imitetur naturam, Cæſarem exprimit.

ANNOTATIO 73.

Quam inepte à rebus, quæ jam ſunt, *concipiendis*, ad res, quæ non ſunt, *efficiendas*, Sophiſta noſter dilabitur! nunquam fuit quæſtio, *an ars humana eodem modo producat res artificiales, quo natura naturales*, ſed id fuit quæſitum, *quo ordine res exiſtentes ſint concipiendæ ac conceptus digerendi?* interim exempla allata mihi non valde obſunt, nonne enim pictor, hominem picturus, aut ſtatuarius, ejus ſtatuam facturus, debet obſervare ordinem quem natura in homine vero conſtituit?

§. 74.

Ita ordo analyticus, quamvis non ſequatur ordinem producendi, cogitando tamen & diſponendo rem æque facile, clare, & perfecte repræſentat.

ANNOTATIO 74.

Hic garrit Vindex, ſupponit id de quo quæritur, ac inſuper ineptit, quando de *ordine producendi* loquitur, de quo nunquam fuit quæſitum.

§. 75.

Et falſum eſt, quod ordo oriatur & ejus connexio ex connexione conceptuum, quos ex rei conſideratione habemus. Sic, ſcientia

tia menſuratur à re ſcita in veritate, non vero ſemper in modo ac ordine cognoſcendi.

ANNOTATIO 75.

Semper etiam in *modo ac ordine cognoſcendi*, nonne conceptus confuſi ſunt, ſi hominis caput velut pedibus cohærens, oculos in tergo &c. concipias? tu nunquam contrarium probabis, niſi ex rancidis tuis Scholaſticæ philoſophiæ hypotheſibus. Deſine tandem, mi Vindex, tibi profecto facilius erit, κέγχρον τρυπᾶν, aut laqueum ex arena conficere, quam methodum Vitriarii defendere.

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere ſi velit, & varias inducere plumas,
Undique collatis membris: ut turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne,
Spectatum admiſſi riſum teneatis amici:
Credite, Piſones, iſti tabulæ fore librum
Perſimilem, cujus, velut ægri ſomnia, vanæ
Fingentur ſpecies: ut nec pes, nec caput uni
Reddatur formæ.

§. 76.

Prandium quod ineptus noſter Philoſophus parat, & illud quando putat methodum Tribonianeo-Vitriarianam nihil differre, niſi quod iſtius abſurditas ſenſu, hujus vero ratione ſaltem percipiatur, eſt complementum earum abſurditatum, quas hactenus docuit.

ANNOTATIO 76.

De prandio illo & caupone, quem induxi, nihil hic exacte illa Vitriarium cum ſua methodo re-

præ-

præſentant, ceu periti intelligent. Forte Vitriarius cum ſuo Vindice, in eodem accubuit, ac ſe cum lepido illo caupone, tanquam homine ipſis ſimili, contracta fraternitate, inebriavit, nam reſponſionem, quoad ipſam rem, fuit oblitus! Ad ſtolidam imputationem de *abſurditate methodi Tribonianeæ* ſenſu *percipienda*, quam in hac etiam periodo facis, mox reſpondebo, nam eam, certo ſtuporis confirmati argumentô, ſtatim repetis.

§. 77.

Sane hic noſter Philoſophus non eſt novus: hi enim ſenſum à ratione non abſtrahunt, & ſecundum ipſos, ubi non eſt ratio, ibi non eſt ſenſus.

ANNOTATIO 77.

Veriſſimum hoc eſt, & exacte à me probatur, attamen vice verſa dicere non licet: *ubi non eſt ſenſus, ibi non eſt ratio,* quia hæc, ſine illis, multa percipit, ergo tota mea ſententia hæc eſt: *quædam ratio humana percipit per ſenſus, quædam ſine illis.* Quid deſideras in illa? aut ex quo fundamento probabis, me ita non ſenſiſſe?

§. 78.

Forte odio Triboniani hoc fecit, quem ut Græculum Thraſonem ferre non poteſt (Thraſo Thraſoni, κεραμεὺς κέραμεῖ) dixit enim bruta ſenſu carere. (a)

ANNOTATIO 78.

Odio Triboniani hic nihil dicere potui, quia, ut ex

(a) *§. 1. J ſi quadrup. paup. feciſſe dicatur.*

anno-

annotatione præcedenti liquet, quoad *vim ſenſuum, eorumque ſubjectum,* idem cum eo ſentio, tu mihi antea falſam imputaſti ſententiam, ac ex ea, me inique nunc redarguis? condono tamen hoc ſtupori tuo. De convitio Thraſonis, quo me inſectaris, jam ſupra dixi *Annot. 19.* ubi repete. Si autem Tribonianus, quoad methodum, Thraſo eſt, quod ego dixi, & tu hic admittis, cur à Thraſone Vitriarius methodum mutuatus eſt? ſtulti, Thraſones ſequuntur.

§. 79.

Senſu percepit abſurditates Triboniani, quæro ex hoc homine, cujus ſint coloris? an albæ, an nigræ? aut, ſi deguſtaverit, dulces, an amaræ? ſi manu tenuerit, an leves an graves? an lenes an aſperæ? &c. Sufficiant hæc pro methodo Cl. Vitriarii.

ANNOTATIO 79.

Satin ſanus es, Dave? egone dixi, quod *abſurditates Triboniani ſenſu perceperim?* vellem profecto, ut errorem tuum, in typographum, poſſes conferre, ſed verba nimis aperta, etiam plura ſunt, quam ut hoc fieri queat, bis etiam, quod peſſimum eſt, id mihi imputaſti! miſeret me tui! Lege adhuc ſemel mea verba: *& tamen ab ejusmodi commento* (cauponis à me inducti) *methodus Tribonianeo-Vitriariana* (unam rem, ſeu unam methodum, hic loquor, quæ tamen, ab illuſtribus Parentibus ſuis, Triboniano & Vitriario, quos ſimilitudo ſtuporis, in ſocietatem conjunxit, compoſitum nomen gerit) *nihil differt, niſi quod illius,* (commenti cauponarii) *abſurditas ſenſu,* (à

ratione tamen non abſtracto) *hujus vero* (methodi Tribonianeo-Vitriarianæ) *ratione ſaltem* (ſine adminiculo ſenſuum externorum) *percipiatur.* An adhuc dixi, quod abſurditates Triboniani *ſenſu* perceperim? Profecto, niſi frons plane occalluit, crediderim, larvatum Vitriarium, ad tot infantiæ ſuæ ſpecimina, quæ, in refutanda mea præfatione, edidit, ac inprimis, ad ſeſquipedalem hanc, quam modo vidimus, oſcitantiam, etiam ſub larva, rubore ſuffuſum iri, cum enim mea oratio adeo plana ſit, ut ne quidem, fidiculis adhibitis, ſenſus ille abſurdus, quem mihi imputavit, inde extorqueri queat, oportet certe, illum inſigniter vel malitioſum, vel ſtupidum, vel utrumque eſſe. Apage igitur ſtultas tuas quæſtiunculas, ac a te ipſo, vel aliis hominibus delirantibus, reſponſionem ad eas pete! Me illæ non attinent. Sed continuanda eſt fabula!

§. 80.

Verba Titii lib. 1. tit. 2. §. 11. (l. 2. c. 1. §. 12.)

Eſt de cætero eadem Imperatorem & Status obligandi ratio: quod jejune a quibusdam negatur. Vid. Vitriar. J. J. P. l. 4. tit. 1. §. 103.

RESPONSIO.

Ad Receſſus Imperii obſervandos & Imperatorem & Status Imperii obligari omnes concedunt. Imperator etiam hoc confitetur in capitulationibus. *Capit. Leopold. 1. art. 2. 38. Joſeph. art. 2. 37.* circa modum diſſentiunt. Dn. Vitr. cum pluribus exiſtimat, Im-

Imperatorem per modum contractus, Status autem per modum legis obligari: quia Imperator nulla ratione conſiderari poteſt ut ſubditus, cum ab ejus parte ex veriore ſententia Respublica Romano-Germanica ſit mixta per modum monarchiæ, ac propterea non poſſit habere certo reſpectu voluntatem imperandi & parendi, cum nullus ſit cui parere cogatur & qui ipſi præcipere poſſit, quod tamen eſt neceſſarium requiſitum iſtius, qui obligatur per modum legis: lex enim præcipit, quia à ſuperiore lata eſt, ut ſit regula actuum moralium eorum, qui ſubditi ſunt. Hæc eſt ratio, cur rex ſit ſolutus ſuis legibus, licet legibus vivat interdum. Vid. *Grot. lib. 2. c. 4. §. 12. c. 7. §. 12.*

ANNOTATIO 80.

Cæſarem ex legibus fundamentalibus obligari, velut ex pactis, certum omnino, ac à me etiam conceſſum eſt, interim rationes, quas hic affert Vindex, non indiſtincte probo, de quo nunc litigare non attinet.

§. 81.

A parte Statuum mixtura eſt per modum ariſtocratiæ, vel etiam democratiæ, & ſic duplicem unusquisque habere poteſt voluntatem, ſcil. imperandi, dum adhuc in comitiis de lege ferenda agitur, ejusque votum eandem habet vim ac reliquorum; & parendi,

Digitized by Google

in quantum poſt legem latam ſunt ſubditi: in omnibus enim civitatibus, ubi ſunt plura ſubjecta majeſtatis exiſtentiæ, ut in ariſtocratia, ſi optimates conſiderentur ut univerſi, ſunt imperantes, ſi ut ſinguli, ſunt parentes & ſubditi. Item in democratia.

ANNOTATIO 81.

Quomodo Status imperii, ex legibus fundamentalibus ſeu receſſibus obligentur, anceps ſemper fuit quæſtio? circa quam tamen varias ſententias referre non opus. Ego dixi: eos obligari per *modum conventionis*, rationem dedi *d. c. 2. §. 10.* (*l. 2. c. 1. §. 11.*) quæ hic magis explicanda. Nimirum Status imperii, & *in ipſo receſſus condendi actus ſunt imperantes*, quod nemo negat, ac ex decantato *artic. 8. §. 2. J. P.* ſatis liquet, *& poſt receſſum conditum, Imperantes manent*, quod ſuperioritas territorialis *de art. 8. §. 1.* fundata, ac tota die actus imperioſos exercens, luculenter probat. Jam vero Imperantes pacto ſolum obligari poſſe, tralatitium eſt, & ſi v. gr. provinciæ fœderati Belgii placitum inter ſe forment, dubio procul ſingulæ exinde velut ex pacto obligarentur, non aliam ob cauſam, quam illam, quam modo dedi, ergo ob paritatem rationis, idem dicendum de Statibus imperii. Atque ex iſta ratione, cantilena Vindicis de *mixtura per modum ariſtocratiæ vel democratiæ*, etiam refellitur, nam proceres Ariſtocratici, aut cives democratici, de imperio civili ſaltem participant, *dum lex fertur*, ſed *lege lata & ſoluto concilio*, ſinguli ſunt homines privati, ac ſine imperio, quod tu maligne ad Status imperii applicaveris. §. 82.

§. 82.

Hinc etiam quando Status Imperii in Receſſibus Imperii dicunt, **vereiniget / vertragen / verglichen /** verba hæc reſpiciunt legem adhuc ferendam: ſi vero lata ſit & promulgata, etiamſi non promiſiſſent ejus obſervationem, ut facere ſolent in fine Receſſuum, ſicut & imperator, ex natura regiminis, ut ſubditi ad eam obſtringerentur. *Vid. Grot. 2. c. 24. §. 7. in med.*

ANNOTATIO 82.

Hæc ex præcedentibus ſolvuntur, verba **vereiniget / vertragen / verglichen /** ob rationem datam, potius ſunt intelligenda, tam de *lege ferenda* (i. e. lata ſed nondum promulgata, ſic enim omnino explicandus Vindex, nam alias abſurdum eſt, in lege ferenda & futura aſſerere, quod jam Cæſar & Status convenerint) quam *promulgata*. Status autem imperii, extra comitia, ſubditos eſſe, tu quidem impudenter dicis, ſed non probas audi Per-illuſtrem Rhetium: *diu exploſa opinio eſt, Imperii Status vere eſſe ſubditos J. J. P. l. 4. tit. 23. §. 13.* licet autem hanc aſſertionem non ſimpliciter admittam, infrunitæ tamen tuæ ſententiæ coercendæ, recte urgetur.

§. 83.

Propterea etiam in *A. B. Carolus IV. tit. 1.* mandat Electoribus, aliis Principibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Clientibus, Nobilibus & Ignobilibus, Civibus & Communi-

nitatibus. Et paſſim leguntur ſequentia: ſetzen/ ordnen / wollen. *R. J. 1559. 1564.* In Receſſu Imperii 1570. Darum gebieten und wollen wir daß alle und jede Stände und Obrigkeiten / ob dieſem unſerem Gebot mit allem ernſtlichen Fleiß halten. Et ne præſens novator dicat, ut eſt ejus ſolennis formula, hæc non eſſe ex ſtatu præſenti, ſed ex juribus antiquis & abrogatis, videat, ut plura alia loca prætermittamus, *Receſſum deputat. Spirenſ. 1600. §. 7. ibi:* So wollen wir hiermit dieſelbe Herrſchafft und Obrigkeiten erinnert / auch aufferlegt und befohlen haben ꝛc. *R. I. Ratisbonenſ. 1613. §. 4. ibi:* So ermahnen und erinnern wir alle Unſere und des Heiligen Reichs Chur-Fürſten und Stände/Unterthanen und lieben Getreuen/ hiemit freund- gnädiglich und genädigſt/ und wollen ihnen allen und jeden was Würden/ Stands und Weſens ein ieder ſeyn mag in Krafft dieſes Abſchieds ernſtlich aufferleget und geboten haben ꝛc. *R. I. Ratisb. 1641. §. 22. pr.* ſetzen ſolchem nach / ordnen und gebieten hiermit ꝛc. *§. 87.* alſo ſetzen/ ordenen und wollen wir daß nicht allein die von etlichen Ständen allbereit angemaſte und unzuläßige hochſchädliche Neutralität/ darunter die von uns etlichen Chur- und Fürſtlichen Wittiben beſchehene Verwilligung

gung nicht gemeynt / gantz und zumahlen auffgehoben ſeyn ſolle / allermaſſen wir ſolche hiermit / und in Krafft dieſes gäntzlich auffheben / ſondern daß auch hinführo einiger Stand des Reichs / wer der auch ſeye / ohne unſer Vorwiſſen und Genehmhaltung / ſich in dergleichen hochſchädliche Neutralitäten nicht einlaſſen ſollen. *R. I. Ratisb. 1654. §. 6.* Setzen demnach / ordenen / wollen und gebieten allen und jeden / Hohen und Niedrigen / Geiſtlichen und Weltlichen / ohn- und mittelbaren / ſie ſeyen Stände des Reichs oder nicht / und dahero ſo wohl Unſern als der Ständen Räthen ꝛc. Hæc pluribus deducenda exiſtimavimus, ut conſtaret & prioribus ſeculis, & hodie adhuc Status Imperii, poſtquam Receſſus Imperii ſunt promulgati, iisdem non obligari per modum conventionis, ſed per modum legis, quæ ipſis mandat & jubet, ut ex textibus apparet; adeoque aliter quam Imperator, qui ad eos ſervandos tantum obligatur per modum pacti.

ANNOTATIO 83.

Potuiſſes ſuperſedere prolixa textuum notiſſimorum exſcriptione, nam ad argumentum ab *imperioſa Cæſaris promulgatione* deſumtum jam reſpondi in *d.c.2.§.10.n.1. (l.2.c.1. §.11.n.1.)* cui adde ſis Kulpiſ. *in diſſert. de obſervant. imperial. §. 29.* ubi ſimi-

Digitized by Google

ſimilem invenies reſponſionem, hinc etiam Cæſaris promulgationem, ad receſſus eſſentiam pertinere, contra Fibigium jam negavit Mauritius de *de receſſ. imper. §. 6.* ceu retuli in *ſpecim. l. 1. c. 4. §. 12. (l. 2. c. 2. §. 12.)* ubi rerum teſtimonia adſunt, non probant verba, imperium, quod Status tota die exercent, prævalet formulis imperioſis, antiquum ſtatum redolentibus.

§. 84.

Videat ergo hic novator, quo jure dicat, quoſdam *jejune* hoc ſtatuere, ſuæ aſſertionis nullam allegat rationem, nihil reſpondet ad eas, quibus alii nituntur, quaſque jam adduximus, reliquum ergo eſt, ipſum *ebrium* hoc dixiſſe & ſcripſiſſe: ebrietas enim rationem exulare facit *c. 14. x. de vita & honeſtate cleric.*

ANNOTATIO 84.

Tantum dixi, quantum & probandæ ſententiæ meæ & refellendæ contrariæ requirebatur, ceu explicatio hic addita oſtendit. Compendia prolixitatem non admittunt, multo minus textuum notiſſimorum exſcriptionem, quam ſine judicio, paſſim facere ſolet, in Inſtitutionibus, Vitriarius.

§. 85.

Nec obſtant ea quæ ructatur *c. 4. §. 15. (l. 2. c. 2. §. 15. 16.*

ANNOTATIO 85.

Cur tu ructus tam avide excipis? cur non potius liberæ auræ illos committis?

§. 86.

§. 86.

Id conditionem perſonarum non pati: quæro ex homine, quis ipſi hoc dixerit? an Imperator & Status ipſi? an leges imperii? at vero omnes contrarium dicunt. An ratio politica? jam vero hanc ignorat.

ANNOTATIO 86.

Ego bonitatatem rationis meæ, tam ex fundamentis politicis, quam legibus fundamentalibus ſatis probavi, tu vide, quomodo ſubjectionem, quam ex vano mixturæ carmine, Statibus impudenter tribuis, cum legibus fundamentalibus, ac in ſpecie *J. P. art. 8. §. 1.* nec non quotidiana praxi concilies!

§. 87.

An ratio diſputandi? hoc forte aſſerendum. Inſigne enim hoc eſt præjudicium, ſi quis dicat: in omni bene conſtituta republica de forma & ſtatu reip. nemini debere licere aliter loqui, quam leges publicæ loquantur & decernant. *Vid. ipſum novatorem lib. 6. (7.) c. 7. §. 76.* Sic ergo inſulſus philoſophus poteſt, quod nec privatorum pactiones poſſunt, nec Imperator, nec quiſquam Statuum Imperii. *Vid. capit Leopold. art. 2.*

ANNOTATIO 87.

Cur tu Sophiſta non adjeciſti cætera, quæ *d. l. 6. (7) c. 7. §. 76. ſeqq.* ſcripſi? cur non in ſpecie retuliſti verba, quæ *d. l. §. 78.* exſtant: *nam omnis quidem civitatis forma dependet à legibus fundamentalibus,*

bus, ſed hoc ad vim & ſenſum *earum, non* verba *referendum eſt?* nonne noſti tralatitium illud Celſi: *Scire leges non eſt verba earum tenere* (quod volunt homines inepti, inprimis Vitriarius cum ſuo Vindice) *ſed vim ac poteſtatem?* Et ſi, pauperum philoſophorum more, ex captatis legum publicarum vel Procerum imperii locutionibus, de forma Reipublicæ ſtatuendum eſſe exiſtimas, cur tu *mixturam* aſſeris, cum tamen Elector Moguntinus apud Sleidan. de Stat. relig. *l. 1. p. m. 20. Ariſtocratiam* loquatur?

§. 88.

Imo nec bonus vir, nec civis eſt, multo minus bonus juris publici Doctor, quem ſi pudere debeat ſine lege loqui, multo magis, ſi contra eum loquatur: audiat verba dictæ *capit. art. 2. ibi:* Deßgleichen ſollen und wollen wir auch andere des heiligen Reichs Ordnungen und Geſetze / ſo viel die in dem obgemeldten angenommenen Reichs-Abſchied im 1555. Jahr zu Augſpurg auffgerichtet / und mehr erwehnten Frieden-Schluß nicht zuwider ſind / confirmiren / und dieſelbe mit Rath und Conſens Unſer und des Heiligen Reichs Chur-Fürſten / Fürſten und andern Ständen / wie das des Reichs Gelegenheit zu jeder Zeit erforderen wird / beſſern / zumahlen auch diejenige / ſo ſich gegen jetzt-ermeldten Friedens-Schluß und darinn beſtätigten Religions-Frieden als ein

ein immerwährendes Band zwiſchen Haupt und Gliedern / und den Gliedern unter ſich ſelbſt zu ſchreiben oder etwas in öffentlichen Druck heraus zu geben (als dadurch nur Auffruhr / Zwietracht / Mißtrauen und Zanck im Reich angerichtet wird /) unternehmen würden oder ſolten / gebührend abſtraffen die Schrifften und Abtrucke caſſiren ꝛc. Junge *capit. Joſeph. art. 2. Inſtrum. pac. Svec. art. 5.* §. *17.* ibi: *nuſpiam impugnet, dubiam faciat, aut aſſertiones contrarias inde deducere liceat &c.* Quæ omnia obſcuro huic doctori Juris publici noſtri ignorantiam exprobrant. Imo, quamvis hæc in ſpecie tranſactionem Paſſavienſem, pacem religioſam, & declarationem in tranſactione Weſtphalica factam, reſpiciant, tamen omnis Imperii lex eo ipſo dum ſancitur & promulgatur, prohibet diſputationes contra ipſam; alias enim promulgatio & ſanctio eluſoria eſſet, & ex privati alicujus ſiniſtra interpretatione vis earum penderet, quod eſt abſurdum, & omnem Imperii ordinem tollit; unde etiam recte dicitur, iſtiusmodi homines ſacrilegii crimen committere. *l. 3. C. de Crim. ſacril.* Ita ut videatur ridendus, dum petit legem, quæ diſputationes contra legem prohibeat.

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATIO 88.

Mirarer patientiam Vitriarii, quam in exſcribendis legibus, nihil ad rem facientibus, exercet, niſi ejus ingenium jam noſſem, nimirum cum proprio marte ſapere nequeat, textuum exſcriptione eruditus vult videri. Fruſtra mihi occinis ſanctiones, violatoribus legum oppoſitas, quando nondum probaſti, quod legibus publicis contradixerim! Solenne hoc eſt ſophiſtarum ac pedantarum artificium, qui, quando nænias ſuas defendere nequeunt, adverſarii ſententiam legibus publicis contrariam, ac, in Imperantes & ſtatum reipublicæ, injurioſam clamitant, quo ita, ſi fieri poſſet, in ſententiæ ſuæ proſtratæ defenſionem ac ultionem, ſumma Capita concitent. Sed parum meæ ſententiæ vel mihi inde metuo, quia Proceres Germaniæ generoſiores novi, quam ut anilibus ejusmodi vociferationibus locum ſint daturi.

§. 89.

Tandem Doctoris hujus Philoſophia ſibi contraria eſt: vid. *lib. 6. c. 8. §. 54.* (*l. 7. c. 8. §. 26.*) ubi ejus verba hæc ſunt: *quatenus vero, ſc. Status Imperii, admittere tenentur reſervata Cæſaris, aut in judiciis conveniri poſſunt, vel ab iis ad tribunal ſublimius appellare licet, eatenus eſſe ſubditos, & illo quidem reſpectu Cæſaris, iſto & hoc Cæſaris & Imperii ſimul lib. 4. c. 4. & 5.* (*hæc allegatio eſt otioſa*) An ergo verum quod dixit *lib. 1. c. 4. §. 15.* (*l. 2. c. 2. §. 15. 16.*) conditionem perſonarum hoc non admittere?

AN-

ANNOTATIO 89.

Verum utique eſt, quod dixi, cur tu Sophiſta ex *d. lib. 6. c. 8.* non etiam adduxiſti *§. 53. (l. 7. c. 8. §. 26. ſunt enim §. 53. & 54. contracti, ac quodammodo interpolati)* qui proxime præcedit, in quo hæc dixi: *Status ratione ſuperioritatis territorialis & inde dependentis juris ſuffragii non eſſe ſubditos ſed potius coimperantes.* Jam enim ſi *§. 53. & 54.* conjugantur, liquet, inter *regulam & exceptionem*, nullam eſſe pugnam. Eſto quod Status certis in caſibus ſubditi ſint, ſufficit tamen, quod, quoad leges publicas conſtituendas, tales non ſint, ſed potius Imperantes, jam enim de eorum obligatione, juxta modum Imperantibns convenientem, etiam judicandum erit. Si conſtitutum eſſet, ut una provincia Belgii, in caſu delicti, coram toto reliquo Belgii corpore conveniri poſſet, an tu illi provinciæ, ob hanc ſubjectionem particularem, omnem libertatem vel autonomiam negabis?

§. 90.

Scil. plura ſunt exempla ubi hic philoſophus contraria ſtatuit; quod certum eſt indicium ejus principia non eſſe connexa, eſſe ruinoſa, ita ut non ſit, ſed Philoſophum ſe eſſe ſimulet, & hac ratione ſtudioſam juventutem decipiat.

ANNOTATIO 90.

Mordet hominem, quod ineptias Vitriarii tam perſpicue lectoribus ob oculos poſuerim. Jam igitur ultionem molitur, ah quam vellet libro meo labem aſpergere! Sed vana eſt ſine viribus

ira!

ira! tu ineptiis tuis dudum fidem apud cordatos decoxiſti, non credunt tibi ſine probatione!

§. 91.

Præterea pergit: *naturam rei hoc repudiare, quia idem actus ex parte conventio & lex eſſe nequit, licet totus actus hoc reſpectu indolem conventionis, alio vero legis habere poſſit.* Hic merito miramur philoſophi noſtri acumen.

ANNOTATIO 91.

Ego vero non miror tuam ſtultitiam, quia tot ſpeciminibus eam hactenus adprobaſti, & mox eam novo aliquo oſtendis.

§. 92.

An idem actus & totus actus differunt?

ANNOTATIO 92.

Quis dixit hoc? *pars actus* & *totus actus*, ſeu *idem actus* juxta *partes* & *in ſolidum* ſpectatus, differunt, hoc dixi.

§. 93.

Si enim idem actus, etiam ſit totus actus, & totus actus, diverſo reſpectu, poſſit eſſe conventio & lex, ut ipſe dicit, & patet ex iis quæ Grotius refert *lib. 2. c. 14. §. 9.* etiam idem actus, ex parte, & diverſo reſpectu poteſt eſſe lex.

ANNOTATIO 93.

Argute infers! perinde ac ſi quis diceret, *ſi totus thalerus continet 24. groſſis* ergo *etiam dimidia thaleri pars tot comprehendit.*

§. 94.

§. 94.

In omnibus ariſtocratiis & democratiis idem actus legislatorius, ſi ſc. optimates & populi liberi conſiderentur ut univerſi, eſt conventio, ſi ut ſinguli & reſpectu reliquorum ſubditorum eſt lex. Unde Marcianus Jctus in *l. 2. D. de ll.* ex Demoſthene dicit: quod lex ſit πόλεως συνθήκη κοινὴ, communis ſponſio civitatis. Sic in rebusp. mixtis, ut noſtra eſt, ſi Status Imperii in genere & conjunctim conſiderentur in comitiis, ex actu legislatorio, etiam poſt publicationem non minus obligantur tantum per conventionem, ac Imperator; hoc enim in caſu æqualem cum ipſo habent Majeſtatem, qua deſtituuntur ſi conſiderentur ut ſinguli territoriorum domini. Confer *Conring. ad Lamp. part. 1. §. 11.* ac propterea idem actus legislatorius hoc reſpectu eſt lex proprie ſic dicta.

ANNOTATIO 94.

Cum proceribus Ariſtocraticis vel civibus democraticis non poſſe comparari Status imperii, antea dixi & probavi, hinc iterum otioſa eſt tua cantilena de ariſtocratia, democratia aut republica mixta. Status imperii, ut territoriorum dominos, majeſtate deſtitui, tu impudenter contra *J.P. art. 8. §. 1. Capit. Leopold. Joſeph. art. 3.* ac contra quotidianam praxin & experientiam aſſeris. Præterea tota hæc concio argumentum meum

meum non ferit, ſed tuam ſaltem ſententiam, antea à me exploſam repetit.

§. 95.

Si obſcurus iſte Doctor, hæc Verba ita intelligat: pars actus legislatorii quamdiu ſcil. Imperator & Status Imperii adhuc occupati ſunt circa ferendam legem, ante promulgationem & ſanctionem non poteſt eſſe conventio & lex; verum quidem eſſet, quia lex nondum promulgata, non eſt lex; neque ſubditi ad eam obſervandam obligantur: ſed hoc non voluit abſurdus iſte philoſophus; quia hoc non dixit, nemo enim præſumitur aliud voluiſſe, quam quod dixit. vid. *l. 7. de ſupel. leg. Grot. 3. c. 1. §. 11.*

ANNOTATIO 95.

Noli me, ex inſanis tuis hypotheſibus, explicare, nam id, quod tu garris, nec ſenſi, nec jam ſentire velim. Sententia mea hæc eſt: *totus actus* (v. gr. decretum de commerciis cum Gallo non habendis plene conceptum & promulgatum) *hoc reſpectu* (nempe Cæſaris & Statuum) *conventionis, alio vero* (ſcil. ſubditorum mediatorum) *legis indolem habere poteſt*, atque hoc etiam docet Grotius antea citatus. Verum *idem actus ex parte* (ratione ſcil. Cæſaris) *conventio, & ex altera parte* (ratione Statuum) *lex eſſe nequit* i. e. non datur actus hybrida, qui ex pacto & lege, velut duabus partibus integrantibus, ſit compoſitus velim tamen hoc reſtrictum ad caſum, ubi perſonæ conſentientes ſunt æquales, quales Cæſarem & Status eſſe, ſatis fortaſſis oſtendi.

§. 96.

§. 96.

Verba Titii lib. 1. c. 9. §. 11. (l. 2. c. 7. §. 12.)

Inſtrumento pacis *art. 8. n. 3.* controverſia hæc deciſa non eſt, neque conſtitutum, ut capitulatio ab imperatore & Statibus omnibus fiat, licet pravo judicio ita exiſtimet Vitriar. *J. J. P. l. 1. tit. 2. §. 14. in fin. l. 3. tit. 4. §. 8.* nam deliberatio ſolum & fieri poteſt, deciſio promittitur, ſalvis interim juribus, quæ utraque pars ſe habere exiſtimat.

RESPONSIO.

A temporibus Caroli V. Electores ſoli, ſine contradictione reliquorum Statuum, Imperatori capitulationes præſcribere ſoliti ſunt, uſque ad Matthiæ electionem, in qua de eo ſunt conqueſti, und haben dafür gehalten daß Electores in tractandis Imperii negotiis etwas zu weit lauffen / und ihre Facultät / die allein auff die Election reſtringiret iſt / viel zu weit extendiren wollen. Propterea etiam anno 1646. tempore pacis Weſtphalicæ ſequentia propoſuerunt: Zur conſervirung jetzt berührter Gleichheit unter den Ständen / und Vermehrung beſtändigen guten Vertrauens / würde weniger nicht verträglich ſeyn / wann die verſchiedene Eingriffe / welche vom Chur-Fürſtlichen Collegio übrigen beyden Reichs-Räthen von geraumer Zeit geſchehen und begegnet

ſind künfftig ein= und abgeſtellet verbleiben. Dann aus Käyſerlichen Wahl=Capitulationibus iſt zu erſehen / was Geſtalt faſt in allen denſelben / Enderungen fürgenommen / daraus nothwendig erfolget / daß die jura Reipublicæ, faſt immer für und für fluctuiren / und der ſtatus Imperii perpetuis mutationibus & converſionibus unterworffen ſeyn müſſe / im Fall nicht ein vor allemahl eine beſtändige / unveränderliche Capitulation gemacht werden ſolle; Dannenhero die Wohlfahrt des Heiligen Römiſchen Reichs nothwendig erfordern will / daß dergleichen gewiſſe Verfaſſung / darbey es ſein unwandelbares Verbleiben / entweder bey jetzigen Tractaten / oder je auff nechſt=folgendem Reichs=Tage mit Einverwilligung der Römiſchen Käyſerlichen Majeſtät / und der ſämtlichen Churfürſten und Stände behandelt und verglichen werde: Solte dann über kurtz oder lang des Reichs Wohlfarth erfordern / hier unter einige Veränderung zu machen und vorzunehmen / auff ſolchen Fall wäre ſolches auff einen allgemeinen Reichs=Tag reifflich zu berathſchlagen / und nach wohl=erwogenen Dingen und Befinden zu belieben. *Vid. Theatr. Europ. tom. 5. ad An. 1646. p. 1052.* Poſthæc in Inſtrumento Pacis *art. 8. §. 3.* conſtitutum hoc mo-

modo: *in proximis vero comitiis emendentur anteriorum conventuum defectus, ac tum quoque de electione Romanorum Regum, certa conſtantique Cæſarea capitulatione concipienda &c.* EX COMMUNI STATUUM CONSENSU AGATUR ET STATUATUR. Cum anno 1654. durantibus comitiis Ferdinandus IV. eligeretur, negotium autem perpetuæ capitulationis perfici non poſſet, ad ejus capitulationem monita ſua reliqui ſtatus collegio Electorali exhibuerunt. Idem factum anno 1658. in electione Leopoldi I. & cum Status Imperii viderent ea non fuiſſe obſervata, proteſtationem interpoſuerunt, ut ſequitur: Wie und welcher Geſtalt die jüngſt-Käyſerliche Wahl-Capitulation eingerichtet worden / davon iſt uns von dem Chur-Mäynziſchen Reichs-Raths-Directorio communication beſchehen/haben es nunmehro auch in der gedruckten (welche gleichwohl nicht ohne Befremdung mit der von dem Directorio communicirten in einigem Haupt-Stück diſcrepant befunden worden/) erſehen. Wann wir nun die/ in Nahmen unſer gnädigſten Fürſten und Herrn Principalen auch committenten ad capitulationem übergebene Monita dargegen halten/ ſo befindet ſich/ daß der mehre Theil/ bevorab von denen

in die jura principum & ſtatuum mit einlauffenden (Exempels-Weiß / die jura ferendarum vel interpretandarum legum, alienandorum bonorum Imperii, pacis & belli defectus, (delectus) fœderum, declarationis in bannum, und viel anderen) gar nicht attendiret / etliche invertirt / und das contrarium der capitulation einverleibet / auch wohl etliche neue / Fürſten und Ständen höchſt-præjudicirliche paſſus, mit eingerucket worden. Dieweil nun ſothane Verfahrung den Reichs-Conſtitutionibus, in ſpecie aber dem Inſtrumento pacis und ſelbſt Billigkeit directe zuwider lauffet / auch beſorglich dergeſtalt / daß das unter Chur-Fürſten / Fürſten und Ständen des Reichs ſo hochnothwendige Teutſche Vertrauen leichtlich einen Anſtoß leiden müſte: Als hätte man ſich billig dergleichen Hindanſetzung obberührter monitorum, nicht verſehen / und müſſen wir es zwar unſers Theils vor dißmahl an ſeinen Ort geſtellet ſeyn laſſen / in alle Wege aber unſern genädigſten und genädigen Fürſten und Herren Principalen und committenten gebührend hinterbringen / geſtalt dann denenſelben fernere Nothdurfft / ſamt dero Recht und Gerechtigkeiten ausdrücklich vorbehalten / inmittelſt ſtatt ihrer nichts verfängliches eingeräumet /

met / obbemeldte præterition, und was ſonſten / durch einigen neuen beſchwerlichen Zuſatz / Fürſten und Ständen / zu præjudiz in ermeldte Capitulation mit einkommen / hiermit beſter maſſen contradiciret und darwider auffs zierlichſte proteſtiret / vielweniger was diſſeitigen monitis zugegen eingetragen worden / weder expreſſè nec tacitè approbiret / noch die Käyſerliche capitulation, in ſo weit dieſelbige mit mehr ermeldten monitis nicht einſtimmet / oder dem Inhalt des Inſtrumenti pacis ungemäß iſt / pro lege publica gehalten / auch zu Ende dieſe Reſervation- und Proteſtation-Schrifft ad acta Imperii zu reponiren begehret haben wollen / auch an Seiten ob höchſt- und hochgedachter unſer genädigſten und genädigen Fürſten und Herren Principalen auch committenten der zuverſichtiglichen Hoffnung billig gelebt wird / man werde ſie wider dero wohl-fundirte monita und jura zu graviren nicht gemeynet ſeyn. Geſtalt ſie auch keines Weges nachgeben werden / thun auch weniger nicht die Nothdurfft ratione capitulationis perpetuæ, auff ſchier künfftigen Reichs-Tag / und optima forma vorbehalten / und dem unter dato den 27. Junii nechſthin der gedruckten Käyſerlichen Wahl-Capitulation angehängten alſo ge-

nandten Chur-Fürſtlichen Decreto, als welches in effectu in die Interpretation der güldenen Bull/ (welche) dem Chur-Fürſtlichen Collegio alleine nicht gebührt/ noch dahero Fürſten und Stånde demſelbigen einraumen können/ mit einlaufft/ contradiciren und gleicher Geſtalt darwider geziemende Nothdurfft reſerviren. Franckfurth den 8. Aug. 1658. *Vid. Theatr. Europ. tom. 8. ad ann. 1658. p. 491.*

ANNOTATIO 96.

Parce quæſo perituræ chartæ putidis tuis exſcriptionibus nihil efficis, inprimis noli impoſterum textus exſcriptos majoribus literis diſtinguere, quia exinde ſaltem tua & Vitriarii imperitia, ſatis jam, licet minutiſſimis literis ſcribatur, notabilis magis elucet. Gravamina Statuum, nihil aliud oſtendunt, quam *conceptionem capitulationis eſſe controverſam*, nec crediderim vel Vitriarium inde plus probare velle. Inſtr. Pac. autem hic eſt ſenſus: *in proximis comitiis &c. de certa conſtantique Cæſarea capitulatione* (hactenus controverſa) *concipienda &c. agatur & ſtatuatur* i. e. deliberetur &. ſi fieri poteſt, decernatur, tum (1) *an*, tum (2) *quo modo* perpetua capitulatio concipienda ſit. Sane hunc eſſe verum Inſtr. Pac. ſenſum, hiſtoria tum pacis hujus, tum ſequentium deliberationum comitialium oſtendunt. Tu interim expende ſaltem has rationes (1) omnia negotia, quæ in *d. art. 8. §. 3.* proponuntur, pro talibus ſunt habita, quæ in conventu Osnabrugenſi

genſi decidi nequeant. Ergone (2) negotium perpetuæ capitulationis velut in transcurſu erit deciſum? credat hoc Judæus Apella & Vitriarius, mihi credibile non videtur! Putasne (3) Electores adeo imprudentes, jurisque prætenſi adeo prodigos fuiſſe, ut deciſionem ſibi præjudicantem, inſeri fuerint paſſuri? Aut num (4) eos tam injuſtos hodie credis, ut, ſine ulla ſpecie, legi fundamentali repugnent? vide, mi homo, quo evadat tua impudentia! Denique (5) ne hodie quidem Status Imperii reliqui, Electoribus facultatem concipiendi capitulationem ſimpliciter negant, de quo mox iterum, qui ergo tam præciſe, & abſolute facultas illa in *Inſtr. pac.* iis eſſet abjudicata?

§. 97.

Ex his Dnus Vitriarius concludit, quod hodie nullam habeamus capitulationem, quæ ſecundum normam Inſtrumenti pacis ſit confecta. Hoc enim vult, ut omnium Statuum conſenſu in comitiis Imperii deliberetur & ſtatuatur de conſtanti & perpetua capitulatione, qualem hactenus nullam habemus. Sophiſta hic novus putat, Dnum Vitriarium pravo judicio ſtatuere, quod in Inſtrumento pacis ſit deciſum, capitulationem debere fieri non a ſolis Electoribus, ſed ab Electoribus & omnibus Statibus:

ANNOTATIO 97.

Merito me judicium Vitriarii, *pravum* dixiſſe, ex annotatione præcedenti liquet. Et quid a Vitriario expectes, quem in exemplum hominis confu-

ſi & judicio carentis recte adduxeris? Nam in locis a me citatis ſecum ipſo pugnat. in *d. lib. 3. tit. 4. §. 8.* inepta pariter ac injurioſa locutione dicit: *ad jura Electoribus cum Imperatore de facto communia, referri jus concipiendi capitulationem.* Idem ſentit in *d. l. 1. c. 2. §. 14. in fin.* ſed in *medio d. §. 14.* contrariam tuetur ſententiam, nam quærit, *an capitulationes ad receſſus imperii* i. e. leges publicas legitime conditas & validas, *ſint referendæ?* & poſtquam recenſuerat quorundam ſententiam, exiſtimantium, capitulationes, *ante J. P.* factas, vix eo referendas eſſe, bene vero *poſt illud* confectas, mox addit: *nos & anteriores inter receſſus imperii referendas eſſe non dubitamus,* i. e. de poſterioribus minus dubii eſt, quin ad receſſus pertineant, ſed & anteriores eo referendas eſſe non dubitamus, nam particula: & connectit ac ampliat. Tu nunc hæc concilia: *capitulationes poſt Inſtr. pacis facta, ad receſſus i. e. leges legitimas & validas referendæ ſunt,* & tamen *ſunt contra Inſtrum. Pac. facta!*

§. 98.

Verum quæro ex ipſo, an ejus judicium ſit pravum reſpectu gravaminum à Statibus tempore pacis propoſitorum? At expreſſe volunt daß entweder bey ietzigen Tractaten/ ſc. pacis Weſtphalicæ oder die auff folgenden Reichs-Tage mit Einverwilligung der Römiſchen Käyſerlichen Majeſtät / und der ſämmtlichen Chur-Fürſten und Ständen ein vor alle mahl eine beſtändige / unveränder-

derliche capitulation vehandelt und verglichen werde.

ANNOTATIO 98.

Inepta & otioſa eſt hæc quæſtio, pravumque quærentis redolet judicium, quia enim de gravaminibus Statuum non egi, hinc eorum intuitu, judicium Vitriarii, pravum dicere non potui.

§. 99.

An reſpectu ipſius Inſtrumenti pacis? nec hoc dici poteſt:

ANNOTATIO 99.

Imo optime dici poteſt, ceu ex hactenus dictis liquet.

§. 100.

Quia primo expreſſe vult, ut emendentur ea, de quibus Status ſunt conqueſti, inter quæ & hoc eſt, quod ſoli hactenus Electores capitulationem præſcripſerint, excluſis reliquis Statibus.

ANNOTATIO 100.

Si inſtr. Pac. vult, *ut emendentur gravamina Statuum, inter quæ etiam in ſpecie eſt, quod ſoli Electores hactenus capitulationem præſcripſerint*, ut tu hic ipſe doces, ergo *illa & ſpeciatim ultimum, nondum Inſtr. Pacis ſunt emendata!* Quo te Mœri pedes?

§. 101.

Secundo falſum eſt, quod tantum deliberatio, & ſi fieri poſſit, deciſio promittatur: utrumque enim abſolute, non vero ſub conditione, ſi fieri poſſit, eſt conſtitutum, ſcil. de

(F) 5 cer-

Digitized by Google

certa conſtantique Cæſarea capitulatione EX COMMUNI STATUUM CONSENSU AGATUR ET STATUATUR vid. Verba ex *art. 8. §. 3.* modo allegata. Ita ut clariſſimum ſit, Inſtrumentum pacis velle capitulationem perpetuam fieri debere, non a ſolis Electoribus, ſed ab ipſis & omnibus Imperii Statibus.

ANNOTATIO 101.

An ego, an Vitriari9 rectius ſentiat, circa ſenſum Inſtr. Pac. ex ante dictis judicent cordati lectores, tu, mi Vindex, ſaltem pingis literas majuſculas, nullas autem reddis rationes, interim audi illuſtrum Rhetium: *Verum Inſtr. Pac. hoc non diſponit, ſed id tantum, quod in proximis à pacificatione comitiis, de perpetua tunc capitulatione agi debeat, verum illud non annectit, ſi in iſtis & ſequentibus connexis, perpetua capitulatio non perficeretur, nulla capitulatio valere debeat* J. J. P. *l. 1. tit. 4. §. 41.* perpende verba *d. art. 8. §. 3. quæ hic expediri nequiverant.*

§. 102.

An vero interea uſque dum talis capitulatio fiat ſalva ſint Electorum jura, ut vult Titius, (&) ſoli Electores eam præſcribere poſſint, eaque ut lex fundamentalis valeat? Cl. Vitriarius non tractat:

ANNOTATIO 102.

Quidni tractaret? nonne ſæpius dixit, *ſolos Electores capitulationem præſcribere non poſſe!* imo de hoc omnis hactenus fuit controverſia, *an ſcil. illud*

jus

jus Electoribus Inſtr. Pac. ſit abjudicatum! quid ais ergo mi homo! ſed forte de eo ſaltem vis intelligi: *an valeat capitulatio ut lex fundamentalis?* cur igitur plures quæſtiones inepte miſces? Interim de eo etiam tractavit Vitriarius, nam qui dicit, *quod capitulatio ſit contra Inſtr. Pac.* ille etiam dicit, *quod ſit ipſo jure nulla, ac adeo ut lex fundamentalis valere nequeat.* Non tantum ea dicit Vitriarius, quæ literis majuſculis exarat, ſed & quæ ex ipſius ſententia propoſita neceſſario ſequuntur!

§. 103.

Licet plures hoc negent: Verba Conringii in notis ad *Lamp. part. 3. c. 2. §. 25.* hic referre ſufficiat: *Hinc manifeſtum eſt*, inquit, *operoſas iſtas capitulatorias leges, in quas a Caroli V. ævo omnes Cæſares ſunt adacti, vitio fuiſſe factas: niſi ordines tacito ſaltem conſenſus omnes illas approbaſſent. Qui conſenſus hodie deſiit. Imo, quia in Inſtrumento Pacis, quod appellatur, & in legem eſt publicam receptum, capitulationis perpetuæ latio eſt mandata, hinc patet, jam inpoſterum ejusmodi, quales hactenus aliquamdiu invaluerunt capitulationes omni auctoritate deſtitui & ſolam Capitulationem perpetuam legis illam vim obtinere poſſe.*

ANNOTATIO 103.

Aliquid humani hic paſſus eſt Conringius, ſane ne ipſi quidem Status imperii, omnem Capitulationibus denegant autoritatem, ac per conſequens, omnem

omnem facultatem eas concipiendi, Electoribus non negant, ceu jam dixi *annot.96.n.5.* & qui poſſent citra proprium præjudicium? annon valebunt articuli, quibus Cæſar obligatur *ad jura Statibus relinquenda?* Ex proteſtationibus igitur Statuum rectius, quam ex Conringio intelligi poteſt, quid de autoritate capitulationum dicendum ſit, vid. Rhet. J. J. P. *l.1. tit. 4. §. 41.* meam ſententiam, ſi lubet, vide in *ſpecim. l.1. c.9. §.10. (l.2. c.7. §.11.*

§. 104.

An reſpectu Principum, qui monita ſua obſervari volunt, aut capitulationes recentiores, in quantum iis contrariæ ſunt, pro lege fundamentali non agnoſcunt; jam vero conceptis verbis proteſtantur, quod capitulationes, niſi conveniant cum ſuis monitis, & ſic agnoſcatur ipſorum jus concapitulandi, & cum Inſtrumento pacis, quod eam pro lege publica haberi nolint. *Vide modo allegatas proteſtationes.*

ANNOTATIO 104.

Sed illæ proteſtationes ſaltem oſtendunt, quod, jus concipiendi capitulationes, ſit *controverſum,* quod ipſe dixi, non autem probant, quod *controverſia Inſtr. Pac. ſit deciſa.* Interim antea jam faſſus ſum, quod Vitriarii judicium, ratione monitorum & gravaminum *pravum* non dixerim, quia de iis non egi. Quod ſi vero ille ex monitis his probare vult, controverſiam Inſtr. Pac. eſſe deciſam, tum ex poſt facto illius judicium etiam hoc reſpectu, non tantum *pravum*, ſed *maxime pravum* voco.

§. 105.

§. 105.

An corruptum eſt ejus judicium reſpectu regularum bonæ interpretationis?

ANNOTATIO 105.

Sic eſt, qui enim corrupte ratiocinatur, ut Vitriarius, ille bene interpretari non poteſt.

§. 106.

Si hic Doctor obſcurus eas intelligat, ſciet, quotiesçunque legis ſenſus dubius eſt, eum ſumendum eſſe ex aliis locis ejusdem legislatoris, ubi eandem quæſtionem tractat, imo interdum ex iis, quæ alio loco & occaſione dicta ſunt, quia in dubio voluntas ſibi videtur conveniens *Grot. 2. c. 16. §. 7.* & vero in gravaminibus ante concluſam pacem propoſitis ut & in monitis ad capitulationes, expreſſis verbis Imperii Status jus concapitulandi petunt, & ſibi tribuunt, propterea, ſi inſtrumenti Pacis ſenſus dubius eſſet, quod tamen falſum, explicari deberet ex dictis gravaminibus & monitis, quæ ſunt eorundem Statuum Imperii, qui in leges dicti inſtrumenti conſenſerunt, easque tulerunt. Jung. notulam der Wahl-Capitulation, wie ſolche das Chur-Fürſtliche Collegium auffgeſetzet/ und Fürſten und Ständen extradirt im April 1664. *Vid. eam apud Fritſch. in addit. ad Limn. lib. 1, cap. 12. p. 37.*

AN-

ANNOTATIO 106.

Noli inculcare regulas interpretandi, quia in his etiam infantiam tuam oſtendis! fundamenta interpretationis meæ antea *Annot. 96.* exhibui. Tu hactenus putida ſaltem textuum exſcriptione defunctus es, hic autem eximium imperitiæ ſpecimen addis. Nimirum dicis: *ſenſus dubius ex aliis ejusdem Legislatoris locis ſumendus eſt.* Bene, fiat applicatio! *Ergo ex gravaminibus Statuum inſtrumentum pacis explicandum.* Digna Vitriario illatio! Suntne Status imperii, Electoribus oppoſiti, *Legislatores?* ſunt *pars,* ineptule! tu ne vero ex ſententia & voto unius partis, quid circa controverſiæ deciſionem actum ſit, judicabis? ſic ſtulti ratiocinantur! Conjunge potius utriusque partis ſententias & vota, ac ſi ratiocinare: *In tractatu pacis Weſtphalicæ, Status imperii cæteri, negotium capitulationis pro ſe decidi cupiebant, ſed Electores contradicebant, ac in ſui potius favorem id deciſum optabant: neutra pars de ſententia decedere volebat, interim res Germaniæ moram non ferebant, ſed pax concludenda erat, quid ergo in negotio capitulationis controverſæ actum?* nihil, *ſed tota controverſia, ut hactenus fuit, ad comitia remiſſa.* Sic per regulas bonæ interpretationis habebis veram ſententiam!

§. 107.

Ex quibus itaque patet Dni Vitriarii judicium non fuiſſe corruptum, verum novatorem noſtrum ea quæ dicta ſunt vel ignoraſſe, vel Inſtrumentum Pacis non intellexiſſe.

ANNOTATIO 107.

Ex iis quæ hactenus annotavi, cordati lectores intel-

telligent, & me rectius Vitriario intellexiſſe inſtrumentum Pacis, & Vitriarii judicium non tantum eſſe, *pravum*, quod ego dixi, ſed & *corruptum*, quod larvatus Vitriarius propriæ conſcientiæ dictamine forſitan convictus, hic adjecit.

§. 108.

Sicut revera non intelligit illa verba, *certa & conſtans capitulatio*, non enim tantum dicitur ratione dubiorum præſentium, & ratione perſonarum concipientium, ut patet ex gravamine Statuum modo allegato ibi: im Fall nicht ein vor alle mahl eine beſtändige unveränderliche Capitulation &c.

ANNOTATIO. 108.

Formula capitulationis perpetua, certa, conſtans ac immutabilis, quæ omnib9 temporibus conveniat, *conceptu eſt impoſſibilis*, quæ vero temporibus repugnet, *inutilis & noxia*; An ergo Status Imperii putas tam imprudentes, ut *impoſſibile* vel *inutile ac noxium* expetant? noli ſtulta tua ſomnia abſurdosq; conceptus magnis ac prudentibus hominibus imputare ſed diſce potius ex manifeſto ſententiæ tuæ abſurditate, veram, quam propoſui, ſententiam & quod illa etiam capitulatio ſit, eine ein vor allemahl beſtändige und unveränderliche Capitulation, quæ pro lubitu Electorum nequeat variari, ſed circa quam certum ſit, penes quos iſtius rei arbitrium eſſe debeat, Imo controverſum *jus adcapitulandi* liquido oſtendit, perpetuitatem capitulationis, non eſſe æſtimandam ex *formulæ immutabilitate*, ſed ex *certitudine perſonarum concipientium*, neutra enim pars

pars jus adcapitulandi, velut rem capitulationis perpetuæ indoli repugnantem, improbat, ſed utraque potius pars, Electores, inquam, & reliqui Status, id, in ſe ſpectatum, admittunt, de eo ſaltem, cui idem concedi debeat, diſputant, vide quæ ex actis publicis retulit Dn. Pfeffinger *in not. ad Vitriar. l. 1. tit. 7. §. 2. pag. 227. ſeq. edit. noviſſim.*

§. 109.

Verba Titii lib. 1. c. 9. §. 28. (l. 2. c. 7. §. 28.)

Æque impertinens altera eſt quæſtio: an capitulatio faciat Statum mixtum? quæ juxta conſueta carmina decidi ſolet. *V. Vitriar. L. 1. tit. 7. §. 6.* nam de forma civitatis non antea judicari poterit quam cognitis omnibus Cæſaris ac Statuum juribus.

RESPONSIO.

Quæ reſpondenda ſint huic inepto cenſori, vide ex iis, quæ dicta ſunt in præfatione *pag. 8. & 14.*

ANNOTATIO 109.

Duo cenſui (1) *quæſtionem*, quod ſit *impertinens & alieno loco propoſita*, ad hoc neque ſupra reſpondiſti, neque hic reſpondes, neque impoſterum reſponſurus es, quia ratio mea manifeſta & certa eſt. (2) *Deciſionem*, quoad hoc ſupra quidem reſpondiſti, ſed reſponſionem vanitatis in *annotatione* adjecta *16.* convici, plenius autem illa refelli poteſt ex iis quæ diſſerui in ſpecim. *l. 6. c. 7. §. 55. ſeqq.* nec non §. *66. 67. 68.* (*l. 7. c. 7. §. 55. ſeqq. imo, quæ, ex profeſſo, de forma Imperii, in nova editione, l. 7. c. 9. dixi*) Proba tu prius in Germania,

nia, *unitatem Reipublicæ*, deinde carmen mixturæ tuæ cantilla!

§. 110.

Verba Titii lib. 2. c. 3. §. 27. p. 119. (l. 1. c. 8. §. 27.)

Haud prudentior videtur quæſtio de jure recuperandi Hiſpaniam, *vid. Schwed. part. gen. c. 4. §. 25.* aut Galliam, *vid. Conring. de fin. l. 1. cap. 8.* licet aliter videatur Vitriario *l. 2. tit. 4. pr.*

RESPONSIO.

Quin Hiſpania æque ac Gallia olim Imperii Romani partes fuerint, etiam ab eo abſtractæ, extra dubium eſt. An vero etiam Imperio Romano-Germanico fuerint ſubjectæ? diſputatur. *Vid. Zachar. Vietor. de cauſ. exempt. Imp. concl. 1.* Dnus Vitriarius, cum originem Imperii Romano-Germanici certiorem repetat a temporibus Ottonis I. hoc negat de utroque regno, allegare etiam ſolet verba Dni Conringii *de fin. Imp. c. 8. in fin.* ubi de regno Galliæ ſic loquitur: *Quibus omnibus prope expenſis haud difficile collectu eſt, Franciæ regnum, brevi quidem momento fuiſſe in obſequio Germanorum Regum, ſolidum autem aliquod jus hinc Imperio haud accreviſſe, ſed quaſi ſuæ ſpontis remp. tantum non ſemper, a Germania regnum illud agnitum eſſe.* Jung. *Maurit. ad capitulat. Leopold. 1. ad art. VI.* de hoc omnes mecum teſtabuntur qui collegiis

ejus interſunt vel interfuerunt: eſt ergo vitium quod reliquum eſt ex prima editione Spirenſi, ſicut & aliud reperitur *lib.3. tit.13. §. 22.*

ANNOTATIO 110.

Tranſeant igitur illa cum cæteris erroribus! Poſſet tamen quis non immerito de hac excuſatione dubitare, nam verba Conringii, quæ hic allegantur, nihil habent de *Hiſpania,* nec adeo ejus intuitu, Vitriarium excuſant, præterea hic in præfatione Inſtitut. promittit lectoribus *Inſtitutiones emendatiſſimas,* in quibus adeo tam grave vitium nemo facile conjiciat. Sed ſit hactenus Vitriarius excuſatiſſimus, modo mihi nihil imputetur, cum vitium illud Spirenſe ex nulla re divinare mihi licuerit.

§. 111.

Quanquam autem hæc regna ab ipſo referantur inter totaliter exemtos.

ANNOTATIO 111.

Modo dixiſti, hoc eſſe vitium Spirenſe! & utique falſum eſt, quod illa regna inter *totaliter exemta* ſint referenda, nunquam enim ad Germaniam pertinuerunt, ergo non potuerunt totaliter eximi, privatio præſupponit habitum. Si igitur Vitriarius iſta regna ad totaliter exemta refert, ut nunc dicis, ergo non eſt vitium Spirenſe, corruit excuſatio antea allata, & Vitriarius manet reus erroris à me imputati.

§. 112.

Tamen Doctor hic novicius calumniatur, dum

dum ipſi imputat, ac ſi ſtatueret Imperio Romano-Germanico ſupereſſe jus ea recuperandi.

ANNOTATIO .112.

Mentiris! ego non imputavi Vitriario quod ſtatuat; *Germaniæ ſupereſſe jus recuperandi Galliam & Hiſpaniam*, ſed quod ſtatuat, *poſſe quæri de jure recuperandi illas*, inſpice verba mea, hanc quæſtionem ineptam putavi, quia ad Germaniam nunquam pertinuerunt illæ.

§. 113.

Cum reſpectu hujus ne verbum reperiatur, verum in genere tantum dicat: hi totaliter exemti nituntur duobus potiſſimum titulis, præſcriptione, & jure belli; de quibus certum eſt, quod imperia iis & acquiri & amitti poſſint. *Vid. Grot. 2. c. 4. §. 7. & 8. lib. 3. c. 8.* & quando agit de titulis fines recuperandi, agit de inique avulſis. *Vid.* §. *ult. dict. tit.* ex quo clare probatur novicii hujus Doctoris calumnia: quæ enim pactionibus, aut derelicti occupatione, aut victoriæ jure poſt pacem confectam in aliorum populorum Imperium conceſſerunt, huc non pertinent. Vid. *Grot. 2. c. 9. §. 11. n. 4.* neque ad ea recuperanda Imperator ſe obligat in capitulationibus. Vid. *Capit. Carol. V. art. 9.* & aliorum *Capit. Leopold. I. art. 6.* ibid: die zum Theil andere fremden Nationen ungebührlicher Weiß

zu gewachſen. *Capit. Joſeph. art. 6. Limn. ad Capitulat. Carol. V. art. 9. pag. 172. in fin. & ſeqq. Maurit. ad Capit. Leopold. dict. artic. 6.*

ANNOTATIO 113.

Pugnare hic cum larvis, à ſe ipſo efffictis, larvatum Vitriarium, ex annotatione præcedenti patet, de cætero quia tota hæc oratio eo collineat, ut Galliam & Hiſpaniam, *totaliter & juſte exemptas* oſtendat, hinc utique Vitriarium crediddiſſe oportet, *quod aliquando ad Germaniam illæ pertinuerint.* Sed hoc, velut hiſtoriæ & veritati contrarium, antea prætextu vitii Spirenſis excuſare voluit miſer Vindex, quid ergo tandem lectores credere debent, editio Spirenſis, an Vitriarius erroris illius parens ſit?

§. 114.

An autem capitulatio recte referatur ad titulos fines recuperandi? reſpondet Titius, obligatio Imperantis qua ad fines recuperandos ob leges fundamentales obſtringitur inter titulos male vulgo refertur, cum alium titulum habilem ſemper præſupponat, ipſa vero nullo modo titulus proprius eſt. Alii titulos dividunt in falſos, dubios, & certos; & ad hos referunt capitulationes Cæſareas. *Vid. Bœcl. in notit. Imp. lib. 2. cap. 3.* Hanc opinionem Cl. Vitriarius veriorem exiſtimat, ita ut titulum tribuat Imperatori, ſive vi, ſive alio modo provinciam inique avulſam repetat, ſive à Statu imperii, ſive ab extraneo, licet

licet reſpectu poſſeſſoris, jus Imperio, contra ipſum, competens præſupponat; & tantum habeat effectum interrumpendæ præſcriptionis. *Vid. Grot. 2. c. 4. §. 6.*

ANNOTATIO 114.

Ineptum hic agit Vindex Sophiſtam, nam primo loquitur de *capitulatione*, cum mihi ſermo ſit, de *obligatione Cæſaris*, licet enim hæc, velut ſubordinata, plerumque eundem habeant finem, adeoque promiſcue accipi poſſe videantur, attamen & revera differunt & aliquando capitulatio latius patet, quam obligatio Cæſaris. Secundo ludit in termino *tituli*. Ego enim per titulum juxta communem ſignificatum, intelligo talem actum, *ex quo Reſpublica jus, tam contra exteros, quam civitatis membra valiturum, conſequitur*, atque eo ſenſu obligationem Cæſaris, titulum eſſe nego, nec temere hic quis probaverit contrarium. Vindex vero hic per titulum intelligit, ipſam *obligationem Cæſaris*, vel *capitulationem qua eam producit*. Sed ita titulus communiter non accipitur, ipſe Vitriarius *l. 2. tit. 4. §. 5.* eo ſenſu illum non accepit. Interim abundet ſuo ſenſu Vindex, modo deſinat inepte contradicere ac ambiguitate verborum fucum facere.

§. 115.

Imo ipſe Titius, hoc aſſerit *l. 4. (5) c. 2. §. 10.* cujus verba hæc ſunt: *Cæſares tamen Carol. V. ſecutos ex capitulationibus ad petendam coronam fuiſſe obligatos, vulgo putant, vid. Schwed. d. c. 2. §. 29. ſed forte illa capitulatio-*

(G) 3 *num*

num clauſula non obligationem Cæſaris continet, ſed retenti ſolum in Romam Imperii indicium eſt. Ergo, ut apparet, capitulatio eſt titulus reſpectu Imperatoris, ut vindicet id, quod Imperio eſt avulſum:

ANNOTATIO 115.

Cæſarem capitulationibus obligari ad fines amiſſos recuperandos, certum eſt, ſi tu vis obligationem illam dicere, *titulum reſpectu Imperatoris,* per me licet. Tu ſaltem deſine nugari, ac ridiculas contradictiones mihi imputare. Interim intempeſtive adduxiſti talem locum, in quo obligationem aliquam Cæſaris conſtitui, plane negavi, jam enim perpendite Lectores contradictionem, judicio Vitriarii larvati erutam: *obligatio Cæſaris non eſt titulus* (hoc antea dixi) & tamen *capitulatio, quatenus nullam Cæſaris obligationem continet, ſed ſaltem retenti in Romam imperii indicium eſt, pro titulo haberi poteſt* (hoc ultimum quidem hactenus non dixi, admitto tamen id) O egregium inventum, centum boum mactatione dignum!

§. 116.

Imo, ſi conferas in hoc *lib. 2. c. 3. §. 8. (l. 1. c. 8.)* qui ſic ſe habet: *factum illud dicitur titulus, & ut arbitramur, eſt vel pactum fundamentale ipſius civitatis, nam ex hac utique civitas nanciſcitur jus quoad fines non tantum contra ipſas provincias, a corpore ſeſe avulſuras, ſed & contra vicinos valiturum.* Clariſſime aſſerit pactum fundamentale civitatis, quale etiam eſt capi-

capitulatio, civitati jus quoad fines recuperandos producere.

ANNOTATIO 116.

Hactenus fuiſti Sophiſta, nunc incipis eſſe falſarius, omitte *capitulationem*; de qua ego in loco adducto non ſum locutus, & quam a pacto fundamentali, de quo dixi, plane diverſam eſſe, mox oſtendam.

§. 117.

Ita ut ipſum pactum fundamentale ſit titulus proprius e. gr. quando Argentoratum ſe ſubjecit Regi Galliæ, ab Imperatore noſtro, optimo jure, tempore pacis Ryswicenſis vindicatum eſt, quia Imperator; vi capitulationis ſuæ *art. 6.* non tantum titulum & jus quæſitum habuit contra ipſam civitatem, verum etiam contra ipſum Galliæ Regem.

ANNOTATIO 117.

Falſum eſt, quod Imperator vi capitulationis, habuerit jus quæſitum, *ratione Argentorati*, jus hoc dependet ex aliis principiis, Cæſar ſaltem, data occaſione, ad id vindicandum per capitulationem obligatur, quæ duo valde differunt, licet tu, vel, præ craſſitie ingenii, ea diſtinguere nequeas, vel præ malitia, aut ambitione, ne erraſſe videaris, nolis.

§. 118.

Qui propterea, dum hoc agnoſceret, transactionem cum Imperatore & Imperio interponendam exiſtimavit. *Vid. Pac. Riswic. inter Imperat. & Regem Galliæ art. 34.*

Digitized by Google

ANNOTATIO 118.

Supereſt,ut quoad contradictionem hac periodo mihi imputatam generaliter nunc tibi reſpondeam. Percipe Dave: *pactum fundamentale,quo civitas conſtituitur,quodque eidem jus dat*, ac obligatio, *quæ poſt civitatem diu conſtitutam, ſæpiusque mutatam capitulatione producitur*, *ac Imperanti circumponitur*, toto cœlo differunt,dum igitur *illud*, titulum dixi, *hanc* negavi,mihi non contradixi,ſed contradictio illa, ſaltem eſt cerebri tui male purgati delirium. Exinde etiam intelligis: *omnem quidem capitulationem eſſe pactum fundamentale*, ſed non vice: *omne pactum fundamentale eſſe capitulationem*; in ſpecie illud, de quo ego locutus ſum, capitulatio non eſt.

§. 119.

Hæc non tantum evincunt capitulationem eſſe verum & proprium titulum,verum inſuper etiam exprobrant Titio temeritatem in cenſendis aliorum opinionibus, & ſuæ philoſophiæ incertitudinem, tum non tantum in diverſis libris & capitibus, verum etiam in hoc eodem capite ſibi contrarius eſt.

ANNOTATIO 119.

Imo hæc collatis annotationibus evincunt, quod Vitriarius, ſive aperte agat, ſive ſub larva lateat,ſit Scriptor judicio deſtitutus.

§. 120.

Sic, quando quæritur, an præſcriptio inter gentes locum habere poſſit? hoc *lib. 2. cap. 3.* *(l. 1. c. 8.)* §. 21. reſpondet: *quæ autem vulgo inter*

ter gentes præſcriptio adſtruitur, ea nihil aliud eſt, quam tacito conſenſu facta translatio, quam, uti juxta antea dicta admittimus, ita opus non eſt, ut rem perſpicuam termino ambiguo ac in errores & confuſionem prono, involvamus. Verba ejus *lib. 2. c. 10. §. 5. (l. 4. c. 8. §. 6.)* hæc ſunt: *fit autem illa alienatio vel expreſſe, juxta requiſita cap. præced. §. 22. 23. (l. 4. c. 3. §. 26. ſeq.) adducta, vel tacite per præſcriptionem, quando quis alterius ſuperioritatem territorialem mediante poſſeſſione ſibi aſſerit, atque immemoriali tempore præſcribit.* Videmus in præcedentibus Titium nolle, ut rem perſpicuam termino ambiguo ac in errorem & confuſionem prono, involvamus. Quid hic agit? philoſophum biformem, & ſi cum hoc ſit præter regulam, monſtroſum & abſurdum, qui mox affirmat, mox negat, id quod ipſi ſolenne eſt, ut monſtroſas, ineptas & contrarias ſibi opiniones proponat: plerumque enim hoc accidit iſtiusmodi novatoribus, qui dum parturiunt montes, ridiculum murem pariunt.

ANNOTATIO 120.

Poteras hic ineptias & abſurditates parcius admetiri, quia omnes in te recidunt, dum ſine ullo judicio loca planiſſima cenſes. Ecce! tacitas translationes, quæ inter liberas gentes occurrunt, non ſatis commode *præſcriptiones* dici, arbitror,

tror, quia ſc. circa illas non occurrit aliqua temporis determinatio, a qua effectum habeant, quod tamen primariam præſcriptionis requiſitum eſt. Sed inter Status imperii, tacitis translationibus titulum *præſcriptionis* tribuo, quia receſſibus imperii tempus ſtatutum eſt, a cujus lapſu vim illæ ſortiantur. Heic igitur non major ſubeſt contradictio, quam ſi quis diceret, *Vitriario boni juris publici ſcriptoris titulus non convenit*, quia infantiam, confuſionem ac judicii defectum, paſſim oſtendit, *convenit tamen idem Monzambanò aut Kulpiſio*, quia vigorem & acumen judicii lectoribus adprobant.

§. 121.

Videbimus tantum unum adhuc vel alterum exemplum.

ANNOTATIO 121.

Deſine nugarum, bone Vir! miſeret me tui & contradictionum a te congeſtarum, aperte enim deliras, ac muſcas in puro aëre captas! ſed videamus muſcarium noſtrum!

§. 122.

Lib. 2. c. 4. §. *16. (l. 3. c. 1.* §. *8.)* dicit, ex jure territoriali jus ſuffragii fluere. §. *22. (27.) requiritur, ſc. ad Statum Imperii, jus territoriale, hoc fundamentum eſt reliquorum, niſi enim domi tui juris ſis ad comitia adſpirare, & ærarium provinciale præterire non licebit.* §. *26. (31.) non antecedit vero jus territoriale velut cauſa ſine qua non, ſed potius tanquam cauſa efficiens, ex qua jus ſuffragii profluat.* §. *27. (32.) hinc a*

quo

quo tempore Status territoria proprio jure cœperunt regere, ab eo quoque tempore ſuffragium comitiale in deciſivum mutari debuit.

ANNOTATIO 122.

Ergo in his locis aſſero, *quod jus territoriale ſit cauſa efficiens voti comitialis deciſivi*, quo ipſo tamen nullam prioritatem & poſterioritatem ratione *temporis*, ſed ſaltem *ordinis* inter illa adſtruo, ea ſcil. ratione, jus territoriale velut cauſa, ordine præcedit votum comitiale, tanquam effectum, utrumque interim eodem tempore, iisdem gradibus & mediis Statibus imperii fuit acquiſitum.

§. 123.

Lib. 1. c. 4. §. 27. (l. 2. c. 2. §. 29.) hæc ſunt ejus verba: *Origo* (ſcil. Imperii Receſſuum, & ſic voti comitialis) *deduci debet ab eo tempore, quo Status in communionem Imperii recepti ſunt. Vitriar. lib. 1. tit. 2. §. 10.* Jam vero eam repetit Vir Cl. a temporibus Ottonis I. *lib. 5. c. 3. §. 4. (l. 6. c. 4. §. 4.)* loquitur ita: *In Germania ſemper obtinuiſſe comitia ex ſtudio libertatis, Germanis ſolenni, recte aſſeri videtur, ſed uti indoles comitiorum ſemper ſequitur naturam reipublicæ ita comitiorum, qualia hodie ſunt, origo ab eo tempore repetenda eſt, quo Status in communionem Imperii ſunt recepti, de quo alibi dictum*, eodem *lib. 5. c. 1. §. 3. (l. 6. c. 2. §. 1.)* hæc habet: *iſtum nexum communem,*

ſi

ſi quis altius ſcrutari velit, ei diſtinguendæ erunt tres periodi (1) *reip. primæ.* (2) *mutantis.* (3) *præſentis, quam a temporibus capitulationum plenius conſcribi cœptarum, ac inprimis pacis Weſtphalicæ, auſpicari licebit. Lib. 2. c. 6. §. 7. (l. 1. c. 5. §. 8.)* ita legitur: *Iſtam vero poteſtatem hactenus forte nomine Imperatoris exercitam deinde in jus proprium, quod ſuperioritatem territorialem hodie dicimus, convertere cœperunt Epiſcopi illi, quod a temporibus Henrici IV. & inprimis diuturno interregno deinceps ſecuto, factum eſſe exiſtimatur. §. 8. (9.) uſurpationis vero iniquitas ſecutis deinde conventionibus, puta A. B. conſtitutionibus Maximiliani I. capitulationibus a ſeculo XVI. plenius conſcribi cœptis purgata eſt, donec hoc ſeculo pacis Weſtphalicæ ſanctio complementum addiderit. Eodem lib. 2. c. 7. §. 11. (l. 1. c. 4. §. 26.)* ſcribit ſequentia: *in genere vero ſic dicendum: ante Carolum M. jacta ſunt fundamenta, quæ ipſe Carolus maximam partem ſubruit, quando ducatibus pleriſque ſublatis, comitatus non hæreditarios inſtituit, ſed Caroli poſteri & Saxones eadem reſtituerunt. ducatibus denuo inſtitutis. §. 12. (27) Ab hoc tempore ſucceſſive, imprimis vero ſub Henrico IV. & memorabili illo interregno, ducum, comitumque poteſtas crevit, deinde vero per conſtitutiones Imperatorum, & imprimis capitulationes in ordinarii juris titulum*

lum converſa eſt, ac tandem pace Weſtphalica penitus fuit confirmata. Eodem lib. 2. c. 9. §. 3. (l. 4. c. 3. §. 4.) hæc leguntur: *Id quoque denuo admonendum ex titulis introductæ ſuperioritatis territorialis præcipue allegari debere capitulationes & inſtrumentum Pacis, nam uti per hæc tituli antiquiores fere ſunt abſorpti, ita ex iis indoles ſuperioritatis territorialis demum recte intelligitur.*

ANNOTATIO 123.

Videt igitur peritus lector, quod omnia loca mea, hic exſcripta, eo collineent, *originem* libertatis Statuum ad tempora Ottonum, *progreſſum* ad tempora Henrici IV. & Friderici II. *complementum* vero ad capitulationes ac inprimis Inſtrumentum pacis Weſtphalicæ referenda eſſe. Sed nunc attende, quot abſurditatum ac contradictionum plauſtra inde deducat noſter nugarum Architectus!

§. 124.

Hæc pluribus exſcribere debui, non tantum ut conſtaret.

ANNOTATIO 124.

Te eſſe hominem ſtupidum, ſed & impudentem. Verum legamus cum Vindice!

§. 125.

De monſtroſa hujus Doctoris opinione, quæ ſuperioritatem territorialem conſtituit cauſam efficientem voti comitialis, cum Statibus

tibus Eccleſiaſticis & Secularibus jam aliquot ſeculis ante competierit votum in comitiis.

ANNOTATIO 125.

Sed quale? cur retices hoc Sophiſta? votum *conſultativum* Proceribus Germaniæ, ante ſuperioritatem territorialem, competiiſſe concedo, *deciſivum* nego, ſed a quo tempore tu hoc Statibus aſſeres, ab eodem etiam ipſis tribuam ſuperioritatem T. hancque velut cauſam, illud ordine præceſſiſſe oſtendam, interim ita ſe res habet, antiquis temporibus *qualitas & voti comitialis, & juris, quod, in ditionibus, Proceres habuerunt, fuit dubia*, donec, *præcipue Inſtr. Pac. fuerit definita.* Hactenus igitur mea opinio nemini monſtroſa videri poterit niſi Vitriario aliisque monſtroſi ingenii hominibus.

§. 126.

Ut enim præſens novator loquitur, iſtam demum conſecuti ſunt per conſtitutiones Imperatorum, & inprimis capitulationes, & pacem Weſtphalicam, illud etiam ab hoc tempore eſt mutatum in deciſivum, & tamen origo comitiorum, qualia HODIE ſunt, repetenda eſt ab eo tempore, quo Status in communionem Imperii ſunt recepti.

ANNOTATIO 126.

Ubi dixi quod Status ſuperioritatem T. *demum conſtitutionibus Imperatorum ac inprimis capitulationibus & Inſtrum. Pac. acceperint?* Percurre omnia loca & videbis, illa ad ejus *complementum* pertinere. Ineptis igitur more tuo, quando putas, me

me docere, quaſi votum comitiale prius extiterit, quam ſuperioritas Territorialis; Res potius ita ſe habet: Temporibus Carolingorum Duces & Comites, in provinciis conceſſis fuere *Magiſtratus*, ergo votum eorum comitiale, tum fuit ſaltem *conſultativum*, ſed temporibus Ottonum & ſequentibus, territoria *proprio jure* regere cœperunt, tum igitur ex *jure Magiſtratus*, fieri cœpit *ſuperioritas territorialis*, & votum *conſultativum*, mutari quoque cœpit in *deciſivum*. Interim iſta omnia hactenus valde erant dubia ac controverſa, donec, præcipue Inſtr. Pac. definirentur. Illud nota, mi homo, quando loquor de Statibus, *in communionem imperii receptis*, hoc non eſſe explicandum, juxta vulgare præjudicium, de *ſolo voto comitiali*, hæc enim explicatio uti falſa eſt, ſi de conſultativo intelligatur, quia hoc nullam imperii communionem infert, ita eadem eſt inadæquata, ſi de deciſivo capiatur, quare, ex mea ſententia, communio imperii fit, ſi Statibus *jus territoriale & votum deciſivum* tribuatur.

§. 127.

Verum etiam ut ingenii ſtupor, & judicii defectus clarius appareret ex collatione locorum allegatorum.

ANNOTATIO 127.

Stuporem ingenii multis hactenus ſpeciminibus docuiſti, poteras deſinere!

§. 128.

Quæro ex novo hoc Doctore, an qui petit votum in comitiis, domi prius debeat eſſe ſui

ſui juris? in jure publico & politicis is dicitur ſui juris, cui competit libertas civilis, & poteſtas ſe ipſum regendi, ita ut nulli ſit ſubditus. *Vid. Grot. l. 1. c. 3. §. 12. lib. 2. c. 24. §. 6.* ergo Status Imperii debuerunt eſſe in libertate civili, & nulli ſubjecti, antequam aſſumpti ſunt in Imperii conſortium.

ANNOTATIO 128.

Tu ineptis in hac quæſtione, nam ita quæris, quaſi ego ſtatuerim, *Proceres Germaniæ in plenam antea evaſiſſe libertatem, ac poſtea iterum votum comitiale petiiſſe*, quod profecto mihi in mentem non venit, mutatio enim Germaniæ non ſimul & ſemel, ſed ſenſim ac tacite facta eſt. Quare mea ſententia hæc eſt, *Statibus imperii non antea competiit votum deciſivum, quam domi fuerunt ſui juris*, ſeu *habuerunt jus territoriale, quamdiu hoc fuit dubium, illud etiam fuit incertum, hoc autem certo reddito, illud etiam fuit certum factum. Interim utrumque ſenſim & iisdem mediis fuit acquiſitum, ut tamen jus territoriale, ordine, votum comitiale antecedat.* In hac ſententia adhuc perſiſto.

§. 129.

Sic ergo tempore Ottonis I. Henrici IV. &c. non fuerunt ſubditi Imperatoris & imperii?

ANNOTATIO 129.

Non fuerunt, ſed conditione maxime dubia, hinc etiam votum comitiale deciſivum, maxime fuit dubium, an tu putas, mi homo, Status ea tempeſtate in Comitiis ſine controverſia, de imperio

rio civili participaſſe, eosque ibidem, ſine dubio, fuiſſe coimperantes?

§. 130.

Sic ergo hodie poſt capitulationes & Inſtrumentum pacis, non ſunt ſubditi Imperatoris & Imperii?

ANNOTATIO 130.

Non ſunt regulariter, *Inſtr. Pac. art. 8. §. 1. 2.* ſed ſunt potius *ſocii & fœderati*, ſicut etiam, in bello præcipue, hoc titulo utuntur. Proba tu contrarium, ſi potes, ſed rationibus ſolidis non inſano tuo mixturæ carmine. *add. Annotat. 82.*

§. 131.

An in democratiis nemo habet votum comitiale niſi domi ſit ſui juris? an in ariſtocratiis optimates non habent votum comitiale, niſi domi ſint ſui juris?

ANNOTATIO 131.

Omitte tandem impertinentes quæſtiones, ne gutturi raucedinem concilies. Quid enim ad me Ariſtocratiæ & Democratiæ? novi hoc, quod in iis, ſicut etiam, in regnis limitatis, vota ferentes, domi non ſint ſui juris. Sed ego locutus ſum de Germania, i. e. republica compoſita ſeu ſyſtematica (nam in hanc formam è regno limitato mutata eſt, ceu ex principiis, quæ in *ſpecim. l. 6. c. 7. (l. 7. c. 7. quibus nunc etiam applicatio ipſa d. l. 7. c. 9. acceſſit)* propoſui, facile oſtendi poteſt) in hac utiq; vota ferentes, ſui juris eſſe debent. An in Belgio, vel apud Helvetios, in conventu & diæta generali votum quis ferre poteſt, niſi domi ſit ſui juris? reſponde, mi homo, aut ha-

(H) rum

Digitized by Google

rum rerum, publicarum, à Germania, diſparitatem oſtende, ſed ſolide, non per ſolennem mixturæ cantilenam.

§. 132.

Omnia abſurda ſunt, & obſcuro huic Doctori ingenii ſtuporem, & judicii defectum exprobrant, non minus quam politicæ ignorantiam.

ANNOTATIO 132.

Oſtendunt potius te bajulum aut aniculam agere, ac ſine judicio convitiari.

§. 133.

Si conſideres contradictiones frequentiſſimas in locis allegatis occurrentes: ſcil. origo Receſſuum Imperii, ut HODIE ſunt, & ſic votum comitiale incepit tempore Ottonis I. & tamen ſtatum præſentem à temporibus capitulationum plenius conſcribi cœptarum, ſcil. tempore Caroli V. ac inprimis pacis Weſtphalicæ, auſpicari debemus.

ANNOTATIO 133.

Videte Lectores contradictionem: *Votum comitiale* (aut potius libertas Statuum in genere) *cœpit tempore Ottonis*, & tamen *capitulationibus ac inſtrumento Pacis accepit complementum!* Videte inquam & ejus autorem ridete!

§. 134.

Superioritas territorialis eſt cauſa efficiens voti comitialis, quod cœpit tempore Ottonis I. & ſuperioritas territorialis cœpit tempore Henri-

Henrici IV. & poſt mortem Friderici II. in magno illo interregno: imo, à tempore capitulationum & Inſtrumenti pacis.

ANNOTATIO 134.

Quam torquet ſe homo ineptus, ut contradictionem exſculpat, ſed nihil agit, ubi dixi quod *ſolum votum tempore Ottonis cœperit*, utrumque potius, *& votum comitiale & jus territoriale*, tum cœpiſſe dixi, ſicut etiam *utriusque progreſſum eundem*, ac *idem complementum* aſſerui. Jam iterum videte contradictionem: *jus voti & territoriale tempore Ottonis cœpit, tempore Henrici IV. & poſt mortem Friderici II. præcipue progreſſum eſt, inſtrumento pacis accepit complementum*, hæc ſibi contradicunt! ſed judicio ſaltem Vitriarii.

§. 135.

Nam uti per hæc tituli antiquiores fere ſunt abſorpti, (an ergo tituli antiquiores non voluerunt, ut eam Status Imperii haberent proprio jure? imo vero hoc voluerunt, ut patet ex allegatis.)

ANNOTATIO 135.

Vix tria verba profers, quin ſtuporem oſtendas. Eſtne inter hæc oppoſitio: *tituli antiquiores dederunt Statibus* jus proprium. *Ergo per recentiores non ſunt fere abſorpti?* dederint illis tale jus, non repugno, poſtquam tamen capitulationibus & Inſtrum. Pac. omnia plenius certiusque ſunt definita, prioribus non adeo utimur, ſed ſunt illi tituli fere abſorpti.

§. 136.

Ita ex iis indoles ſuperioritatis territorialis demum recte intelligitur, & per capitulationes in ordinarii juris titulum eſt converſa.

ANNOTATIO 136.

Oſtendunt ergo illa verba *complementum* acquiſitæ ſuperioritatis territorialis & juris comitialis. Num hæc contradicunt iis, quæ de *origine & progreſſu* horum jurium dixi? nemo ſic exiſtimabit, niſi cui cerebrum corruptum eſt.

§. 137.

Status Imperii eam conſecuti ſunt ex conceſſione Imperatorum, eamque etiam forte nomine Imperatoris exercuerunt.

ANNOTATIO 137.

Superioritatem territorialem exercere nomine Imperatoris, eſt contradictio in adjecto, ego ſic non locutus ſum, mi Sophiſta, phraſis quidem, quam hic producis, mea eſt, & extat in *ſpecim. l. 2. c. 6. §. 7. (l. 1. c. 5. §. 8.)* Sed eam non applicavi ad ſuperioritatem territorialem, ceu inſpectio probabit.

§. 138.

Jung. *lib. 3. c. 2.* §. 7. *(l. 3. c. 6. §. 7.)* ibi: *ſicut enim ſenſim variis mediis ſuperioritatem ſecularem ab illo* (ſc. Imperatore) *nacti ſunt, ita etiam jus ſacrorum &c.* & tamen eam uſurparunt, quæ uſurpatio demum A. B. conſtitutionibus Maximiliani I. &c. eſt purgata.

ANNO-

ANNOTATIO 138.

Mea ſententia eſt: *Cæſarem conceſſiſſe proceribus poteſtatem, qualem Magiſtratus habere ſolent, hanc Proceres per uſurpationem in jus proprium convertiſſe, uſurpationis vero iniquitatem ſecutis conventionibus eſſe purgatam.* Proba tu in his contradictionem, vel, me ita non docuiſſe, oſtende alias Sophiſtæ & calumniatoris infamia te manebit.

§. 139.

Quæ ſi quis conferat, merito in dubium vocaverit, an hic homo ſit Doctor, an ſtudioſus juris unius anni, quem olim ignominioſo nomine dupondium vocarunt?

ANNOTATIO 139.

Hem quam erudite! ex convitio etiam Leguleium agnoſcas! Mihi interim perinde eſt, Doctor an dupondius tibi videar, quia tuum judicium, & nullum, pari paſſu ambulant.

§. 140.

Certe videtur audiviſſe varias Doctorum opiniones de ſuperioritate territoriali, verum judicio nec in politicis, nec in jure publico ſatis firmo præditum fuiſſe, ut opinionem, quæ & rationi & Hiſtoriæ Germaniæ, & politicis principiis & legibus fundamentalibus magis conformis eſt, eligeret.

ANNOTATIO 140.

Hactenus vero nihil attuliſti, quo illud lectoribus perſuadeas. Quam autem infantiam ſuam in explicanda ſuperioritate T. oſtendat Vitria-

rius, vel ſola definitio *l. 3. tit. 15. §. 5.* propoſita, ut alia plura taceam, docuerit. Nimirum eſt *poteſtas Statibus imperii in ſuis Territoriis competens ubique, niſi quatenus vel lege, vel conventione prohibentur.* Hæc enim tam abſurda laborat generalitate, ut ſine graui mutatione ad Notarios v. gr. quadret, nempe poteſtas Notariorum eſt *poteſtas* (faciendi inſtrumenta) *iis in territorio competens ubique, niſi quatenus lege vel conventione prohibentur.* Ingratus eſſem niſi pro tot contradictionibus, quibus me Vindicis noſtri liberalitas donare voluit, aliquid rependerem, accipe igitur unam contradictionem Vitriarianam, ſed egregiam & omni exceptione majorem quæque mille putativis tuis contradictionibus prævaleat. Nimirum *l. 1. tit. 7. §. 5.* docet Vitriarius, *in Germania totam Majeſtatem eſſe in Imperatore, & totam in ſingulis imperii Statibus*, & tamen, *unam ſaltem eſſe Majeſtatem*, hoc enim perinde eſt ac ſi quis diceret: *Vitriarius ſcripſit Inſtitutiones, Vindex pro iis confecit vindicias* & tamen, *non ſunt duo ſcripta, ſed unum.* Conſule mi Vindex Vitriarium tuum, ac tentate, an Vos hinc expedire valeatis, ſed afferte rationes, non ineptas inſtantias ab *anima humana* & *obligatione correali* deſumtas, quibus jam uſus eſt Vitriarius, hæ enim uti ſummam ejus inſcitiam arguunt, ita non refutationem ſed riſum merentur.

§. 141.

Unde etiam eſt, cur ubique & principia ejus politica & juris publici, omni connexione & analogia deſtituantur, adeo ut ejus ſpecimen majori jure rapſodia juris publici, quam

quam ſpecimen juris publici reſtaurati dicis poſſit. Plura non adducimus, ubique enim iſtiusmodi abſurdis aſſertionibus libellus iſte ſcatet, ut, qui iis recenſendis & refutandis immorari velit, & operam & chartam perdere videatur.

ANNOTATIO 141.

Sed hæc mera eſſe convitia ac animi delirantis inſana ſomnia, ex antedictis patet, ut ea quidem amplius refutanda non ſint.

§. 142.

Verba Titii lib. 2. c. 5. §. 19. (l. 3. c. 2. §. 28.)

In omnibus Statibus hactenus enumeratis, definitio Status ſupra data, ſupponenda, in quantum eam ſinguli admittunt, ut non opus ſit circa Electores, Principes novam definitionem otioſe moliri, quod quibusdam ſolenne eſt. Vid. *Vitriar. lib. 1. tit. 16.*

RESPONSIO.

Notum eſt, plures eſſe Principes, ſine Principatu, Comites, ſine comitatu &c. Etiam Imperator ſæpe creat Principes Imperii, Reichs-Fürſten / vel etiam Comites, qui nomine & titulo tales audiunt, votum tamen & ſeſſionem in comitiis non habent.

ANNOTATIO 142.

Status controverſiæ eſt: *an poſt definitionem Status imperii generalem, opus ſit circa Electores, Principes &c. novis definitionibus, talibus ſcilicet quales dedit*

Vitriarius? nam de his me ſenſiſſe, allegatio Vitriarii oſtendit. Hanc quæſtionem merito negavi, cum regulæ ordinate ratiocinandi poſtulent, ut, ſi poſt generalem definitionem, ad ſpeciales progredi velis, definitum definitionis generalis, loco generis adhibeas, illudque per ſpecialia reſtringas, ſic enim emerget definitio ſpecialis, nec otioſa, nec improbanda v. gr. Status in genere eſt, *qui habet jus territoriale & votum comitiale.* Quid eſt Elector? *eſt Status* (ecce definitum prioris definitionis generalis) *jure eligendi Cæſarem gaudens* (regulariter hoc procedit, nam poterit eſſe jus eligendi, ſine jure ſtatus) quid Dux? eſt *Status dignitate Regali proxima præditus &c.* tales definitiones ſpeciales ſi quis poſt generalem moliatur, id adeo non improbarem, ut potius idem fuiſſem facturus, niſi brevitati ſtuduiſſem. Sed Vitriarius poſt definitionem generalem, in ſpecialibus (1) generalia inepte repetit (2) ſpecialia falſo vel obſcure explicat. v. gr. Dux imperii eſt, *qui de Ducatu ab Imperatore eſt inveſtitus* (hic obſcurum per æque obſcurum explicatur, nam qui ignorat, quid ſit Dux, is etiam non intelligit, quid ſit Ducatus, deinde falſum eſt, quod jus Ducis ab inveſtitura Cæſarea dependeat) *& votum & ſeſſionem in Comitiis habet d. tit. 16. §. 10.* hic generalia inepte repetuntur. Atque hujus furfuris ſunt fere reliquæ omnes definitiones Vitriarianæ, quod facile oſtendi poſſet, niſi chartæ eſſet parcendum, merito igitur homines inſcitiam ac confuſos conceptus ſub cenſuram vocavi, ac tales definitiones otioſas dixi.

§. 143.

§. 143.

Ut ergo conſtaret, quid eſſet Princeps, vel Princeps Imperii in genere, quid eſſet Princeps Imperii in ſpecie, & ſecundum excellentiam, ut loquuntur, Vir Cl. diſtincte & clare definitiones eorum propoſuit, ne vel ſtudioſa juventus, vel alius juris publici Romano-Germanici non ita peritus deciperetur nominis ſono, dum audit hunc vel iſtum eſſe Imperii Principem vel Comitem, ſtatim iſtum putet referendum eſſe inter Imperii Status, adeo ut non tantum non otioſe ſit molitus has definitiones, verum, ſi eas omiſiſſet, vitium eſſet & defectus Inſtitutionum quas ſcripſit, ſicut revera hic & pluribus aliis in locis propterea ſpecimen hujus novatoris imperfectum omnino eſt:

ANNOTATIO 143.

Quare ego nullas definitiones ſpeciales dederim, ejus rationem modo expoſui. Vitriarium autem eas clare & diſtincte propoſuiſſe, adeoque nihil otioſe molitum eſſe, utique falſum eſt, ut ex annotatione præcedenti liquet, generalia & falſa ſæpius proponere, omnino otioſum cenſeri debet, hinc etiam ſtudioſa juventus ex iſtis definitionibus Vitriarianis non ſolidam cognitionem acquiret, ſed perinde confuſa evadet, ac ipſe Vitriarius confuſus eſt.

§. 144.

Et, ſi JCtus debeat eſſe ſolicitus circa ver-

Digitized by Google

ba, ut ea rebus ſint convenientia, cur non circa definitiones.

ANNOTATIO 144.

Quis hoc negavit? repetitionem definitionum generalium & falſarum ego improbavi.

§. 145.

Præterea, quæro ex philoſopho hoc, qui cenſuram aliorum affectat, an aliquis juris publici ſtudioſus, vel alius, qui ei addiſcendo non multam operam locavit, ex definitione Status Imperii poſſit ſcire, quid ſit Elector Imperii? certe longe plura ad Electorem Imperii requiruntur, quam ad Imperii Statum, ita ut, niſi iſta accurate noverit, nec ex novatoris definitione Status, nec ex toto ipſius ſpecimine noſſe poſſit, quia & hoc omiſit: imo, multi etiam ex noviſſimis juris publici Doctoribus, Viris eruditione Clariſſimis, concedunt quidem Regem Bohemiæ eſſe Electorem, negant tamen ipſum eſſe Statum Imperii: qua ratione ergo tales poterunt ex definitione Status ſcire, quid ſit Elector? cum Elector eſſe poſſit, qui non eſt Status Imperii.

ANNOTATIO 145.

Ego non repugno quo minus ſpeciatim Elector definiatur, modo definitio bona ſit, qualis non eſt Vitriariana *lib. 1. tit. 13. pr.* quia inſerit *Archiofficia*, quæ tamen cum Electoribus nihil habent commune, deinde omittit, *quod Electores Status ſint,*

ſint, cum tamen ipſe Vitriarius *tit. 12. §. 2.* Status in *civitates & Principes*, hos in *tales in ſpecie & Electores* diſtinxerit, nec ad rem pertinet, quod Bohemus, Status non ſit, hoc enim præter regulam eſt. Præterea illud procul dubio ineptum eſt, quod Vitriarius ſingulos Electores ſpeciatim definiat, quis enim v. gr. propoſita definitione tutoris, eam repetit quoad Cajum, Sejum, Stichum, ac omnes cives, qui illo munere funguntur? nonne ſatius eſt adducta definitione, dicere hic, ille, iſte &c. eſt Elector? Denique licet ad explicandam Statuum varietatem, facienda ſit mentio v. gr. Electorum, attamen de his demum ex profeſſo agendum eſt circa electionem Cæſaream, ubi etiam ſatis de iis egi, *vid. ſpecim. l. 4. c. 1. §. 8. ſeqq. (l. 5. c. 1. §. 9. ſeqq.)* ſecus ac tu hic cavillaris, Vitriarius autem, dum illa alieno loco effudit, novæ confuſionis ac ineptitudinis reus eſt.

§. 146.

Porro, an, quando vel in jure noſtro, vel aliis diſciplinis definitio generis eſt propoſita, ſpecies propterea definiendæ non ſunt? e. gr. ſi quis dicat, tutor in genere eſt perſona, cui jure civili data eſt atque permiſſa poteſtas in capite libero ad tuendum eum, qui per ætatem ſe ipſum defendere nequit; otioſe molitur definitionem tutoris teſtamentarii, vel legitimi, vel dativi in ſpecie; quia definitio tutoris in genere in unoquoque ſupponi poteſt, in quantum eam ſinguli admittunt? certe

te tritum hoc eſt, & dupondiis notum, in toto jure generi per ſpeciem derogari, & ea potius habenda eſſe, quæ ad ſpeciem directa ſunt, quomodo hoc fieri poterit, niſi prius ſcias ea, quæ requiruntur ad iſtam ſpeciem?

ANNOTATIO 146.

Hæc te nihil juvant, nam poſt definitionem generalem, ſpeciales definitiones rite formatas poſſe proponi, nunquam negavi, ſed generalium & falſarum definitionum repetitionem improbavi, nonne ineptum eſſet, ſi poſt definitionem tutoris generalem, quam tu hic adducis, ita quis pergeret: *tutor teſtamentarius eſt perſona, cui jure civili data eſt atque permiſſa poteſtas in capite libero, ad tuendum eum qui per ætatem ſeipſum defendere nequit, teſtamento conſtituta*, ac eodem modo tutorem *legitimum* & *dativum*, mutatis mutandis, definiret? quæ ratio? quia ſcil. generalia repetuntur, cum ita dicendum eſſet v. gr. *tutor teſtamentarius* eſt *tutor teſtamento legitimo conſtitutus* &c. Jam vero eadem imo majori ineptitudine laborant definitiones Vitriarianæ Ducis, Principis, Comitis & Baronis, quia generalis Status definitio repetitur, dum fit mentio *voti* & *ſeſſionis*, & ſpecialia obſcure vel falſo explicantur, quando v. gr. Princeps ex *principatu* ac *inveſtitura Cæſarea* æſtimatur.

§. 147.

Imo, ipſe reſtaurator incurrit hanc ineptam ſuam & intempeſtivam cenſuram, *vid. l. 1. c. 2. §. 8. (l. 2. c. 1. §. 9.)* ubi leges fundamen-

mentales definit, quod ſint conventiones inter Imperatorem & Status Imperii initæ, quibus præſens Imperii Status vel in totum vel ex parte formatur *in cap. 4. §. 6. (l. 2. c. 2. §. 6.)* Receſſus Imperii ſunt conventiones &c. *c. 5. §. 3. (l. 2. c. 3. §. 2.)* Aurea bulla eſt conventio &c. *c. 6. §. 1. (l. 2. c. 4. §. 1.)* Pax Profana eſt conventio &c. *c. 8. §. 1. (l. 2. c. 6. §. 1.)* Inſtrumentum pacis eſt conventio &c. *c. 9. §. 2. (l. 2. c. 7. §. 2.)* capitulatio eſt pactum &c. An non definitio legis fundamentalis in genere in omnibus his eſt ſupponenda, in quantum eam ſingulæ admittunt, ita ut otioſe videatur aliarum definitiones moliri?

ANNOTATIO 147.

Ex ante dictis intelligere potes, me propriam censuram non incurrere, ego enim poſt definitionem legum fundamentalium generalem, ſpeciales ita formavi, ut in iis generalia & falſa non occurrant, quo vitio Vitriarianas laborare, antea oſtendi, hinc quando ab his, ad illas infers, à diſparibus argumentum ducis.

§. 148.

Solenne eſt hoc Doctori huic novitio, ut ipſe non intelligat ea, quæ ſcribit, vel ob pruritum alios carpendi, vel quia cavillari potius vult quam ea intelligere.

ANNOTATIO 148.

Satis ea intellexi quæ ſcripſi, nec dubitem, quin nunc etiam lectores periti ineptitudines Vitriarii, à me notatas, penitiſſime intelligant.

§. 149.

Digitized by Google

§. 149.

Ut pluribus hæc demonſtravimus in præfatione, dum putat, Cl. Vitriarium ideo non recte aſſerere, quod in libro primo agat de perſonis, quia etiam in eo agit de rebus; oſtendimus enim, ideo hoc non eſſe falſum, quod ſc. agat de perſonis, quamvis etiam de rebus agat: & ſi novator velit excipere, hunc eſſe ſenſum dictorum, quia etiam in eo agit de rebus, falſum eſt, quod tantum agat de perſonis, tamen cavillandi animum non purgabit: primo enim, non dixit Vir Cl. quod tantum agat de perſonis, ita ut nulla rerum fiat mentio; deinde, agit tantum de perſonis primario, prout ſunt Imperantes & parentes, non vero de rebus, ſed de his tantum incidenter, ut diximus. Hæc addimus hic, eo transferenda, quia ibi prætermiſſa ſunt.

ANNOTATIO 149.

Vitriarium nec *unice* nec *primario* de perſonis in *lib. 1.* agere, ſed eum potius, de perſonis & rebus, *eodem modo*, in omnibus quatuor libris, tractare, ſupra *Annot. 42. ſeqq.* clare oſtenſum eſt, ut hic quidem amplius nihil addendum ſit, interim ex loco hoc ingenium Vitriarii apparet. Confuſum ſcil. eſt, quicquid incidit, effutit, miſcet quadrata rotundis, neque enim ejus, quod hic adduxit, proponendi vel levis erat occaſio.

§. 150.

§. 150.

Verba Titii lib. 2. c. 9. §. 14. p. 198.
(l. 4. c. 3. §. 17.)

Nam ſi quis, qui hactenus vel Cæſari, vel alii Statui ſubfuiſſet per immemoriale tempus in poſſeſſione libertatis & ſuperioritatis territorialis fuerit, eam deinde legitime acquiſiviſſe cenſebitur, nec opus erit vel titulo, vel bona fide R. I. 1548. §. 56. 59. leges civiles & in ſpecie *L. 23. §. fin. C. de SS. Eccleſ.* abſurde hic allegantur, *vid. Vitriar. L. 3. tit. 20. §. 1.*

RESPONSIO.

Quamvis à pluribus in dubium vocetur an in imperiis & regnis præſcriptio locum habeat, *vid. Grot. 2. c. 4. §. 8.* tamen in Imperio Romano-Germanico præſcriptio immemorialis refertur inter modos amittendi & acquirendi ſuperioritatem territorialem, uti expreſſe conſtat ex R. I. 1548. §. 56. & 59. quem etiam Dnus Vitriarius allegat *lib. 2. c. 3. §. 7.* ut & *lib. 3. tit. 20. §. 1.* allegat *l. 23. §. fin. C. de SS. Eccl.* ubi pro §. fin. lege in fin. pr. cum enim in R. I. tantum habeantur verba: **daß er ie in Menſchen Gedächtniß / & innerhalb Menſchen Gedencken /** non vero dicatur, quouſque hominum memoria ſe extendat, hoc vero in *d. l. 23.* definiatur, quod centum anni ſint longiſſimum vitæ hominum tempus, eam Vir Cl allegavit, non ea mente ac ſi exi-

exiſtimaret, controverſias juris publici eſſe decidendas ex jure privato Juſtinianeo, hoc enim & ipſe negat, *vid. l. 1. tit. 2. §. 20.*

ANNOTATIO 150.

Cur vero tu mox dicis: *in ipſis etiam Statuum controverſiis autoritatem juris Juſtinianei eſſe agnoſcendam?*

§. 151.

Præterea Juſtinianus in definienda memoria ſecutus eſt & juris naturæ & gentium definitionem regularem, fieri enim poteſt, ut tempus memoriam excedens cum centenario non plane idem ſit. *Vid. Grot. 2. c. 4.* §. 7. cujus verba non incommode hic exprimuntur: *Bene autem*, inquit, *notatum eſt à prudentioribus JCtis, non plane idem eſſe tempus memoriam excedens cum centenario, quanquam ſæpe non longe abeat, quia communis humanæ vitæ terminus ſunt anni centum.*

ANNOTATIO 151.

Jus naturæ & gentium, definitionem Juſtiniani ignorat, natura quidem longiſſimum vitæ humanæ terminum fere voluit eſſe, centum annos, ſed *natura* & *jus naturæ* differunt, & nulla eſt conſequentia; *homo vivendo raro centum annos excedit*, Ergo, *jus naturæ centum annos in præſcriptionibus vult obſervari!*

§. 152.

Allegari ergo *l. 23.* potuit optima ratione, & ſine omni abſurditate.

AN-

ANNOTATIO 152.

Imo non ſine abſurditate, quia diſpoſitio *d. l. 23.* eſt mere *poſitiva*, nec ejus *autoritas* hactenus *probata*.

§. 153.

Omnis enim juris privati duplex fere uſus eſt: communis alter, alter juri cuique in illa civitate proprius, in qua obtinet. Nimirum habent omnes omnium gentium leges civiles nonnulla, quæ ex naturali æquitate proveniunt, refero verba celeberrimi viri, Dni. Werlhofii *in diſſert. de uſu jur. Rom. in controv. liberar. gent.* §. 25. & hæ controverſias juris publici non tantum illuſtrant, ſed & probant, non qua ſunt juris poſitivi, ſed qua jus naturæ & gentium ita definit, deficiente jure publico proprio & poſitivo. Confer. *Dn. Leibnitz in præfat. Cod. jur. gent.* §. *habent autem verſ. itaque ob illam.*

ANNOTATIO 153.

Hæc nihil juvant Vitriarium, quia allegavit jus civile, non qua naturale, ſed qua poſitivum.

§. 154.

Imo conſenſu Imperatoris & Statuum Imperii, etiam, in ipſorum controverſiis decidendis, juris civilis Juſtinianei auctoritas agnoſcenda eſt:

ANNOTATIO 154.

Sed paulo ante tu ipſe hoc negaſti, quam inepte igitur tecum ipſo pugnas, mi homo!

§. 155.

In his enim Imperii Status conſiderantur ut privati;

ANNOTATIO 155.

Hæc eſt petitio principii! Status ſunt regulariter Imperantes, ergo etiam in controverſiis ſuis, Imperantium jure utuntur.

§. 156.

Modo contraria Imperii, aut ſingulorum ordinum voluntate non appareat eſſe abrogatum.

ANNOTATIO 156.

Fruſtra loqueris abrogationem, quando receptio nondum eſt probata.

§. 157.

Vid. Ordinat. Cameral. part. 1. tit. 13. §. 1. & tit. 57. part. 2. tit. 31. §. ult. part. 3. tit. ult. §. 1. Receſſ. Imp. 1654. §. benebens 105. *pr.* Benebens ſollen Cammer-Richter/ Präſidenten und Beyſitzer bey Adminiſtration der heilſamen Juſtitz/ ſo wohl die Statuten und Gewonheiten/ als die Reichs-Abſchiede und gemeinen Rechte vor Augen haben. Idem vult Ferd. III. in Ordinatione Judicii Aulici tit. 1. §. und weilen dann/ ibi: zuförderſt Röm. Käyſerl. Wahl-Capitulation, Reichs-Abſchied/ Prophan-Frieden/ und den jüngſten Münſter-und Oßnabrückiſchen Friedens-Schluß/ wie auch jedes Stands/ Lands-

Landes-Orts und Gerichts/ ſonderlich die gebührliche allegirte und probirte Privilegia, gute Ordnung und Gewohnheit/ und in Mangel derſelben die Käyſerlichen Rechte und rechtmäßige Obſervationes und Gebrauch. Jung. *Gail. 2. obſ. 124. n. 2.*

ANNOTATIO 157.

Textus indefinite loquentes juxta conditionem Statuum imperii ſunt commode explicandi. Quare hic eſt ſenſus: *Jus Romanum in controverſiis ſubditorum mediatorum in ſubſidium, recte tam quoad* proceſſum, *quam* merita cauſæ *adhibetur,* ſed *in controverſiis Statuum, ei ſaltem locus eſt quoad* proceſſum, *nam hactenus, dum autoritatem judiciorum imperii agnoſcere coguntur, ſunt ſubditi, ſed in* meritis cauſæ *illud ceſſat, quia quoad hæc, imitantur Status, ſummos Imperantes,* ceu jam dixi in *ſpecim. l. 1. c. 10. §. 47. (l. 2. c. 9. §. 49.)* Proba tu, ſi potes, rationibus melioribus, contrarium, & libera te etiam à contradictione, quam modo indicavi.

§. 158.

Cum ergo, ut dictum, Receſſus Imperii non definiant tempus immemoriale, allegata autem *l. 23. in fin. pr. C. de SS. Eccleſ.* hoc faciat, non abſurde eſt allegata, ſed abſurda eſt cenſura novicii hujus Doctoris.

ANNOTATIO 158.

Cenſura mea contra abſurdam allegationem Vitriarii adhuc ſubſiſtit, quia allegavit legem poſitivam, cuj9 nulla autoritas, hinc in ſpecie falſum

eſt, quod tu hic contendis, tempus immemoriale, de quo *R. I.* loquitur, eſſe præciſe de *centum annis* accipiendum, juxta definitionem *d. l. 23.* proba tu hoc, tibi enim probandi neceſſitas incumbit.

§. 159.

Ipſique eadem opera exprobrat craſſam ignorantiam eorum, quæ in Imperii Receſſibus conſtituta ſunt, vid. reſtaurat: *l. 1. c. 10. §. 11. (l. 2. c. 9. §. 13.)* ubi exiſtimat, tantum tacite in ſcholis & foro jus Juſtinianeum eſſe receptum.

ANNOTATIO 159.

Mentiris! nunquam dixi: *quod tantum tacite ſit receptum;* ſed: *quod tacite ſe inſinuaverit,* quæ locutio *expreſſam confirmationem, poſtea ſecutam* non excludit.

§. 160.

Et *§. 31. (l. 2. c. 9. §. 33.)* uſum legalem ſubſidiarium, ut rectæ rationi contrarium, propter receptionis modum & conditionem imperantium, negat, cum tamen textus ex Imperii Receſſibus conceptis verbis eum confirment.

ANNOTATIO 160.

Merito negavi uſum illum legalem ſubſidiarium, quoad Status imperii, quia receptio non poteſt oſtendi, nec obeſſe mihi Receſſus imperii, paulo ante à me probatum eſt, tu interim craſſum ſtuporem oſtendis, dum uſum juris Romani, paulo ante à te negatum, tam imprudenter defendis!

§. 161.

§. 161.

Nec obſtat, quod hac ratione ut ſubditi & privati conſiderentur, & ſic ad prudentiam privatam pertineant; ſufficit enim, quod ſint perſonæ illuſtres, & quod in Receſſibus Imperii conſtituatur, controverſias earum ſubſidiario modo, ex jure Juſtinianeo, decidi debere, ne quis dici poſſit inepte vel abſurde illud allegaſſe.

ANNOTATIO 161.

Imperita eſt (1) tua objectio, dum putas *privatum & ſubditum*, hic coincidere, quod utique falſum, nam licet Status imperii privatos homines & ſubditos in quibusdam actibus imitentur, adeoque hactenus privati ſint, ac ad Jurisprudentiam privatam pertineant, attamen non ſunt ſubditi, quia imperandi conditio in iis præſupponitur, hinc nec ibidem legibus humanis regulariter ſubſunt, vid. ſpecim. *l. 3. c. 9. §. 11. 12. (l. 1. c. 1. §. 47. 48. ſeqq.)* adeoque v. gr. in matrimoniis, gradus jure humano prohibitos non attendunt, ſine ſolennibus teſtantur, quod ultimum ipſe etiam Vitriarius agnoſcit *l. 3. t. 20. §. 7.* (2) reſponſio ſupponit id de quo quæritur, nam tu autoritatem juris Romani, quoad controverſiam præſentem, nondum probaſti, & recordare quæſo, quód tu paulo ante id negaveris, imo ſi jus Juſtinianeum quoad Status receptum eſt, cur Vitriarius a neceſſitate obſervandi ſolennia teſtamentaria, eos abſolvit? vide quomodo Vitriarius larvatus cum larvato & delarvato Vitriario pugnet!

(I) 3 §. 162.

§. 162.

Niſi ſimul ipſum Imperatorem & Imperii Status, qui Receſſuum auctores ſunt, abſurditatis accuſare velit.

ANNOTATIO 162.

Non temere hoc metuendum eſt, quia Receſſus imperii & Vitriarius non idem ſentiunt, ut hactenus oſtenſum.

§. 163.

Verba Titii eodem lib. 2. c. 9. §. 83.

(l. 4. c. 6. §. 19.)

Defertur intuitu pupilli vel minoris, hæc enim hic coincidunt, terminus autem imperfectæ ætatis in Electoribus eſt annus XVIII. completus. *A. B. c. 7. v. Vitriar. d. tit. 11. §. 5. & ſeqq.* rectiſſime autem idem ad alios Principes & Status fuiſſet applicatus, niſi ψευδερμηνεία legiſtarum annum vigeſimum quintum jure Romano Statutum obſervari juſſiſſet, *vid. Vitriar. d. tit. 11. §. 8. l. 3. tit. 20. §. 28.*

RESPONSIO.

Terminum legitimæ & perfectæ ætatis jure civili 25. annis definitum eſſe, dubio caret: verum cum jure naturæ & gentium de uſu rationis ex quotidianis actibus ſit judicandum & talis ſit facultas, qualem actus probat. Vid. *Grot. 1. c. 3. §. 11. n. 2. lib. 2. c. 11. §. 5.* ita ut iſta jura eum præciſe non determinent, ſed legislatoris civilis diſpoſitioni id relinquant, qui

qui pro utilitate & neceſſitate ſuæ civitatis vario atque diverſo modo id facere ſolet: videmus, non tantum in diverſis civitatibus, verum etiam in eadem civitate pro diverſo perſonarum Statu & conditione, eum diverſum eſſe. Sic in Imperio Romano-Germanico eſt ſtatutum, ut terminus imperfectæ ætatis in Electoribus ſit annus XVIII. completus, & ab eo incipiat perfecta ætas & adminiſtratio, ut Imperii ita & territoriorum ipſis committatur. *A. B. c. 7.* an autem etiam in reliquis Imperii Principibus obſervari debeat? reſpondet Titius: *rectiſſime autem idem ad alios Principes & Status fuiſſet applicatus, niſi ψευδερμηνεία legiſtarum annum vigeſimum quintum jure Romano ſtatutum obſervari juſſiſſet, vide Vitriar. &c.* Hic merito quis dubitaverit, an ea quæ Titius dicit, philoſophico ſuo examini ſubjecerit:

ANNOTATIO 163.

Majori jure quis dubitaverit, an Vindex me intellexerit, nam ego non quæſivi, *an terminus A. B. in reliquis imperii Principibus obſervari debeat?* hæc enim quæſtio de tempore præſenti concepta eſt, ſed *an, ſi reſpicias tempora A. B. eamque mox ſecuta ille obſervari potuiſſet?* heic reſpondi, *rectiſſime ad alios Principes idem fuiſſet* (eo ſcil. tempore, quo adhuc res erat integra) *applicatus, niſi ψευδερμηνεία Legiſtarum contrarium juſſiſſet.* Vides igitur, me nihil aliud velle, quam ſententiam,

de termino juris civilis obſervando, ex falſis Legiſtarum hypotheſibus, habere originem, an vero eadem poſtea legibus germanicis ſit approbata, aut ſaltem tacite recepta, id adeo non negavi, ut potius, dum citavi Vitriarium *l.3. tit. 11. §. 8.* ad Bullam Sigismundi Imperatoris, terminum illum juris civilis continentem, reſpexerim. De cætero verum eſſe, quod dixi, patet ex altero Vitriarii loco a me citato, ibi enim dicit: *Aurea Bulla, tanquam jus exorbitans, ad alios caſus extendi non debet, ſed obſervandum eſt jus civile.* Digna profecto Legiſtis & in ſpecie Vitriario doctrina & ratio! nonne abſurdum eſt, Auream Bullam dicere *jus exorbitans* ratione juris civilis, quod tum temporis nondum in fora Germaniæ penetraverat; hoc enim vel inde conſtat, quod Vicariatus juxta uſum juris Suevici & Saxonici, tanquam jurium communium, in Aurea Bulla ſint conſtituti.

§. 164.

Ipſe agnoſcit in quæſtionibus circa tutelam Principum *R. I. de anno 1548. tit. von Pupillen R. I. 1570. §. 40. R. I. 1577. tit. 13.* Et vero cum in dictis textibus injungatur Electoribus, Principibus &c. ut in ſuis Electoratibus, Principatibus &c. proſpiciant, ut pupilli & minorennes tutores & curatores accipiant uſque ad pubertatem & majorennitatem &c. Verba Germanica ita habent: **Wann aber nun den Obrigkeiten zuſtehet/ in dem gebührlichs und billigs Einſehen zu haben/ da-**

damit die Pupillen und minderjährigen Kinder unbetrogen und unvernachtheilt bleiben/ ſo wollen wir allen und ieden Chur-Fürſten/ Fürſten/ Prälaten/ Grafen/ Herren vom Adel und Communen hiermit ernſtlich aufferlegt und befohlen haben/ in ihren Fürſtenthümern/ Herrſchafften/ Oberkeiten und Gebieten dermaſſen Verſehung zu thun/ und zu verordnen/ daß den Pupillen und minderjährigen Kindern iederzeit biß ſie zu ihren vogtbaren und mannbaren Jahren kommen/ Vormünder und Vorſteher/ ſo die ihnen von ihren Eltern in Teſtamenten oder letzten Willen/ nicht verordnet/ oder ihre angebohrne Freunde und Verwandten/ ſich der Vormundſchafft/ aus rechtmäßigen Urſachen/ nicht unterziehen wolten/ oder darzu tüglich und geſchickt wären/ gegeben werden/ ꝛc.

ANNOTATIO 164.

Eſto quod terminus juris civilis hodie ſit ob leges publicas obſervandus, quis hoc negavit? de cætero tamen textus hic ſine judicio eſt exſcriptus, cum ne gry quidem habeat de termino juris civilis, cæteris Statibus applicando.

§. 165.

Quæro ex Doctore noſtro novicio, an contra expreſſam Receſſuum diſpoſitionem, terminus XVIII. annorum, Electoribus præfixus,

Digitized by Google

xus, ad alios Principes & Status (recte) fuiſſet applicatus? an legiſtæ, & Dnus Vitriarius hoc jubeant, an vero Imperator hoc præcipiat? Imo, ſi ipſi Status agnoſcant ſe minorennes eſſe uſque ad annum 25. completum, dum ætatis veniam ab Imperatore noſtro petunt, ſi Imperator hoc ita interpretetur, ſi ſumma in Imperio Romano-Germanico judicia id ſtatuant, an legiſtæ vel Dnus Vitriarius hoc jubeant? legat verba Rudolphi II. in literis, quibus Comiti Hohenloico veniam ætatis concedit, quæ hæc ſunt: ihres reſpective Sohns und Pupillen Verordnete / und an unſern Käyſerlichen Cammer-Gericht beſtätigte Tutores und Vormünder gehorſamlich zu erkennen geben / ob wohl jetztgenannter ihr Pupill / Graff Ludwig Eberhard zu Hohenlohe / ſo bey ſechszehen Jahren ſeines Alters / die zu adminiſtration ſeiner Graff- und Herrſchafften / auch Land und Leut / Haab und Güter / beſchriebenen Käyſerlichen Rechten beſtimmte Jahr noch nicht allerdings völlig erreichet / &c. audiat Ferdinandum III. in litteris de anno 1641. die 15. Januarii ibi: Moritz Friedrich / Graff zu Hohenlohe albereit das zwantzigſte Jahr erreichet und compliret habe. Et paulo poſt: den noch übrigen Abgang und Mangel ſeines Alters aus Röm. Käyſer-

ſerlicher Majeſtät Vollkommenheit genädigſt zu erfüllen/ darüber zu diſpenſiren/ und demſelben zu ſolchem Ende veniam ætatis in Genaden zu geben und mit zu theilen geruhen wollen. Idem præterea factum eſt ante aliquot annos a Sereniſſimo Duce Würtembergenſi. Si rectiſſime hic terminus ad alios Principes fuiſſet applicatus, niſi legiſtæ ψευδερμηνείαν evitandam eſſe juſſiſſent.

ANNOTATIO 165.

Quid vis hic mi homo? dubio procul non intelligis quæ ſcribis! *Legiſtæ non juſſerunt evitari ψευδερμηνείαν*, ſed ex ψευδερμηνεία *ſua juſſerunt obſervari ſententiam minus probabilem.*

§. 166.

Cur tot Sereniſſimi Principes, Duces Brunſuicenſes, Luneburgenſes, Pomerani, ac Principes Anhaltini, privilegio obtinuiſſent, ut anno 18. majorennes haberentur? precibus enim non obtinetur, quod jure communi competit. Certum eſt, ſi hic terminus tantum a legiſtis ſtatutus eſſet, vel a Jure Juſtinianeo, non vero ab Imperatore & Statibus probatus, nec opus eſſet privilegio nec venia ætatis, quæ tamen ut ab Imperatore concedatur; ipſe vult reſtaurator *in lib. 4. c. 3. §. 52. (l. 5. c. 3. §. 66.)*

ANNOTATIO 166.

Omnia hæc auram feriunt, quæ enim conſequentia: *terminus juris civilis hodie eſt obſervandus*, ergo *illa*

ſen-

ſententia ex falſis legiſtarum regulis non habet originem, multa *non ratione, ſed errore introduci, ac poſtea conſuetudine* (vel alio modo) *firmari,* dudum docuit Celſus.

§. 167.

Ab ipſorum enim arbitrio pendet, an in ſuis actibus & territoriis jus Juſtinianeum velint valere, vid. Inſt. Cl. Vitriarii *lib. 3. tit. 17. §. 5.*

ANNOTATIO 167.

Si ergo Status ſunt ſupra jus civile, cur in controverſia præcedente de *præſcriptione,* tu juri civili eos prolixe voluiſti ſubjicere?

§. 168.

Etiam inde patet, philoſophum noſtrum hic, ut ſæpiſſime ſolet, ineptire, & vel ignorantiam ſuam legum publicarum, vel ignaviam prodere.

ANNOTATIO 168.

Id potius patet, te, ut ſemper ſoles, hic etiam ſtuporem oſtendere, dum pugnas cum larvis a te ipſo imperite effictis.

§. 169.

Sicut in §. 78. & 79. *(l. 4. c. 6. §. 14. 15.)* quando eos cenſet, qui poſt tutelam teſtamentariam pronunciant ſimpliciter pro legitima, & ab agnatis vel matre petit probationem receptionis Juris Romani, expreſſis enim verbis, in textu modo allegato, poſt tutelam teſtimentariam legitima confirmatur.

ANNO-

ANNOTATIO 169.

Quæ conſequentia: *tutela legitima poſt teſtamentariam expreſſe in Rec. Imper. confirmatur.* Ergo *non recte cenſui illos, qui eam ſimpliciter ex jure Romano repetunt.* Ergo *non recte receptionis probationem ab iis poſtulavi!* Sit confirmata, quod tu hic contendis, adhuc tamen verum eſt, quod ego volui, nempe non recte illam ex jure civili repeti, niſi ejus autoritas doceatur. An vero jus hoc ex receptione autoritatem habeat, ac illa facile ex *R. I.* probari queat? id nunquam negavi. De cætero non eſt tamen, quare tu valde receſſum imperii jactes, cum manifeſtum ſit, quod ſolum ordo tutelarum jure Romano introductus, eodem probetur, quoad *ſubditos mediatos*, injungitur enim Statibus, quo pupillis tutores teſtamentarios aut legitimos non habentibus, per magiſtratus ſuos tutores conſtituant. Hactenus igitur quoad ipſos Status pupillos, nulla juris Romani confirmatio in *d. R.* occurrit.

§. 170.

Verba Titii lib. 2. c. 9. §. 95. (l. 4. c. 7. §. 9.)

De cætero poteſt renovatio fieri mediate per procuratorem, neque enim præſentiam perſonalem leges fundamentales præciſe requirunt, idquod etiam de prima inveſtitura dicendum, licet diſſentiat ob quædam exempla Vitriarius *d. lib. 2. tit. 1. §. 15.*

RESPONSIO.

Jure communi feudali inveſtitura & fieri & peti poteſt per procuratorem, 2. F. 3. etiam mori-

moribus Germanorum. An autem prima inveſtitura præciſe peti debeat in perſona, ut loquuntur? Titius dicit Vitriarium hoc ſtatuere ob quædam exempla. Verum, ubi Dnus Vitriarius expreſſit hoc vocabulum *præciſe:* ejus enim verba d. l. hæc ſunt: *ſed ſi feudum prima vice conferatur, Principes ipſi, ut loquuntur, in perſona eum accipiunt, exemplo Mauritii Saxonis, Maximiliani Bavari, & aliorum Electorum & Principum.*

ANNOTATIO 170.

Cur non etiam adduxiſti verba Vitriarii præcedentia; *Inveſtitura peti poteſt etiam per procuratorem II. f. 3. In imperio noſtro videtur diſtingvendum inter* renovationem inveſtituræ *& inter* primam feudi collationem. *Si inveſtitura ſaltem renovatur, procurator à Principibus mitti ſolet, ſed ſi feudum prima vice &c.* nam ex his plenius conſtare poteſt de ſententia Vitriarii, nonne enim ille, qui regulam juris Longobardici, ſimpliciter ad inveſtituram Germanicam non applicat, qui renovationem inveſtituræ & primam feudi collationem diſtinguit, qui procuratoris uſum ad illam refert, in prima inveſtitura præſentiam perſonalem *præciſe* requirit?

§. 171.

Vel ex hoc patet libido carpendi virum Cl. certe verba ejus non neceſſitatem, ſed conſvetudinem Principum ordinariam, quæ tamen legem non inducit, ſignificant.

ANNO-

ANNOTATIO 171.

Significant etiam *neceſſitatem*, ceu ex antedictis patet, conſidera in ſpecie oppoſitionem: *inveſtitura peti poteſt etiam per procuratorem II. f. 3. In Imperio noſtro videtur diſtingvendum.* Ergo in imperio noſtro non indiſtincte peti poteſt, illud fateor, Vitriarium videri dubium fuiſſe, interim tamen ſtatuit illud, quod dixi, licet dubitanter.

§. 172.

Optime enim novit hoc pendere ex Imperatoris arbitrio, an eam per procuratorem conferre velit, ut hac noſtra ætate in inveſtitura Electoris Hannoverani factum eſſe vidimus.

ANNOTATIO 172.

Amphora cœpit, currente rota cur urceus exit? quis quæſivit de inveſtitura *mediate conferenda?* quæſtio erat de eadem *mediate petenda & accipienda*, tu autem vide, an probare poſſis, quod Electori Hannoverano Cæſar per procuratorem inveſtituram contulerit!

§. 173.

Verba Titii lib. 3. c. 1. §. 26. (c. 5. §. 23.)

Sæpe tamen hoc caſu delinquens remitti, ac ab aliis Statibus deductio per territorium illorum ex lege humanitatis concedi ſolet, neceſſitas vero deductionis concedendæ abſurde ex *L. 11. C. de ſervit.* deducitur. Vide *Vitriar. d. l. 3. tit. 17. §. 48.*

RE-

Digitized by Google

RESPONSIO.

Quando poſt crimen commiſſum confugit delinquens in alienum territorium, jure civili magiſtratus ejus loci ubi deprehenditur, remittere eum cogitur in locum delicti commiſſi. *vid. l. 7. §. ult. de accuſat. l. 7. de cuſtod. reor. N. 134. c. 5.* Jure naturæ ex receptu oritur obligatio alternativa, recipiens delinquentem aut punire debet, aut dedere, licet ſontes depoſcentibus interdum optio detur, quo cumulatius ſatisfiat. Vid. *Grot. 2. cap. 21. §. 4. n. 1. & 4.* Moribus Germanorum etiam remiſſio non eſt neceſſitatis, ſed humanitatis, inprimis in delictis atrocioribus, ubi exemplo opus eſt: famoſos enim latrones, in his locis ubi graſſati ſunt, furca figendos eſſe Calliſtrato & pluribus aliis placuit, ut conſpectu deterreantur alii ab iisdem facinoribus. An hoc in caſu, ſi delinquens ſit deducendus per tertii alicujus territorium, deductio ſive tranſitus ſit concedendus? Dn. Vitriarius *d. lib. 3. tit. 17. §. 40.* affirmat, addita ratione, quia nemo prohiberi poteſt, quo minus via publica utatur, modo alterius juriſdictio non violetur. Quæ ratio cum exprimatur in *d. l. 11. C. de ſervit.* eam propterea allegat.

ANNOTATIO 173.

Sed abſurde, quia illa lex præſupponit ſtatum monarchicum, quis enim paulo prudentior miſeram

ſeram illam illationem Vitriarii non improbaret: *In ſtatu monarchico ſubditi uſum viæ publicæ ſibi mutuo intercipere non debent*, Ergo *etiam in Germania Status per ſua territoria, quæ jure avtocratorias poſſident, tranſitum aliis concedere tenentur!*

§. 174.

Exprimit enim quod unicuique debetur ex præcepto juris naturæ.

ANNOTATIO 174.

Sed ſaltem ex *hypotheſi ſtatus monarchici*, adeoque extra hanc, locum non habet. Nonne tu noſti, quod multa ſint naturalia, ſed pro certo ſtatu, quo ceſſante illa non obligent?

§. 175.

Adeo ut, niſi ſit juſta recuſandi cauſa, quia forte tranſitus non eſt innoxius, ob denegationem juſtum geratur bellum, & ferro via aperiri poſſit, *vid. Grot. 2. c. 2. §. 13. n. 1. 2. & 3.*

ANNOTATIO 175.

Sed quid hoc ad abſurdam *l. 11. C. de ſervit.* allegationem? Status obligari ad tranſitum innoxium concedendum, eos etiam non recte agere, ſi ſine cauſa eum denegent, facile concedo, ſed inde nihil ſequitur, quod allegationem legis, ſtatum monarchicum præſupponentis, tueatur.

§. 176.

Etiam exhibet id, quod conſtitutum in R. I. 1548. §. 20. verba hæc ſunt: Ferner zu noch mehr beſtändiger Erhaltung bemeldtes unſers Käyſerlichen Land-Friedens / ſetzen /

ordnen und wollen wir/ daß eine iede Obrigkeit im H. Reich Teutſcher Nation, in ihren Fürſtenthümern/ Landen und Gebieten bey den ihren Fürſehung thun ſoll/ daß die Straſſen frey und rein gehalten/ darauff auch niemand gefangen/ geſchlagen/ beraubt/ hinweg geſchleifft/ ſeiner Güter ausgehaben/ hinweg geführet/ oder anderer Geſtalt beſchweret werde/ ſondern daß einem ieden/ von welchen Orten er herkomme/ ohne Weigerung/ auff ſein Anſuchen/ ein frey/ ſicher/ genugſam Geleit gegeben ꝛc. Hic textus non tantum vult, ut unicuique concedatur tranſitus per alterius territorium.

ANNOTATIO 176.

Ubi hoc vult, mi Vindex? lege & millies relege textum, hoc non invenies, aliud eſt: *admiſſis præſtare ſecuritatem*, de quo textus loquitur, & aliud: *tranſitum exteris concedere*; male igitur conſulis tuæ exiſtimationi, dum textus impertinentes non tantum allegas, ſed & extenſe exſcribis. Sed fac, neceſſitatem concedendi tranſitus in *Rec. Imper.* eſſe ſancitam, nihil hoc juvat allegationem *d. l. 11. C. de ſerv.* quia illa ita ex legibus germanicis, non vero legibus & rationibus monarchicis dependeret, nec mihi etiam id contrarium foret, quia neceſſitatem non ſimpliciter negavi, ſed ſaltem quatenus ex jure Romano deducitur.

§. 177.

§. 177.

Verum inſuper, ubi moris hoc eſt, & receptum, ſalvús conductus, ſi eam petat. Videat ergo imprudens hic cenſor, an leges Imperii cujuscunque humanitati committant tranſitum innoxium, an vero hoc præcipiant?

ANNOTATIO 177.

Hactenus nec hoc præceperunt, nec, ſi præceperint, id allegationem Vitriarii juvaret, aut mihi contrariaretur, ut ex præcedentibus liquet.

§. 178.

Certe & hic eſt craſſa eorum, quæ in Imperii Receſſibus conſtituta ſunt, ignorantia?

ANNOTATIO 178.

Imo potius inſignis hic eſt ingenii tui craſſities, ego ſaltem negavi neceſſitatem ex jure Romano deductam, hinc ſi ea ex *Rec. Imper.* probaretur, id mihi non obeſſet, tu tamen hactenus eam ne hoc quidem reſpectu probaſti.

§. 179.

Videat, an Dnus Vitriarius hanc deductionem probet ex jure Juſtinianeo poſitivo, an vero quia ratio deductionis concedendæ, in jure communi & Receſſibus Imperii contenta, in iſta exprimitur?

ANNOTATIO 179.

Rationem deductionis concedendæ juſtinianeam, nec in jure communi, ad Germaniam quadrante, nec in *Rec. Imper.* contineri, ex ante dictis conſtat.

Digitized by Google

§. 180.

Videat, an non apte & commode dicta lex allegetur, ipſe vero inepte & abſurde Virum Cl. carpat.

ANNOTATIO 180.

Judicent hoc p iti Lectores ex præcedentibus.

§. 181.

Verba Titii eod. l. 3. c. 1. §. 35. (c. 5. §. 32.)

(2) Jus cudendi monetam, quod Status non vigore juris territorialis, ſed ex ſpeciali Cæſaris gratia habere contendit *Vitriar. d. tit. 17. §. 57.* nec abludit *Schweder. Sect. 2. c. 15. §. 7.* ſed inepte & falſo.

RESPONSIO.

Jus monetæ eſt diſtinctum à jure cudendi monetam; illud omnibus Imperii Statibus commune; & vi ejus conſenſu Imperatoris & omnium Statuum conduntur Ordinationes monetariæ, *Vid. Ordinat. monet.* Müntz-Ordnung *Ferd. I. 1559.* corriguntur monetæ defectus & vitia tolluntur. *Vid. Capit. Carol. V. art. 27. Ferd. I. art. 25. Rudolph. II. art. 28. Matth. art. 33. Ferd. II. art. 33. Ferd. III. art. 36. Ferd. IV. art. 34. Leopold. I. art. 33. Joſeph. art. 32.* in quibus omnibus promittunt Imperatores & Reges Romanorum, quod omnes hos defectus corrigere & vitia tollere velint: hoc, ſcil. jus cudendi monetam, olim erat regale & reſervatum ſolius Imperatoris & Regis Roma-

Romanorum, ejusque beneficio & privilegio aliis conceſſum, *vid. Ferd. I.* neue Müntz-Ordnung. §. 178. cujus hæc ſunt verba: Wäre es auch Sache / daß einige Reichs-Stände / ſo mit Freyheit der Müntzen nicht begabt / künfftig ſolche Freyheit / Gold oder Silber zu müntzen von uns und unſern Nachkommen am Reich / ausbringen und erlangen würde / ꝛc. Sic in R. I. 1570. §. 132. legimus ſequentia: Alsdann auch die Müntz-Gerechtigkeit kein Mercantz / ſondern unſer Käyſerlich Regal ſo die Müntz-Stände aus unſern ſonderen Vertrauen / nicht zu ihrem ſelbſt-geſuchten Vortheil / ſondern wie wir ſelbſt dem Heil. Reich zu Ehren und Wohlfarth brauchen ſollen / demnach ja billig wer ſolch unſer Regal untreulich mißbrauchte ꝛc. Cum autem Imperatores hoc jus pluribus concederent, & Imperio Romano-Germanico nocere cœpiſſet, tempore Rudolphi II. ad conſenſum Electorum reſtringi cœpit, ita ut ſine eo ſolus Imperator non amplius concedere poſſit. *Vid. Capit. Rudolph. II. art. 34. Ferd. II. artic. 33. Ferd. III. 37. Ferd. IV. 35. Leopold. I. 34. Joſeph. art. 33.*

ANNOTATIO 181.

Quæſtio eſt: *an jus cudendi monetam ſit pars ſuperioritatis territorialis?* ego aſſerui, negavit Vitriarius, quia ſit ex ſpeciali Cæſaris gratia. Hanc ſenten-

tiam dixi (1) *ineptam*, quia ſcil. opponit non opponenda, eſto enim, quod hoc jus ſit ex Gratia Cæſarea, minus recte tamen ideo ſuperioritatis territorialis eſſe negatur, quia omnia Statuum jura ex privilegio Cæſareo habent originem, & tamen eorum complexus conſtituit ſuperioritatem T. (2) *falſam*, quatenus nimirum illius juris cauſam, conſtituit ſolam gratiam Cæſaream, nam profecto poſtquam jura Statuum in *Inſtrum. pacis art. 8. §. 1.* nec non *capitulationibus* indefinite (vid. Cap. Leopold. *art. 3. verb.* in Ubung geweſen/) confirmata ſunt, intempeſtive utique jus cudendi monetam, ex ſolo privilegio repetitur, hæc eſt ratio meæ cenſuræ, quam etiam in ſimili caſu jam adduxi in ſpec. *l. 3. c. 2. (6) §. 16.* Videamus nunc quid Vindex afferat.

§. 182.

Adhuc hodie in his capitulationibus conceptis verbis dicitur, eſſe & concedi per modum privilegii:

ANNOTATIO 182.

Sed illa mihi non obeſſe, ex modo dictis conſtat, eſt enim jus cudendi monetam ex privilegio, ſed non unice (quod Vitriarius tamen aſſerit, nam alias jus cudendi monetam cum cæteris juribus conveniret, quod ille tamen non vult) præterea ſuperioritatis territorialis eſſe non negatur.

§. 183.

Unde etiam non tantum Dn. Schwederus & Vitriarius, ſed etiam plures recentiores juris publici Doctores accuratiſſimi, expreſſe hoc

hoc ſtatuunt. Verba Rhetii in *Inſt. Jur. publ. lib. 2. tit. 16. §. 2.* hæc ſunt: *habent itaque jus monetandi Status Imperii, non jure ſuperioritatis territorialis, ſed ex conceſſione Cæſaris, & nunc Electorum per d. art. 34. capit. Leopold. verb.* ſolch Regal und Privilegium verliehen. Mauritius in notis *ad capit. Leopold. art. 34. pr.* idem aſſerit: *Imperator nemini ſine præſcitu & conſenſu Electorum privilegium cudendæ monetæ concedit. &c.* Kulpiſius *in not. ad Monzamb. part. 2. c. 5. §. 27. p. 186.* paucis ita hæc exprimit: *monetam cudunt, ſed ex privilegio a Cæſare conceſſo, quod, ſi abutantur, in pœnam iterum amittunt ſicut pluribus conſtitutionibus publicis definitum eſt, quales Goldaſtus ſub titulo Rationalis rei monetariæ, collegit.*

ANNOTATIO 183.

Autoritatibus non terreor, mi Vindex, cum iis nihil tribuam, niſi rationibus nitantur, plerumque enim, quando ſemel ſententia invaluit, unus ex altero, ſine ulteriori conſideratione eam deſcribit, quamvis etiam autoritates adductæ mihi non valde officiant; Mauritius & Kulpiſius nihil aliud dicunt, quam *jus cudendi monetam eſſe ex privilegio,* quod mihi non contrariari ex ante dictis patet. Rhetii vero ſententia non incommode ſic explicatur; *ex ſola ſuperioritate territoriali indefinite acquiſita, jus cudendi monetam non poſſe deduci* (quod alicui videri potuiſſet, cum

ſuperioritas territorialis ſummam poteſtatem denotet, adeoque neceſſe ſit, ut omnia regalia, tam majora quam minora, niſi qua reſtrictio doceri poteſt, contineat, ceu idem Vir illuſtris docet *l. 2. tit. 1. §. 11.*) *ſed opus eſſe ſpeciali conceſſione.* Juxta hoc jus cudendi monetam, ſuperioritatis territorialis eſſe non plane negatur.

§. 184.

Sive itaque ſuperiora ſecula a temporibus Caroli IV. in A. B. tit. 10. ſive præſens inſpiciamus, ad hodiernum uſque diem Imperatores dicunt, hoc jus non competere jure ſuperioritatis territorialis, ſed per privilegium: Electores, reliqui Imperii Status hoc dicunt.

ANNOTATIO 184.

Ubi dicunt Cæſar, Electores reliquique Status quod jus cudendi monetam, non competat jure ſuperioritatis territorialis? tu ex præconceptis tuis opinionibus falſam ſententiam iis ſaltem affingis.

§. 185.

Viri Illuſtres, & in jure publico conſummatiſſimi id agnoſcunt.

ANNOTATIO 185.

De his jam dixi, ubi repete.

§. 186.

Et tamen impudens hic non minus ac imprudens Philoſophus ex regulis pauperrimæ ſuæ Philoſophiæ putat, inepte hoc dici & falſo.

AN-

ANNOTATIO 186.

Philoſophiam meam pro valde opulenta non vendito, hactenus tamen eam bonis niti rationibus, te vero, præ ſolito tuo ſtupore, me non ſatis intellexiſſe, periti intelligent.

§. 187.

Quomodo ineptus hic Philoſophus in eodem capite §. *40. (c. 5. §. 37.)* dicit: *de novo jus cudendi monetam nemini Cæſar concedere poteſt, niſi conſentientibus Electoribus*, & in §. *36. (c. 5. §. 33.)* ſtatuit, hoc fluere ex ſuperioritate territoriali, quam Status imperii, non beneficio Imperatoris vel imperii habent, ſed jure proprio. *Vid. eundem lib. 2. c. 8. §. 11. 12. 13. (l. 3. c. 4. §. 11. 12.*

ANNOTATIO 187.

Hæc bene cohærent, licet tu forte non intelligas, (1) *jus habet originem ex privilegio* (2) conceſſum *facit partem S. T.* & (3) eſt *jus proprium ob leges fundamentales*. Interim Sophiſta es, quando dicis, me *beneficium Cæſaris* & *jus proprium* ſibi invicem opponere, inſpice *d. l. 2. c. 8. §. 13. 14. 15. (l. 3. c. 4. §. 12. 13.)* & videbis contrarium.

§. 188.

Quomodo aſſerere audet, jus cudendi monetam in quibusdam Statibus plane deficere, aut non in eodem, quo cæteris, gradu competere, *vid. hoc c. §. 36. (c. 5. §. 33.)* & tamen juri territoriali & juri ſuffragii eandem indolem tribuere? *Vid. lib. 6. (7.) c. 8. §. 11.* ſi

(K) 5 ha-

habeant eandem indolem, & nullus ſit Status Imperii qui non habeat jus ſuffragii, & quidem uno eodemque modo, ergo neceſſario, ſi hoc jus fluat ex ſuperioritate territoriali; omnes Imperii Status oportet ut habeant, & quidem æquali gradu. *Vid. lib. 2. c. 4. §. 30. (l. 3. c. 1. §. 35.)*

ANNOTATIO 188.

Ex male cohærente hac argumentatione merito quis conjecerit, Vitriarium ipſum has vindicias ſcripſiſſe, nam ſimilis fere argumentatio occurrit in ejus *Inſtit. l. 3. tit. 15. §. 10.* Sed videamus rem ipſam. Dixi ego in ſpecim. *d. l. 6. (7) c. 8. §. 11. jus territoriale & jus ſuffragii habere eandem indolem,* i. e. utrumque vel *majeſtaticum* vel *non majeſtaticum eſſe*, ſecus ac vulgo opinantur, quando jus ſuffragii quidem majeſtaticum fatentur, ſed jus territoriale non item, hanc eſſe meam ſententiam, inſpectio *d. l.* oſtendit. Jam vide illationem Vitriarii larvati: Si (1) *jus territoriale & ſuffragii habet eandem indolem* i. e. utrumque eſt vel majeſtaticum vel non majeſtaticum & (2) *omnes ſtatus habent jus ſuffragii,* & quidem (3) *uno eodemque modo,* porro (4) hoc fluit ex *jure territoriali*, ſequitur (5) *quod omne Status jus territoriale in ſuis ditionibus æqualiter habeant,* ac conſequenter (6) falſum ſit, quod ego dixi, *jus monetam cudendi in Statibus quibusdam plane deficere aut non eodem gradu omnibus competere.* Miſera profecto illatio! quis enim non videt, propoſitionem quintam ex præcedentibus non fluere, nimirum πρῶτον ψεῦ-

ψεῦδος eſt, quod Vindex meam doctrinam de *eadem juris territorialis & ſuffragii indole*, ſic explicaverit; *ſicut hoc omnibus Statibus æqualiter competit, ita & illud*, quo ipſo ſane conſuetum ſtuporem vel oſcitantiam oſtendit, cum hoc mihi in mentem nunquam venerit.

§. 189.

Qua ratione aſſerere poteſt, Status Imperii ideo habere jus comitiale, quia jam ante domi fuerunt ſui juris, ſive ſuperioritatem territorialem habuerunt? *lib. 2. c. 4. §. 22. (l. 3. c. 1. §. 27.)* qui ſui juris eſt, & fruitur libertate civili, habet jus ſe ipſum regendi, & de omnibus ſtatuendi in ſua civitate: & tamen jus cudendi monetam quibusdam denegare?

ANNOTATIO 189.

Tu male æſtimas homines ſui juris, ad hos non requiritur *omnimoda libertas* in Germania, *ſed talis, qualem requirunt reſpublicæ ſyſtematicæ*, hinc poterit eſſe quis ſui juris, & habere votum comitiale, licet ei aliqua ſuperioritatis T. pars, ac in ſpecie jus cudendi monetam deficiat.

§. 190.

Si hoc jus fluat ex ſuperioritate territoriali, Status, qui illud non acquiſivit, ex conceſſione Imperatoris, vel alio legitimo modo, illud exercere poſſet, modo obſervaret leges monetarias;

ANNOTATIO 190.

Inepta illatio! an tu putas ſuperioritatem T. ſine prævia acquiſitione competere?

§. 191.

Digitized by Google

§. 191.

Actus enim ſuperioritatis territorialis, modo non ſit contrarius legibus fundamentalibus, nec ab Imperatore, nec a toto Imperio poteſt reddi irritus. *Vid. eund. lib. 2. c. 8. §. 16. (l. 3. c. 4. §. 14.)*

ANNOTATIO. 191.

Sic puto, requiritur tamen ut jus, ex quo actus ſuſcipiendus, antea legitime ſit acquiſitum, hinc tu meam hanc doctrinam inepte trahis ad caſum, in quo, nullam juris acquiſitionem præceſſiſſe, præſupponis.

§. 192.

Et tamen Imperator Leopold. art. 34. juramento promiſit, quod iſtis imperii Statibus, qui hoc regale uſurparunt, nec obtinuerunt ex Imperatoris alicujus & Electorum conceſſione, aut alio legitimo, perpetuo, & non interrupto uſu, non tantum exercitium ejus interdicere, verum etiam per circulos in ordinem redigere velit.

ANNOTATIO 192.

Quæ conſequentia: *Imperator jus cudendi monetam de facto uſurpatum vult & debet adimere*, ergo *illud jus legitime quæſitum, non eſt pars ſuperioritatis T.* vel: Ergo verum non eſt, *quod actus ex ſuperioritate territoriali profluentes, nec ab Imperatore nec Imperio queant irriti reddi?* nam hanc etiam doctrinam meam Vindex hic abſurditatis vult inſimulare. Diſce tandem, mi homo, melius ratiocinari!

§. 193.

§. 193.

Peterem, ut omnes has contradictiones & abſurditates, quæ fluunt ex miſera ejus Philoſophia, conciliaret.

ANNOTATIO 193.

Contradictiones & abſurditates nullibi exiſtunt, niſi in cerebro tuo male purgato.

§. 194.

Si ad ultimum hoc reſpondere velit, at vero talis actus eſt contra leges Imperii fundamentales, in quantum eſt citra Imperatoris & Electorum conceſſionem.

ANNOTATIO 194.

Non tam reſponderem, *eſſe abuſum juris*, quod tua vult reſponſio, intempeſtive ex mea doctrina *d.l.2.c.8.§.16. (l.3.c.4.§.14.)* deducta, ſed potius, *jus nunquam eſſe acquiſitum, adeoque inepte inde deduci argumentum quoad ea, quæ ſuperioritatis T. eſſe aut non eſſe debeant*, ceu paulo ante reſpondi.

§. 195.

Videat, ne ex ſua opinione inepte & falſo hoc ſtatuat, per ea quæ objecit Dno Vitriario.

ANNOTATIO 195.

Nullum eſt periculum. Me enim circa jus monetam cudendi, non excludere conceſſionem Cæſaris & Electorum, ſed id ſolum reprehendere, quod ideo jus illud ſuperioritatis T. eſſe negetur, ex præcedentibus conſtat.

§. 196.

Digitized by Google

§. 196.

Verba Titii eod. lib. 3. c. 1. §. 45.

(c. 5. §. 41.)

Sed hæ diſpenſationes ſaltem locum habent quoad pœnas humana lege conſtitutas; nam pœnæ lege divina univerſali conſtitutæ, ſunt indiſpenſabiles, ad hanc tamen claſſem male refertur pœna adulterii & delictorum in Deum admiſſorum. *Vid. Schwed. ſect. 2. c. 14. §. 6. Vitriar. d. tit. 17. §. 114. 115.*

RESPONSIO.

Statibus Imperii, cum habeant jus in territoriis ferendi leges, merito conceditur facultas diſpenſandi circa eas, inprimis etiam in delictis, quod Doctores vocant jus aggratiandi: ſicut enim totam legem tollere poſſunt, ita & vinculum ejus circa perſonam aut factum ſingulare, manente de cætero lege: ſed hoc facere non ſolent, niſi cauſa ſubſit probabilis & delictum tale, ut diſpenſare & veniam concedere poſſint. Quæ ſint iſtæ cauſæ, & quæ iſta delicta? varie diſputatur, *vid. Grot. 2. c. 20. §. 24. n. 2. §. 25. & ſeqq.* Alii veniæ conceſſionem concedunt in omnibus delictis, etiam in homicidio, modo ſit magna & urgens veniæ concedendæ cauſa. *Vid. Puff. 8. c. 3. §. 26.* quia, quamvis hoc ſit morale, ut qui malum fecit, malum patiatur, modus tamen pœnas determinandi pendet à legislatoris

ris arbitrio, pro ſuæ civitatis utilitate & neceſſitate. Alii exiſtimant, in iſtis delictis, quibus jure divino certa, conſtans, & perpetua pœna eſt conſtituta, veniam non habere locum. Hanc opinionem ſequitur Dnus Vitriarius: quia legislator humanus eſt Dei Vicarius, & ſic remittere eam pœnam non poteſt, quam Deus ipſe determinavit: vicaria enim poteſtas nihil poteſt contra ſuam Principalem, à qua habet, quidquid habet: imo, ſi hoc poſſet, Deus ipſe ſibi contrarius eſſet, *vid. Grot. 1. c. 4. §. 6. lib. 3. c. 26. §. 3.* Propterea etiam ad iſta delicta referre debuit, homicidium & adulterium: hujus enim non minus ac illius pœna determinata eſt à jure divino, morali, & perpetuo. *Levit. c. 20. §. 10.* ita cautum: *ſi quis adulteraverit alterius uxorem, morte moriatur, tam ipſe, quam adultera. Deut. 22. §. 22.* ita: *ſi quis concubuerit cum alterius uxore, morte punitor, tam adulter, quam adultera, ut tollatur malum è medio tui*, quicquid enim tollit omnino vinculum honeſtæ ſocietatis, & ordinatæ, jure naturæ vititum eſt: & licet Dnus Vitriarius alias non exiſtimet, omnes leges pœnales Moſaicas eſſe morales, ſed plures tantum forenſes, hanc tamen merito ad morales refert. *Vid. Grot. 2. c. 1. §. 14. & ibi Ziegl. & Oſiand.* confer etiam *Matth. de crim. lib. 48. tit. 3. c. 2. n. 3. & 4.* ſunt enim

enim quædam quæ vitæ æquiparantur: adverſum quæ, qui faciunt, ii homicidis non ſunt meliores. *Grot. 1. c. 2. §. 5. n. 7. 8.* Præterea, cum religio ſit vinculum omnis ſocietatis & legislationis, &, ut Cicero loquitur *lib. 1. de nat. Deor.* pietate ſublata, fides etiam & ſocietas humani generis, & una excellentiſſima virtus juſtitia tollatur, etiam putat, in delictis immediate contra Deum commiſſis, juri aggratiandi non eſſe locum, ſecus ac Titius, qui nullam ſuæ negationis rationem allegat.

ANNOTATIO 196.

Allegavi utique, licet eam prolixe non deduxerim, hoc enim neque modus diſciplinæ, neque inſtituti mei ferebat. Nimirum circa regulam conſentio Vitriario: *pœnas lege divina univerſali conſtitutas, eſſe indiſpenſabiles*, ceu expreſſe etiam in verbis adductis dixi, ſed eum circa applicationem falli arbitror, ergo vides rationem, *me ſcil. ideo pœnam adulterii & delictorum in Deum admiſſorum diſpenſabilem exiſtimare, quia nulla lex divina univerſalis eam introduxit.* Veritatem rationis ita probo: *Regulariter omnes leges Moſaicæ poſitivæ, particulares ſunt dicendæ*, quia Deus eas intuitu certæ reipublicæ tulit, *tum vero lex univerſalis cenſeri debet, ſi expreſſe conſtet, quod ante conſtitutam rempublicam judaicam ſit lata*, qualis eſt ſanctio de homicida doloſo, capitaliter puniendo, *vel Deus teſtetur ſe ob ejus transgreſſionem alias gentes punire*, qualis profeſſio occurrit circa leges connu-

bia-

biales *Levit. XVIII.* Jam quod attinet adulterium & delicta Deum reſpicientia, ipſa quidem delicta lege naturali etiam, adeoque dubio procul univerſali, prohibentur, ſed *ſanctio pœnalis* eſt tantum *judaica & particularis*, quia univerſalitas ex genuinis fundamentis probari nequit. Quæ hic Vindex affert, eam etiam non evincunt, nam (1) textus *Levit. 20. & Deut. 22.* ſolum oſtendunt *pœnam*, non etiam eius *univerſalitatem* (2) prohibitio juris naturæ, quæ circa adulterium aſſeritur, *ſanctionis pœnalis univerſalitatem* non probat, ex æqualitate vero (3) adulterii & homicidii (de qua tamen anceps videtur eſſe disquiſitio) non ſequitur *ſanctionis pœnalis univerſalitas*, ſed id ſaltem, quod adulteris non inique mortis ſupplicium inferatur. Denique (4) ex eo quod religio ſit vinculum ſocietatis humanæ, ne quidem ſequitur *jus puniendi hominibus competiturum*, quia vera pietas pœnis humanis excitari nequit, tantum abeſt, ut *ſanctionis pœnalis univerſalitas & indiſpenſabilitas* inde queat elici. Sed de his alibi plenius fortiusque philoſophandum eſt.

§. 197.

Verba Titii eod. l. 3. c. 1. §. 59. (c. 5. §. 55.)

Jus milites conſcribendi, circa quod fruſtra ex antiquis temporibus conſenſus Cæſaris, prægnans cauſa, ac conſenſus Circuli Ducis requiritur hodie. *Vitriar. lib. 3. tit. 19. §. 64.*

RESPONSIO.

Jam à tempore immemoriali jus belli com-

(L) petiis-

periiſſe Statibus Imperii, etiam capitulationibus & Inſtrumento Pacis confirmatum eſſe, dubio caret: an vero leges antiquiores, quæ requirunt Imperatoris & Ducis Circuli conſenſum, prægnantem cauſam exigunt in conſcribendis militibus, ſint abrogatæ an vero hodie adhuc obſervandæ? Titius eas abrogatas eſſe dicit: Dnus Vitriarius ſimpliciter affirmat, quando bellum offenſivum eſt gerendum, quod hoc fieri debeat ſecundum conſtitutiones Imperii, quæ volunt, ut intercedat Imperatoris conſenſus. *Ord. Cam. part. 2. tit. 15. R. I. 1555. §. 50.* qui expreſſis verbis Imperatoris conſenſum, & juſtam cauſam requirit, in cujuscunque uſum hoc fiat, & R. I. 1564. §. 26. qui etiam conſenſum Ducis Circuli exigit.

ANNOTATIO 197.

Dominus Vitriarius tuus non tantum hoc affirmat ratione *belli offenſivi*, ſed *ſimpliciter & in genere ad conſcriptionem militum Cæſaris conſenſum cæteraque requirit*, nam in *d. §. 64.* refert ſaltem eorum ſententiam, qui textus citatos ad conſcriptionem, offendendi cauſa ſuſpiciendam reſtrictos volunt, eam vero non approbat. Sed ponamus Vitriarium intuitu belli offenſivi illa dixiſſe, attamen ne ſic quidem cenſuram effugiet, nam cum regulariter bellum offenſivum inter Status imperii ſit illicitum, ideo Status jus milites ea intentione conſcribendi, plane non habent, nec etiam conſenſu Cæſaris Circulique Ducis contra

tra leges fundamentales conſequi poſſunt, hinc fruſtra hactenus ille conſenſus requiritur. Si autem certo caſu (quando v. gr. per judicia ſuum conſequi nequeant) bellum offenſivum licitum ſit, tum utique etiam ſine conſenſu illo (ſicut etiam defenſionis cauſa) jus conſcribendi milites habent. *Inſtrum. Pac. art. 8. §. 1.* per quem leges antiquiores omnino ſunt interpolatæ.

§. 198.

In Inſtrumento Pacis Weſtphalicæ *art. 8. §. 2. in fin.* ita conſtitutum: *cum primis vero jus faciendi inter ſe & cum exteris fœdera pro ſua cujusque conſervatione ac ſecuritate ſingulis Statibus perpetuo liberum eſto, ita tamen, ne ejusmodi fœdera ſint contra Imperatorem & Imperium pacemque ejus publicam, vel hanc imprimis transactionem, fiantque ſalvo per omnia juramento, quo quisque Imperatori & Imperio obſtrictus eſt, art. 17. §. 7.* diſponit, ut ſequitur: *Et nulli omnino Statuum Imperii liceat jus ſuum vi vel armis perſequi, ſed ſi quid controverſiæ, ſive jam exortum ſit, ſive poſthac inciderit, unusquisque jure experiatur, ſecus faciens reus ſit fractæ pacis &c. §. 8.* ita: *ut etiam pax publica tanto melius conſervari poſſit, redintegrentur circuli, & ſtatim ac undecunque turbarum vel motuum aliqua initia apparent, obſerventur ea, quæ in conſtitutionibus Imperii de pacis publicæ exe-*

cutione & conſervatione diſpoſita ſunt. §. 9. Quoties autem milites quavis occaſione, aut quocunque tempore per aliorum territoria, aut fines aliquis ducere velit, tranſitus hujusmodi inſtituatur ejus, ad quem tranſeuntes milites pertinent, ſumtu, atque adeo ſine maleficio, damno, & noxa eorum, quorum per territoria ducuntur: ac denique omnino obſerventur, quæ de conſervatione Pacis publicæ Imperii conſtitutiones decernunt & ordinant. Hæc jura Statibus ſic conceſſa in genere confirmantur in Capitulationibus, *vid. cap. Leop. I. art. 3. Joſephi art. 3.* Si conferantur Ordinatio Cameralis, Receſſus Imperii ſuperioris ſeculi. Inſtrumentum Pacis, & Capitulationes, *Primo* adeo nulla apparet abrogatio, ut potius Inſtrumentum Pacis clare eos confirmet.

ANNOTATIO 198.

Quatenus *Inſtrum. Pac.* læſionem & offenſionem inter Status imperii prohibet, quo pertinent loca exſcripta, eatenus utique ordinationem Cameralem & receſſus Imperii ſuperioris ſeculi non abrogavit, ſed quid hoc ad rem præſentem, ubi de jure conſcribendi milites agitur? Hujus autem intuitu, omnino inter tempora antiqua & præſentia eſſe diverſitatem, certum eſt, quod breviter oſtendam. Olim poſt concluſam pacem profanam & inde, religioſam, Status, in mutuam offenſionem, valde adhuc erant proclives, ne igitur ſub prætextu defenſionis vel ſimili, milites conſcriberēt, in perni-

niciem vicinorum deinde graſſaturos, arbitrium belli ad conſenſum Cæſaris Circulique Ducis erat reſtrictum. Sed poſtquam tempora ſunt reddita pacatiora, ampliſſime etiam jus territoriale in *Inſtr. Pac.* fuit Statibus vel confirmatum, vel conceſſum *d. art. 8. §. 1.* utique eo ipſo arbitrium belli quoque fuit redditum liberius, ac reſtrictio legum antiquarum, alia tempora aliumque ſtatum præſupponentium, exolevit, id quod etiam praxis hodierna ſatis confirmat, quam tu facti non recte dixeris, certe non facile probaveris. Interim certum manet, quod Status, ſi offenſionis cauſa milites conſcribant, aut ad offenſionem quoque progrediantur, menſuram juris ſui excedant.

§. 199.

Adde mandata Imperatoris Leopold. I. avocatoria in cauſa Wildfangiatus, quæ exercitium jurium horum non tantum probant, verum etiam Titii ignorantiam juris publici & hiſtoriæ Germanicæ clare evincunt: verba hæc ſunt: Wann nun dergleichen feindliche Proceduren/ Plünderung/ Raub und Abnahm in des Heil. Reichs Satzungen ernſtlich und bey Pönen und Straffen verboten/ und daher die gebetene Mandata avocatoria wider euch heut dato zu recht erkennet werden: hierum ſo gebieten wir euch ſamt und ſonders von Römiſcher Käyſerlicher Macht/ bey Pön des Frieden-Bruchs hiermit ernſtlich/ und wollen/ daß

ihr alſobald nach Inſinuir- oder Verkündigung dieſes unſers Käyſerlichen Gebots/ von der Klagenden Chur-Fürſten zu Pfaltz/ Liebden/Landen und Gebieth abziehet/ und euch hinweg begebet/ auch deroſelben Unterthanen und Leute/ an deren Leib/ Haab und Gütern/ mit Raub/ Abnahm und allen andern Schädlichkeiten nicht beſchwerlich noch überläſtig seyd/ als lieb euch iſt obbeſtimte Pön zu vermeyden/ an dem geſchiehet unſer ernſter Will und Meynung/ gegeben in unſer Stadt Wien den 27. Sept. 1666. Plura *vide in Theatro Europ. tom. 10. p. 150. & ſeqq.* agitur enim in iis de bello offenſivo, quo contra pacem publicam peccari poteſt, quale nullum aliud eſt, quam quod Status Imperii contra Statum gerit;

ANNOTATIO 199.

Perpendite Lectores profundam hiſtoriæ Germanicæ in Vindice noſtro notitiam! novit ille hiſtoriam de anno 1666. quis non miraretur hoc! Interim, mi Vindex, rectius omiſiſſes hiſtoriam tuam, quia nihil niſi ſtuporem tuum oſtendit, quæ enim illatio: *Si Cæſar invaſiones injuſtas prohibet*, ergo *illius conſenſus ad eas requiritur* ſeu, quod eodem recidit, *ejus conſenſu illæ fieri poſſunt*, hoc enim perinde abſurdum eſt, ac ſi quis ita concluderet: *Si Magiſtratus adulteria prohibet*, ergo *ad ea illius conſenſus requiritur*, ſeu *illo conſentiente, recte hæc fiunt*. Liquet ex hac illatione, quod Vitriarius & Vindex ſenſum legum antiquio-

quiorum & recentiorum non intelligant. Nimirum bella offenſiva in Germania regulariter ſunt prohibita, nec ea licita poteſt facere Cæſaris conſenſus, hinc etiam hic nec olim, nec hodie fuit requiſitus aut requiritur, ceu perperam cenſet Vitriarius cum ſuo Vindice, quia vero apparatus bellicus & bono & malo fine, ſeu defenſionis & offenſionis gratia comparari poteſt, olim quidem, ne offenſio fieret, Cæſaris conſenſus Ducisque circularis erat neceſſarius, ſed hodie, ut antea oſtendi, reſtrictio iſta exolevit, interim ſi Status arbitrio ſuo liberiori abutantur, ac Conſtatus injuſte invadant, tum merito & a Cæſare & ab Imperio injuſta illa molimina impediuntur, atque hoc ſaltem probat exſcriptum Vindicis mandatum, ſi ulterius extendatur, tum probatio fit abſurda, ut modo demonſtravi. §.200.

Si ſit contra extraneum, ſicut Inſtrumentum pacis jus faciendi fœdus in genere concedit Statibus abſque Imperatoris conſenſu, ita & fœdera bellica, & per conſequens jus militem conſcribendi, modo Imperator & Imperium excipiantur, hoc enim jus etiam Imperii Status habuerunt quocunque tempore, ut probat reſponſum Johannis Wilhelmi, Ducis Saxoniæ, qui, cum a Ferdinando I. ejus opera, tam in militia ſagata, quam togata, recuſaretur, Henrici Galliarum Regis ſtipendiis ſe addixit, eique anno 1558. adduxit 3400. equites, *vid. Chytr. Chronic. lib. 19.* in

literis ad Annum Galliæ datis 1559. Da
wir darauff aus eigenen Bewegniß / oh
einiges Zuthun / Geheiß / Anleitung od
Angebens / als ein armer junger Fürſ
welcher auff freyem Fuß ſtehet / ſeine Be
ſerung und gedeylich Auffnehmen Fürſtlic
rühmlich und der teutſchen Nation alte
löblichen und Fürſtlichen Libertät / Frey
heit und Herkommen gemäß / rc. Vid. Gold
Politiſchen Reichshändl. part. 2. p. 382.

ANNOTATIO 200.

Tota hæc periodus ad me non pertinet, hinc pot erat quoque præteriri, ſed lubet breve ejus ex amen ſubjicere. Primo igitur videtur Vinde contradicere Vitriario *l. 3. tit. 19. §. 64.* hic enim conſenſum Cæſaris ad conſcribendos milite in genere requirit, ceu oſtendi *Annot. 197.* ſe Vindex liberum Statibus arbitrium jam olim competiiſſe exiſtimat, ſi conſcriptio in uſum Extraneorum fuerit facta. Quicquid tame de hoc diſſenſu ſit (2) falſa eſt ſententia hi propoſita, nam olim potius ad milites conſcr bendos in genere fuit neceſſarius conſenſu per ea quæ modo dixi, *Annot. 198.* cavendum e nim erat, ne injuſtæ fierent invaſiones, hoc au tem cum circa quamvis militum conſcripti nem metuendum eſſet, hinc utique ſequitu ad quamvis conſcriptionem, Cæſareum co ſenſum fuiſſe neceſſarium, nec (3) in contr rium aliquid probat reſponſum hic adductum quis enim ex ſententia Partis probationes d ſumit? ut alia nunc taceam.

§. 20

§. 201.

Secundo, facta injuſta, & contra legem, eam non abrogant, nec videndum quid Romæ fiat, ſed quid fieri debeat: maximus enim omni tempore, inprimis in hoc jure fuit legum contemptus, potiſſimum tamen, quia in aliis, quæ conſtituta ſunt ad conſervandam ſecuritatem in Imperio, executio nulla eſt. *Vid. ipſum Titium lib.3. c. 4. §. 64. c.8. §.37.)*

ANNOTATIO 201.

Legum publicarum contemtum in Germania eſſe valde ſolennem,& alibi faſſus ſum,& nunc fateor, ſed ſi Status ſine conſenſu Cæſaris milites conſcribant,tum eos legibus publicis non repugnare puto, ob rationes datas. Proba tu contrarium!

§. 202.

Tertio, quamvis hic non ſit expreſſus conſenſus Imperatoris, & Ducis circuli, tacitus tamen videtur adeſſe, eo ipſo dum non contradixit, *vid. Rhet. lib. 2. tit. 2. §. 34.*

ANNOTATIO 202.

Falſum eſt quod ex ſolo ſilentio & omiſſa contradictione conſenſus tacitus ſequatur,nec Rhetius quicquam de hoc habet, vide Marcianum optime ratiocinantem *in l. 8. §. 15. quib. mod. pign. ſolv.* præterea olim tacitus conſenſus non ſufficiebat, ſed requirebatur Vorwiſſen/ Bewilligung/ Erlaubniß/ut receſſus loquuntur. Denique ſi conſenſus Cæſaris adeſt, cur tu antea

Statuum facta dixiſti injuſta? hæc non ſatis cohærent.

§. 203.

Nec obſtant quæ a Titio *lib.3. c. 4. §. 63. (c. 8. §. 32.)* ſine omni judicio ſcribuntur.

ANNOTATIO 203.

Tu potius ſine omni judicio illa huc trahis, nam hactenus ſaltem egi de *belli præparatione*, ſed in *d. l. 3. c. 4. §. 63. (c. 8. §. 32.)* ſermo eſt de *actuali belli geſtione*, licet enim hæc ſint connexa, attamen non iisdem plane regulis nituntur, adeoque merito ſeparari debent, nam ſi bellum ſaltem præparetur, ut nondum conſtet, ad offenſionem vel defenſionem illud ſpectet, hactenus illa præparatio innoxia eſt pronuncianda, aſt ſi actu geratur, tum quia certum induit habitum, ideo magis definite etiam de ejus moralitate poteſt judicari. Quare quæ tu hic adduxiſti, non per modum objectionis huc pertinent, ſed novam potius & peculiarem conſtituunt controverſiam. Videamus igitur, uter noſtrum, in ea expedienda, rectius utatur judicio.

§. 204.

Si enim conferatur *§. 62. (c. 8. §. 31.)* immediate præcedens, omnino ſibi contrarius eſt.

ANNOTATIO 204.

De hac contradictione mox videbimus, probabimusq; quod illa in tuo ſaltem enata ſit cerebro.

§. 205.

D. §. 62. (31.) dicit: *Status inter ſe bellum gerere non poſſunt, quia habent communia judicia,*

cia, ſi tamen Status alterum injuſte fuerit adortus, haud conſultum fuerit vi bellicæ proceſſum opponere, ſed arma recte expediuntur, in §. 63. (32.) ita: *ſi iſtæ reſtrictiones obſerventur*, de quibus ſc. egit §. 57. 58. 59. 60. & 61. (c. 8. §. 26. ſeqq.) *etiam ſine conſenſu Cæſaris bellum ſuſcipere poſſunt Status; ſolent quidem vulgo ad bellum offenſivum requirere conſenſum Cæſareum. Schweder. d. part. ſpec. ſect. 2. c. 16. §. 2. 3. Vitriar. d. tit. 19. §. 82. 83. ſed in exemplis, quæ jactant, ſubeſt fallacia cauſæ, ſunt enim bella illa injuſta, non ob defectum conſenſus Cæſarei, ſed quod contra Conſtatum ſine cauſa ſuſcipiantur. Primo* enim ex his notamus, quod in bello defenſivo idem ſtatuat ac Dnus Vitriarius, in eo enim adeo non eſt opus Imperatoris conſenſu, ut ſi defenſionem prohibere vellet, non prohibita offenſione, non poſſet, *vid. Grot. 1. c. 3. §. 4. n. 3. junc. c. 4. §. 10. 13. lib. 2. c. 16. §. 14.*

ANNOTATIO 205.

Ergo hactenus in doctrina mea nihil deſideras ſed conſenſum potius Clariſſimi Vitriarii doces! bonum factum!

§. 206.

Secundo reſtrictio §. 59. (c. 8. §. 29.) etiam idem plane dicit, quod dicitur in R. I. 1555. §. 50. nimirum, debere eſſe juſtam bellandi cauſam, reſtrictio in §. 50. 60. (c. 8. §. 19. 27.) ſtatuit,

tuit, quod dicitur in Inſtrumento Pacis; ſcil. nihil fieri debere contra Imperatorem & Imperium.

ANNOTATIO 206.

Nunquam benignius mecum egiſti, mi Vindex, quam hoc loco, dum doctrinam meam legibus fundamentalibus niti, ipſe doces, maximas tibi pro hoc favore ago gratias, audeat nunc aliquis veritatem doctrinæ meæ in dubium vocare!

§. 207.

Hæ reſtrictiones ſi obſerventur, poſſunt bellum gerere etiam offenſivum contra exteros ſine conſenſu Imperatoris, quod itidem aſſerit Dnus Vitriarius.

ANNOTATIO 207.

Adhuc mihi gratulandi cauſam habeo, quod hic etiam Vir Clariſſimus idem mecum ſentiat. Sed jam væ capiti meo!

§. 208.

Tertio quando ad exempla provocat, & quod in iis committatur fallacia cauſæ (1) Dn. Vitr. nulla allegat.

ANNOTATIO 208.

Quidni allegaret? adducit enim bellum offenſivum in genere, ſub quo certe ſexcenta exempla ſpecialia comprehendere licet, imo qualia intellexerit Vitriarius exempla, ex bello Wildfangico, quod ſupra Vindex adduxit, facile intelligitur.

§. 209.

(2) Titius contrarius ſibi eſt in §. præced.

præ-

Digitized by Google

prætenſa enim exempla ſunt injuſta, *ut dicit*, non ob defectum conſenſus Cæſarei, ſed quod contra Conſtatum ſuſcipiantur ſine cauſa, ergo ſi juſta ſubſit cauſa Status contra Conſtatum ſine Imperatoris conſenſu poteſt bellum gerere offenſivum. Quæro, an hæc philoſophum, an vero ſtupidum deceant? Status inter ſe bellum gerere non poſſunt, quia habent communia judicia: §. *62. (c. 8. §. 31.)* & Status, ſi juſtam habeant cauſam, etiam ſine conſenſu Imperatoris, contra conſtatum poteſt gerere bellum offenſivum §. *63. (c. 8. §. 32.)* certe hic videtur locum habere, quod vulgo dicunt: ſi tacuiſſes, philoſophus manſiſſes.

ANNOTATIO 209.

Jam poſt inducias, bellique præludium, ipſum bellum iterum exardeſcit. Duplex eſt quæſtio (1) *an recte cenſuerim illos qui ad bellum offenſivum Cæſaris conſenſum requirunt?* ſic utique puto, nam fruſtra requiritur conſenſus, per quam bellum nihilomagis fit legitimum, & olim ad belli præparationem requirebatur conſenſus Cæſaris, *ne illa in injuſtam erumperet offenſionem*, ex quo Vitriarius aliique prava ratiocinatione intulerunt, Cæſaris conſenſum etiam requiri, *ut bellum offenſivum geratur*, cum tamen hoc neque ſine, neque cum Cæſaris conſenſu fieri queat, de quo pluribus jam dixi Annot. 199, (2) *an mihi contradixerim?* ſic eſt, ex ſententia Vindicis, quia in §. 63. (32.)

(32.) dixi, *quod bellum offenſivum ob juſtam cauſam geri queat.* Sed ubi hoc dixi, mi Vindex? dicis; *tu feciſti mentionem belli offenſivi in d.* §. *63.* (*32.*) ſic eſt, inquam ego, ſed non, *ut licentiam belli offenſivi adſtruerem*, verum, *ut falſum requiſitum, à Vitriario non ſimpliciter, ſed intuitu belli offenſivi prolatum, refellerem*, hinc ſenſus meæ ſententiæ hic eſt: *hactenus bellum offenſivum geri poſſet, ut non opus ſit conſenſu Cæſareo, modo cætera requiſita hoc permitterent,* illa vero hoc non permittere, patet ex iis quæ ſcripſi in paragraphis præcedentibus, ac repetii §. *76.* (*c. 8.* §. *49.*) Scio te non valde eſſe perſpicacem, mi Vindex, ergo in tui gratiam addam perſpicuum aliquod exemplum. Finge me ita ſcripſiſſe: *ad matrimonium civis germani requiritur* (1) *ut ducat germanam* (2) *Chriſtianam.* Poſtea ſubjeciſſe: *ſi iſtæ reſtrictiones obſerventur, etiam ſine conſenſu Superintendentis, matrimonium cives inire poſſunt. Solent quidem aliqui ad matrimonium cum Judæa, requirere ejus conſenſum, ſed ſubeſt fallacia cauſæ, eſt enim tale matrimonium injuſtum, non ob defectum conſenſus Superintendentis, ſed quod cum Judæa ſit initum.* An tu putas, me hic docere, quod matrimonium cum Judæa poſſit iniri? non arbitror, aut ſi ita exiſtimes, nullas habes tuæ ſententiæ rationes, & tamen feci mentionem fœminæ judææ! nimirum feci id, quo falſum requiſitum, quod diſſentientes non ſimpliciter, ſed intuitu fœminæ judaicæ protulerant, refutarem. Fac applicationem, ſi lubet, ac inde ſtuporem tuum agnoſce, ſique per naturam licet, emenda!

§. 210.

§. 210.

Tandem ex dictis facile reſpondetur ad ea, quæ ſcribit. *lib. 3. c. 4. §. 55. (c. 8. §. 24.)* & quæ non minorem judicii defectum arguunt, quam ea, de quibus jam actum eſt, verba hæc ſunt: *Debet autem jus belli Statibus competens omnino argumento ſuperioritatis territorialis probari, male vero ex diffidationibus antiquis cum Furſtenerio de jure ſuprematus, cap. 11. aut ex jure defenſionis naturalis, cum Vitriario lib. 3. tit. 19. §. 82. & Kulpiſio ad Monzamb. part. 2. c. 5. §. fin. idem deduxeris, nam illæ facti ſunt, hæc vero in Statu civili ſublata eſt.* (1) enim Cl. Vitriarius jus belli competens Statibus Imperii in genere deducit ex ſuperioritate territoriali *d. tit. 19. §. 48.* & quando in bello defenſivo provocat ad jus naturale, illud non opponit ſuperioritati territoriali, (poteſtas enim Statuum Imperii, ut & omnium eorum qui bellum gerere poſſunt, eſt & ex jure naturæ, & ex ſummo Imperio, & ſuperioritate territoriali, *vid. Grot. 1. c. 2. §. 1. junct. c. 3. §. 4. lib. 3. c. 3. §. 2.)*

ANNOTATIO 210.

Fruſtra es, mi Vindex, dum lectoribus perſvadere vis, quaſi jus naturæ non poſſit opponi ſuperioritati T. nam jus naturæ *ſine facto prævio*, tribuit facultatem ſe defendendi, ſed *ob factum prævium*, idem conſtituit imperium civile, ac in ſpe-

Digitized by Google

ſpecie ſuperioritatem T. ergo jus naturale *abſolutum*, ac inde dependens *defenſio naturalis*, juri naturali *hypothetico*, & inde venienti *ſuperioritati T.* bene opponi poteſt.

§. 211.

Sed conſenſui Imperatoris, verba hæc ſunt: *In iſtiusmodi bellis defenſivis Imperatoris conſenſu opus non eſt: defenſio enim eſt juris naturalis, & quod jure communi licet, precibus impetrandum non eſt.*

ANNOTATIO 211.

Vitriarius non tantum *conſenſui Imperatoris*, ſed & *ſuperioritati T.* defenſionem naturalem opponit, nam hæc ſunt contraria adeoque unum alterum tollit, nec poſſunt ſimul ſtare. In ſtatu naturali defenſio fluit ex libertate naturali, ſed in ſtatu civili, libertate illa ſublata, defenſio ad imperium civile pertinet, ſi tamen hujus implorandi copia non detur, tum defenſio naturalis adhuc ſupereſt. Ex quibus manifeſta eſt oppoſitio, quam aſſerui, nec obſtat, quod Vitriarius alibi jus belli ex ſuperioritate T. deducat, nam id oſtendit, quod ſine judicio ſcribere ſoleat.

§. 212.

(2) Ratio refutandi potius vel pietiſtam, ut loquuntur, vel anabaptiſtam redolet, quam philoſophum: ſcil. quia defenſio naturalis eſt ſublata in ſtatu civili, ergo bellum geri non poteſt, neque poteſtatem id gerendi recte inde deduxeris.

AN-

ANNOTATIO 212.

Tua aſſertio redolet potius ridiculum Sophiſtam, ego enim non negavi, *quod bellum geri poſſit*, ſed *veram hujus rei cauſam rite explicari* volui. hinc hactenus mea doctrina bene cohæret; *quia defenſio naturalis in ſtatu civili ſublata eſt, ideo poteſtas bellum gerendi inde non recte deducitur, ſed potius ex imperio civili eadem eſt repetenda*, regulariter ſcil. nam in caſu neceſſitatis defenſio naturalis ſupereſt.

§. 213.

Quid? ſi quis philoſophum hunc ſub fuſtem mitteret, viderem lubens, an ſe ad defenſionem compoſiturus eſſet, an vero ſi jam ſatis ab uno latere ab eo eſſet exceptus, aliud obverteret?

ANNOTATIO 213.

Ex dictis conſtat, Vitriarium cum ſuo Vindice, ob impertinens & ruſticum hoc exemplum, non ſcuticam ſed flagellum meruiſſe, ego loquor de *regula*, illi garriunt de *exceptione*, quæ duo alias nemo prudens opponit.

§. 214.

Quæ enim de bello privato dicuntur, commode applicantur ad publicum, *vid. Grot. 2. c. 1. §. 16.*

ANNOTATIO 214.

Non tamen ita, ut valeat illatio Vitriariana: *Si privati in Statu civili ex jure defenſionis naturali, in caſu neceſſitatis, bellum privatum recte ſuſcipiunt*, ergo *etiam bella publica, quæ Imperantes ſuſcipiunt,*

piunt,

piunt, ex illo jure dependent. Hic enim applicatio utique claudicat.

§. 215.

Aut, ſi reſiſtendum exiſtimet, quamvis vivamus in ſtatu civili, ubi judicis copia datur, an ratio ab ipſo allegata valebit contra Dnum Vitriarium.

ANNOTATIO 215.

Quidni valeret? licet enim in *caſu neceſſitatis* defenſio naturalis adhuc ſuperſit, nihilominus tamen verum eſt, quod eadem *regulariter* in ſtatu civili ſit ſublata, & quod adeo Vitriarius abſurde jus belli publici, quod Status imperii habent, inde deducat.

§. 216.

Imo, etiamſi vivamus in ſtatu civili, bellis adhuc locus eſt, quotiescunque judicia ceſſant, *vid. Grot. 2. c. 3. §. 2.*

ANNOTATIO 216.

Fac illationem: *Ergo jus belli ſtatibus competens, ex jure defenſionis naturali repetendum eſt!* ridicule!

§. 217.

Quo accedit, hanc rationem potiſſimum obtinere inter cives, non vero inter Reges, & eos, qui par jus Regibus obtinent, quamvis pie faciant, ſi quærant media bellum evitandi, de quibus *vid. Grot. 2. c. 23. §. 6. & ſeqq.* controverſias enim, quæ inter ipſos intercedunt, vi & ferro decidere ſolent.

ANNOTATIO 217.

Fac iterum illationem ex his pro tua ſententia; mi

Vin-

Vindex, & deprehendes, te inania verba effutiiſſe, quam enim rationem intelligis? an eam, quæ à defenſionis jure deſumitur? hæc vero ſi ad cives & privatos pertinet, ut tu hic dicis, cur Vitriarius inde deduxit jus belli Imperantibus competens? ergo vel proprio tuo judicio inepte egit.

§. 218.

Præterea, hanc rationem Vir Cl. allegat tantum in bello defenſivo, temerarius ergo & iniquus in ipſum eſt, quando dicit, eum belli jus Statuum in genere inde deducere.

ANNOTATIO 218.

Ubi dixi Vitriarium *in genere* ex defenſione naturali jus belli deducere? indefinite locutus ſum, locutio autem indefinita ex allegationibus, quas adjeci, explicari debet, quo facto, conſtabit, me Vitriario nihil ultra meritum tribuiſſe. Interim inter propoſitionem univerſaliter negantem: *nullum Statuum bellum ex defenſione naturali eſt repetendum*, quam ego defendo, & particulariter affirmantem: *quoddam bellum, nempe defenſivum inde deduci debet*, quæ eſt Vitriarii, juſta etiam eſt contradictio, hinc hactenus Vitriarius recte à me in Scenam produci potuit.

§. 219.

Tandem, cum Dn. Furſtenerium hic cum Dno Vitriario conjungat, quamvis vindicias pro aliis non ſuſcipiam, tamen ratio qua Titius ipſum oppugnat, paucis examinanda reſtat.

Digitized by Google

ANNOTATIO 219.

Tua quod nihil refert, percontari deſine! Tu miſer Vindex tibi ipſi non ſufficis, & alios vis defendere!

§. 220.

Dicit, ideo hoc jus belli Statuum non poſſe deduci ex antiquis iſtis diffidationibus, quia ſunt facti, (1) videtur iterum hic eſſe ingens Philoſophiæ moralis ignorantia, quando enim ea prohibet vi & manu jus ſuum conſequi in Statu civili, ſemper ſubintelligitur, ut modo dictum, ſi detur copia judicis, quando vero judicium ceſſat, vel momentanee vel continuo, ſive plane jus non reddatur, ſive ſubditi judicem non audiant, etiam poſt conſtituta judicia ſibi ipſi quis jus dicere poteſt. Vid. *Grot. d. lib. 1. c. 3. §. 2.*

ANNOTATIO 220.

Non tamen ſtatim *per bellum, cum utique molliora remedia ex legibus ſocialitatis præcedere debeant*, quam limitationem tu merito adjicere debuiſſes, qui tantus philoſophiæ moralis Doctor vis videri; Sed adjeciſſes, credo, ſi modo Grotius eam habuiſſet, tu enim nihil potes, niſi exſcribere, & proprio marte nugari. Illud etiam ſimpliciter verum non eſt quod ſibi ipſi quis jus dicere poſſit, *ſi ſubditi judicem non audiant*, quid enim, ſi omnes ſubditi judicem audire nolint, ac deinde hoc prætextu ſibi ipſis jus reddant, an tu hoc recte factum putabis?

§. 221.

§. 221.

Jam vero ex hiſtoria eorum temporum conſtat, diffidationes cœpiſſe in magno iſto interregno poſt mortem Friderici II. ubi, vel nulla, vel non bene conſtituta judicia fuerunt, vel ſubditi judicem non audiverunt; optimo ergo jure ſibi ipſis Imperii Status potuerunt jus reddere & ſic non fuit facti.

ANNOTATIO 221.

Diffidationes non tantum fuerunt in magno illo interregno, ſed potius jam a temporibus potisſimum Henricorum, uſque ad Maximiliani I. tempora viguerunt, lege, ſi lubet, Doctiſſimi Dattii noviſſimum Opus *de Pace publica*, ex quo craſſam tuam ignorantiam, quam hic prodis, poteris cognoſcere & diſpellere. Num igitur tu putas, per omne illud tempus adfuiſſe caſum, in quo privatæ læſiones ſint licitæ? inſanis profecto, ſi ita ſentis. Deinde fac, quod aliquando ob deficiens judicium, diffidatio fuerit licita, an ſemper Germani obſervarunt temperamentum ſocialitatis, quod in bellum, licet juſtum, ſtatim ruere prohibet? hoc tu non temere probabis, ergo hactenus diffidationes utique fuerunt *facti!* Denique omnes diffidationes, licet & juſta cauſa adſit, & conſuetum ſocialitatis temperamentum præcedat, poſtea ſunt prohibitæ, hinc ex jure belli velut momentaneo ac poſtea ſublato, jus belli hodiernum, Statibus competens, deduci nequit.

§. 222.

(2) Si ideo non debemus inde hoc jus deriva-

rivare, quia diffidationes ſunt facti, nihil ex ſuperioritate territoriali erit derivandum, ea enim, ut ipſe Titius vult a Statibus eſt uſurpata, uſque dum Imperatorum conſtitutionibus purgata, ut ſupra vidimus, & ſic eſt facti.

ANNOTATIO 222.

Male infers! *& ſic ſuit facti*, dicere debuiſſes. Sed, hoc facto, diffidationum antiquarum & ſuperioritatis T. diſparitas, ac ſimul intentionis & defenſionis tuæ abſurditas, patuiſſet.

§. 223.

(3) Superioritas territorialis non ex præſcripto & ſemel nata eſt, ſed utentium conſuetudine formata, ſenſim vero legibus perfecta, *vid. Titium lib. 2. c. 7. §. 6. (l. 1. c. 4. §. 21.)* conſuetudo autem introducitur factis, etiam ſæpe injuſtis, junge hic *Grot. 1. c. 7. pr. c. 4. §. 11.*

ANNOTATIO 223.

Apage tandem frivolas tuas ratiunculas, nec ita lectorum patientia abutere! fuerit ſuperioritas T. *facti*, ſi ſpectes *originem*, hodie tamen poſt legum fundamentalium *confirmationem*, talis amplius non eſt. proba tu idem de diffidationibus, aut deſine nugari, ac a diſparibus argumentum ducere. Interim erras, quando conſuetudinem, quæ nomen ſit legitimum, factis injuſtis introduci putas, nonne noſti, quod inter requiſita conſuetudinis introducendæ, primo loco occurrat actuum *ratio-*

tionabilitas i. e. juſtitia & licentia? cur in omnibus Jurisprudentiæ partibus imperitiam ſine neceſſitate oſtendis?

§. 224.

Verba Titii lib. 3. c. 5. (9.) §. 10.

Crimen læſæ majeſtatis hoc caſu committi, ſed non ipſos Status, verum per ipſos in Cæſarem, quidam exiſtimant. *Arum. ad A. B. c. 24.* cui probando etiam *L. 2. C. de falſ. monet.* allegari ſolet. Vitriar. *lib. 3. tit. 17 §. 57.* ſed iſta inepta, ac intolerabilia ſunt.

RESPONSIO.

In §. *præced.* Titius dicit, quod, ſi quis moliatur hoſtile quid, aut contra perſonam Principis, aut territorium, vel jura ſuperioritatis territorialis ſibi aſſerat, committat crimen læſæ ſuperioritatis territorialis, ac propterea in §. 10. refutat eos, qui ſtatuunt eſſe crimen læſæ majeſtatis, quod quidem non committitur in ipſos Status, ſed per ipſos in Imperatorem; inter hos refert Arumæum & Dnum Vitriarium. Verum, ut conſtet Titium eſſe cavillatorem, vel potius calumniatorem, audiamus verba ejus, quæ *lib. 3. tit. 17. §. 57.* hæc ſunt: *quia Imperatoris indulgentia plerumque Status Imperii ſimpliciter hoc jus, ſcil. monetandi exercent, ideo nummi ipſorum pro moneta Imperialis Majeſtatis reputantur, adeo, ut eos adulterans in crimen læſæ Majeſtatis inci-*

Digitized by Google

cidat, ac variis pœnis ſeſe ſubjiciat. l. 2. C. de falſ. monet. conſtit. crim. art. 3. An Dnus Vitriarius agit hic de læſa ſuperioritate territoriali?

ANNOTATIO 224.

An ego dixi, *quod Vitriarius de ea agat?* intende omnes ingenii tui nervos, & ſi probaveris, quod ego hoc Vitriario imputaverim, tum omnia infantiæ tuæ ſpecimina, in his vindiciis, magno numero, exhibita, tibi condonabo.

§. 225.

An verbum aliquod eſt, ex quo colligi poſſit, eum ſtatuere, ſi quis aliquid moliatur contra Principem aut ipſum territorium, aut jura ſuperioritatis territorialis, quod committat crimen læſæ Majeſtatis?

ANNOTATIO 225.

Adhuc deliras! nam nec hoc Vitriario imputavi, *quod ille ſtatuat erga Status committi crimen læſæ Majeſtatis*, hoc dixi, *Vitriarium ſtatuere, quod is, qui jura, Statibus ratione territorii conceſſa, uſurpat, crimen læſæ Majeſtatis per latus Statuum, ut loqui ſolent in Cæſarem committat*, hanc autem ſententiam, ineptam ac intolerabilem pronunciavi, quia ex Statibus facit nudos Cæſaris Conſiliarios vel Magiſtratus.

§. 226.

An Philoſophus hic adeo laborat memoriæ imbecillitate, ut non recordetur, ſe propterea Dnum Vitriarium refutaſſe, quia ſta-

Digitized by Google

ſtatuit jus cudendi monetam, non eſſe jus ſuperioritatis territorialis. Vide Titium hoc *lib.3.c.1.§.35. (c.5.§.32.)* quomodo ergo poterit admittere, quod, ſi quis monetam Status adulteret, ſibi tribuat jus ſuperioritatis territorialis?

ANNOTATIO 226.

Sed quis hoc imputavit Vitriario? hoc dixit ille, *eum, qui monetam a Statibus cuſam adulteret, atque ita jura Statibus conceſſa* (pars ſuperioritatis T. illa ſint, nec ne, hactenus nihil refert) *lædat, crimen læſæ Majeſtatis in Cæſarem committat*, hanc ſententiam quare ineptam ac intolerabilem dixerim, ejus rationem modo dedi, ad quam tu forte reſpondiſſes, niſi miſerum ageres ſophiſtam!

§. 227.

Ejus Philoſophia certioribus nititur principiis, & major in iis analogia obſervari poteſt, quam ut tales abſurdas contradictiones, quæ Titio adeo frequentes ſunt, ſtatuere poſſit.

ANNOTATIO 227.

Mirum tamen eſt, quod tu, in tanta frequentia, hactenus ne unam quidem oſtendere potueris! De analogia autem philoſophiæ Vitriarianæ non eſt, quod dubitemus, ineptias enim ineptiis contradictionibusq; protegit, ne perpluant, ecce exemplum. *Lib. 2. tit. 2. §. 17.* dicit: *jus famæ reſtituendæ adhuc hodie eſſe ſolius Imperatoris*, ex elegantiſſima ratione, quia hoc jus nuſpiam cum Statibus communicatum legitur. Sed *Lib.*

 3. tit.

3. tit. 17. §. 97. jus famæ reſtituendæ inter partes ſuperioritatis territorialis refert, o egregiam analogiam!

§. 228.

An non obſervavit, eum totam ſuperioritatem, & ejus jura dependentia dicere? an non vult, Status hæc jura non habere jure proprio, ſed beneficiario, & dependenti ab Imperatore & Imperio?

ANNOTATIO 228.

Novi illa omnia, ſicut etiam, quod ſint falſa, abſurda ac, erga Status imperii, maxime injurioſa.

§. 229.

Qua ratione admittere poterit, crimen læſæ Majeſtatis committi, ſi ea lædantur.

ANNOTATIO 229.

Ea ratione, qua crimen læſæ Majeſtatis committitur, *ſi Cæſaris conſiliarii lædantur*, hoc enim velle Vitriarium antea oſtendi, ac ſimul iſtam ſententiam abſurditatis convici.

§. 230.

Quod Electores concernit, Carolus IV. in A. B. c. 24. ſanxit, ut ſi in eos quid committat, ſit crimen læſæ Majeſtatis, quia & ipſi ſunt pars corporis Imperatoris. *Vid. ipſum textum.*

ANNOTATIO 230.

Hæc ſunt conformia ſententiæ Vitriarianæ, dum etiam, per Electores, in Cæſarem committi crimen læſæ Majeſtatis ſtatuitur, ſed quid pro eorum veritate affers mi Vindex? ego enim illa inepta eſſe probavi, tu autem ſi ſaperes, jura & im-

inviolabilitatem Electorum non amplius ex *A. B.* ſed *Inſtr. Pac. Weſtphal.* æſtimares.

§. 231.

Quæ omnia evincunt calumniam Titii.

ANNOTATIO 231.

Evincunt potius tuum ſtuporem, ter enim oſtendiſti, quod meam ſententiam non intellexeris, poſtea vero falſas Vitriarii ſententias ſimpliciter retuliſti, mihi autem ne verbo quidem reſpondiſti.

§. 232.

L. 2. C. de falſ. monet. ideo allegavit, quia artic. III. ſive CXI. (legendum enim pro artic. 3. ut eſt impreſſum, CXI.) provocat ad jus commune, & in L. 2. pœnæ determinantur, non vero eum in finem, ut probaret ex ea, committi crimen læſæ majeſtatis, quia Statuum moneta habetur pro Imperiali.

ANNOTATIO 232.

Allegationem *d. l. 2.* eo fine a Vitriario eſſe præcipue factam, ut, adulterantes monetam, a Statibus cuſam, crimen læſæ Majeſtatis, contra Imperatorem committere, inde probaret, contextus verborum ſatis oſtendit, cum autem ita ex legibus Romanis monarchicis, crimen læſæ Majeſtatis in Germania perperam æſtimet, utique, ſicut falſæ ſententiæ, ita etiam ineptæ allegationis reus ille manet.

§. 233.

Merito ergo philoſophum hunc non tantum cavillatorem & calumniatorem dico, ſed

Digitized by Google

ſed omnino ineptum, qui & ingenii, & judicii, & memoriæ defectum pati videtur.

ANNOTATIO. 233.

Hanc concluſionem ex præmiſſis tuis non ſequi, ſed eſſe potius, impotentis animi monſtrum, cordati lectores intelligent. Ruſticus eſt Corydon!

§. 134.

Verba Titii lib. 3. c. 10. §. 20. (l. 4. c. 10. §. 19.

Non tantum autem hoc verum eſt de homagio perſonali ſeu pleno, ſed & ſuo modo de reali; nam quod aliqui hoc perſonam non afficere, nec ſubditum facere exiſtiment. Vid. *Vitriar. lib. 3. tit. 19. §. 3.* id rerum moralium ignorantiam redolet, & abſurdum eſt.

RESPONSIO.

Si conſideretur homagium, ut promiſſio, & aſſecuratio fidelitatis, nullum eſt, niſi perſonale, ſi intuitu ejus, propter quod præſtatur, aliud dicitur reale, aliud perſonale, ſicut hoc præter fidelitatis, etiam obedientiæ promiſſionem continet, ita, a nullo præſtari poteſt, niſi ab eo, qui ſubditus eſt, citra conditionis diſtinctionem, an ſit comes, baro, nobilis, &c. Illud vero cum præſtari ſoleat ob res & bona, quæ quis in alterius territorio poſſidet perſonam ejus non afficit, ſubditum non facit, dominus territorii in perſona ejus nec quidquam ſtatuere valet. e. gr. propter jus ſequelæ, ob crimen commiſſum &c. *Vid. Rhet.*

lib.

lib. 2. tit. 2. §. 22. nec formula plerumque præſcribi ſolita id permittit; ſumma ejus hæc eſt: **daß er wolle getreu/ hold und gehorſam ſeyn/ und daſſelbe thun/ was ein getreuer Landſaß und Unterthan ſeinem rechten Erb-Herren und Lands-Fürſten zu thun ſchuldig iſt.** Hinc etiam Status Imperii, ſi in alterius Status Imperii territorio bona ſita habeat, ejus ſubditus non ſit, licet propterea cogatur interdum ſolvere collectas. Vide, quæ acta ſunt inter Archiduces Auſtriæ, Archiepiſcopum Salisburgenſem, Epiſcopos, Bambergenſem, Friſingenſem, Ratiſponenſem, Paſſavienſem, Præpoſitum Berchtolgadenſem, qui omnes bona ſita habent in territoriis Archiducum Auſtriæ. *Limn. tom. 1. addit. ad lib. 5. c. 2. p. 688.* ratione enim bonorum, & quæ occaſione eorum tribui ſolent, eſt ſubjectus. Sic libera & immediata Imperii nobilitas in Inſtrumento Pacis Cæſareo-Svecico *art. 5. §. 27.* ratione bonorum aliis interdum ſubjecta dicitur, licet ratione perſonarum tales nobiles ipſorum ſubditi non ſint. Ita etiam jure naturæ proprie loquendo perſonæ ſubditæ dicuntur, quæ ex natura regiminis ad fidelitatem & obedientiam obligantur, quæ ſunt pars corporis imperantium, *vid. Grot. 1. c. 5. §. 2. l. 2. c. 11. §. 5. n. 2. in fin. cap. 24. §. 7. c. 25. §. 1. n. 2. lib. 3. cap. 4. §. 6. 7. 8.*

7. 8. cap. 6. §. 5. licet ratione bonorum alii etiam poſſint eſſe ſubjectæ. Hinc Dnus Vitriarius nuſpiam, nec in allegato loco, nec alibi, dicit, bona nullam inducere ſubjectionem; in quem finem præſtaretur homagium reale, quod dicit ratione bonorum eſſe præſtandum, niſi bonorum ſubjectionem agnoſceret? eſſet error non excuſandus in Profeſſore Juris: jus enim civile agnoſcit forum rei ſitæ. Vid. *tot. tit. C. ubi in rem act.* an non ipſe Titius dicit, hoc tantum inducere ſubjectionem ſuo modo? quid volunt hæc verba, niſi bona ſubjecta ſunt, perſona vero primario, & per ſe ſubdita non eſt, ſed afficitur tantum per conſequentiam, quatenus bona vel in dominio habet, vel poſſidet. Solenne hoc eſt huic philoſopho, ut vel non intelligat, quæ dicit, vel eorum, quæ dicta ſint, non recordetur, vel ut cavillationibus & calumniis contra Dnum Vitriarium agat.

ANNOTATIO 234.

Vitriarius in *d. lib. 3. tit. 19. §. 3.* de homagio reali generaliter pronunciat: *Perſonam ejus* (jurantis) *non afficit, nec ſubditum facit arg. l. fin. §. 25. ff. de muner. & honor.* hanc doctrinam generalem & indefinitam, merito generaliter accepi, cum ejus reſtringendæ nulla apparuerit cauſa, eamque abſurdam dixi. Hujus cenſuræ veritatem cum ſenſerit Vitriarius, nec quid reſponderet, habuerit, aſſumta larva, homo ineptus, mutat ſta-

tum

tum controverſiæ, ac ſibi magnam à me fieri injuriam queritur, jam enim dixit: *perſonam non primario afficere, nec ſimpliciter ſubditum facere?* Mittamus igitur Vertumnum, qui ſibi non conſtat, ac falſitatem ſententiæ ſuæ propria variatione oſtendit! De cætero conceptus Vitriarii circa homagium reale eſſe parum ſolidos, ex iis, quæ alibi & hic ſub larva ſcripſit, facile patet. Dixit (1) *dominum territorii ob homagium reale in perſona jurantis nihil ſtatuere poſſe v. gr. propter jus ſequelæ, ob crimen commiſſum;* hoc nemo dixerit, qui vim ſuperioritatis T. intelligit, nec ita loquitur Rhetius, in partes fruſtra vocatus, ſed ſaltem dicit, *quod uſu juris publici contra Status imperii homagium reale tam rigide non explicetur*, aliud dubio procul dicturus, ſi juxta indolem ſuperioritatis T. hac de re foret pronunciandum (2) *ſubjectionem quæ ex homagio reali oritur, juxta jus civile ad actiones reales, ob rem ſitam inſtituendas, reſtringit.* Sed illam longe latius patere, ac quasvis actiones perſonales contra talem ſubditum, in territorio rei ſitæ poſſe inſtitui, uſus plerorumque Germaniæ territoriorum, inprimis quoad bona feudalia, dudum docuit v. Carpz. *l. 6. R. 115.* Deniq; confuſam notitiam ſatis arguit (3) *abſurda allegatio l. fin. §. 25. de muner.* quam tamen tum, ſub cenſuram vocare nolui, quia ineptitudo illa, in habitum, jam in hoc homine, degeneravit, ut propemodum impoſſibile ſit, toties recurrentem ſemper caſtigare. Operæ pretium fuerit, hic addere integrum *§. 3. d. tit. 19.* ut inde Lector analogiam Philoſophiæ Vitriarianæ, antea laudatam,

tam, magis intelligat: *Homagium eſt duplex*, perſonale, *quod ſubditus præſtat domino, ratione domicilii, ac ſe ejus hominem conſtituit.* Reale, *quod præſtatur a perſonis, territorii domino non ſubjectis, etiam immediatis, ratione bonorum, quæ in alterius territorio poſſident. Paurmeiſter de jurisdict. c. 9. n. 118. Hoc poſterius nemo præſtare cogitur, niſi ſimul etiam in hiſce bonis habitet & domicilium habeat* (vide Lector, an non hæc præcedentibus contradicant, nam modo dixit, homagium reale præſtari ſaltem ratione bonorum, præterea homagii perſonalis formalem rationem in eo conſtituit, ut ratione domicilii præſtetur, ſed nunc idem quoad reale exigit; licet vero juxta hanc doctrinam homagium reale, ſit revera perſonale, attamen) *perſonam ejus non afficit, nec ſubditum facit*; quæ aſſertio proxime præcedenti iterum contraria eſt. Quid expectes igitur Lector benevole, ab hoc homine, qui in eadem orationis ſerie tam turpiter ſibi contradicit!

§. 235.

Verba Titii lib. 4. c. 1. §. 42. (l. 5. c. 1. §. 44.)

Religionis Romano-Catholicæ, vel Proteſtantium, veritas requiſiti ex ſancita harum religionum tolerantia, non autem ex eo, quod caput populi Chriſtiani Imperator ſit. A.B. tit. 2. deduci debet; nam etiam infidelis aut hæreticus caput Chriſtianorum eſſe poteſt, quod non percepit *Vitriar. lib. 1. tit. 5. §. 3.*

RESPONSIO.

Quid, an Dnus Vitriarius diſcet ex hoc fungo

fungo una nocte nato, etiam infidelem & hæreticum poſſe eſſe caput Chriſtianorum? ipſe hoc docet in collegiis ſuis, etiam id ſtatuit in Inſtitutionibus Juris Naturæ *lib. 2. cap. 7. q. 38.* quamvis enim in omni civitate religio, ut vinculum omnis ſocietatis requiratur, non tamen præciſe Chriſtiana, nec in membris ejus, nec in capite, *vid. Grot. 2. c. 20. §. 44. & ſeqq. & 48.*

ANNOTATIO 235.

Bona verba mi homo! cur ita ringeris, ac tanto conatu lectoribus ſtuporem tuum oſtendis, non aliter ac ſi de eo dubitarent? Ego nunquam imputavi Vitriario, quod in genere neget, *infidelem & hæreticum poſſe eſſe caput Chriſtianorum*, nam ut ita facerem, nullam habui cauſam, ſed hoc reprehendi, quod ille veram theſin: *Imperator Germanus, debet eſſe Chriſtianus, pontificius vel proteſtans*, inepta ratione, *quia eſt caput populi Chriſtiani*, probaverit, hanc igitur ineptitudinem ut oſtenderem, rationem generalem contrariam allegavi: *nam etiam infidelis aut hæreticus caput Chriſtianorum eſſe poteſt*, an vero hic in genere contradicat Vitriarius nec ne, mea hactenus nihil refert, ergo per me ſtatuat Vir Clariſſimus tam in ſuis collegiis quam Inſtitutionibus id, quod tu hic refers! De cætero tamen male conſulis incomparabili Viro, quando hanc ejus doctrinam propalas, inde enim nihil aliud ſequitur, quam quod bis ſcutiam meruerit, dum & veritati, & propriæ doctrinæ, in quæſtione noſtra, repugnavit.

§. 236.

Verum ex conſtitutione A. B. in Imperio Romano-Germanico; quia Imperator eſt caput Chriſtianitatis,& ipſe Chriſtianus eſſe debet: eſt enim caput Chriſtianitatis in Chriſtiano Imperio, à Deo ad inſtar ſanctæ ac individuæ Trinitatis, fide,ope, & charitate,virtutibus Theologicis roborato, cujus fundamentum ſuper Chriſtianiſſimo regno feliciter ſtabilitur, *vid. proœm. A. B. in med.* Electores jurant ſe electuros caput temporale populoChriſtiano,quod ad hoc exiſtit idoneum, infidelis idoneus non eſt. Ut regnum vere Chriſtianum dici poſſit, rex oportet ut ſit Chriſtianus, eſt enim regni caput. *Vide Grot. 2. c. 9. §. 8.* eligunt caput Chriſtianitatis, quod ſecundum A. B. diſpoſitionem miſſæ intereſſe poteſt, *vid. A. B. c. 22.*

ANNOTATIO 236.

Nihil agis mi Vindex, non quæritur: *an Imperator Germanus, Chriſtianus eſſe debeat*, nec: *an hæc aſſertio ſuis ſuffulta ſit rationibus?* utrumque enim facile conceditur,licet rationes quas tu hic inſpergis, forte examen non ſuſtineant, de quo tamen jam diſquirere non attinet,ſed annon inepta ſit argumentatio Vitriarii: *Imperator, Chriſtianus eſſe debet*, quia *eſt caput populi Chriſtiani?* ad hoc reſpondere debebas, ſed tum taces, vel ſupponis id de quo quæritur.

§. 237.

§. 237.

Quo accedit, quod Dnus Vitriarius non tantum A. B. verum etiam verba Speculi *Svevici 1. c. 21. §. 3.* alleget: verba ejus in Inſtitutionibus hæc ſunt: *ut ſit primo Chriſtianus, non infidelis, non hæreticus, eſt enim caput populi Chriſtiani A. B. tit. 2.* Einen lahmen / meuchelſichtigen Mann / und der in dem Bann oder in der Acht iſt / oder ein Ketzer iſt / den ſollen die Fürſten nicht kieſen / kieſen ſie aber dieſen / die andere Fürſten verwerffen ihn wohl mit recht / an der ſtatt / da ein Hoff hin geſprochen wird / ob man ihn dero Dinge eines überkommet / als recht. Conjungenda ergo ratio quam depromit ex A. B. cum verbis ſpeculi Svevici, & ſic non ſunt dividenda, quæ conjungi debent, ut facit Sophiſta noſter.

ANNOTATIO 237.

Tu es pauper diabolus, nec potes reſpondere, hinc quæris effugia, ſed nihil efficis. Vis, rationem *A. B.* cum verbis ſpeculi Svevici, conjungi, fac ita, quid inde lucraberis? nam in ſpeculo Svevico nihil habetur, niſi theſis probanda, quis autẽ ſanæ mentis crediderit, rationem malam, fieri efficaciorem, ſi cum theſi probanda conjungatur? Profecto ſunt hæc nova ratiocinãdi principia, ſtupiditati & ignorantiæ Vitriarianæ valde convenientia: Imo licet in ſpeculo Svevico nova ratio exſtaret, non eo magis tamen opus eſſet conjunctione, nam ſi plu-

res ſint rationes, quarum ſingulæ plenum & perfectum habeant ſenſum, tum vis earum ſeorſim eſt æſtimanda, nec quicquam operatur conjunctio, hinc ſi aliqua ex iis ſit impertinens, illa talis manebit, ſive ſeorſim, ſive cum cæteris ſpectetur, perinde ſicut equus mortuus ad currum movendum nihil conferre poteſt, ſive ſeorſim ei applicetur, ſive aliis conjungatur. Aliud obtinet in actionibus, quæ plenum ſenſum non habent ſed una alteram reſpicit, tum enim conjunctio utilis & neceſſaria eſt, &, quod ſingulæ præſtare non poterant, cunjunctæ efficiunt, ſicut v. gr. duo equi vivi currum movent, quem ſinguli, movere non poterant.

§. 238.

Sic fallitur, quando putat, ne obſervantia quidem hoc receptum eſſe, ut Imperator ſit perſona Illuſtris; imo obſervantia hactenus à temporibus Ottonis I. docuit, nullum unquam in Imperatorem electum eſſe, qui fuit infra comitem, licet verba Speculi Svevici, perſonas inferioris dignitatis admittant, ſic ergo juſta ratiocinatio iſtam oſtendit: obſervantia enim Imperii diuturno uſu introducitur, qualis obtinuit à temporibus Ottonis I. vid. ipſum Titium *lib. 1. cap. 3.* §. *2.* (*l. 2. cap. 8.* §. *2.*

ANNOTATIO 238.

Ad obſervantiam non ſufficit *diuturnus uſus*, nec ego hoc dixi, ſed requiritur, ut ille *diuturnus uſus inferat animum & voluntatem conſtituendi obligationem*

nem, vid. d. l. 1. c. 3. §. 7. (l. 2. c. 8. §. 8.) jam tu proba, quod electiones perſonarum illuſtrium ab Ottonis uſque temporibus factæ (quamvis tempore Ottonum uſque ad Henricum IV. alias peritiores ſucceſſionem defendant, *vid. Kulpis ad Monzamb. p. 2. c. 4. §. 1.* licet Otto I. ob defectum Regiæ ſtirpis, electus ſit) non *ex libertate*, vel *ratione ſtatus*, ſed *animo legem fundamentalem, Electores obligaturam, conſtituendi*, fuerint ſuſceptæ, alias nihil obtines.

§. 239.

Eod. cap. §. 44. *(l. 5. c. 1. §. 46.)* quando Dnus Vitriarius dicit, is qui in Imperatorem eligi debet, ſit laicus, quia debet eſſe temporale caput. A. B. tit. 2. excipit: verum ex clerico etiam poteſt temporale caput fieri, quemadmodum e. gr. ex Comite fit Cæſar, & quis qualitatem Cæſaris conſtituti in conſtituendo indiſtincte requireret? ſic enim eligendus ante electionem Imperator eſſe debebit. Reſpondetur (1) ex Comite poteſt fieri Imperator, quia jam laicus eſt, & ſic qualitas a lege requiſita tempore electionis adeſt, ſecus quam in clerico.

ANNOTATIO 239.

Sed ita ſupponis id, de quo quæritur, nam eligendum, debere eſſe *Laicum*, nego, & tu hactenus contrarium non probaſti, nam rationem Vitriarii, quia *debet eſſe caput temporale*, abſurditatis, data inſtantia convici, ad hoc

autem tu neque reſpondiſti, neque aliam probationem attuliſti.

§. 240.

(2.) Falſum eſt, quod non ſit qualitas neceſſaria in Cæſare conſtituendo, debet enim eligi caput populo Chriſtiano temporale, i. e. quod jam temporale eſt, non, quod temporale futurum eſt:

ANNOTATIO 240.

Hoc tu dicis quidem, ſed non probas, imo plane contorta eſt hæc tua explicatio, nam *temporalitas* in A. B. conſideratur, ut *qualitas Capitis*, Caput autem quis non eſt, niſi poſt electionem, hinc liquet A. B. nihil aliud requirere, quam Imperatorem conſtitutum, debere eſſe Laicum, id vero minime definire, an tempore electionis hujus conditionis præciſe eſſe debeat.

§. 241.

Qualitas enim, ut dicimus, quæ neceſſario ad actum requiritur, adeſſe debet eo tempore, quo actus ſuſcipitur, alias ob ejus defectum eſt nullus; adeo, ut ſi tempore electionis, Electores votum darent perſonæ, quæ adhuc eſt Eccleſiaſtica, electio merito ob defectum qualitatis in electo, & facultatis in eligente, irrita pronunciaretur, ſecus ac ſi perſona Eccleſiaſtica ante electionem ad ſeculum rediiſſet.

ANNOTATIO 241.

Tota hæc tua periodus in putidam principii petitio-

tionem reſolvitur ſemper enim ſupponis, ad requiſita eligendi pertinere, *ut ſit Laicus*, ſed non probas.

§. 242.

(3). Jurant ſe electuros idoneum: ſicut ergo hoc generale requiſitum tempore electionis, ipſo actu, ut loquuntur, adeſſe debet, ita & ſpecialia, quæ vel in ipſo includuntur, vel hic exprimuntur, e. gr. quando Doctores ex obſervantia requirunt, ut eligendus ſit Germanus, eo tempore, quo eligitur, Germanus eſſe debet, non demum poſtquam Rex electus eſt, Germanus fieri, & in civitatis Germanicæ jus aſſumi, probat hoc diſputatio, quæ interceſſit inter Electorem Moguntinum, & Trevirenſem, in electione Caroli V. ſic, quando A. B. c. 7. requirit, ut Electoris filius primogenitus ſit laicus, requiſitum hoc adeſſe debet eo tempore, quo de ſucceſſione agitur, non vero eam ſequi. *Vid. Rhet. lib. 1. tit. 7. §. 6. p. 203.*

ANNOTATIO 242.

Requiſita Regis eligendi tempore electionis adeſſe debere, certiſſimum eſt, ſed ad ea tu fruſtra refers *conditionem Laicalem*, quia hactenus rationem idoneam non attuliſti.

§. 243.

Imo, obſervantia ſive conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres, ab eo tempore, quo electio obtinuit in Imperio Romano-Germanico,

Digitized by Google

nico, A. B. ita interpretata eſt, nec exſtat exemplum in contrarium.

ANNOTATIO 243.

Oſtendit illa conſuetudo, *quid factum ſit*, non *quid neceſſario fieri debeat*, ſicut ex longo uſu conſtat, quod Auſtriacus ſit electus, non autem, quod talis præciſe ſit eligendus. Interim facile concedo, non temere hoc eſſe in Germania eventurum, ut Clericus in Cæſarem eligatur, legem tamen aliquam id prohibere, nego. Et ſi v. gr. primogenito ex familia Auſtriaca in Cæſarem electo, ſecundo genitus fuerit factus Epiſcopus, poſtea illo ſine liberis mortuo, ad hunc omnes ditiones hæreditariæ devolvantur, nonne etiam hic, ut Epiſcopus, in Cæſarem poterit eligi? ſic omnino cenſeo, quia lex prohibitiva non adeſt, electum vero, Epiſcopatum debere relinquere, certum eſt.

§. 244.

Unde (4) ſequitur Titii opinionem falſam eſſe, & contra bonæ interpretationis regulas, quando exiſtimat, hoc eſſe requiſitum Imperatoris conſtituti, non autem conſtituendi.

ANNOTATIO 244.

Illud potius ex dictis apparet, te perpetuo in circulum fuiſſe actum, ſeu ſuppoſuiſſe id, de quo quærebatur.

§. 245.

Vel etiam eligendum ante electionem debere eſſe Imperatorem; quod ultimum inſuper

ſuper probat hunc Doctorem ſæpius extremis labris philoſophari.

ANNOTATIO 245.

Probat potius, quod ego hac inſtantia abſurditatem rationis Vitrarianæ perſpicue oſtenderim. Nam quo jure Vitriarius ſic concludit: *eligendus debet eſſe laicus*, quia *eſt caput temporale i. e. poſt electionem laicus eſt*, eodem etiam quis concluderet: *eligendus debet eſſe Imperator*, quia *poſt electionem talis eſt*, ſicut autem hoc abſurdum eſt, ita etiam illud.

§. 246.

Quis enim unquam dixerit, quando quis eligendus eſt ad hoc vel iſtud munus, idoneus eſſe debet, requiſita oportet ut adſint ad ejus electionem, tempore electionis, ergo jam ante is eſt, qualis demum fit per electionem, e. gr. Rex, Magiſtratus, Clericus, Epiſcopus.

ANNOTATIO 246.

Jam præ affectuum intemperie, etiam latine amplius ſcribere non potes, cave ne in Grammaticorum manus incidas, valde alias vapulabis. Interim, ſi recte conjicio, hoc vis: *ex eo, quod quis requiſita ante electionem neceſſaria dicat*, non ſequi, quaſi doceat; *eligendum jam ante electionem eſſe debere talem, qualis per electionem fit*. Sic eſt, neque hoc ego imputavi Vitriario, ſed hoc dixi, ex eo, *quod Vitriarius neceſſitatem requiſiti probet, per id, quod poſt electionem Cæſar ejus conditionis eſſe debeat*, etiam ſequi: *quod Imperator eligendus jam ante electionem talis eſſe debeat*, ceu ex annotatione præcedenti liquet.

§. 247.

Verba Titii lib. 4. c. 3. §. 4. circa ſin.

(l. 5. c. 3. §. 52.)

Ipſam legitimationem, & veniæ ætatis conceſſionem jus privatum explicat, quod juxta leges confuſionis etiam hic exſcribitur. *Vitriar. l. 3. tit. 2. §. 15. 24.*

RESPONSIO.

Etiam hic Titius calumniatorem agit, ut ſolet, ubi in loco allegato legit, quid ſit legitimatio, quotuplex, qui, & a quibus, quomodo, quando jure civili legitimari poſſint? &c.

ANNOTATIO 247.

Legi tamen quæſtiones juris privati, *de ſucceſſione legitimatorum,* quando *vel in allodialibus vel feudalibus bonis locum habeat?* item *an opus ſit, conſenſu agnatorum?* quæ confuſionem ſatis evincunt, neque enim ad eam requiritur, ut omnia juris privati capita exſcribantur, ſed ſufficit, ſi quædam, & habet etiam confuſio ſuos gradus.

§. 248.

Tantum Cl. Vitriarius dicit, Imperatorem ipſum legitimare liberos Principum & Comitum &c. ſubditos proprios, non alterius Regis &c. Quæ omnia, omnino in jure publico, non autem in privato tractanda ſunt, ſi hoc reſervatum Imperatoris velis intelligere.

ANNOTATIO 248.

Hæc concedo, nec quicquam horum ratione, antea monui.

§. 249.

Digitized by Google

§. 249.

In concedenda venia ætatis, requiſita ratione morum, & temporis, repetit ex jure privato, quia ipſi Imperatores in formulis, quibus eam concedunt, ad jus commune provocant. Vid. ſupra, quæ itidem intelligi non poſſunt a juris publici ſtudioſo, niſi paucis exponantur, quæ jus commune requirit, & quatenus in jure publico recepta ſunt, vel non recepta.

ANNOTATIO 249.

Nec de his ego aliquid dixi, ſed ea potius in jure publico admitto, cum pertineant ad explicationem juris Cæſarei, verum hoc reprehendi, quod in §. 24. 25. quæſtiones juris privati adducantur, *de facultate diſtrahendi bona immobilia, de legato, cum legitimæ ætatis erit, relicto, de reſtitutione contra veniam ætatis obtinenda.* Cur tu hic taces mi Vindex?

§. 250.

Adeo, ut hic non major ſit confuſio, quam quando ea, quæ tutelam Principum reſpiciunt ex jure privato declarantur: quia Receſſus Imperii id expreſſe confirmant, ut ſupra dictum.

ANNOTATIO 250.

A diſparibus infers! tutela Statuum imperii omnino in jure publico conſideranda eſt, ſed idem quoad ea, quæ hic cenſui, tu non probaſti: Interim accepto, quod veniam ætatis & legitimatio-

mationem ad diſciplinam juris publici non pertinere, ſub initium tuæ reſponſionis faſſus ſis. Quomodo nunc Vitriarium a confuſione liberabis, quod de *effectu famæ reſtitutæ l.3. tit.2. §.19.* reſcripti moratorii *§.3.33.34.35.* de privilegiis nundinarum *§.39. ſeqq.* de privilegiis *l. 3. tit.17. §.64. ſeqq.* de Judæis §.*85. ſeqq.* de Notariis & Archigrammateis *§.92. ſeqq.* & pluribus aliis materiis, ex *d. lib.3. tit.17.18. 19.* facile, ſi opus eſſet, repetendis, egerit? nam illas omnes ad jus privatum pertinere, eadem ratione, qua legitimationem & veniam ætatis eo ablegavimus, oſtenditur.

§. 251.

Verba Titii lib. 4. c.3. §.63. (l.5. c.3. §.76.)

Tertio generi accenſent, (1) jus convocandi concilium univerſale. *Vitriar.* (2) ferias generales indicendi, (3) novum calendarium introducendi; ſed illa omnia ad comitia pertinere manifeſtum eſt, *vid. Schwed. ſect. 3. c.5. §. 21.*

RESPONSIO.

Titius reſervata Imperatoris §. 24. *(c.3. l.5.)* dicit reſpicere (1) vel Statuum territoria & ſubditos, vel (2) Status ipſos, vel (3) negotia totius Imperii. His Dn. Vitriarium accenſere dicit jus convocandi concilium univerſale. Et hic adhuc apertius continuat ſolitas ſuas calumnias; audiamus verba Cl. Vitriar. dicto loco in med. *Hinc igitur, cum in Imperio Romano, religionis curatio per transactionem*

nem Paſſavienſem à Cæſare ad comitia tranſierit, CÆSARIS SIMUL ET STATUUM ERIT CONCILIORUM IN IMPERIO CONVOCATIO.

ANNOTATIO 251.

Tu es nimium ſuſpicax, mi Vindex, putasque fere, me non in bonam etiam partem allegare Vitriarium, quod tamen, ut alias, ita hic etiam a me factum eſt. Qui enim non legerim verba, majusculis literis hic à te exarata, & inde intellexerim, quod Vitriarius cum Lampadio jus convocandi concilia Comitiis aſſerat? Citavi igitur Vitriarium, non ut *autorem ſententiæ,* convocationem Conciliorum Cæſari tribuentis, ſed ut *teſtem*: verba ejus ſunt: *jura reliqua ſacrorum & inprimis jus concilii convocandi, quin olim ad Imperatores pertinuerit, nullum dubium eſt, hodie ambigitur, penes quem jam in imperio ſit concilii convocatio, multa in varias partes diſſeri poſſunt. Sed ne moremur &c.* Eodem ſenſu citavi Schwederum *d. ſect. 1. c. 5. §. 21.* quoad *jus indicendi ferias generales & introducendi calendarium novum,* quamvis illam allegationem, cum pluribus inſuper rationibus Schwederus jura iſta Comitiis recte aſſerat, ad finem rejecerim. Poteras illud intelligere, mi Vindex, ex verbis, quibus *d. §. 63. (76.)* uſus ſum: *tertio generi accenſent,* non dixi: *accenſet Vitriarius,* & quamvis prior locutio Vitriarium quoque comprehendere poſſit, non tamen neceſſario comprehendit, ergo ex ipſo loco citato ſententia allegationis eruenda. Vide igitur, annon convitium calumniatoris, quo me hic inſectaris, in te ipſum

ipſum recidat! ſed condono tibi hoc, es enim ſimilis cani, verberibus caſtigato & exagitato, qui metu plagarum, ad ſolum fuſtis conſpectum, ringi ac latrare ſolet.

§. 252.

Verba Titii lib. 4. (5) c. 4. §. 13.

Non majoris momenti erit Imperii Romani in Germanos translatio, quod argumentum magna confuſione urget *Vitriar. lib. 1. tit. 5. 6. 7.* nam ut ut eximii quid in illo Imperio fuerit, per ſe tamen prærogativam contra invitos valituram, Cæſari non potuit tribuere.

RESPONSIO.

Reges, & qui par jus Regibus obtinent, vivunt inter ſe in ſtatu naturæ æqualitatis, propter æquale quod Deus in ipſos contulit imperium. Unde eſt res tricis & ſalebris plena, de loco Principum controverſias diſceptare; nec enim Rex Regi invitus cogitur loco cedere, ne quidem in conventibus Chriſtianorum, ut hoc in conventu Mantuano, Pius II. lege edita decidit: nimirum, ne Reges vel Duces poſtpoſiti detrimentum, vel prælati lucrum honoris jurisve aliquod ferant. Vide *Bœcler. ad Grot. 2. cap. V. §. 21.* quanquam autem de jure inviti ad hoc cogi non potuiſſent, omnes tamen Reges & Principes Imperatori Romano-Germanico loco cedunt, eosque præcedit.

dit. Cauſam hujus præeminentiæ Dn. Vitriarius eſſe putat, quia ſolus eſt, in quem antiquorum Imperatorum dignitas eſt translata. Titius dicit, ipſum hoc argumentum magna confuſione urgere, quia, ut ut eximii quid in illo Imperio fuerit, per ſe tamen prærogativam contra invitos valituram, Cæſari non potuit tribuere. At vero, verba ejus ſi inſpiciamus, hoc non dicunt; ubi iſta legit Titius, translatio Imperii Romani in Germanos, *per ſe*, prærogativam tribuit, *vel in invitos.*

ANNOTATIO 252.

Feſtivum caput eſt Vitriarius larva indutus! quam accurate novit ille urgere adverſarios, quoad formandum controverſiæ ſtatum; quam rigide poſtulat rationem ſententiæ ſibi imputatæ! Enimvero, mi Vitriari, revera ineptis, licet enim iſtis verbis non fueris uſus, ſententia tamen verborum tua eſt: Tam in *d. l. 1. tit. 5.* §. *6.* quam hic, fateris, *quod omnes Reges Imperatori Romano loco cedant*, quæro ex te, an illa Cæſaris prærogativa ſit *precaria ac ex ſola civilitate profecta*, an *jure ſubnixa?* ſi prius aſſeras, injurius es in Cæſarem, ſi poſterius, tum *jus* quoque agnoſcis, poſito autem *jure*, in cæteris Regibus eſt neceſſario *obligatio*, poſita obligatione, valet prærogativa contra *invitos*. Porro rationem illius prærogativæ, tam *in d.* §. *6.* quam hic, ita reddis: *quia ſolus eſt in quem antiquorum Imperatorum dignitas eſt translata*, noñe igitur hæc translatio *per ſe*, ex tua quidem ſententia, prærogativam illam Cæſari tribuit? cur

cur ergo allegaſti rationem hanc? alterum tibi concedendum erit, vel rationem illam continere ex tua opinione, cauſam prærogativæ, vel otioſe à te eſſe allegatam.

§. 253.

Notum eſt, quod par in parem imperium non habeat, & ſic nec jus cogendi, quod ex eo fluit:

ANNOTATIO 253.

Inepte infers! nam jus cogendi etiam ex jure æquali fluit, & nonne liberæ gentes per bellum ſe cogunt ad obligationes implendas? ubi eſt inter eas imperium?

§. 254.

Licet, ubi alter jus quæſitum habet contra alterum, ex pacto vel expreſſo vel tacito, ipſum vi cogere poſſit in caſu denegatæ juſtitiæ, *vid. Grot. 1. c. 3. §. 2. & 17. n. 1. in fin. l. 2. 6. 11. §. 4.*

ANNOTATIO 254.

Sic igitur tibi contradicis, nam in verbis præcedentibus jus cogendi ex imperio repetiiſti, niſi forte particula *quod*, non *deſcribit*, ſed *diſtingvit*, tranſeat igitur?

§. 255.

Quare cum apud omnes fere gentes, Imperii Romani ea fuiſſet reverentia, & tacite in id conſenſiſſe viderentur, ut Imperator Romanus omnes præcederet, ſedendo & incedendo, in Imperatore Romano-Germanico, quia in eum dignitas antiquorum Imperatorum

rum eſt translata, illud ab iſto tempore tacite continuatum putat, ut patet ex titulis quos & Turcarum Imperator & alii Reges adhuc hodie ipſi tribuunt;

ANNOTATIO 255.

Infelix es ſophiſta, quia ſophiſticationes tuas ſtatim deprehendere licet, nam hic, translationi imperii Romani. jungis *tacitum conſenſum*, quo illi colorem allinas, ſed de tacito conſenſu tu nihil hactenus dixiſti, ſed ſolum de translatione illa, hanc debes defendere! ſed defenderes, credo, ſi poſſes.

§. 256.

Unde Vir Cl. in allegato §. 6. notanter dicit: *agnoſcunt hoc omnes populi, agnoſcit hoc ipſe Turcarum Imperator &c.* ergo inviti hoc non faciunt, verum hoc agnoſcunt, conſentiunt in hoc:

ANNOTATIO 256.

Utinam Vir Clariſſimus ineptire deſineret! nam Vitriarium prærogativam Cæſaris non repetere ex *ultronea agnitione*, ſed potius agnitionem hanc fluere, juxta ejus ſententiam, ex *neceſſitate per translatum Imperinm Romanum conſtituta*, antea ſatis oſtendi.

§. 257.

Poſtquam autem jus ita Imperatori quæſitum eſt, ſi præcedentia hæc & præeminentia ipſi ab aliquo negaretur, optimo jure ab ipſo invito, ob injuriam illatam, peteret aut ſatisfactionem, vel ferro illam vindicaret. *Grot. 2. c. 17. §. ult. c. 18. §. ult.*

ANNOTATIO 257.

Jam dixi te mutare ſtatum controverſiæ, Vitriarius in *d. tit. 5. §. 6.* non repetiit Cæſaris Germanici prærogativam ex *tacito pacto & agnitione Gentium*, ſed *ex translato in Germanos Imperio Romano.*

§. 258.

Videat jam Titius an jure cenſeat Dnum Vitriarium, an injuria? certe homini huic aut minus animi contra ipſum aut plus eruditionis & judicii optandum, ne ita temerarie & imprudenter viros Celeberrimos cenſeat.

ANNOTATIO 258.

Philoſophiam male cohærentem inſulſo epiphonemate claudis! virorum ex ineptiis celeberrimorum, qualis eſt Vitriarius, errores cenſere, nec iniquum, nec temerarium, nec imprudens, apud cordatos, habebitur.

§. 259.

Verba Titii lib. 4. c. 6. §. 11. (l. 5. c. 6. §. 12.)

Alii eam, ſcil. reſignationem, faciendam eſſe arbitrantur ſolis Electoribus. *Lamp. d. l. §. 9. Schwed. d. c. 32. §. 4.* alii omnibus Statibus. *Vitriar. lib. 1. tit. 9. §. 3.* neutra ſententia veritati penitus eſt conſentanea.

RESPONSIO.

Niſi obſervemus hujus philoſophi diſtinctionem, nullus adhuc vere dixit, cui Imperator Imperium reſignare debeat; accurate enim hoc expedivit, diſtinctione inter reſignationem periculoſam, & non periculoſam: in

Digitized by Google

in iſta omnium Statuum conſenſus eſt neceſſarius, ergo omnibus quoque reſignatio eſt facienda, & Electores non temere oſtenderint, unde ipſis ſolis jus advenerit admittendi periculoſam renunciationem: in hac, non conſenſus, ſed ſcientia Imperii ſaltem eſt neceſſaria, & in arbitrio Cæſaris poſitum eſt, cui rem iſtam indicare velit: hinc ſive Regi Romano, ſi adſit, ſive Electoribus, ſive comitiis forte tum inſtitutis, ſive Statui cuidam iſtam rem denunciet, ut ejus indicio toti Imperio innoteſcat, regulis juſtitiæ Cæſar ſatisfecit, licet ultimo hoc caſu regulas decori & civilitatis forte offenderit. Verum, eſt diſtinctio hoc philoſopho digna, qui jam toties rerum moralium & veræ philoſophiæ ignorantiam prodidit.

ANNOTATIO 259.

Cur vero tu nullum hactenus protuliſti aut nunc etiam profers exemplum? tecum habita & noris, quam ſit tibi curta ſupellex! certe ſi quis legat, quæ ſcripſit Vitriarius de indole Majeſtatis *l. 1. tit. 7. §. 5.* ut & de indole ſuperioritatis T. *l. 3. tit. 15. §. 7. 8.* is hominem deliraſſe non difficulter, credat, non poſſum quin ex *d. tit. 7. §. 5.* quædam verba huc transferam, ut inde lectori conſtet, quam facunde & eleganter Vitriarius ſublimes conceptus eloqui ſoleat. Poſtquam abſurdam illam theſin: *Majeſtatem Germanicam totam eſſe in Cæſare, ac totam in unoquoque imperii Statu,*

(O) 2 pro-

propoſuerat, inter alia ſic pergit. *Nec obſtat ſecundo, ſi eſſet tota in Imperatore, quod omnia poſſet* ubiq;, *Majeſtas enim eſt ſumma in civitate poteſtas* ubique, *atqui Imperator non omnia poteſt* ubique. *Quia utique Imperator omnia poteſt* ubique *in Imperio, ſed non ſolus verum conjunctim cum aliis &c.* Profecto ſi quis iſta Vitriarium pronunciantem audiat, nec hominem videat, is putabit ſe audire ne frendes, ad ubera grunnientis matris properantes, adeo exacte, abſurda vocis *ubique* repetitione, lingvam porculorum imitatur.

§. 260.

Quis (1) judicabit an reſignatio ſit periculoſa, an non? an ſolus Imperator, an Rex Romanorum, an Electores, an is Status, cui renunciatio eſt facta? at vero, hi omnes non habent jus judicandi de eo, quod Imperio periculoſum eſt, vel non.

ANNOTATIO 260.

Cur non haberent illud jus? de controverſiis quidem liberarum Gentium nemo judicare poteſt pro autoritate, velut judex, litem, ſua ſententia, deciſurus, de ipſa tamen facti moralitate, ſingulæ partes judicare poſſunt, imo etiam privatis ſententiam exponere licet. Fingamus Status imperii renunciationem Caroli V. ſolis Electoribus factam, ægre tuliſſe, imo rem ad bellum ſpectaſſe, quæritur de moralitate belli ſuſcipiendi? heic ſane, & Carolo, & Statibus imperii, de qualitate renunciationis, & belli ſecuturi, judicare licuit, imo licet privatis: ex ſententia Vitriarii renunciatio recte ſe non habet, quia

quia debuit fieri omnibus Statibus, hinc, ob jus læſum, juſtam bellandi cauſam habent, ſed, ex mea ſententia, renunciatio eſt legitima, bellumque inique ſuſciperetur, quia nullum intereſſe Status docere poſſunt.

§. 261.

Imo, repugnat naturæ omnis ſocietatis, ut renunciatio alii fiat, quam ipſi ſocietati, cujus ſocius quis eſt, & cujus, ob renunciationem, intereſſe poteſt; eſt enim omnis hæc diſputatio, ob varias temporum viciſſitudines & circumſtantias, plane obſcura, *jung. hic Grot. 1. c. 3. §. 9. n. 2. lib. 2. c. 5. §. 24. n. 2. in med.*

ANNOTATIO 261.

Ex his nihil aliud ſequitur, quam *ſcientiam* Societatis, ad renunciationem, eſſe neceſſariam, quam etiam *d. l. 4. c. 6. §. 6. 12. (l. 5. c. 6. §. 6. 13.)* diſerte requiſivi, non vero *conſenſum* quoque eſſe neceſſarium, hinc ſi ſocii, ſine cauſa, diſſentiant, ſine eorum voluntate diſcedere poteſt ſocius, quod, in privatis ſocietatibus, etiam expeditum eſt.

§. 262.

(2) Qualis hæc eſt philoſophia, quæ hic opponit conſenſum ſcientiæ; an non tacitus conſenſus etiam eſt conſenſus? an non, qui ſcit, contradicere debet, & poteſt, & non contradicit, conſentit? an non conſenſum indicamus vel verbis vel factis, & ſub factis comprehenduntur non facta conſiderata cum ſuis circumſtantiis? *vid. Grot. 2. c. 4. §. 4. & 5.*

ANNOTATIO 262.

Annon tu hic ineptis & magno conatu, ignorantiam oſtendis? nam licet, ex ſcientia, aliquando tacitus conſenſus ſequatur, attamen *ſcientia & conſenſus* penitus differunt, ac recte adeo ſibi opponuntur. præterea falſum eſt, quod, ex ſola ſcientia, ac omiſſa contradictione, ſtatim ſequatur conſenſus, vid. *Annot. 202.* Denique ſi ſcientes expreſſe contradicant, quod, ut alias, ita etiam, circa renunciationem Cæſaris, fieri poteſt, num tu adhuc ex ſcientia conſenſum colliges? deſine igitur nugari, mi homo, ac diſce res diverſas diſcernere.

§. 263.

(3) Iſte cui hæc renunciatio non periculoſa indicatur, nomine Imperatoris Imperio indicium facere debet: annon hac ratione renunciatio fit Imperio, & is tantum eſt inſtrumentum deferendæ voluntatis ipſius Imperatoris?

ANNOTATIO 263.

Sed num ex illo *indicio* ſtatim ſequitur *conſenſus* Imperii? hoc tu non probaveris! ergo iterum confundis *ſcientiam & conſenſum*, renunciatio non periculoſa, debet fieri, imperio *ſciente*, ſed non præciſe *conſentiente*.

§. 264.

Annon, voluntatem noſtram indicare poſſumus per alium? annon, quod quis per alium facit ipſe feciſſe putatur? perinde enim eſt, ſive Imperator in perſona hoc faciat, ut loquun-

quuntur, ſive per procuratorem, vid. *Grot.* 2. *c.* 11. *§.* 12. *lib.* 3. *c.* 6. *§.* 9. *n.* 2. *in fin.*

ANNOTATIO 264.

Sed quis quæſivit, *an Cæſar mediate renunciare poſſit*, mi miſer ſophiſta? hoc quærebatur, *annon Cæſar, qui renunciationem non periculoſam, v. gr. Electoribus* (qui hic non ut procuratores Cæſaris, ſed potius ut pars imperii Germanici, Cæſari jam contradiſtincti, conſiderantur) *indicavit, ut horum indicio hæc res toti Imperio innoteſcere poſſit, ſatisfecerit regulis juſtitiæ, ſive Imperium in renunciationem illam conſentiat ſive non?* ad hoc tibi erat reſpondendum.

§. 265.

Verba Titii lib. 4. *c.* 8. *§.* 8. (*l.* 5. *c.* 9. *§.* 6.)

Porro inde ſequitur poteſtatem Vicariorum eſſe independentem, ſeu majeſtaticam, nec hic diſſentientis *Vitriarii lib.* 1. *tit.* 11. *§.* 8. *lib.* 3. *tit.* 1. *§.* 5. *tit.* 5. *§.* 4. magna erit habenda ratio, ejus enim in hoc genere philoſophia valde inſulſa eſt, ceu varia ſpecimina oſtendunt.

RESPONSIO.

Vicarius, in genere, eſt perſona, quæ alterius nomine poteſtatem vel munus exercet. Variis nominibus indicari ſolet. Locum tenens, Prorex, Vice-Dominus, Gubernator, Lieutenant, Stadthalter oder Amptsverweſer; in A. B. Imperii vicarii, proviſores dicuntur, Verweſer und Verpfleger des

Reichs/ in antiqua verſione apud Goldaſtum, Vormünder/olim Palatii Præfecti &c. De his quæritur, an habeant majeſtatem, an vero poteſtatem dependentem? Dn. Vitriarius in allegatis locis ſimpliciter ipſis tribuit poteſtatem dependentem, quia majeſtas eſt ſumma ab hominibus independens poteſtas, *vid. Grot. 1. c. 3. §. 7.* quod de nullius vicarii, quo nomine etiam veniat, poteſtate dici poteſt; quicquid enim agit, nomine alieno agit & vice alterius, nihil nomine proprio, ut is, qui habet majeſtatem.

ANNOTATIO 265.

Generaliter illa vera non ſunt, fateor quidem quod tempore interregni, Majeſtas ſoleat eſſe penes totam civitatem, interreges autem ſolum ſint Magiſtratus Illuſtriores, populo ad reddendam rationem obſtricti. Sed cum omnis illa res a voluntate hominum dependeat, cur non etiam pactis fundamentalibus caveri poſſet, ut interreges tempore interregni, veram, licet temporariam Majeſtatem haberent? nam dari etiam Imperantes temporarios certum eſt, hoc autem poſito (ſicut ſane cum ratione negari nequit) tam abrupte omnis Majeſtas Vicariis abjudicari non poteſt. Imo ſi vacante ſolio, Comitia Cæſaris jura interim in Germania exercerent, hactenus utique Cæſarem repræſentant, & vicariam exercent poteſtatem, ſed quis te independentia ejus dubitabit? ſic igitur non impoſſibile eſt, ut Vicarius gaudeat poteſtate majeſtatica.

§. 266.

§. 266.

In Imperio Romano-Germanico etiam non poſſunt omnia ubique in civitate, ut Imperator jure majeſtatis, ſed tantum, quæ ſpecialiter exprimuntur, ut patet ex *A. B. c. 5.* juncta *Capit. Ferd. IV. art. 36. & Joſeph. art. 35.* quæ poteſtatem ipſorum reſtringunt ad certos caſus, & expreſſe ſe referunt ad A. B. ita, ut ex mente Imperatoris & Electorum, tantum ea exerceant durante interregno, quæ lex ipſis in ſpecie concedit; licet hic DD. diſſentiant, & alii ipſis tribuant eam poteſtatem, quam habet vivus Imperator, niſi quædam in ſpecie excipiantur, *vid. Schutz. vol. 1. ex 5. th. 8. §. 8. & 12. vol. 2. ex 10. th. 2.* cujus hæc eſt opinio & plurium aliorum. *Lim. 3. c. 12. §. 50. & ſeqq. & in tom. addit.* qui Schutzium oppugnat.

ANNOTATIO. 266.

Quæſtio hæc ad rem præſentem plane non pertinet, eſto quod Vicarii omnia non poſſint quæ Imperator (quamvis ſententia contraria ſit verior) ex eo nihil aliud ſequeretur, quam poteſtam eorum non *æque eſſe plenam* ac Imperatoris, minime vero, eam *non perinde eſſe majeſtaticam* ac Cæſaris, aliud eſt *plenitudo*, aliud *independentia*, poterit quis *quædam* jura, *independenter* habere, licet forte Vitriarius juxta monſtroſa ſua, de indiviſibilitate Majeſtatis principia, id ſibi non poſſit imaginari.

§. 267.

Quo accedere putat, quod non tantum dicantur proviſores Imperii.

ANNOTATIO 267.

Sed hoc argumentum nihil probat, dicitur etiam Cæſar, *Adminiſtrator, Procurator & tutor Imperii.* V. Schwed. *part. gen. ſect. 1. c. 1. §. 7.* ergo etiam non habebit Majeſtatem, ſi valet ratio tua!

§. 268.

Verum etiam, quod ſua jura exerceant, & juramenta fidelitatis *vice & nomine S. Imperii* recipiant, cum is, qui majeſtatem habet, omnia nomine & jure proprio, non vice & nomine alterius faciat.

ANNOTATIO 268.

Falſum eſt, quod Vicarii jura ſua exerceant, *vice & nomine Imperii*, nihil tale habet *A. B. c. 5.* tu per fallaciam ea ſaltem infarcis, hoc dicit A.B. *Vicarios habere poteſtatem, vice & nomine S. Imperii, juramenta fidelitatis recipiendi*, quæ mihi non obſunt, quia etiam Cæſar eo modo juramenta exigit, ut ex formulis conſtat: Eu. Käyſerl. Majeſt. allen derſelben Nachkommen am Reich / Römiſchen Käyſern und Königen und dem Heil. Reich treu / hold / ꝛc. vid. Vitriar, *l. 2. tit. 1. §. 20.*

§. 269.

Titius hanc philoſophiam vocat inſulſam, eamque non curandam exiſtimat: verum, ut ſolet, temerario judicio, oſtendere enim debuiſſet has rationes inſulſas eſſe.

ANNO-

ANNOTATIO. 269.

Scripſi compendium, cujus modus non ferebat, rationes adverſariorum prolixe excutere, præterea Vitriarius in Inſtitutionibus ſuis illas rationes non attulit, quomodo igitur eas potuerim refellere? ſatis eſt, quod hic eas inſulſas eſſe oſtendam.

§. 270.

Audiamus *Schutz. d. vol. 1. ex 5. th. 8. lit. A.* qui, licet ipſis tribuat generalem poteſtatem, tamen majeſtatem negat, verba hæc ſunt: *mollius & cautius conſtitutio hæc loqui non potuiſſet, quaſi velit dicere, debent eſſe protectores, tutores, curatores, ſeu adminiſtratores, non domini, prout princeps eſt, ſed potius ſummæ poteſtatis, & Imperii cuſtodes tantum, donec ſummus electus Princeps depoſitum repoſcat,* CUJUS POPULUS VACANTE IMPERIO VERISSIMUS EST SUCCESSOR AC DOMINUS, *non aliter vicarius agit ac mandatarius & depoſitarius, qui alieno nomine poſſidet ac adminiſtrat, & ut tutores ſunt vice & loco domini.*

ANNOTATIO 270.

Non quid dicat Schutzius, ſed quid probet, conſiderandum eſt, hinc non erat, quare illum locum exſcriberes eumque majuſculis literis diſtingueres.

§. 271.

Nec obſtant ea, quæ Titius ponit *d. l. c. 8. §. 7. (l. 5. c. 9. §. 5.) nam ut ut alias, ſublato Imperante, Imperium in totam civitatem, velut*

ſubje-

ſubjectum commune, recidat, ab eoque interregibus aliquando ſoleat delegari, id tamen non procedit, ſi in eventum vacantiæ ſubjectum vicarium & proprium legibus fundamentalibus ſit deſignatum, tum enim immediate in hoc recidit, talis autem proviſio in Germania occurrit, hinc ejus virtute Imperium ſtatim in Vicarios venire dicendum eſt: ſubjecti enim proprii, vel ſicut alias vocatur, ſubjecti exiſtentiæ determinatio a legibus fundamentalibus facta (deſignatio) non mutat naturam & eſſentiam poteſtatis, quam exercet iſtud ſubjectum, verum ea judicanda eſt ex ſua natura; ſi poteſtas quæ exercetur, ſit dependens, licet a lege fundamentali ſubjectum, quod eam exercere debet, determinatum ſit, manet dependens.

ANNOTATIO 271.

Ad antiquum tuum redis artificium, ſupponis ſc. illud, de quo quæritur, nempe *poteſtatem Vicariorum eſſe dependentem*, ſed de hoc inter nos eſt controverſia, mi homo, ergo tam jejuna principii petitione non potes defungi! Quare ita potius ſe res habet: *Imperium Cæſaris eſt* poteſtas independens. *jam ſi deficiat Cæſar, tum illa poteſtas, ſi nihil ſpecialiter lege fundamentali cautum eſſet, in totam civitatem, & quidem dubio procul*, ut independens, *recideret, ſed cum in A. B. ſpeciale ſubjectum ſit deſignatum, in quod veniat hæc poteſtas, nec totius civitatis, velut ſubjecti communis, fiat mentio, quæritur,* annon

annon *cum ſua qualitate, nempe ut* independens, *in illud ſubjectum ſpeciale deſignatum recidat?* hoc utiq; probabiliter aſſeritur, cum nulla appareat ratio, ob quam independentiam illam ſublatam dicere debeamus, atque eo collimat mea ratio, quam tu hic adduxiſti. Et ut ejus vis magis appareat, perpende ſis, quod nullum principium ſublimius hic nominari queat, penes quod poteſtas Cæſarea independens ſit, nam profecto neque *Collegium Electorale* neque *Comitia* Vicariis aliquid, ratione regiminis Vicarialis præſcribere poſſunt, tu certe tale quid non facile probabis, ut manifeſtum ſit, eos à nemine, velut ſuperiore, in exercitio juris ſui dependere.

§. 272.

E. gr. in eodem *c. 5. A. B. in fin.* deſignatur ſubjectum, quod judicium exercere debet in Imperatorem, ſi ab aliquo ſit conveniendus, & tamen ejus poteſtas judicandi non eſt independens, ſed dependens, quam Imperator confert, eique ſponte ſe ſubjicit.

ANNOTATIO 272.

A diſparibus infers, nam poteſtatem illam Palatini judiciariam, eſſe *poteſtatem dependentem*, ſatis conſtat, hinc *ſola ſubjecti determinatio* aliam non efficiet, nec ego unquam deſignationi tali hoc tribui, ſed hoc dixi: *Si de translatione poteſtatis Cæſareæ independentis, quæſtio ſit, & ſubjectum ſpeciale deſignatum reperiatur eo modo, quem paulo ante expreſſi, quod tum probabiliter poteſtas illa cum ſua qualitate in ſubjectum illud veniat.*

§. 273.

§. 273.

Sic, quamvis in A. B. deſignetur ſubjectum exiſtentiæ, poteſtatis Electoris, poſt ejus mortem, iſta tamen poteſtas non eſt independens, ſed ſecundum veriorem opinionem dependens.

ANNOTATIO 273.

De qualitate juris Electorii jam non valde litigandum, ſufficit quod jus illud eodem modo penes ſucceſſorem ſit, quo fuit penes anteceſſorem, ergo ſi eodem modo poteſtas Cæſarea eſt penes Vicarios, quo fuit penes Cæſarem (ut huc præcedens exemplum applicemus) habeo quod volo. Tu interim ineptus es ſophiſta, quando mihi imputas, quaſi docuerim, *ſemper adeſſe jus independens, quoties ſubjectum proprium ſit deſignatum*, quod mihi nunquam in mentem venit. De cætero, ut obiter id addam, jus electorium mihi potius videtur eſſe *independens*, ceu etiam dixi in ſpecim. *l. 4. c. 1. §. 18. (l. 5. c. 1. §. 22.)* Vitriarius illud quidem ſub *dependentibus* comprehendit *l. 13. tit. 5.* ſed *tit. 8. §. 12.* ex ſchedis B. B. illud *independens* dicit, nec hanc ſententiam §. 28. improbat, nam ibi ſaltem de *veritate* jurium, non *qualitate* eorum quædam admonet.

§. 274.

Sic, quamvis legibus Polonorum fundamentalibus ſit conſtitutum, ut Archiepiſcopus Gneſnenſis, abſente rege, & regno vacante, habeat poteſtatem indicendi comitia, con-

convocandi ſenatum, ſenatusque conſulta definiendi & edicendi, tamen in eum Majeſtas non recidit, ſed eſt penes regnum, ſive totam civitatem, *vid. Cromer. Polon. lib. 2. p. 140.*

ANNOTATIO 274.

Adhuc à diverſis infers, nam legibus Polonicis non tantum Archi-Epiſcopus Gnesnenſis, Vicarius eſt conſtitutus, ſed & cautum, quod ille à tota republica ratione muneris ſui dependere debeat, proba tu idem de Vicariis Germaniæ!

§. 275.

Contra in regnis ſuccesſivis, ſive ſimpliciter ſit ſucceſſio hæretitaria, ſive linealis, quia prima electio vult, ut ſubjectum Majeſtatis exiſtentiæ, poſt mortem regis, eam continuet, quæ fuit in anteceſſore, jure proprio & independenti, revera eſt ſumma & independens. Vid. *Grot. lib. 1. c. 3. §. 10. n. 5. lib. 2. c. 7. §. 15. 19. 22.*

ANNOTATIO 275.

Unius poſitio non eſt alterius excluſio, cum bonis rationibus Vicariis Germaniæ etiam poteſtas independens aſſeri queat.

§. 276.

Unde patet, hæc non judicanda eſſe à ſubjecti determinatione, ſed à poteſtate quam exercet, vel ſuo, vel alieno nomine.

ANNOTATIO 276.

Non improbo hæc faciendæ dijudicationis fun-

fundamenta, modo tu non ſupponas per petitionem principii poteſtatem, de qua quæritur, ſed potius recte ratiocineris, tum enim nihil metuo meæ ſententiæ, ceu ex præcedentibus ſatis liquet.

§. 277.

Hoc ſi philoſophus noſter videre potuiſſet, non ſimpliciter dixiſſet: ſublato Imperante, Imperium in totam civitatem, velut in ſubjectum commune, non recidere, ſi in eventum vacantiæ ſubjectum vicarium legibus fundamentalibus ſit deſignatum, quia tunc immediate in id recidit.

ANNOTATIO 277.

Hoc tu dicis quidem, ſed non probas.

§. 278.

Verum addidiſſet: quotiescunque legibus fundamentalibus ſubjectum vicarium & proprium in eventum vacantiæ eſt deſignatum, ut in illud jure proprio, independenti, & ſummo recidat; tunc Imperante ſublato, non recidit in ſubjectum commune, ſive totam civitatem. *Vid. Grot. 1. c. 3. §. 7. n. 2. lib. 2. c. 9. §. 1. & 8.*

ANNOTATIO 278.

Si talis expreſſio eſſet in A. B. facta, tum & Vitriarius, & ruſtici etiam intellexiſſent utique, quod Vicariorum poteſtas ſit *independens*. Interim ſufficit, quod, ea licet deficiente, idem ſenſus bonis rationibus, de quibus antea, ex A. B. elici queat.

§. 279.

§. 279.

Ut exempla ſunt in regnis ſucceſſivis, etiam temporariis, e.gr. in regno patrimoniali rex in teſtamento ſuo inſtituit hæredem ad tres vel plures annos, poſt horum lapſum vult ut alius ſit hæres hic quia ſubjectum exiſtentiæ eſt determinatum ita ut proprio, & independenti jure Imperium habere debeat, ſine dubio erit ſummum: *vid. Grot. l. c. 3. §. 12. n. 4.* vel etiam in regno non patrimoniali, ubi populi voluntate defertur, ut diviſum ſit imperium ratione temporis, ſi tempore præterlapſo cadat in aliud ſubjectum exiſtentiæ, ſine dubio erit ſummum, non, ut dictum, ob determinationem ſubjecti, ſed ob Imperii naturam, quod quis exercet.

ANNOTATIO 279.

Antea dixi, unius poſitionem non eſſe alterius excluſionem, quod jam ſufficit, de ipſis exemplis allatis disquirere non attinet, quamvis aliis non omni exceptione majora videantur, vid. Pufendorf. *d. J. N. G. l. 7. c. 6. §. 15.*

§. 280.

At vero excipit Doctor hic novicius: noſtri vicarii ſuam poteſtatem exercent nomine proprio, & ſic jure independenti, non enim ſunt vicarii Imperii, ſi Imperium ſumatur ſubjective, hoc ſenſu, ut dicantur vicarii, quia vice & nomine ejus poteſtatem gerunt, hæc

enim appellatio plane eſt falſa: ſed Imperium ſumitur obiective, hoc ſenſu, vicarii Imperii, ſcil. Rectores, vel vicarii Rectores ab Imperio conſtituti; vel ut dicantur vicarii Imperatores, *vid. d. c. 8. §. 29. 30. & 31. (l. 5. c. 9. §. 26. ſeqq.)* verum hæc exceptio vel pudendam ignorantiam iuris publici, vel intolerabilem temeritatem & impudentiam arguit; textus enim *A. B. c. 5.* conceptis verbis aſſerit, quod vicarii ſua iura *vice & nomine* Imperii exerceant, hoc dicit falſum eſſe, quanta temeritas, quanta impudentia! legislatori in faciem contradicere.

ANNOTATIO 280.

Deliras mi homo, ubi tu legiſti in A. B. quod Vicarii ſua jura *vice & nomine Imperii* exerceant: Inunge oculos collyrio, & videbis quod A. B. ſaltem dicat: *Vicarios juramenta fidelitatis vice & nomine S. Imperii recipere*, quam locutionem mihi non obeſſe, jam dixi *Annot. 268.* Interim convitia in me ſparſa tibi, velut homini deliranti, condono.

§. 281.

Imo, concedatur legendum eſſe.

ANNOTATIO 281.

In quo loco? ego nullum textum emendare volui, tuum autem cerebrum valde cuperem emendatum, ſed videtur hæc res eſſe deſperata; *Lippo non luſco collyria nigra medentur!*

§. 282.

Vicarii Imperii, ſcil. Rectores, vel vicarii Rectores, ab Imperio conſtituti. *AN-*

Digitized by Google

ANNOTATIO 282.

Hanc lectionem (ſtilo tuo) aut potius denominationem Vicariorum ego quidem non probarem.

§. 283.

Vel Vicarii Imperatores, ſemper tamen ſunt Vicarii, & quicquid faciunt, non ſuo, ſed alieno nomine faciunt.

ANNOTATIO 283.

Hoc tu dicis, ſed hactenus id neque probaſti, neque nunc probas.

§. 284.

Sive dicas Vicarius Regis, ſive Vicarius Rex vel Pro-Rex, in idem recidit.

ANNOTATIO 284.

Nec hoc ſimpliciter verum eſt, quia *Vicarius Rex* poteſt habere poteſtatem propriam.

§. 285.

An quicquam abſurdius & inſulſius vel cogitari, vel dici poteſt, quod tamen ubiq; huic Thraſoni evenire ſolet.

ANNOTATIO 285.

Cui? nam tu proxime locutus es, dixiſti enim, omnes Vicariorum denominationes in idem recidere, ſit ergo hoc abſurdum, inſulſum & thraſonicum, non repugno, *ſi cuculus magna compellat voce cucullum!*

§. 286.

Verba Titii lib. 5. c. 3. §. 8. (l. 6. c. 4. §. 8. cui interpolatio acceſſit.)

De cætero omnium Electorum conſenſus

Digitized by Google

eſt neceſſarius, quod poſt capitulationes Leopoldi & Joſephi art. 17. 16. dubio carere videtur, ut ut forte ante eas aliter videri potuerit. *vid. Vitriar. lib. 4. c. 1. §. 7.*

RESPONSIO.

A quo tempore cœperunt ſcribi capitulationes, jus comitia convocandi commune fuit Electoribus, *vid. capit. Carol. V. art. 12.* ante eas, quando ipſis fuerit communicatum, diſputant. *Limn. tom. 2. addit. ad lib. 1. c. 12. pag. 338. & Stamler. in tract. de reſervat. Imper. §. 26.* hic quæritur, an omnes Electores conſenſu unanimi cum Imperatore convenire debeant de habendis comitiis, loco ipſorum, an vero majora vota ſufficiant? Titius majora admittit ante capitulationes Leopoldi I. & Joſephi.

ANNOTATIO 286.

Non tam admitto, quam potius rem in medio relinquo.

§. 187.

Poſt eas conſenſum unanimem requirit, verba capitulat. Leopold. I. hæc ſunt: und ſonderlich keinen Reichs-Tag auſſerhalb des Reichs teutſcher Nation auch ehe und bevor wir darzu um der ſieben Chur-Fürſten Conſens und Verwilligung durch ſonderbahre Schickung angehalten/ und uns mit denſelben ſo wohl der Zeit als Mahlſtatt

ſtatt verglichen ꝛc. verba capitulationis Joſephi ita ſonant: und ſonderlich keinen Reichs-Tag auſſerhalb des Reichs teutſcher Nation, auch ehe und bevor wir darzu um der ſieben Chur-Fürſten Conſens und Verwilligung/ durch ſonderbare Schickung angehalten/ und uns mit denſelben ſo wohl der Zeit/ als Mahlſtatt verglichen/ ꝛc. ſecundum regulas philoſophiæ Titianæ, ex his articulis dubio caret, unanimem conſenſum Electorum, in habendis comitiis, requiri, & majora vota non ſufficere, verum ut apparet falſo; non enim fit mentio conſenſus unanimis.

ANNOTATIO 287.

Quaſi vero hoc præciſe requiratur, nec poſſit, alio modo idem conſtitui!

§. 288.

At, dicitur quod Imperator debeat exquirere conſenſum ſeptem Electorum, ergo omnes ſeptem unanimiter conſentire debent pauperrima concluſio, ex pauperrima & miſerrima Philoſophia.

ANNOTATIO 288.

Nemo dubitat, quia concluſio illa, in ſolo Vitriarii cerebro, eſt enata. Ego ſic non ſum argumentatus, ut mox videbimus.

§. 289.

Quis unquam, ne quidem rerum mora-

lium peritus, ita concludit: præſes collegii cogitur exquirere conſenſum ſeptem vel plurium collegarum, ergo requiritur unanimis conſenſus? nullus eſt, qui ignoret, quod in colligendis votis inquirendum ſit in conſenſum omnium collegarum, aut, ſi unus prætereatur, ejus contemptum facere totum negotium nullum, ita tamen ut conſenſus hic in ſe etiam includat facultatem diſſentiendi; quodque hoc in caſu, id quod majora concludunt, valeat, quia alias nullum eſſet medium expediendi negotia, *vid. Grot. 2. c. 5. §. 17. & 20.* quis in jure publico vel parum verſatus ignorat, in Imperatoris electione, Moguntinum debere inquirere in omnium reliquorum ſeptem Electorum conſenſum vel vota; an ergo unanimis conſenſus vel vota requiruntur in Imperatoris electione, & majora non ſufficiunt, *vid. A. B. tit. 1. in fin.*

ANNOTATIO 289.

Deſine cum larvis a te ipſo effictis pugnare, ego enim a *ſola votorum exquiſitione*, ad *unanimem conſenſum* non intuli! ſed ita ſolent pauperes Sophiſtæ, cum reſpondere nequeant, ubi ſerio res agitur, ideo falſas ſententias effingunt, easdemque prolixe refutant, quo apud incautos egregiæ reſponſionis opinionem de ſe excitent.

§. 290.

Annon, quando major pars collegii Electoris

ctoris convenit inter ſe de Imperatore eligendo, recte dicitur, Electores inter ſe conveniſſe? an non in comitiis, quando major pars collegii conſentit, dicuntur membra collegii iſtius conveniſſe.

ANNOTATIO 290.

Non indiſtincte hoc verum eſt, ſed tum demum procedit, ſi certum ſit, *quod majora valeant*, nam ſi v. gr. in controverſia, religionem concernente, major Statuum imperii pars conſentiat, num hic verum eſt, quod Status inter ſe convenerint? contradicit Inſtr. Pac. *art. 5. §. 52.*

§. 291.

Eodem ergo modo, quando Imperator inquiſivit in conſenſum ſeptem Electorum; licet quidam diſſentiant, recte dicitur, cum Electoribus conveuiſſe de habendis comitiis, & loco ipſorum, modo major pars Electorum, conſentiat, major enim pars habet jus integri.

ANNOTATIO 291.

Tu infers a caſibus *certis*, ad caſum *controverſum*, ſeu de quo quæritur, atque ita, more tuo, petis principium.

§. 292.

Ita clara hæc ſunt, ut tantum Doctorem quantum ſe Titius eſſe putat, iſtiusmodi dupondialis, vel potius puerilis erroris pudere debeat.

ANNOTATIO 292.

Tu potius ut alias, ita hic etiam infantiam tuam oſtendiſti, nam (1) pugnaſti cum ſententia a te ipſo efficta (2) falſo aſſeruiſti, quod major pars ſemper omnes repræſentet. (3) Suppoſuiſti id, de quo quæritur, ceu ex tribus præcedentibus annotationibus liquet. De cætero ratio meæ ſententiæ hæc eſt: Requiritur omnium Electorum conſenſus, quia Cæſar (1) omnium conſenſum tenetur exquirere [um Verwilligung angehalten] ac (2) ipſe cum illis [mit denſelben/ eſt particula relativa, quæ ſe refert ad præcedentia, præceſſerat autem mentio omnium Electorum qui jus Comitii habent] convenire debet. Tu igitur non debebas agere Sophiſtam, ac conjungenda divellere, nam hic conjunctio eſt neceſſaria, quia rationes ſe mutuo reſpiciunt, ſecus ac ſupra, *vid. annot. 237.* ubi tu ſine judicio conjunctionem urgebas. Atque iſtam ſententiam etiam probat Autor der Grundſ. *p. 1. c. 2.* Nach Carolo V. aber hat ſolches allezeit auff derer Chur-Fürſten einhelligen Rath und Gutachten ꝛc. cujus viri autoritas, in hac materia, centum Vitriariis præſtat.

§. 293.

Nihil dicam, quod omnino prodat, ſe parum in Receſſibus & capitulationibus verſatum eſſe.

ANNOTATIO 293.

Quis tam verſatus eſſet ſicut Vitriarius, qui, in ſuis Inſtitutionibus, textus notiſſimos, ſine ullo judicio, late exſcribere ſolet?

§. 294.

§. 294.

Inſpiciat die Erklårung des Land-Friedens de anno 1500. pr. ubi Maximil. I. mit Verwilligung der Stånde comitia indixit an ergo omnes unanimiter hoc voluerunt? inſpiciat *R. J. Spirenſem de anno 1523. in pr.* ubi Ferd. I. conſenſu Electorum & Statuum indixit comitia, an propterea unanimis fuit conſenſus?

ANNOTATIO 294.

De his non valde contenderim, quia ad præſens negotium nihil faciunt, ſufficit quod, in hoc, unanimis conſenſus neceſsitas probari queat.

§. 295.

Sic in capitulat. Carol. V. dicitur: ohn Wiſſen der ſechs Churfürſten ꝛc. an expreſſio hujus vocabuli, *ſex Electorum*, notat unanimem conſenſum?

ANNOTATIO 295.

Non abſurdum eſt hoc dicere, & ita dixit Autor der Grundſ. *d. p. 1. c. 2.*

§. 296.

In capitulat. Rudolphi II. *artic. 11.* idem dicitur: ohn Wiſſen und Willen der ſechs Chur-Fürſten. In capit. Mathiæ *art. 12.* ohn Wiſſen und Bewilligung der ſechs Chur-Fürſten. Ferd. II. *art. 10.* ohn Wiſſen und Willen der ſechs Chur-Fürſten. Ferd. III. *art. 13. in fin.* auch ehe und zuvor der ſechs

Digitized by Google

Chur-Fürſten Conſens und Bewilligung/ durch ſonderbare Schickung darzu eingeholet ꝛc. in capitulation. Ferd. IV. *art. 14.* auch ehe und zuvor der ſieben Chur-Fürſten Conſens und Verwilligung durch ſonderbare Schickung darzu eingeholet ꝛc. in omnibus his capitulationibus fit mentio vel ſex vel ſeptem Electorum, quorum conſenſum Imperatores exquiſiverunt, & cum ipſis convenerunt de comitiis habendis; ſunt eadem verba, imprimis in capit. Ferd. III. & IV. &, ex confeſſione Titii, non dicu nt unanimem conſenſum.

ANNOTATIO. 296.

Ego hoc nullibi confeſſus ſum, ſed rem reliqui in medio.

§. 297.

Conſenſus hic includit etiam diſſenſum, majora valent, & tamen dubio caret, quin hoc mutatum ſit in capit. Leopold. I. & Joſephi.

ANNOTATIO 297.

Non dixi, *mutatum hoc eſſe*, aut *antea valuiſſe majora*, pronunciavi ſaltem de tempore *præſente*, re, quoad *præcedens*, in medio relicta, ut jam dixi. Interim, ne quid diffitear, collatio Autoris der Grundfeſte & Vitriarii effecit, ut theſin eo modo conciperem, quo jam exſtat. Illum enim *d. p. 1. c. 2.* intrepide aſſerentem deprehendebam, quod jam *a Carolo V. omnium Electorum conſenſus fuerit neceſſa-*

ceſſarius. Hic vero *cit. l. 4. c. 1. §. 7. majora ſufficere* contendebat, adductis ex Capitulat. Ferdinandi III. *art. 7.* verbis: ihren Willen ſämptlichen oder des mehrern Theils aus ihnen. Fidebam igitur hactenus Vitriario, putabamque, illum, cum, exſcribendis legibus publicis, ex profeſſo, vacare ſoleat, verba textus proprii retuliſſe, cum vero illam clauſulam in noviſſimis Leopoldi & Joſephi capitulationibus, loco proprio, non deprehenderem, hinc de recentiori hoc tempore minimum ſententiam Autoris der Grundfeſte poſſe defendi exiſtimabam, atque de eo theſin meam concipiebam. Jam vero ubi ad inſtantiam tuam, mi Vindex, Capitulat. Ferd. III. *art. 7.* evolvo, deprehendo quod Vitriarius mala fide illum allegaverit, cum non loquatur de *indictione Comitiorum* ſed *fœderibus cum exteris ineundis.* Interim me meæ theſeos nondum pœnitet, cum, ut antea dixi, de tempore præſente ſaltem pronunciaverim, re quoad præcedens in medio relicta. Si quid autem heic peccavi, omne peccatum in eo conſiſtit, quod Vitriarium, bonæ fidei exſcriptorem, crediderim.

§. 298.

Præterea, quotiescunque in capitulationibus requiritur unanimis conſenſus, conceptis verbis exprimitur, *vid. capit. Leopol. I. art. 10.* ibi: der ſieben Churfürſten ſämtliche Einwilligung. capit. Joſeph. *art. 12. & 13.* capit. Leopoldi I. *art. 21.* ibi: und hernacher aller und ieder ſieben Chur-Fürſten Wiſſen/ Willen/ Zulaſſen/ und Collegial-Rath mit ein-

einhelligem Schluß alſo / und dergeſtalt / in dieſem Stück vorgangen / das keines Chur-Fürſten Widerred oder Wiſſen dargegen / ſondern alle und jede dero Collegial-Stimmen / einmüthig ſeyn / maſſen wir dißfalls die majora nicht attendiren / auch ohne vorgehende unanimia zu keinem Stand bringen ꝛc. in capit. Joſephi *art. 20.* eadem repetuntur.

ANNOTATIO 298.

Tu nimium audax es, quando ex paucis his exemplis generalem regulam exſtruis: *Quotiescunque in capitulationibus requiritur unanimis conſenſus, conceptis verbis id exprimitur;* Cum igitur a particulari ad univerſale non recte inferatur, merito etiam tua regula, male formata, rejicitur, ac ſatis eſſe creditur, ſi bonis rationibus unanimis conſenſus neceſſitas oſtendi queat.

§. 299.

Verba Titii eod. lib. 5. c. 3. (l. 6. c. 4.) §. 47. & 48.

Quod ſi poſt factas deliberationes collegia conſpirent, res bene ſe habet; ſed ſi diſſentiant, tum majoritatem quidem attendi putat, *Vitriar. lib. 4. tit. 1. §. 70.* eamque ſententiam aliquot rationibus, & praxi comitiali confirmaſſe autorem der Grundfeſt exiſtimat, *Kulpis de placit. ordin. Imp. §. 3. n. 14.* ſed, uti levia ſunt, quæ auctor ille affert, ita in votis curia-

curiatis, majora valere tam diu negabo, donec auctoritas ex lege fundamentali probabitur, nam brocardica generalia, de efficacia majorum, fortaſſis etiam ex jure civili deſumta, hic nullius ſunt momenti, add. Furſtener. *de jure ſuprem. c. 40. 41.* Grundfeſt. *p. 2. c. 8.*

RESPONSIO.

Omnes ſocietates tam privatæ, quam publicæ, ſive in populum, ut ſunt civitates, ſive ex populis, ut ſunt fœdera, coeant, hoc commune habent, quod in rebus, quæ ſocietatem concernunt, univerſitas & ejus pars major nomine univerſitatis obliget ſingulos, qui ſunt in ſocietate, quique in hoc conſenſiſſe videntur, ut ſit ratio aliqua expediendi negotia, niſi expreſſe vel pactis, vel legibus fundamentalibus, quæ formam tractandis negotiis imponunt, aliter conſtitutum. Et cum hoc, inter omnes homines & gentes jus commune ſit, non videntur errare, qui, quotiescunque in hac vel iſta civitate membra ejus dividuntur in plura collegia, ſtatuunt, majora habere jus integri, ſive unumquodque collegium in ſe conſideretur, ſive collegia inter ſe, ita ut, ſicut in unoquoque collegio majora valent, ita etiam, ſi e. g. membra alicujus civitatis deliberent in tribus collegiis, ſi duo ex iſtis in idem conſentiant, recte dicantur majora efficere; niſi, ut dictum, vel pactum, vel lex

Impe-

Imperii fundamentalis aliud ſtatuat: recte enim dicitur, in iis vel jus integri, vel majoris partis conſiſtere, in quibus civitas hoc voluit, *vid. Grot. 2. c. 5. §. 17. & ibi Bœcler.* Hinc, ſi quis ex hoc iure, omnibus gentibus communi, dicat, ſi duo collegia conſenſerint, licet tertium diſſentiat, res eſt confecta, quia pars maior habet ius integri: ſi alius hoc neget, ipſi probandum erit, vel pacto vel lege fundamentali ab hoc iure diſceſſum eſſe, quia regulam iuris communis ſibi contrariam habet.

ANNOTATIO 299.

Poſſunt illa concedi ratione *civitatum ſimplicium*, in quibus conſultantes extra comitia, imperio civili deſtituuntur, ut in Democratiis, Ariſtocratiis ac regnis limitatis. In his, inquam, civitatibus majora valere, tamdiu dici poteſt, donec contrarium, probetur. Sed aliud obtinet in *rebuspublicis compoſitis* ſeu ſyſtematicis, in his regulariter majora non valent, quia deliberantes etiam extra Comitia gaudent imperio civili, ſed ut imperantes, aliorum placita, ſine ſuo conſenſu, ſequantur, id vero naturæ imperii civilis repugnat, adeoque temere præſumi non debet, vid. Pufendorf. *d. J.N.G. l. 7. c. 5. §. 20.* Quare etiam nemo dixerit, Provincias fœderati Belgii, vel Cantones Helveticos ſequi debere id, quod major pars probaverit, niſi diſerte hoc cautum reperiatur, de quo jam non disquiro.

§. 300.

Hæc eſt ratio, cur Cl. Vitriarius dicat, quan-

quando in Imperii Romano-Germanici comitiis duo collegia conveniunt, licet tertium diſſentiat, quod à parte Statuum res ſit confecta, & res ad Cæſarem referatur.

ANNOTATIO 300.

Sed Cl. Vitriarius lapſus eſt in applicatione rationis adductæ, pertinet enim ad reſpublicas ſimplices, ille vero ad rempublicam Germanicam applicavit, quæ ſyſtematicis annumeranda, quod ſuperioritas T. ſatis probat, quicquid etiam in contrarium vulgo tricentur. Hinc ſi v. g. collegium civitatum, collegio Principali, conſentiat, an Electores, qui & Imperio civili, & exiſtimatione Regibus fere pares ſunt, velut vilis turba, illam ſententiam ſequi inviti tenebuntur? credat hoc Vitriarius cum ſuo Vindice, mihi veriſimile non videtur!

§. 301.

Ita etiam an. 1654. 20. Januar. ab ipſo directorio relatum obſervatumque eſt: etiam Status Evangelici eundem uſum allegarunt, *vid. auct.* der Grundfeſt. *pag. 2. cap. 8.*

ANNOTATIO 301.

Uſum & praxin noli allegare, nam illam valde eſſe incertam, vel ex ipſo Autore der Grundf. *d. p. 2. c. 8. & 6.* conſtat, hinc etiam Autor hic *d. c. 8.* dicit: alſo hat man nicht allein darauff mehrentheils beſtanden / daß dieſe noch unerörterte Frage vor erſt ordentlich in denen Reichs-Räthen zu proponiren und in Berathſchlagung zu ziehen ꝛc.

§. 302.

§. 302.

Ipſum collegium civitatum, in quæſtione, an in materia collectarum majora valere debeant, id agnoſcere videtur, in comitiis Ratispon. 1654. verba hæc ſunt: iſt die tritiſſima ſententia, und im Reich hergebrachte / auch bey vielen Reichstägen in denen deliberationibus publicis und übergebenen der Stände Reſolutionen und Schrifften in materia collectarum gebrauchte diſtinctio, und Unterſcheid bekant / quod in actibus & negotiis univerſitatis, Status Imperii in univerſitate ut univerſos concernentibus, ſufficiat, ſi conveniant, vel conſentiant duæ partes ad minus, ob rationem, quod negotia univerſitatis non poſſent de facili expediri, ſi omnes deberent unanimiter conſentire: in actibus vero univerſitatis, in quibus tractatur de rebus concernentibus ipſam univerſitatem ut ſingulos, ibi non ſufficiat majoris partis conſenſus, ſed omnes expreſſe conſentire debeant, *vid. Limn. tom. 2. addit. ad lib. 9. c. 1. p. 363.*

ANNOTATIO 302.

Ex his nihil aliud ſequitur, quam *rem de majoritate votorum eſſe valde dubiam*, nam diſtinctio, qua civitates utuntur, non ubique eſt liquida, poſterius quidem membrum, ſeu res, quæ *ſingulos* concernant, ac in quibus *majora locum non habeant*, ſatis intelliguntur, hinc etiam ex hoc fundamento civi-

Civitates majora in materia collectarum, utpote ſingulos concernentium, negant. Aſt quæ ſunt illa negotia, quæ Status imperii ut *univerſos* concernant, ac in quibus *majora valere debeant*, de quibus prius membrum diſtinctionis loquebatur, id non perinde liquidum eſt, nec temere talia negotia quis oſtendet, quamdiu autem hoc non fit, tamdiu laudata majoritas, inane nomen eſt. Denique ſi omnino aliquo caſu majora valent, illud omne tamen eſt referendum ad *collegia ſigillatim conſiderata*, in quibus, tam ob dubiam Statuum imperii conditionem, quam olim habuerunt, quam magnum eorum numerum, nimiamq; quorundam exilitatem, majora admitti potuerunt, ſed inde nihil poterit inferri quoad Vota Curiata, cum enim hæc plurium Imperantium placita contineant, ideo majoritatem, ſine expreſſa ſanctione, circa illa non poſſe aſſeri, ex rationibus *annot. 299.* datis liquet.

§. 303.

Propterea etiam dicto anno 1654. in comitiis ſimul cum Electoribus & Principibus petierunt re & correlationem; quia alias, ut dicunt, civitatum curiæ in effectu eripitur jus voti deciſivi contra Inſtrumentum pacis, & fit, ut dicis tantum gratia habeant ejusmodi votum, cum duobus cæteris collegiis in unum conſentientibus ipſæ urbes ultro accedere, vel per majora jam facta, in conſequentiam vinci debeant. Ad hoc tamen Electores

& Principes reſpondent, quod quando in Inſtrumento Pacis ipſis non minus ac reliquis Imperii Statibus conceditur votum deciſivum, hoc non ſit intelligendum, ac ſi eadem forma & modo, loco & ordine, wie bey den höhern collegiis gebräuchlich / und ab antiquis temporibus herkommen iſt / geſchehen ſolle / ſondern daß die Städte ſo wohl als andere Stände jure ſuffragii ihr votum abzulegen haben / und unerfordert dieſes kein Reichs-Schluß gemacht werden könne. Wann aber der Städte votum deciſivum mit deme was Chur-Fürſten und Stände bereits geſchloſſen und unter ſich verglichen haben möchten / übereinſtimmen thäte / das darüber im Nahmen aller drey Reichs-Räthen ein einhelliges Gutachten an ihro Käyſerliche Majeſtät verfaſſet würde / wie hingegen wann es misſtimmet und auff vorher gepflogene freye Handelung nicht vergleichen könte / nicht deſtoweniger ſolches alles / wie es von einen oder anderen collegiis bey den re & correlationibus eingebracht worden / als einen unvollkommen Schluß in ein geſamtes Bedencken an ihro Käyſerliche Majeſtät verfaſſet wird / zu dem Ende das durch dieſelbe die fernere Vergleichung und Ausſchlag bey den andern Ständen geſucht werden möge / *vid. tom. 7.*

thea-

theatr. Europ. p. 365. Grundveſt. p. 133. 154. & ſeqq. Rhet. Inſt. Jur. publ. 2. tit. 24. §. 14.

ANNOTATIO 303.

Hæc potius ſententiæ Vitriarii repugnant, nam ſi majora valerent, cur, Civitatum collegio, à ſuperioribus diſſentiente, diverſa placita fiunt, cur conciliatio à Cæſare tentanda dicitur? atque eo etiam collineat Rhetius in partes fruſtra vocatus, quando concludit: *in quo hodie vis & robur voti deciſivi Civitatum imperii conſiſtere fertur, quod ſcil. collegia ſumma Electorum & Principum, ſine iis integrum totius imperii placitum inter ſe conſtituere non poſſint.* Sic etiam Kulpis. in *diſſert. de placit. Ord. Imper. §. 3. n. 14.* (licet alias in ſententiam, quam Vitriarius defendit, valde proclivis ſit) fatetur, quod (1.) ex actis ſuperiorum Comitiorum conſtet, *legalem definitionem fuiſſe deſideratam* (2.) dubium ſit, *an civitatum collegium, alteri ex ſuperioribus accedens poſſit majora efficere,* imo *n. 15.* (3.) quod *conſentientibus duobus ſuperioribus collegiis, collegium civitatum ad aſſentiendum cogi non poſſit.* Si ergo hoc collegium cogi nequit, multo minus, alterum ex ſuperioribus, cogi poterit, quo ergo tandem evadet laudata majoritas.

§. 304.

Quibus addendum, quod tantum quidam caſus expreſſe excipiantur in quibus majora non habent locum, *vid. Inſtr. Pac. 5. §. 2. §. 19. Limn. d. tom. 2. addit. ad lib. 9. c. 1. p. 361.*

ANNOTATIO 304.

Pertinet id omne ad *Collegia ſigillatim conſiderata,*

à quibus quare ad *vota curiata* inferri nequeat; ejus rei ratio *annot. 299. 302.* expoſita eſt. De cætero certiſſimum manet, quod in ſingulis etiam collegiis majoritas dubia ſit, & viderint periti, annon exceptio illa: *ubi Status tanquam unum corpus conſiderari nequeunt*, quæ in *Inſtr. Pac. art. 5. §. 52.* habetur, tam late pateat, ut per eam omnis votorum majoritas deſtrui queat.

§. 305.

Hinc, ut dictum, patet, Dn. Vitriarium, & plures alios recte ſtatuere, quod, ſi collegia diſſentiant, Majoritas attendatur, & res à parte Statuum ſit confecta non quidem in totum, ſed in tantum, ut referatur ad Cæſarem: & à Titio cum iſtis, qui negant majora, inter ipſa collegia, locum habere, legem aliquam, quæ hoc prohibeat, allegandam eſſe, *vid. Schutz. vol. 1. ex. 10. th. 15. lit. A. & ibi Scharſchmid.*

ANNOTATIO 305.

Non opus eſt, ut lex prohibens allegetur, ſed ſufficit oſtendere, quod regula de efficacia majorum, locum non habeat, hoc autem probavi (1) ex *natura reipublicæ* (2.) ex *actis Comitiorum*, quorum partem tu ipſe adduxiſti.

§. 306.

Verba Titii lib. 6. (7.) c. 6. §. 6.

Videntur ſane illo errore laborare, qui tantopere deprædicant operam Hugonis, qua uſum actionum Romanarum in controverſiis

ſiis Statuum oſtenderit, *vid. Vitriar. lib. 4. tit. 9.* nam alias modica videri poterat ei, qui eam omnem ad macilenta actionum vocabula pertinere expenderit.

RESPONSIO.

Titius in hoc capite §. 3. 4. & 5. exiſtimat, ſi aliquis jus ſuum perſequi velit in judicio, quod perinde ſit, quomodo appellet actionem, quod rei ipſi nihil detrahat, ſive hoc, ſive alio nomine iſtam efferat, aut etiam nomen plane omittat, eum tamen etiam poſſe applicare nomina juris Romani, modo puerilem errorem evitet, quo credat veritatem actionum Germanicarum a nominibus illis dependere; aut illarum appellationum magnam eſſe neceſſitatem, cum non amplius vivamus in ſeculo Romanorum formulario, in quo magna ſollicitudine actiones directæ & utiles, & quicquid ejus generis ars rabularia amplius introduxerat, diſtingui debebant, ex quibus concludit Hugonis operam non tantopere eſſe deprædicandam. Verum, ſi probe perciperet utilitatem & neceſſitatem actionum, procul dubio aliter judicaret de opera Illuſtris Hugonis, & iis qui eam laudant.

ANNOTATIO 306.

Intelligo ſane *utilitatem & neceſſitatem* actionum, nam per eas, in ſtatu civili, jus noſtrum conſequimur,

mur, ſed quid tu inde inferes quoad *neceſſitatem nominum* vel *appellationum Romanarum?*

§. 307.

Si comprehendere poſſet, quid ſit ſcire nomen actionis, & quomodo hoc differat ab antiquis iſtis formulis actionum, quæ adeo ſequendæ erant, ut ſi quis vel in ſyllaba erraſſet, cauſa caderet, quæque in *l. 1. C. de formul. & impetrat. ſubl.* ſublatæ ſunt, rationem iſtam, quia non amplius vivimus in ſeculo Romanorum formulario, omiſiſſet.

ANNOTATIO 307.

Intelligo etiam, quod aliud ſit, *nomen* actionis, aliud, *formula*, qua illa proponatur, ſed ideo me meæ aſſertionis nondum pœnitet, quia ſimul novi, quod utriusque adhibendi neceſſitas, ex principiis rabulariis dependerit, quæ in Germaniam non eſſe recepta arbitror.

§. 308.

Si notam haberet veram actionum originem, actiones Romanas & Germanicas ſibi invicem non opponeret, an, quando Status Imperii emit territorium vel aliud quid a Statu Imperii, alia eſt actio Germanorum quam Romanorum? an alia ſunt requiſita emtionis apud Germanos quam Romanos?

ANNOTATIO 308.

Quid vero tu ex omnibus his quæſtionibus inferes quoad *neceſſitatem nominum Romanorum*, de qua unice quæſtio eſt? nihil profecto! Interim ad

ad quæſtiones reſpondeo, jura actionesque Germanicas & Romanas differre minimum numero, licet non genere, præterea Status, jura & actiones ſuas, non præciſe, juxta regulas juris Romani, acquirere, & omnino alia requiſita eſſe poſſe emtionis, apud Germanos, quam Romanos. Sed hæc obiter, nihil enim ad rem faciunt.

§. 309.

An recte Status Imperii ageret contra alium, hoc in caſu, ſi inſtitueret, in judicio Camerali vel alibi, contra ipſum, actionem locati vel aliam ineptam?

ANNOTATIO 309.

De *ipſa actione* nulla fuit quæſtio, ſed ſaltem de *actionis nomine*. Hinc finge, quod quis in caſu hoc, factum in libello bene recenſuerit, petitum etiam congrue inde formaverit, ſed actionem dixerit, *locati*, vel *in factum*, aut *præſcriptis verbis &c.* An ideo libellus, velut ineptus, erit rejiciendus? Sic utique cenſent, quibus cerebrum, per rabularias illas antiqui juris Romani regulas, eſt corruptum, ſed illud iniquum & abſurdum eſſe, cordatiores fatebuntur, quia obſoletum illud jus rabularium nunquam eſt receptum, *add. Struv. S. J. Civ. exercit. 5. §. 40. in fin.*

§. 310.

An non hic eſt puerilis & abſurdus error? an ideo, quia ignorantia hujus excuſaretur, alii ea imitanda eſſet, an potius laudabili inſtituto opera danda, ut ſingulis controverſiis ſingulæ & propriæ actiones applicentur, ut

ſano & recto judicio hoc vult Paulus *l. 6. de except. rei judic.*

ANNOTATIO 310.

Ego nunquam dixi, quod data velut opera, in nominibus actionum, errandum ſit, ſed potius profeſſus ſum, quod recte faciant litigantes, ſi congruis nominibus eas exprimant, aut etiam appellationes Romanas huc applicent, ſed, contra *neceſſitatem nominum Romanorum*, ſaltem pugnavi, ad hoc tibi erat reſpondendum.

§. 311.

Actiones juris Romani pleræque oriuntur ex jure gentium, ſive ſint ex dominio, vel alio jure in re, ſive ex obligatione, quod æque obtinet apud Germanos; quam Romanos, & quamvis formulæ actionum ſint ſublatæ, oportet tamen, ut & judici, & actori, & reo conſtet, actionem quam inſtituit, eſſe aptam & propoſito negotio competentem, quomodo alias actor intelliget, ex qua cauſa, quo jure, & quid petendum? quid reus excipiet? quomodo judex jus applicabit?

ANNOTATIO 311.

Hæc itidem me non tangunt, nam *ipſam actionem* debere eſſe congruam, ac juri, ex quo movetur, convenientem, nunquam negavi, de *neceſſitate appellationum Romanarum* omnis fuit quæſtio.

§. 312.

Audiamus Andream Gailium, a aſſeſſorem quon-

a *De arreſt. c. 5. n. 11.*

quondam Cameræ Spirenſis Celeberrimum: *de ſingulis actionibus*, inquit, *quarum requiſita, ſi facto in judicium deducto, non conveniunt, reus ab actione intentata abſolvi debet: quod a juvenibus advocatis & judicibus ſolicite obſervandum, & in votis concipiendis, aut dictandis ſententiis, ante omnia examinandum, an actiones intentatæ, cum ſuis neceſſariis requiſitis, probatæ, legitimis exceptionibus rei eliſæ non ſint. Qui modus referendi & judicandi laudatiſſimus & in* CAMERA IMPERIALI LONGO USU UTILITER FIRMATUS EST. SERVANDI IGITUR SUNT TERMINI SINGULARUM ACTIONUM, NE INDISCRETE ET IMPERITE CONFUNDANTUR, ET SENTENTIAM NULLITATIS ARGUANT:

ANNOTATIO 312.

Gailius loquitur de *ipſa actione* rite formanda, non de *neceſſitate nominum Romanorum*, hinc intelligis, eum mihi non contrariari, quare non erat, cur locum ejus prolixe exſcriberes, ac literas majores pingeres! imo ſi Gailius contra me pronunciaſſet, quid inde? veritatem nihilominus Gailio præferrem!

§. 313.

Cujusque judicio jam relinquimus, an Illuſtris Hugo egregiam, an modicam operam præſtiterit, an tantum macilenta actionum

vocabula exhibuerit, an vero potius inde ſcire poſſimus, qua ex cauſa petendum, quomodo judicandum, ne forte repellamur a limine judicii, vel ſententia nullitatis arguatur? an Scioli hujus vel Zoili judicium præferendum, an potius Viri omnium confeſſione in jure conſummatiſſimi?

ANNOTATIO 313.

Mihi cum Hugone nulla eſt controverſia, nec ejus operam ego improbavi, ſed ei juſtum pretium ſaltem poni volui, nec crediderim ipſum Hugonem ultra meritum, operam illam æſtimari voluiſſe, cum vero Vitriarius hic extra metam excurrerit, ac inde magnam nominum Romanorum neceſſitatem fuerit ſibi imaginatus, hinc merito eum ſub cenſuram vocavi, ad quam etiam, aſſumta larva, nihil hactenus reſpondere potuit. §. 314.

Cavendum omnino ſtudioſæ juventuti, ne vel hic, vel in aliis juris publici materiis, in errorem inducatur ab obſcuro hoc Doctore, qui natus videtur, non ad erudiendam, ſed perdendam juventutem, non ad excolenda, ſed ad deſtruenda ſtudia.

ANNOTATIO 314.

Dii malum averruncent! ſed ſimûl vana Vindicis omina, vel ſtultas aſſertiones Æolo difflandas commendent! nam ex eo, quod a Vitriario hinc inde diſſenſerim, ac inprimis ineptam ejus methodum perſtrinxerim, nihil vel ſtudiis, vel ſtudioſæ juventuti metuendum erit.

§. 315.

§. 315.

Quæ ultimo loco tangit hoc libro *c. 8. §. 4.* (*l. 7. c. 8. §. 5*) de juribus vicariorum, ſupra jam ſunt refutata, quæ vide.

ANNOTATIO 315.

Et ſi lubet confer annotationes, tum intelliges, nihil ſolidi eſſe reſponſum.

§. 316.

Hic ergo finis eſto, & cum ſæpe durioribus & forte injurioſis verbis, quæ alias honeſtos non decent, ſim uſus, ſpero me, a benevolo lectore, excuſatum iri, cum non factum ſit animo inferendi, ſed retorquendi injuriam.

ANNOTATIO 316.

Qui per totam fabulam male tuas partes egiſti, nunc ſolenni ſolœciſmo finem quoque ei imponis. Dicis, te *durioribus & forte injurioſis verbis eſſe uſum, animo non inferendi, ſed retorquendi injuriam.* Sed num tu probaſti, quod ego Vitriarium injuria affecerim? jam autem es valde impudens, ſi ſoli aſſertioni tuæ credi vis. Sed fac, me injuriam intuliſſe Vitriario, cur tu retorques, mi Vindex, tu enim vis eſſe alius a Vitriario? an unquam audiviſti, quod alius, quam ipſe injuriatus, retorqueat? ſi autem es, ipſe Vitriarius (quod cum aliis rationibus, imprudens hic epilogus, merito perſuadeat) an tu manſiſti in terminis retorſionis? non crediderim, ego enim nihil aliud dixi, quam ſententias Vi-

Digitized by Google

Vitriarii eſſe *falſas, ineptas & abſurdas*, ſed quot *dura verba* (quæ tamen, forte cum fœnore, ad te nunc redeunt) tu repoſuiſti? Vides igitur, quod conditio, ſub qua dura tua ac forte injurioſa verba, licita exiſtimaſti, deficiat, adeoque, tuomet judicio, propriaque ſententia, *ſis injurians, eaque feceris, quæ honeſtos non decent.* Interim non eſt, quod a me actionem injuriarum metuas, nam uti verba dura & acriora, ſi eadem mentis, veritati intentæ, bonitatique cauſæ ſuæ confiſæ, aliquis velut æſtus extundat, apud cordatos forſitan excuſantur, ita ſi illa, in præſidium ineptiarum vulgariumque errorum, adhibeantur (quod in his Vindiciis factum eſſe, ſatis forte peritii intelligunt) tum velut emblemata ruſtica, ac animi impotentis abortus, merito ridentur. Vale mi Vindex, ac Vitriarium, Virum Clariſſimum & JCtum incomparabilem, meo nomine officioſiſſime ſaluta, ambo autem, ſi adhuc parum ſapitis, Scena abſcedite.

Q.D.

Q. D. B. V.

Diſſertatio Juris Publici.

DE

HABITU TERRITORIORUM GERMANICORUM

ET INDE VENIENTE TOTIUS REIPUBLICAE FORMA.

Quam

ILLUSTRIS JCTORUM LIPSIENSIUM ORDINIS CONSENSU,

Sub Ductu

D. GOTTLIEB GERHARD TITII,

D. 12. Jun. 1704. Horis locoque Conſuetis

publicæ diſcuſſioni ſubjicit

Autor & Reſpondens

CHRISTOPH ANDREAS REMER,

Brunſvicenſis.

Lipſiæ, M DCC XVII.

Digitized by Google

SERENIſSIMO ET CELSIſSIMO

PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

ANTONIO ULRICO,

DUCI BRUNSVICENSI ET LUNEBURGENSI.

DOMINO MEO CLEMENTIſSIMO.

SERENISSIME PRINCEPS

DOMINE CLEMENTISSIME.

NOn longe arceſſam rationes, quæ me, ut Auguſtum Nomen Tuum, levidenſibus hiſce pagellis præfigerem, impulerint. Non ſane hoc factum eſt argumenti, multo minus accuratæ cujusdam tractationis fiducia: Nam uti à mea ingenii tenuitate nihil omnino proficiſci poteſt, quod nominis Tui Splendorem mereatur, ita licet argumentum in ſe illuſtre ſit, attamen cum juvenilis labor, ejus dignitatem haut aſſecutus, multum illius præſtantiæ detraxerit, hinc nec, ſub hoc habitu Eidem, in conſpectum *Tuæ Serenitatis*, ſuo quodam jure, prodire licet. Solæ igitur Pietatis rationes me ad id, quod feci, permoverunt, cum enim inter tuos, *Sereniſſime Princeps*, naſci mihi contigerit Subditos, eademque, qua cæteri utuntur, frui hactenus licuerit felicitate, non potui, quin, ortum inde devotiſſimæ venerationis affectum, data quavis occaſione, publice teſtarer. Abſit à me temeritas ut in Laudes tuas excurrere, aut Vir-

Virtutes, cumulate Tibi conceſſas, referre me poſſe, exiſtimare velim: Experiuntur illas ſubditi, agnoſcit Germania, ſuſpiciunt Exteri: Ego, Regias Excelſi Animi Tui dotes, tacita admiratione proſecutus, nunc nihil aliud ago, quam ut, devotiſſimæ mentis affectum, qualicunque indicio declarem. Accipe igitur *Sereniſſime Princeps*, *Domine Clementiſſime*, diſſertationem hanc, venerabundæ Pietatis indicem & teſſeram, eandemque clementi Vultu dignare. Hoc ſi conſecutus fuero, conſecuturum autem me eſſe, non tam ſperare, quam certo credere, me jubet Tua nunquam ſatis laudata Clementia, tum nihil audacter, ſed omnia probo conſilio me egiſſe, plane exiſtimabo. Quod ſupereſt, Deum ſupplex veneror, ut *Tuam Serenitatem*, cum *Celſiſſima Progenie*, in ſeros annos, incolumem ſoſpitemque conſervet, quo dexterrima tua, ac Pietate non minus, quam Juſtitia & Clementia, ſuffulta regendi Prudentia, Subditos, erigat, ſoletur & diutiſſime gubernet.

Tuæ Serenitatis

Subjectiſſimus Servus

CHRISTOPH ANDREAS REMER.

SUMMARIA.

CAP. I.

INgreſſus §. 1. Territorium in genere quid §. 2. in ſpecie in Germania §. 3. Territoriorum varietas §. 4. habitus phyſicus & moralis §. 5. ad hunc intelligendum, poſſeſſores eorumque jura conſiderari debent §. 6. Status imperii quid, ex communi ſententia, quæ improbatur §. 7. ſtatus controverſiæ §. 8. rationes noſtræ ſententiæ §. 9. 10. rationum oppoſitarum diſcuſſio §. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. Status definitio ex ſententia noſtra §. 18. ad eum requiritur Superioritas Territorialis, jus ſuffragii §. 19. 20. & obligatio, qua is toti Imperio obſtringatur §. 21. comparatio ſententiæ communis & noſtræ §. 22. 23. hujus utilitas §. 24. 25. Vulgares de Statu imperii ſententiæ indicantur §. 26. inprimis falſa eſt illa, quæ, ex relatione in matriculam, Statum repetit §. 27. finis, quem matriculis vulgo aſſignant §. 28. male ſe habet §. 29. 30. 31. Scopus matricularum verus, ſed inadæquatus §. 31. adæquatus §. 32. 33. ex quo matricularum effectus, quoad probationem, deducitur §. 34. Superioritas

(R) *Ter-*

Digitized by Google

Territorialis quid §.36.37. Ejus variæ partes §. 38. ut Poteſtas Legislatoria §.39. jus conferendi dignitates & erigendi Academias §.40. jus belli §.41. circa quod conſenſus Cæſaris non recte exigitur §. 42. Jus Sacrorum §.43.44. In Principibus imperii Proteſtantibus, duplex perſona, Principis & Epiſcopi, non recte aſſeritur §. 45. 46.47.48.49.50.51.52. monitum generale quoad juris territorialis partes, ac tranſitus ad jus ſuffragii §.53. ſingularia nonnulla de hoc jure §.54. de nexu communi, quo Proceres Germaniæ toti Reipublicæ obſtringuntur, cur vulgo non agatur §. 55. ejus partes §. 56. qualitas §. 57. principium §. 58. jura Statuum quo loco vulgo habeantur §. 59. ſunt jura independentia, & quo cum temperamento §. 60. quod contra diſſentientes amplius confirmatur §.61. ac inprimis Imperantem, in caſu neglecti officii, judicem habere poſſe, oſtenditur §. 62. 63. 64. quamvis, in Rebuspublicis plane liberis, ob alias cauſas, ille non occurrat §. 65. ſed in Rebuspublicis ſociis, idem occurrere poteſt & ſolet §. 66. Status imperii pro ſubditis male habentur §. 67. ex quibus omnibus habitus Territoriorum Germanicorum, plene oſtenditur §. 68. Status imperii ex Magiſtratibus ſunt exorti §. 69. nec, poſt extinctam ſtirpem Carolinam, libertas eorum ſtatim cœpiſſe videtur §.70. multo minus ab antiquis Germaniæ Regulis, eorum origo recte

repe-

repetitur §.71. non omnes Germaniæ Proceres, ad ſublimiorem Statuum ſortem, aſcenderunt, & quid in dubio dicendum §.72.

CAP. II.

DIctorum brevis repetitio §. 73. tranſitus ad diſquiſitionem, de formâ imperii, & an ulla alicujus uſus §. 74. quæ ei, rite peragendæ, præmitti debeant §. 75. in Germania plurium Corporum Sociorum Syſtema occurrit §. 76. in quo illud, cum aliis Syſtematibus, conveniat vel ab iis differat §. 77. eſt Syſtema extraordinarium §. 78. Quibus illa ſententia placuerit §. 79. vel diſplicuerit §. 80. cæteras. Civitatum formas, hic applicari non poſſe, generaliter oſtenditur §. 81. multis tamen ita videtur, quæque hujus rei cauſæ §. 82. rationes Lynkeri, pro unitate Reipublicæ allatæ, rejiciuntur §. 83. aſſerta denuo Territoriorum Independentia §. 84. Kulpiſii doctrina ejusdem commatis refellitur §. 85. Monarchia abſoluta, in Germania abſurde aſſeritur §. 86. Sed nec limitata Monarchia defendi poteſt. §. 87. 88. Ariſtocratiæ & Reipublicæ Germanicæ diſſimilitudo §. 89. ex qua, Doctrina Kulpiſii amplius confutatur §. 90. Mixtura Monarchiæ & Ariſtocratiæ, in Germania à pleriſque aſſeritur §. 91. Sed iſto mixturæ invento, callide vel imperite totius Germaniæ habitus & forma non exprimitur §. 92. forma Democratica aſſertoribus & rationibus deſtituitur §. 93.

B. C. D.

CAP. I.

De Habitu Territoriorum Germanicorum.

§. I.

GErmaniam, inter EuropæasRegiones, nulli ſecundam, nec natura, ſed arbitrariis malis infelicem, pluribus conſtare *Territoriis*, notius eſt, quam ut prolixe commemorari debeat. Quemadmodum vero Territoria illa, nudo Provinciarum, uni Poteſtati Monarchicæ, per regimen ſubalternum, ſubjectarum, jure, cenſeri non poſſunt, ita non usque adeo expeditum tamen eſt, quousque ſublimiora, poteſtatisque cuiusdam dependentis menſuram excedentia, jura extendere liceat, & quis adeo, tam juxta generales rerum politicarum regulas, quam leges publicas germanicas, *Territoriorum illorum* ſit *habitus* quæque *Forma toti Reipublicæ* inde amplius aſſignari debeat. In hac igitur re,

qua-

qualeſcunque ingenii vires, inpræſentiarum periclitari placet, & quidem fere juxta ductum Hypotheſium, a *Dn.* Præſide in *Specim. Jur. publici Romano-Germanici* propoſitarum, mihique, ex privatis Ejus diſcurſibus, ſatis perſpectarum. Hoc autem dum ago, erratorum inaccuratæque tractationis veniam, eo magis a Benevolo Lectore, impetraturum me confido, quo frequentiores in re lubrica arduaque poſſunt eſſe lapſus, & quo minus, juveniles conatus, intra exiguæ ſuppellectilis librariæ anguſtias, inprimis conſtitutos, exactioris ætatis trutina expendere par eſt.

§. 2. *Territorii* nomen aliqui a *terrendo* ortum eſſe exiſtimant, *vid.* SCHWED. *introd. ad jus publ. part. ſpec. Sect. 2. c. 10. §. 13.* quam derivationem in medio relinquimus. Generaliori autem ſenſu, notat *aliquem Terræ diſtrictum, hominibus habitatum*, ſed in ſignificatu ſpecialiori, ad jus ſimul reſpicitur, adeo ut *ditionem imperio civili velut animatam*, idem ſignificet. Hoc reſpectu Territorium, non incongrue etiam dicitur *Status*, quod in vernacula noſtra inprimis accidit, qua Exteræ Respublicæ, non infrequenter nomine **der Staaten**/ & Territoria Germaniæ, **der Reichs-Staaten**/ venire ſolent. Interim, uſu juris publici, nomen Status frequentius ad *jus ipſum*, vel *perſonas eodem gaudentes*,

applicatur, ceu ex mox dicendis liquidius conſtabit.

§. 3. In Germania Territorium eſt *ditio aliqua, jure Status*, ſeu *a Statibus poſſeſſa*, quæ definitio erit liquidiſſima, ſi, prout mox præſtabimus, ad liquidum deducatur, quid nomine Status intelligamus. Cum hac definitione convenit, ſi recte accipiatur, doctrina *Dn.* Ludolphi Hugonis *de Stat. region. German. c. 2. n. 2.* territorium eſſe *partem Imperii, loco diſtinctam, ad hoc, ut peculiari regimine civili, Reipublicæ communi, ſubjuncto adminiſtretur,* dicentis, nec non Schwederi *d. c. 10. §. 13.* Territorium *per ſe peculiare aliquod corpus civile, imperio tamen inſitum, peculiari regimine civili, Reipublicæ totius Imperii communi regimini, ſubjuncto, adminiſtrandum, conſtituere,* exiſtimantis.

§. 4. De cætero Territoria ſunt vel *Secularia*, quæ a Secularibus, vel *Eccleſiaſtica*, quæ ab Eccleſiaſticis Statibus tenentur, præterea a diverſa potentia, in *Majora*, & *Minora* diſcerni poſſunt, quæ diverſitas ipſam quidem Territoriorum juriumque cohærentium *eſſentiam* non mutat, *quantitatem* vero, notabili cum effectu variat. Singula autem regimine *ſingulari*, eoque vel abſoluto aut reſtricto, vel *polyarchico*, prout cujusvis pacta fundamentalia exigunt, gubernantur.

§. 5.

§. 5. Ex his liquet, nos neutiquam de habitu Territoriorum *phyſico* jam eſſe ſollicitos, hinc nemo a nobis expectet explicationem limitum, quibus Territoria circumſcribantur, aut Urbium aliorumque locorum, nec non proventuum, quibus ſingulæ Provinciæ abundent, ſimiliumque recenſionem, hoc enim Geographiæ & Hiſtoriæ opus eſt. *Moralis* potius habitus, qui ex juribus Territorio inhærentibus, ut vulgo loquimur, reſultat, noſtræ nunc eſt conſiderationis: Quo igitur hic ad liquidum deducatur, opus eſt, ut, quid nomine *Status*, intelligatur, ſollicitius nonnihil inveſtigemus.

§. 6. Poterit itaque eo nomine vel *Jus*, quod circa Territorium occurrit, vel *Perſona*, quæ eodem gaudet, intelligi; nos ad hanc reſpiciemus, cum ejus conſideratio illud quoque includat. Illud ergo nemini, qui vel limis ſaltem Juris Publici Diſciplinam, aſpexit oculis, ignotum eſt, quod Territoriorum Poſſeſſores, *Status Imperii*, Reichs-Stände / dici ſoleant, de cujus vocis Etymologia & Synonymia ne heic aliquid proferamus, aliorum, iſta prolixe ſatis tradentium, labor efficit, *vid.* *SCHWED. introd. ad jus public. part. Spec. Sect. 2. c. 1. §. 1. KULPIS. de jur. Legat. c. 4. §. 1. ſeqq.*

§. 7. Licet vero tritiſſimum ſit *Status* nomen, quid tamen eodem ſignificetur, non ſa-

tis inter Juriſpublici Scriptores eſt expeditum. Interim accuratiſſime eſſentiam Status expoſituri, ex *jure Seſſionis & voti comitialis* eam æſtimant, prout Variorum ſententias in compendio exhibet, ac modo relatæ ſubſcribit KULPIS. *d. c. 4. §. 1. ſeqq.* Atque hæc, in ſcholis juris publici, nunc dominatur, adeo ut, ſi autoritatibus agendum, res omnis confecta ſit. Verum ſi, prout par eſt, rationes valere debent, probatu non adeo erit difficile, doctrinam illam fundamentis parum validis niti, imo a veritate penitus abire.

§. 8. Quo autem ſtatus controverſiæ eo rectius formetur, & totius diſquiſitionis habitus eo melius intelligatur, prænotandum (1) quod nomen Status, ſit *titulus imperioſus* ac in Proceribus Germaniæ, *communionem imperii civilis*, eique innexam *conditionem publicam* notet, (2) quod in Proceribus laudatis, ſi non omnibus, certe plerisque, tria occurrant, *Superioritas Territorialis* ſcilicet, *jus ſuffragii comitialis*, ac *obligatio, qua toti Reipublicæ connectuntur.* Quibus præſuppoſitis quæritur, utrum *eſſentia & nomen Status ex ſolo jure ſuffragii*, an *ex tribus illis, quæ laudavimus, conjunctim æſtimari debeat, & an adeo is, in quo tria illa ſimul adſunt, titulum Status imperii in ſolidum, in quo alterum occurrit, ex parte mereatur?* Communis ſententia prius aſſe-

aſſerit, ſed nobis poſterius, ſi, prout par eſt, quæſtionem ad præſentia referamus tempora, probabilius videtur.

§. 9. Cauſam noſtræ ſententiæ evidenter ſatis orat, publicus totius Reipublicæ germanicæ Status, in tali enim civitate, in qua ſinguli Proceres domi ſuæ imperium civile exercent, communi vero Patriæ, communibus conſiliis & auxiliis ſuccurrunt, qualis regiminis ratio in Germania utique, teſte experientia, occurrit, omnia illa jura æquali æſtimatione proſequi, ac titulum Procerum imperioſum inde repetere par eſt: Nam inter ea jura naturalis eſt connexio, ac unum ex altero regulariter profluit, vel ſingula ſe mutuo conſequuntur aut præſupponunt, & qui in parte Rempublicam gerit, in commune vero cum cæteris conſulit ac decernit, is demum Rempublicam *ſiſtere*, aut de iis, quæ ad imperium civile pertinent, *ſtatuere*, ac legitimam perſonam *ſtandi* ubique habere, atque ita *Status & pars integrans* civitatis dici poteſt.

§. 10. Inprimis mirum foret, ſi quis, in hac æſtimatione, jus ſuffragii, velit juri Territoriali præferre; Illud enim calculo rite ſubducto, hujus vel pars, vel effectus eſt, ac a jure Territoriali, ſeorſim ſpectato, ſplendidiores utique operationes, tota die profluunt, quam a jure ſuffragii, cujus inſuper exercitium, Co-

mitiis vel non inſtitutis, vel negligenter habitis, per aliquot annos, quieſcere poteſt: Quo igitur colore, ſepoſito jure Territoriali, a ſolo jure ſuffragii, qualitatem & titulum Procerum imperioſum mutabimur?

§. 11. Nec difficile fuerit, rationes ſententiæ contrariæ elidere, Laudant (1) *varios imperii Receſſus, in quibus a jure ſuffragii, eſſentia Status repetatur* v. gr. R. I. *1500. tit.* wie die Irrungen der *Seſſion 52.* R. I. *1512. in proœm.* R. I. 1544. §. und als ſich im Anfang 101. R. I. 1548. §. wenn auch ein 56. §. als ſich auch 105. R. I. 1555. §. dieweil aber etliche Stånde 19. R. I. 1559. §. als ſich denn auch 84. R. I. 1564. §. und wollen wir als Römiſcher 29. R. I. 1566. §. und ob einige Irrung 139. §. als ſich auch noch 179. R. I. 1570. §. nachdem auch noch etliche 163. R. I. 1576. *in proœm.* & §. ferner und zum ſiebenden 112. R. I. 1654. §. über diß haben wir 197. quos pleroſque (nam aliquos adjecimus) allegavit Arum. *de Comit. c. 4. n. 1.* quem ſublegiſſe videtur SCHWED. *introd. ad jus publ. part. ſpec. Sect. 2. c. 1.* §. *3.*

§. 12. Verum illi textus ſolum oſtendunt, quod Statibus imperii, jus ſuffragii competat, quod autem, in eo, eſſentia Status poſita ſit, id vero non adſtruunt: Aut, ſi multum iis tribuas, docent ſaltem, quod jus ſuffragii, ſit *requiſitum Status*, non autem, quod *unicum*,

hinc,

hinc, in iis textibus, occurrit *denominatio particularis*, minime vero *adæquata & accurata Status definitio*. Quare autem, in legibus publicis, præcipue antiquioribus, Proceres Germaniæ, a jure ſuffragandi, Status dicantur, ejus rei ratio inde dependet, quod ut plurimum, quando illa denominatio occurrit, intuitu rerum comitialium conſiderentur: Præterea olim jus ſuffragii, eo jure, quod in Territoriis, Poſſeſſoribus competiit, ſplendidius fuit viſum.

§. 13. Interim non deſunt alii textus, in quibus Proceres Germaniæ, tam intuitu *immedietatis & juris ſuffragii ſimul*, quam *illius tantum*, Status dicuntur, ut iſto probandi genere, noſtram etiam ſententiam confirmare liceat. Prius patet ex R. I. 1548. §. wenn auch ein *56. ibi.* dem außziehenden Stand ohne Mittel unterworffen / keine Stimm und Stand in Reichs-Verſammlungen / auch keine Lehn im Reich hätte. Poſterius vero liquet ex R. I. 1555. §. dieweil aber etliche *19. ibi.* welche denjenigen / ſo dem Reich ohne Mittel unterworffen / und Reichs-Stände ſind / nam, ut particulam &, pro *diſtinguente & opponente* habeamus cum Arumæo *de Comit. c. 4. n. 1.* nulla cogit neceſſitas, cum illa potius præcedentia *explicet*, ac Proceres, ab immedietate, *Status dici oſtendat*. Idem porro pa-

patet ex R. I. 1566. §. betreffend die Stände 146. *ibi*. Die Stände II. II. II. als ob ſie dem Reich gäntzlich entzogen. Ex R. I. 1600. §. es iſt auch 44. ubi Status, in fraudem Conſtitutionum, damnum ſibi intuliſſe perhibentur, quod itidem ad immedietatem reſpicit.

§. 14. His accedunt leges recentiores, nam in Inſtrumento Pacis Weſtphalicæ, frequenter Proceribus Germaniæ nomen *Status* tribuitur, quando, ſine reſpectu ad Comitia, ſaltem ratione juris territorialis conſiderantur, probabili indicio, ad *immedietatem*, non *jus ſuffragii* tum reſpici. Sic e. gr. *Status turbati art. 5. §. 15. bona Statibus interverſa §. 25. oppignorationes Statibus immediatis confirmandæ §. 26.* quidam *Statibus, reſpectu territorii, ſubjecti §. 28.* leguntur. *Statibus immediatis, cum jure territorii, jus reformandi exercitium religionis §. 29. 30.* aſſeritur. In ſpecie *Status in libero juris territorialis exercitio art. 8. §. 1.* confirmantur, poſtea *jus ſuffragii §. 2.* ipſis tribuitur, cur non igitur nomine Status, & *immedietatem*, & *jus voti* ſignari exiſtimemus?

§. 15. Nec eſt, quod dicas, *leges publicas, quando Proceribus Germaniæ nomen* Status, *intuitu* juris ſuffragii, *tribuunt, exquiſite & proprie, quando autem ratione* immedietatis, *improprie minusque accurate loqui, aut etiam*

titu-

titulo, à jure ſuffragii dependente, velut notiori, membra imperii immediata, notare, nam ita, ex præconcepto ſaltem præjudicio, ſupponitur id, de quo quæritur, & quod ſolida ratione probari nequit: Leges publicæ potius, uti accuratam Status definitionem nullibi exhibent, ita æquali loquendi genere, nunc hujus, nunc illius requiſiti intuitu, prout occaſio & ſubſtrata materia fert, titulum illum immediatis Germaniæ membris applicant. Ex quo etiam dubium, quod *Status nonnunquam immediatis opponantur*, ut in R. I. 1564. §. und wollen wir *29. verb.* ſo nicht Stände des Heil. Reichs/ iedoch dem Heil. Reich *immediate* unterworffen/ facile tollitur, nam cum, ut hactenus oſtenſum, denominatio Status, plerumque ſit particularis, ideo etiam immediati, particulariter ſaltem Status eſſe negantur.

§. 16. Sic igitur liquet, quod legum publicarum locutiones, communem ſententiam non tueantur, nec noſtræ obſint, ſed eam potius confirment. Quodſi compendioſe & fortiter philoſophari velis, recte dixeris ex captatis Receſſuum formulis, quæſtionem noſtram determinari non poſſe, cum earum Autores, Statum imperii definire nec voluerint, nec pro lubitu poſſint, ſed omnis illa res, ex *conditione Reipublicæ, juriumque Proceribus competentium habitu*, ſit definienda.

§. 17.

§. 17. Deinde (2) urgent: *ex communione imperii civilis, Statum æſtimandum eſſe:* Admittimus hanc rationem, ſed eadem ſententiam communem everti putamus, cedo enim, ſtante ea, rationem, cur in æſtimanda qualitate imperioſa, Juris Territorialis non ſit habenda ratio! Evidentior fit rationis huc applicatæ infirmitas, ac totius ſententiæ communis inconcinnitas, ſi expendas, quod (3) *ex definitione Civis Ariſtocratici aut Democratici Ariſtotelica, ſpiritum traxerit,* hac nititur Conring. *de civ. imper.* §. 5. *ſeqq.* ac, ejusdem imitatione, omnem iſtam Philoſophiam exortam eſſe, in genere Schweder. in *introd. ad jus publ. part. ſp. Sect.* 2. *c.* 1. §. 3. aſſerit: Nam civi quidem Ariſtocratico vel Democratico, non alio reſpectu, *titulus imperioſus* conveniri poteſt, quam quatenus Comitiorum membrum eſt, domi ſuæ enim privatam agit vitam, ſed iſta ad Proceres Germaniæ, non tantum in Comitiis, ſed & Territoriis ſuis, imperio civili gaudentes, maligne applicantur.

§. 18. Juxta hæc igitur, non *unum*, ſed *tria requiſita eſſentialia*, Status imperii, adæquate ſuppoſiti, ſunt, hinc Status imperii germanici, in ſua perfectione ſpectatus, eſt *Perſona moralis, ſingularis vel compoſita, jure Territoriali, & hinc orto jure ſuffragii in Comitiis gaudens, ac Cæſari totique Imperio, ad ferenda*

impri-

inprimis Reipublicæ onera, nexu fere ſociali obſtricta.

§. 19. Primo igitur requiritur *Jus Territoriale*, hoc cæterorum eſt fundamentum, niſi enim domi, tui juris ſis, ad Comitia adſpirare, ac toti Reipublicæ immediate conjungi non poteris. Hinc omnis immediatus, ob immedietatem, nomen Status, ex parte meretur, quod vulgo haut admittunt, *vid.* SCHWED. *d. c.* 1. §. 2. Poſtea neceſſarium eſt *jus ſuffragii*, quod ex jure Territoriali, velut effectus, profluit, ut præpoſtere philoſophentur, qui hoc, illius *conſecutivum* eſſe exiſtimant, *v.* SCHWED. *d. l.* §. 10. KULPIS. *de jur. Legat. c.* 4. §. 6. cujus præpoſteræ ſententiæ origo ex falſa hypotheſi, qua jus ſuffragii, pro *Majeſtatico*, Territoriale vero, pro *Non-majeſtatico & ignobiliori* jure habetur, deſcendit. Sufficit autem *jus ſuffragii ipſum*, nam ejus *exercitium*, ſeu *poſſeſſio*, non ad *eſſentiam*, ſed *qualemcunque probationem* pertinet, hinc qui per injuriam, ab actuali ſuffragio, excluditur, nihilominus Status eſt, quemadmodum is, qui illud exercet, hactenus quidem Status præſumitur, ob ſolam vero poſſeſſionem, revera talis non eſt, *vid.* KULPIS. *d. l.* §. 7. *ſeqq.*

§. 20. De cætero ea memoratorum jurium eſt habitudo & connexio, ut ſine jure Territoriali, jus ſuffragii vel omnino non, vel ægerrime

rime concedatur, *vid. R. I. 1654. §. 197.* Capit. Ferdinand. IV. *art. 45.* Leopold. *art. 44.* *Kulpis. ad Monzamb. c. 2. §. 9. p. 525.* hinc ſi quis etiam bona immediata, cum laudato illo jure, amittat, is jure ſuffragii quoque deinceps non gaudebit, ut omnino falſa ſit ſententia Limn. *I. P. l. 1. c. 7. n. 96. ibique in addit. Tom. I.* aliorumque, Statum imperii quem remanere (i.e. jus ſuffragii retinere) licet nihil amplius, præter titulos tumulosque Majorum, in Imperio poſſideat, exiſtimantium *add. Schwed. d. c. 1. §. 2.* Porro jus ſuffragii, Territoriale regulariter ſequitur, poteſt tamen & ſolet aliquando deficere, quo facto, imperfecte quis Status eſt.

§. 21. Denique tertio ad Statum imperii requiritur *obligatio, qua quis toti imperio obſtringatur*, nam ſine hac præcedentia jura nemini regulariter conceduntur. Illud autem facile liquet, de dignatione Status nihil decedere, ſi obligatio illa, quatenus oneroſa eſt, in aliquo deficiat. Breviter: quæ ad membrum corporis Syſtematici requiruntur, ea etiam, ad Statum imperii Germanici requiri, dicendum eſt, id quod etiam exempla Statuum, plene & ſine controverſia talium, ſatis confirmant, ut à poſteriori, veritatem noſtræ ſententiæ, inde confirmare liceat.

§. 22. Quod ſi noſtra ſententia cum communi conferatur, utraq; in eo convenit, quod

jus

jus territoriale, ſuffragii & obligationem modo memoratam, pro rebus, in ſe diſtinctis, habeat: Porro in eo etiam utriusque eſt conſenſus, quod illa jura non ſemper cohæreant, hinc etiam juxta noſtram ſententiam verum eſt, *quod non omnis immediatus gaudeat jure ſuffragii*, & quod *obligatio ad ferenda onera ceſſare poſſit, ſalvis cæteris juribus.* Denique licet ex noſtra hypotheſi, *immediati*, & in ſpecie, *Nobiles immediati*, ſuo modo poſſint dici *Status*, non tamen ideo plus juris illis tribuimus, quam juxta communem ſententiam habent. Pertinet igitur omne diſcrimen ad *jurium memoratorum æſtimationem & denominationem:* communis ſententia, ex ſolo jure ſuffragii, titulum Procerum imperioſum repetit, ſed nobis propoſitum fuit, jura illa propius inter ſe contendere, ac, ex æquali eorum habitu, conceptum & nomen Status formare, infra quam æſtimationem, altera ſententia videtur ſubſediſſe.

§. 23. Ex quo etiam liquet, non ſubeſſe hic inanem logomachiam, quaſi ſcilicet vulgo nomine Status ſtrictius utantur, nos autem ſenſum laxiorem ſectemur, adeoque utraque pars, ſine veritatis præjudicio, ſenſu ſuo abundare poſſit: Nam eſt quidem controverſia de nomine, ſed juxta veram jurium, in Proceribus Germaniæ occurrentium, indolem, ad-

hibendo, quæ disquiſitio utique realis eſt, hinc etiam concedi non debet quod hic æquale nominis uſurpandi jus ſit, nam licet alias circa terminos magna ſit libertas, attamen iſta vocabuli acceptio, quæ ex errore procedit, ac errandi cauſam amplius præbet, toleranda non eſt.

§. 24. Uſus igitur noſtræ ſententiæ in eo conſiſtit, quod illa, Procerum germanicorum jura vere æſtimet, titulum imperioſum inde convenienter formet, ac, explicandis legibus publicis, diverſo ſenſu, Status nomen uſurpantibus, ſit aptiſſima, cum e contrario ſententia communis, & à vera jurium æſtimatione abeat, ac titulum imperioſum minus recte formet, & leges publicas, ex præjudicio ſuo, ſæpe non interpretetur, ſed calumnietur.

§. 25. Ultimum hoc, exemplo controverſiæ, inter *Hippolythum à Treisbach*, ſeu (qui ex conjectura Mauritii *diſſert. de Nobilit. hab. Tubing. 1660. §. 29. add. Kulpis. ad Monzamb. c. 2. §. 14. de jure Legat. c. 14. §. 29.* ſub illo nomine latet) *Philippum Knipſchildium & Limnæum vid. Tom. I. addit. ad l. 6. c. 3. n. 10.* agitatæ, illuſtrari poteſt: Cum enim in Reſcripto quodam Rudolphi II. *de anno 1610. d. 18. Martii,* in literis Electorum & Principum quorundam, de *dato Mulhuſii 21. Mart. 1620.* denique in Capitulat. Ferdinandi II. *art. 13.* Ferdinan-

dinandi III. *art. 17.* Nobiles immediati, *Status* non obſcure dicantur, inde collegit *Hippolythus*, quod gaudeant ſeſſione & voto in comitiis: Hoc vero cum non admittendum videretur *Limnæo*, id omnibus modis egit, quo Nobilibus prædicatum illud eriperet. *Uterque* eodem laborat præjudicio: *Ille* ex eo male colligit, *Hic* contorte interpretatur. Ex noſtra ſententia nulla ſubeſt difficultas: Nobiles immediati, dicuntur *Status*, ratione *immedietatis*, hinc nec ſequitur, quod ſeſſione & voto gaudeant, nec prædicatum illud ipſis eſt eripiendum.

§. 26. Eos, qui ad Statum imperii requirunt *relationem in matriculam*, aut *in circulum*, vel *convocationem ad comitia*, non tam de *eſſentia* Status, quam *qualiquali probatione* ſaltem eſſe ſollicitos, adeoque hac ratione cum cæteris facile poſſe conciliari, quidam cenſent, *vid.* KULPIS. *de jur. Legat. c. 4. §. 5. add.* SCHWED. *introd. ad I P. part. ſpec. ſect. 2. c. 1. §. 5. 6.* ſed uti fortaſſis ſententiarum illarum Autores, iſtam conciliandi rationem non admittunt: ita, ea licet admiſſa, ſententiis tamen illis parum ſuccurritur, cum neque ad probationem aliquam eæ ſint idoneæ, adeoque nullo reſpectu cenſuram ſuſtinere queant.

§. 27. Inprimis a veritate abludit ſententia, quæ ex *matriculis*, Statuum vel *eſſentiam*,

vel *probationem* arceſſit, quam infeliciter propugnat *Limn. I.P. l.1. c.7. n.86. ſeqq. & Tom. 2. add. ad d. c.7. n.91.* qui etiam in controverſia: *an Nobiles immediati jure voti Comitialis gaudeant?* magnifice ſatis de matriculis pronunciat *l.6. c.3. n.32.* quod eas unice manuductrices habeat, queis absque fuiſſet,

Nox cœca ante oculos, nec Numinis ulla vialis
Copia, nec miſero Lucifer ullus erat.

Non ingrediemur jam lubricam illam diſputationem quoad ſingula momenta, πρῶτον ψεῦδος, cui Scriptores juris publici nimium indulgent, jam ſaltem indicare & evertere placet, nam, eo ſublato, cætera ultro ruunt.

§. 28. Communis ſcilicet Scriptorum eſt ſententia, matriculas imperii eo *fine* eſſe confectas, *ut Status imperii germanici definite exhibeant*, hinc matricula dicitur *libellus publica autoritate deſtinatus, ut in eo deſcribantur nomina omnium imperii Civium ſeu Statuum, & quantum quisque eorum, ad uſus communes, contribuat*, *vid. Maurit. diſſert. de matric. §. 3. ſeqq.* Atque ex eo præſuppoſito, multa deinceps, quoad matricularum, in probanda Status qualitate, effectum, diſputantur, aut generalius, tota illarum doctrina, ex eo, inſtruitur.

§. 29. Verum ſi paulo attentius rem conſide-

ſideres, facile conſtabit, nimis liberale eſſe præſuppoſitum, quo finis modo memoratus matriculis aſſignatur. Confundunt ſcilicet in æſtimandis matriculis Scriptores duas quæſtiones (1) an *utile ſit, ut exactus Statuum imperii catalogus conſiciatur*, & an (2) *poſita Status publici incertitudine, talis factus ſit, aut ejus faciendi propoſitum efficax Proceres Germaniæ habuerint?* Prior dubio procul eſt affirmanda, ſed non poſterior, quod tamen vulgo etiam faciunt: Cum enim tot lites ſubſint circa conditionem publicam, vel immedietatem nonnullorum Procerum, quis credat, dubiis illis non ſublatis, matriculam Statuum vel confectam eſſe, vel Proceres Germaniæ, eam conficere potuiſſe aut voluiſſe?

§. 30. Hinc quæ MAURIT. *d. diſſert.* §. 5. poſtquam finem illum, ex vulgari præjudicio, laudaverat, addit, *licet hactenus fortaſſis deſit imperii matricula, quæ omnium imperii Civium nomina, nullis admixtis, alii mediate ſubjectis, exacte exprimat, dubio tamen procul ſit, ſaltem intentione Imperatoris & Ordinum imperii, huic fini deſtinari matriculam*, non ſatis cohærent, nam fruſtra, in rebus agendis, aſſerimus intentionem, quæ in actum deduci nequit! Ex quibus etiam ultro patet, male comparatum eſſe cum diſtinctione *Limnæi*, qua alias matriculas, Status imperii, ſine, alias,

cum onere, referre cenſet *I. P. l. 1. c. 7. n. 94. Tom. I. addit. l. 4. c. 7. n. 67. vid.* MAURIT. *d. diſſert. § 11. 12.* nam uti ille ſuſpectum fortaſſis ſectatur exemplar, ita definitam Statuum recenſionem, ullam matriculam intendere, probari nequit.

§. 31. Propius igitur ad veritatem acceſſeris, ſi *occaſionem* matricularum conficiendarum conſideres. De his ſcilicet cogitatum eſt, quando ſumtus publici fuerunt conferendi, ergo eo *fine* matriculas concinnatas dicemus, ut ſint *indices contribuentium!* Verum hoc utique eſt, ſed caveri tamen debet, ne in alterum extremum prolabamur, ac in matricularum confectione, a qualitate Status, penitus abſtrahi, exiſtimemus, nam nec hoc veroſimile eſt, ſi enim certo conſtet, aliquem non eſſe ſtatum, aut ſaltem immediatum, is matriculis haut inſeretur, manifeſto indicio, immedietatis conſiderationem hic non plane ſeponi: Accedit, quod nemo jus ferendorum onerum imperii habeat, niſi qui immediatus eſt, hinc index contribuentium, ſine immedietatis conſideratione confici non poſſe videtur: Idem oſtendunt contradictiones, quæ matriculis conficiendis opponuntur, hæ enim non ex alio fluunt fundamento, quam quod inſerendus, pro immediato non habeatur: Denique, ſi

ſi appareat, inſertum, non eſſe immediatum, ejus nomen in matricula delebitur, quæ omnia ſatis oſtendunt, ab immedietate, in catalogorum illorum confectione, non plane abſtrahi.

§. 32. Media igitur, eaque vera ſententia aderit, ſi dicas, circa matriculas *præſupponi*, aliquem eſſe Statum imperii, vel ſaltem immediatum, ſed non *definiri*, ac ex illa hypotheſi, in medio relicta, ob urgentem neceſſitatem, ſaltem inferri, quod ad onera ferenda ſit obſtrictus, hinc matricula eſt *index contribuentium, ex præſuppoſita, ſed non probata aut definita immedietate procedens*. Veritas mediæ hujus ſententiæ, ex accurata circumſtantiarum conſideratione, eluceſcit. *Neceſſitas publica exigit ſumtus*, ergo index contribuentiam confici debet: *hos vero nemo jure ferre potest, niſi immediatus*, igitur hæc conditio præſupponenda: *quia autem immedietas eſt ſæpe dubia*, ideo, manente hoc dubio, a definitione abſtinendum.

§. 33. Si quis igitur, qui matriculæ inſertus reperitur, bonis rationibus Status ſit, ille impoſterum quoque talis erit, ſi quis vero dubiæ ſit conditionis, is ejusdem etiam deinde manebit, ſi denique quis plane Status non ſit, ſed malis rationibus pro tali fuerit habitus, ille, per relationem in matriculam, in iſtum

cenſum non evehetur, maxime ſi alius inſertioni iſti contradixerit. Atque ex his, locutiones Receſſuum, quæ matriculas dicunt **Anſchläge der Stände** *vid. R. I. 1576.* §. **wenn auch** *99. R. I. 1594.* §. **wenn auch bey** 122. in verbis: **alle und jede Stände darinnen begriffen / bey denſelben Anſchlägen zu laſſen** *add.* Maurit. *d. diſſert.* §. *41.* facile explicantur, nam præſupponitur utique, *eum, qui matriculis inſeritur, eſſe Statum, hinc hactenus etiam ille ita vocari poteſt,* ſed non definitur.

§. 34. De diſcrimine communis & noſtræ ſententiæ, vix aliquid admonendum, cum, ex hactenus dictis, ſatis id intelligatur. Vulgo ſcilicet, circa confectionem matricularum, *animum definiendi*, in conficientibus, aſſerunt, ſed *hunc* nos negamus, hinc ex ſententia communi, ad efficiendam vel probandam qualitatem Status, matriculis uti licet, quamobrem etiam, de *qualitate probationis*, ex iis deſumendæ, de *prærogativa & authentia matriculæ Wormatienſis, anno 1521.* confectæ, *de uſu antiquiorum matricularum*, multa, inter Scriptores, eſt concertatio, *v.* Maurit. *d. diſſert.* §. *31. ſeqq.* Kulpis. *ad Monzamb. c. 2.* §. *2.* ſed ex noſtra hypotheſi, matriculæ ad probationem ſunt inidoneæ, & omnes illæ quæſtiones otioſæ.

§. 35. Poſſunt hactenus dicta exemplo ali-

quo

Digitized by Google

quo privato illuſtrari: Qui actionem familiæ erciſcundæ contra aliquem inſtituit, is adverſarium cohæredem eſſe, *præſupponit*, ex eoque præſuppoſito diviſionem *urget*, ſed præſuppoſitum non *approbat*, nec adverſarium cohæredem *fatetur l.37. fam. erciſc.* Ita etiam matriculæ, ex præſuppoſita immedietate, onera requirunt, ſed præſuppoſiti veritatem aut falſitatem in medio relinquunt. Sed de his profeſſa opera, diſſerere, animus nunc non eſt!

§. 36. Delineavimus hactenus generaliter jura, quæ Territoriorum Germanicorum Poſſeſſoribus competunt, ac id præcipue evincere ſumus conati, quod illa conjunctim ſumta, *nomen & dignitatem Status*, iis concilient. Ex iis habitus Territoriorum moralis, jam quodammodo poterit intelligi, ſed ut ille penitius intelligatur, operæ pretium erit, ſpecialius nonnihil, tria illa, quæ in Poſſeſſoribus antea laudavimus, perſequi. Primo loco occurrebat *Superioritas Territorialis*. Hæc eſt *Poteſtas, Statibus imperii legibus fundamentalibus tributa, qua Singuli ſuo nomine Territoria regunt, eorumque intuitu, actus bellicos & pacificos cum exteris ſuſcipiunt, nec non cum Imperatore & cæteris Statibus, de communibus imperii negotiis ſtatuunt, ita ut actus, ex illa poteſtate profluentes, & legibus fundamen-*

talibus non contrarii, *neque ab Imperatore*, *neque Imperio toto poſſint irriti reddi*, *aut eorum nomine ratio poſtulari.*

§. 37. Dependet jus Territoriale, non ex *privilegio* Cæſaris, ſed *legibus fundamentalibus* Cap. Leopold. *art.3.* J. P. W. *art. 8. §. 1. 2.* Illud porro Status *ſuo*, non *Imperatoris* aut *Imperii* nomine exercere, experientia docet. Denique certum eſt, quod in ejus exercitio, Status a *nemine*, velut *Superiore* dependeant, id quod ex *d. art. 8. §. 1.* liquet, ac experientia quoque ſatis confirmatur. Ex quibus omnibus neceſſario ſequitur, quod ſit Statuum *jus proprium*, licet hoc negare ſuſtinet *Kulpis. ad Monzamb. p. 2. c. 5. §. fin.* ideo quod ſit *jus beneficiarium*. Verum inveſtitura Cæſarea hoc jus non confert, ſed jam competens ſolum velut agnoſcit, & ſolenniter confirmat, præterea vera etiam collatio feudalis, libertati & proprietati juris conceſſi non obeſt, ſi modo de hac, ex aliis indiciis, ſatis conſtet.

§. 38. Competit Superioritatis Territorialis, omnibus imperii Membris immediatis, ac in ſpecie, Civitatibus imperialibus, *vid. Kulpis. ad Monzamb. c. 2. §. 13.* & Nobilibus immediatis, *vid. Maurit. diſſert. de Nobilitat. §. 49.* De cætero, ad exemplum imperii civilis in genere, in *Immanentem*, quæ Territorium, & *Tranſeuntem*, quæ Exteros reſpicit,

cit', illa diſcerni poteſt. Utriusque partes ſigillatim perſequi, inſtituti noſtri anguſtia vetat, hinc unam alteramque, illuſtrationis gratia, ſaltem nunc breviter adjiciemus.

§. 39. Inprimis igitur inter partes illas occurrit *Poteſtas Legislatoria*, cujus virtute leges provinciales Status condunt, in Camera etiam imperiali, ſi forte hominum provincialium lites ad eam devolvantur, valituras, *vid. O. C. p. 1. tit. 57.* nec confirmatio Cæſaris eſt neceſſaria, aut Statibus utilis. Uti autem id manifeſtum eſt, quod poteſtas illa, ad convellendas leges divinas, aut fundamentales Germaniæ, nequeat extendi, ita certum nobis videtur, leges extraneas, nempe jus Romanum, Canonicum & Longobardicum, imo ipſos Receſſus imperii, quatenus leges privatas notant, Status, pro ratione utilitatis Territorii, mutare poſſe, niſi pacto ſpeciali facultas ſit reſtricta, licet alii aliter ſentiant, *vid.* RHET. *comment. jur. feud. procem. p. 13. n. 53.* CONRING. *de O. I. G. c. 33. p. 219.* ITTER. *de Feud. Imper. c. 10. §. 9.* RHET. *I. I. P. l. 2. tit. 3. §. 2. 3.* SCHWED. *introd. ad jus publ. part. ſpec. ſect. 2. c. 13. §. 2.* VITRIAR. *I. I. P. l. 3. tit. 17. §. 5. 6.*

§. 40. Non minus etiam ſub Jure Territoriali continetur, *Jus conferendi dignitates in Territorio valituras*, *vid.* RHET. *I. I. P. l. 1. tit. 19. §. 2. 3.* quanquam alii diſſentiant, *vid.* SCHWED.

Schwed. introd. ad I. P. Part. ſpec. ſect. 1. c. 7. §. 4. inprimis etiam ob Capit. Joſeph. *art. 43.* ad quem tamen facilis reſponſio eſt. Idem dicendum de *jure inſtituendi Academias*, quod Statibus Territoriorum intuitu, recte quoque aſſeritur, non obſtante J. P. W. *art. 10. §. 13. vid. Stryk. diſſert. de jure papal. Princip. Evangel. c. 6. §. 8.*

§. 41. *Jus Belli* etiam Statibus competere, vel ſolo ſuperioritatis Territorialis argumento oſtenditur, ac quotidiana inſuper experientia confirmatur, *add. A. B. c. 17. §. fin. R. J. 1526.* zum andern *5. R. J. 1530. §.* Und dieweil wir nun *72. J. P. W. art. 8. §. 2.* De cætero uti certum eſt, quod bellum injuſtum, vel communibus Socialitatis regulis, Status ſuſcipere prohibeantur, ita nexus etiam, quo toti Reipublicæ obſtringuntur, jus illud quodammodo reſtringit. Habita igitur vinculi illius ratione, ita dicendum videtur: Contra Exteros tam defenſivum quam offenſivum bellum juſtum, Status gerere poſſunt, modo nulla in Rempublicam inde redundatura ſint incommoda, nec dubitandum, quin Status contra alterius Status injuſtam invaſionem, ſe defendere queat, aſt offenſivum bellum juſtum ſuſcipere non poſſe inter ſe cenſentur Status, cum habeant communia Judicia, in quibus ſinguli jus ſuum perſequi queant, id quod etiam,

iam, ex hypotheſi judiciorum rite conſtitutorum, ſuumque officium dextre peragentium, recte dici videtur, aſt ſi conſvetum Proceſſuum & Executionum torporem conſideres, vix alicui vitio verti poteſt, ſi in cauſa juſta, compendioſo bello, quam diuturno inefficacique proceſſu malit defungi.

§. 42. Solent nonnulli ad bellum offenſivum contra Conſtatum ſuſcipiendum, *Cæſaris conſenſum* requirere, *vid.* SCHWED. *introd. ad I. P. part. ſpec. ſect. 2. c. 16.* §. *2. 3.* VITRIAR. *I. I. P. l. 3. tit. 19.* §. *82.* ſed incongrue: Fruſtra enim id requiritur, cujus interventus nihil operatur: ſi enim bellum offenſivum eſt in ſe injuſtum, Cæſaris conſenſu non poteſt fieri legitimum, ſi autem juſtum, nihilomagis conſenſu Cæſaris geri poteſt, cum controverſiæ Statuum in Judiciis imperii, tractari conveniat. Et incongrua omnino Scriptorum eſt illatio: *Cæſar bella inteſtina prohibere ſolet*, ergo *ad eorum geſtionem, conſenſus Cæſareus requiritur*, hoc enim perinde non ſequitur, ac ex eo, *quod Magiſtratus delicta prohibeat*, inferre non licet, *quod ad horum ſuſceptionem, illius conſenſus ſit neceſſarius*. Præterea etiam videtur confundi belli *præparatio & geſtio*, ad hanc unquam fuiſſe requiſitum conſenſum Cæſareum, oſtendi nequit, aſt quoad illam, turbidis temporibus, con-

conſenſus ille ac Ducis Circuli requirebatur, *vid. R. I. 1564.* §. demnach ſo declariren 26. *VITRIAR. l. 3. t.t. 19. §. 64.* quamvis iſtam reſtrictionem, mutata tempora, ac confirmata Statuum libertas, nunc etiam excludant.

§. 43. Eximia quoque Superioritatis Territorialis pars eſt *Jus Sacrorum, i. e. jus, externum religionis exercitium, dirigendi, ac, ne ejus prætextu Societas humana & civilis lædatur, proſpiciendi.* Quod jus, uti alia, ab Imperio & Cæſare, Status ſenſim ſunt conſecuti, de cætero ejus normam conſtituunt, tam leges divinæ generales, quam pactaGermaniæ fundamentalia ſpecialesque Statuum, cum ſubditis ſuis initæ, conventiones. Summatim autem illud verſatur, vel *circa externum religionis exercitium*, vel *amicitiam humanam & civilem, religionis intuitu, conſervandam.* Primo reſpectu Statibus imperii competit *Jus ea faciendi ad quæ, religionis virtute, obſtringuntur*, nec non *ea diſponendi, quæ extra legum divinarum obligationem ſunt conſtituta.* Secundo autem reſpectu, Status imperii *proſpicere poſſunt & debent, ne religionis prætextu, Socialitas & ſocietas civilis lædatur, ac læſio, ſi jam invaluit, quantum fieri poteſt, iterum tollatur.* Utrumque jus late patet, ſed id ſpecialius exequi, inſtituti ratio jam vetat.

§. 44. In ſpecie ad poſterius jus pertinet,

Jus

Jus papale Statuum, præcipue Evangelicorum, quod circa Capitula, Commendas aliaque bona Eccleſiaſtica, per papatum introducta ſe exſerit, de quo extat *Diſſert. Dn.* STRYKII *de Jur. papal. Princip. Evangelic. Halæ 1694. habita.* Competere Statibus imperii, intuitu illorum bonorum aliquod jus, & generale Superioritatis Territorialis argumentum evincit, & I. P. W. *art. 8. §. 1. art. 5. §. 26. 48.* confirmat. Debet autem illud omnino ab *Imperio & Cæſare,* non *Pontifice Romano,* repeti, ne alias Status imperii, malæ fidei poſſeſſores & juris alieni uſurpatores efficiantur, per conventiones enim religioſas à Papa, in Proceres Germaniæ, nihil transferri potuit, cum ille in eas nunquam conſenſerit. De cætero poſſunt Status jus illud, vel juxta *modum Pontificibus, & certo reſpectu, Cæſari, ex Concordatorum Nationis Germaniæ,* vid. LIMN. *ad Capit. Caroli V. mantiſſ. 6. præſcripto, olim adhibitum,* vel *proprium beneplacitum, utilitati tamen Territoriorum attemperatum* exercere, id quod prolixe declarare jam non libet, nec per inſtitutum licet, id ſaltem generaliter admonemus, ſatius eſſe, ſi uſum bonorum Eccleſiaſticorum, uſui Territorium, propriis legibus attemperent Status, quam ſi circa ea, invalida & obſoleta Concordata, anxie ſequantur, cum imitatio, errandi cauſam incautis præbere, ac fal-

falſam, de aliquo Pontificis jure, ſententiam, ingenerare poſſit.

§. 45. Id forſitan non incongrue hic adjicitur, quod ob imperium, quod Principibus Proteſtantibus, tam in Secularibus, quam Eccleſiaſticis, competit, duplex perſona, *Principis & Epiſcopi*, in iis non recte aſſeratur, licet doctrina illa Scriptoribus Proteſtantibus paſſim probetur, *vid.* CARPZOV. *I. E. l.* 1. *D.* 2. *ſeqq.* LINCK. *de Jur. Epiſcop. c.* 1. *n.* 63. *cap.* 4. *n.* 103. Si in originem inquiras, res ita ſe habere videtur; Ante Reformationem omnia papatu erant oppreſſa, ac, animis Laicorum ſuperſtitione caligantibus, Clerus papalis, jus Sacrorum audacter & ultra modum exercebat; Exinde igitur contumax enaſcebatur præjudicium, ac ſi jus illud, neceſſario Perſonam Eccleſiaſticam requireret. Poſtquam itaque, exorta Reformatione, Principes nonnulli jugum illud Clericale excuterent, curamq; religionis ſibi aſſererent, hinc, ex præjudicio olim hauſto, ac per manus quaſi in poſteros translato, exiſtimatum fuit, ac ſi etiam Epiſcopi perſonam, Principes ſuſtinerent. Excuſandam igitur, pro ratione illorum temporum, eſſe illam ſententiam, facile liquet, ſed nimis tamen ſuperſtitioſum etiam fuerit, ſi, obtentæ libertatis fundamenta, à ſordibus papalibus liberaſſe, illicitum quis exiſtimare velit.

§. 46.

§. 46. Hoc igitur jure uſi, arbitramur, doctrinam illam, quoad applicationem, eſſe *incongruam*, ſeu Epiſcopi pontificii perſonam, Principi non convenire. In delineando iure Epiſcopali, ipſimet Scriptores pontificii non conveniunt, ceu vel iis, quæ *LINCK. de jur. Epiſcop. c.2.* retulit, liquet. Sive autem illud tandem ad quatuor partes, *Ordinem*, *Legem Diœceſanam*, *Jurisdictionem* & *Statum*, ſive (quæ accuratiorum Canoniſtarum ſententia eſſe cenſetur ZIEGLERO *de Superintend. c.8.§.7.9.*) ad poteſtatem *ordinis* & *jurisdictionis* redigas, attamen illud Principi religionis evangelicæ, applicari nequit, hinc etiam, in eius applicatione varie ſe torquent. CARPZOVIUS *J.F.d.l.1.D.2.n.13.* diſtinguit inter poteſtatem *internam* & *externam*, atque hanc tantum Principi applicandam cenſet. Verum licet diſtinctionem illam admittas, attamen ne in externis quidem, Princeps, Epiſcopo Pontificio ſimilis eſt, quamvis enim hic ſatis amplam, & longe quidem maiorem, quam Conſiſtoria aut Inſpectores noſtrates habere ſolent, habeat poteſtatem, attamen, ex hypotheſibus papalibus, illa omnis dependens eſt, ac ex conceſſione Papæ exercetur, verum Principes Proteſtantes, iure proprio ac autocratico, etiam in Sacris gaudent.

§. 47. Alii contendunt, à *jure Epiſcopali*,

ſeparandum eſſe *Jus Sacrorum*, ut poſt alios *LINCK. d. tr. c. 1. n. 64. ſeqq.* ſed nec hac diſtinctione multum profeceris, nam uti ipſa diſtinctio nondum ſatis ad liquidum eſt deducta, cum, aſſerto jure Sacrorum, non appareat, cui bono Jus Epiſcopale adſtruendum ſit, ita, ea admiſſa, quoad applicationem juris Epiſcopalis, difficultates modo notatæ recurrunt: Præterea an *Jus Sacrorum*, ad perſonam *Principis*, vel *Epiſcopi* referri debeat, non liquet. Sane Linckius *d. l. n. 65.* prout in Autores diverſarum hypotheſium incidit, nunc illud, nunc hoc, in effectu aſſerit, jam enim dicit: *Jus ſacrorum ipſi Majeſtati cohærere*, ergo idem Principi, ut tali, competet! ſed mox ait, *illud jus ſibi vindicare Pontifices Romanos*, ergo ad perſonam eccleſiaſticam pertinebit, adeoque, juxta vulgares hypotheſes, non duæ, ſed tres perſonæ, nempe *Principis, Epiſcopi & Papæ*, in religionis evangelicæ Principe, erunt aſſerendæ!

§. 48. Certe quam incongrua ſit perſonæ Epiſcopalis, ad Principes Proteſtantes, applicatio, vel ex eo etiam intelligitur, quod eadem quoque Conſiſtoriis, *vid. Carpzov. J. E. l. 3. D. 2.* imo Superintendentibus noſtris, *vid.* Ziegler. *Superintend. c. 8. §. 11. 12. 13.* ſed ſucceſſu haut feliciori, applicetur. Carpzov. *I. E. l. 1. D. 4.* partes juris Epiſcopalis declaraturus,

turus, ad *Juriſdictionem*, præter alia, etiam refert *jus diſpenſandi in gradibus*, *jure divino non probibitis n.10.* Poſtea *l.3. D.2. n.11.* contendit, *nequaquam jura Epiſcopalia, indifferenter in Conſiſtoriis tractari & expediri, ſed duntaxat ea, quæ ſunt legis Diœceſanæ & Juriſdictionis.* Juxta hæ igitur, jus diſpenſandi, utpote ſub Jurisdictione antea comprehenſum, ad conſiſtoria pertinebit! Sed uti hoc experientia refellitur, ita ab ipſomet etiam *CARPZOVIO* non obſcure negatur, nam jus ferendi leges Eccleſiaſticas, ſub quo jus diſpenſandi omnino continetur, Princeps ſibi reſervat *d.l.3. D.2. n.8.* imo *diſpenſationes*, excluſis conſiſtoriis, diſerte Senatui Eccleſiaſtico aſſeruntur, *l.1. D.12. n.17.*

§. 49. Quoad Superintendentes, vix aliquid admonendum eſt, cum applicationis inconcinnitatem res ipſa ſatis loquatur, omne enim eorum, qua talium, jus, neq; *imperium*, neque *juriſdictionem*, ſed nudam *inſpectionem* involvit, à quo Epiſcoporum Pontificiorum jura longiſſime abire, manifeſtum eſt. Breviter: Epiſcopus Pontificius partim ea agit, quæ aliis Presbyteris, vel verbi divini miniſtris competunt, (quanquam etiam in hoc genere, juxta regulas Status papalis, his plus poteſt) partim gaudet poteſtate maiori, quam vel conſiſtoriis, vel Superintendentibus no-

ſtris tribui ſolet, dependente tamen à Pontifice Romano; Hinc ejus perſona neque Principibus Proteſtantibus, neque Conſiſtoriis, neque Superintendentibus, neque (ſi hos addere velis) Presbyteris aliisque verbi divini miniſtris convenit.

§. 50. Sed fac, multis adhibitis limitationibus Epiſcopi Pontificii perſonam, Principibus Proteſtantibus applicari poſſe, attamen hoc fieri non debet, cum eorum *jus iſta applicatione ſuſpectum* reddatur; Nam eo docendi genere innuitur, quod jus Sacrorum, à reliquo imperio civili, eſſentialiter ſit diverſum, peculiare requirat ſubjectum, ac ab Epiſcopis Pontificiis repeti debeat, ſed quod, his poſitis, Principes ſeculares, ei ſuſtinendo ſint idonei, & legitimo titulo id acquiſierint, id non facile demonſtrabitur, nam Principes, veros eſſe Epiſcopos, nemo dixerit, & eos titulo tenus ſaltem tales eſſe, ipſe Carpzovius *I. F. l. 1. D. 2. n. 18.* fatetur, hos vero habendo illi juri aptos eſſe, quomodo ex iſtis hypotheſibus, probabimus? Præterea nullo legitimo titulo juris illius acquiſitio demonſtrari poteſt, nam in conventiones religioſas, quæ eo fine allegari poſſunt & ſolent, Clerus papalis non conſenſit, ſed eas potius adhuc oppugnat, & licet Cæſar ac Status imperii, ſuo conſenſu illas probaverint, attamen res inter alios acta, aliis

aliis præjudicare, ipſisque jus legitime quæſitum (quod hypotheſes vulgares admittunt) auferre non poteſt, hinc non poſſunt non Principes Proteſtantes, eſſe juris alieni uſurpatores.

§. 51. Abſit, inquis, hæc injuria a Principibus Proteſtantibus! Bene, ſed faceſſant etiam dogmata papalia, quibus optimo Juri macula illa adſpergitur! Juxta vera principia, Jus Sacrorum, in ſe ſpectatum, eſt jus mere ſeculare, adeoque, perinde ut reliquum imperium civile, Principibus imperii, qua talibus, competit, ejusque hæc vera eſt origo. Sicut unaquæque Respublica, ita etiam Germanica, integro imperio civili, ad regenda negotia, tam profana quam ſacra, neceſſario gaudet: Licet vero, rudioribus ſeculis, Pontifex Romanus cum Clero ſuo, Germaniæ, bonam Juris Sacrorum partem, quantum in ipſo fuit, eripuerit, ac non tantum Ipſe pro legitimo ejus Domino haberi voluerit, ſed & a multis, imo illis ipſis, in quorum præjudicium hoc factum erat (quæ ſuperſtitionis vis eſt) habitus ſit, attamen revera nihil Juris Ille unquam acquiſivit, cum omnia vi & fraude acta ſint, adeoque nil, niſi poſſeſſionem vitioſam, Pontifex Clerusque papalis obtinuerit.

§. 52. Interim cum Germaniæ Territoria in libertatem tenderent, ac ſenſim ſublimiori

jure Territoriali animarentur, cum reliquo imperio civili, etiam jus Sacrorum, in eadem eorumque Dominos, licet forte non ſentientes aut intelligentes, paulatim fuit translatum. Uſum tamen ejus, impoſitum jugum papale hactenus impediebat, donec, exorta Reformatione, ac ruptis iniquiſſimæ ſervitutis vinculis, ille etiam ſequeretur. Tum vero, inſtigante Clero papali bellum excitatum; quo elapſi priſtinæ redderentur ſervituti, ſed aliter res cecidit, ac ille ſperabat, & libertas obtenta, magis, ea occaſione, confirmata auctaque, quam imminuta fuit: Secutæ enim ſunt pacificationes religioſæ, quæ non eo pertinuerunt, ac ſi per eas quicquam juris, a Pontifice Cleroque Romano, in Status Proteſtantes transferri debuerit (hoc enim reſpectu nulla conventione opus fuit, nam quis, qui injuſti hoſtis vincula evaſit, de libertate, cum eodem paciſcitur, aut tale pactum neceſſarium putat? in tutum potius ſubductus, deluſam vim ac fraudem ſecure ridet) ſed ut, reſtituta pace, tam jus Sacrorum, quam reliquum imperium civile, Statibus confirmaretur, ac a tota Republica, amplius in ipſos transferretur. Eſt igitur laudatum Jus Sacrorum, pars Superioritatis Territorialis, a Republica Germanica, ejusque Capite, ſenſim in Status imperii translatæ, hinc *perſona Epiſcopi,*

copi, cum cæteris conſectariis, ſeorſim etiam variam cenſuram merentibus, corruit.

§. 53. Hæc ſufficiant illuſtrando Juri Territoriali. Aliarum partium eadem ratio eſt, nam videtur generaliter dicendum, quod ea omnia, quæ ad regimen Territorii requiruntur, jure Territoriali contineantur, niſi reſtrictio doceatur, *vid.* RHET. *I. I. P. l. 2, tit. 1. §. 11.* Pergimus ad *Jus ſuffragii*, quod Territoriorum Poſſeſſoribus regulariter etiam competit, ac ex Jure Territoriali, ſi reſtrictio non adſit, reſultat, ceu §. 19. jam diximus. De cætero competit illud *Electoribus Principibus late ſuppoſitis & Civitatibus imperialibus* I. P. W. *art. 8. n. 4.* de quibus olim varie diſputatum fuit, *vid.* KULPIS. *ad Monzamb. c. 2. §. 13.* DATT. *de pac. public. l. 5. c. 6.* Circa *Nobiles immediatos*, an ſcilicet iis quoque jus ſuffragii vel *olim competierit*, vel *nunc etiam competat*, aut an *illud nunquam illi habuerint*, vel *competens amiſerint*, multiplex eſt Scriptorum diſſenſio, ceu liquet ex traditis LIMNÆI *I. P. l. 6. c. 3. n. 7. ſeqq.* *add.* KULPIS. *ad Monzamb. c. 2. §. 14.* Nobis placet erudita conjectura *Dn.* DATTII *de pac. publ. l. 5. c. 4. 5.* cenſentis, occaſione fœderis Svevici factum eſſe, ut in conventibus imperii, in Svevia præſertim, jam inde ab *anno 1487.* habitis, compareret etiam, non univerſa imperii, ſed Svevica

Digitized by Google

ad Hegoæ tractum, & Danubium, ſub S. Georgii Clypeo, jam inde ab initiis Seculi XV. confœderata Nobilitas: hac enim *anno 1448.* Svevico fœderi adſcripta, & Claſſi Prælatorum Sveviæque Comitum innexa ſæpiſſime contigiſſe, ut, convocato, ad imperii Diætas, Prælatorum Sveviæque Comitum collegio, San-Georgiana etiam Nobilitas, in ipſo Comitiorum loco, compareret, de rebus, quæ ad Suevici fœderis incrementum pertinebant, cum Sociis conſultatura: Collapſo autem fœdere Svevico, concidiſſe omnem quoque iſtam, quæ, non ex jure quodam communis Collegii, ſed ſolo fœderis fluebat vinculo, Comitum Suevicorum, & Equeſtris in Svevia Ordinis, ſocietatem & conjunctionem, adeoque parum probabilem Eorum eſſe ſententiam, qui hodie quoque, a laudato illo Collegio, Nobiles in Comitiis ſimul repræſentari contendunt.

§. 54. De cætero non omnes, qui Principum Ordini, jam ab antiquis temporibus, adſcribuntur, jure ſuffragii gaudent: Ob inconſtantem enim Reipublicæ Statum, aliasque rationes, fieri potuit, & revera etiam forte factum eſt, ut nonnulli, ad ſuffragium Comitiale, vel nunquam adſpiraverint, vel eodem iterum exciterint. Sic Landgravium Alſatiæ, Sauſſenbergium & Nellenburgicum ſuf-

fra-

fragio carere, ex SCHUTZIO *l. 1. tit. 8. poſit. 5.* refert *COCCEJUS I. P. P. c. 15. §. 23.* Idem quoque de Marchione Moraviæ, aliisque aſſeritur ab Eodem *d. l. §. 24. c. 3. §. 65.* quia, ut Idem cenſet, illi ſunt *originis & juris Slavici*, quamvis hujus rei alia etiam poſſit eſſe cauſa. Nomine Burggravii Strombergenſis, Epiſcopus Monaſterienſis votum petiit *COCCEJ. d. c. 15. §. 25.* Sic etiam nonnulli Comites, principali dignitate donati, vel voto omnino carent, vel eodem, inter Principes, non utuntur, quo referunt Comites Habſpurgenſes, Tirolenſes, Kiburgi & Goritiæ, *vid. COCCEJ. d. c. 15. §. 28. SCHWED. introd. ad I. P. part. ſpec. ſect. 2. c. 7. §. 20. in fin.* forte eo etiam pertinent Comites, noſtra ætate, in Principum claſſem evecti. Sed de hoc accuratius judicent ii, quibus in publico verſari datum eſt, quique ex negotiorum publicorum tractatione, certius id ſunt edocti!

§. 55. Supereſt, ut tertio *nexum*, quo Territoriorum poſſeſſores, toti Reipublicæ obſtringi diximus §. *18. 21.* ſpecialius nonnihil evolvamus. De eo, apud Scriptores Juris publici, non facile quid reperias, qui defectus ex dubiis falſisque, quas circa formam Reipublicæ fovent, hypotheſibus reſultat, etſi nonnulla, ad nexum illum pertinentia, ſed alia plane intentione, illi proferre ſolent. Nobis

tria breviter expendere placet (1) in *quo nexus ille conſiſtat* (2) *qualis ſit* & (3) *quodnam ejus principium.*

§. 56. Primum quod attinet, uti certum eſt, quod Territoriorum Poſſeſſores in multis ſeorſim agant, rationesque ab aliis plane ſeparatas habeant, ita non minus certum eſt, quod inter ſe illi etiam certo modo ſint conjuncti, quod commune vinculum exacte quidem delineare non audemus, forſitan tamen in his illud non male conſtituitur (1) in *communi amicitia.* Socialitatis leges amicitiam ab omnibus hominibus exigunt, dubio procul igitur, inter membra unius Corporis politici, eadem quoque, fundamenti loco, eſt ſupponenda, id quod etiam Conſtitutiones de pace publica ſatis oſtendunt, (2) in *conjunctione quoad Reſervata Cæſarea,* cum enim Cæſari nonnulla jura, quoad Territoria Germanica, competant, recte hæc illorum intuitu, conjuncta eſſe dicemus. De cætero nexus ille, nihil aliud fere involvit, quam quod Reſervata illa, non tam ex imperio Cæſaris, quam ex voluntate Statuum expreſſa vel tacita, exerceri queant, hoc enim, ex inductione omnium Reſervatorum, Territoria reſpicientium, recte attendentibus facile conſtabit. (3) In *conſociatione quoad expedienda negotia, totius Reipublicæ utilitatem concernentia,* quo nomine

ne cum alia, tum in ſpecie etiam, proviſio de Territoriis apertis, comprehenduntur. Ex illo vinculo oriuntur Comitia, quæ cum ſæpe habeantur, ideo eo minus de nexus illius veritate dubitare licet (4) in *neceſſitate ferendorum onerum publicorum*, qua de re paſſim Scriptores juris publici agere ſolent, *vid.* ITTER. *d. F. I. c. 20. 21.* (5) In *appellationibus, ad ſumma imperii Tribunalia, nonnunquam dirigendis.* Eſt tamen hic nexus non uſque adeo generalis, quidam enim Status illimitato jure de non appellando gaudent, *vid.* SCHWED. *introd. ad I. P. part. ſpec. ſect. 1. c. 11. §. 2.* quorum adeo reſpectu vinculum illud plane ceſſat. Quoad alios vero qui eidem ſubſunt, varie tamen illud limitatur: In cauſis Eccleſiaſticis, quoad Status Proteſtantes *vid.* STRYK. *diſſert. de jur. papal. Princip. Evang. c. 6.* in Criminalibus, *vid.* SCHWED. *ſect. 1. c. 13. §. 11.* KULPIS. *ad Monzamb. c. 5. §. 18.* in cauſis civilibus liquidis, *vid. R. I. 1654. §. 107.* RHET. *I. I. P. l. 2. tit. 3. §. 24.* ceſſat appellatio, in cæteris civilibus, ſaltem admittitur, ſi lis ad certam pecuniæ quantitatem aſcendat, *d. R. I. 1654. §. 112. vid.* THOMAS. *in not. ad Strauch. diſſert. 27. §. 7.* (6) in *proceſſu, ob neglectum officium, contra Status, in Tribunalibus imperii inſtituendo*, qui nexus quoad Status potentes, non adeo magni roboris eſt.

§. 57.

Digitized by Google

§. 57. *Quale* autem ſit vinculum, juxta partes ſuas hactenus delineatum, id definitu non adeo facile eſt. Ex conſenſu oriri nexus adventitios, ſatis quidem eſt certum, quemadmodum nec de eo dubitandum, quin per conſenſum, tam *nexus aliquis æqualis*, quam *ſubjectio*, pro diverſa paciſcentium intentione, produci queat. Qualis ergo nexus, quoad Germaniæ Territoria, erit aſſerendus? Breviter: quoad *quatuor priores partes*, modo relatas, eſt *nexus ſocialis*, ac Status imperii, tam inter ſe, quam cum ſuo Capite, velut fœderati conjunguntur, cum enim magna ſit Territoriorum libertas, quæ ſane omnium oculis expoſita eſt, ac in laudatis partibus, nulla etiam ſubjectionis veſtigia occurrant, hinc vinculum æquale merito aſſeritur: Quoad *duas* vero *poſteriores* eſt *ſubjectio*, quam tamen particularem parumque validam eſſe, ex ante dictis liquet.

§. 58. Quod tertio communis illius vinculi *Principium* attinet, non ſane *expreſſo aliquo fœdere*, quale inter Socios iniri ſolet, illud producitur, ſed ex *Imperatoris electione*, eamq; ſecutis *Statuum Homagiis*, vel *fidelitatis juramentis* reſultat, cum enim illa omnia, ſalva Territoriorum libertate, peragantur, ideo ſub ſchematibus illis Monarchicis, arctior nexus, quam jam a nobis delineatus eſt, non latet:

Ole-

Oleum igitur & operam eos perdere arbitramur, qui Statuum juratas promiſſiones, ex vulgaribus Homagiorum regulis æſtimant, *vid. ITTER. de feud. imper. cap. 9. §. 43. ſeqq.* De cætero, nexum illum communem, pro ſcopo Reipublicæ, adæquate ſatis eſſe efformatum, arcteque ſatis adſtrictum, haut dixerim, nam cum alia, tum inprimis etiam ambigua illa, ac, à nexu producendo, quodammodo abhorrens, conſtituendi ratio, illud impediunt.

§. 59. De eo nunc diſpiciendum, an *Jus Territoriale & ſuffragii Comitialis, pro jure independente & Majeſtatico haberi queat?* De poſteriori non dubitatur, nam Status imperii, in Comitiis eſſe Coimperantes, ac voto deciſivo negotia occurrentia definire, plerique, & recte quidem, docent. Sed circa prius vulgo fluctuant, cumque hoc facile liqueat, pro nudo Magiſtratus jure, illud haberi non poſſe, attamen nec, ad jurium independentium claſſem, idem aſcendere, putant, hinc jus Territoriale plerumque dicitur eſſe *dependens ſed Majeſtatis æmulum, cui quædam, è viſceribus Majeſtatis, progreſſa virtus, ſe velut inſinuet, vigoremque Majeſtati cognatum conciliet, vid. KULPIS. diſſert. de unitat. Reipubl. in S. R. I. c. 2. §. 13. add. IDEM de jur. Legat. c. 6. §. 11. SCHWED. introd. ad I. P. part. ſpec.*

ſect.

Digitized by Google

ſect. 1. c. 4. §. 4. ſect. 2. c. 10. §. 3. 4. Verum cum impoſſibile ſit, ut idem jus, eodem reſpectu, ſit dependens & independens, hinc ſine ſcrupuloſa inquiſitione patet, doctrinam illam ſibi ipſi contradicere.

§. 60. Nihil ſane obſtat, quo minus Jus Territoriale, pro Jure independente habere liceat; Exercent enim illud Status proprio nomine, ac, in ejus exercitio, à nemine, velut Superiore, dependent, quæ ſatis certa Juris independentis ſunt Criteria, *vid. GROT. I.B. P. 1.3.7.* Illud tamen adjiciendum, non involvere Superioritatem territorialem, *independens aliquod jus, omnibus numeris abſolutum*, ſed eſſe eam potius aliquando (1) *ſatis exiguam*, ob defectum ſcilicet virium & potentiæ, in Statibus minoribus, adeo ut illa, inter Gentes potentes, fere nullo in numero, ſed ludibrio potius, contemtuique paſſim ſit expoſita (2) *non ſatis ſplendidam*, id quod tam a virium exilitate in nonnullis, quam ob nexum, quo ſingula Territoria toti Reipublicæ connectuntur, in omnibus accidit, iſta enim ſplendorem minuere, certum eſt, (3) *nec per omnia integram*, nam non tantum quædam partes imperii civilis, in Statibus minoribus deficiunt, aut exigua in quantitate, occurrunt, ſed & in genere, nexus communis, modo laudatus, eam, in omnibus, quodammodo imminuit.

§. 61.

§. 61. Cum his reſtrictionibus ſi Superioritatem Territorialem, jus independens dicas, ab impetitionibus diſſentientium facile etiam aſſertio liberari poteſt. Urgent (1) *nexum feudalem, quo Territoria Cæſari totique Reipublicæ obſtringuntur.* Sed illum, imperii civilis independentiæ, non obeſſe, & res ipſa loquitur, & jam à GROTIO *de I. B. P. 1. 3. 23.* ſatis eſt oſtenſum. Majori cum effectu ſe allegare poſſe putant. (2) *Homagium, quod à Statibus Germaniæ quoque præſtandum ſit*, verum quis ejus ſit ſenſus, §. 58. jam eſt oſtenſum, eo autem poſito, obiectioni huic nullas ineſſe vires, ſimul patet. Sed (3) *appellationes ad ſumma imperii tribunalia directæ, independentiam deſtruunt!* Minime vero, neque enim à Superioritate Territoriali, ſed jure aliquo ignobiliori quale in Magiſtratum cadit, appellationes fiunt, hinc Juris Territorialis independentiam non deſtruunt, ſed, id non omni reſpectu Germaniæ Proceribus competere, ſaltem oſtendunt. In nonnullis enim Statibus eſt velut mixta conditio, dum ex parte libertatem ſunt conſecuti, ex parte etiam in priſtino ſtatu, quem olim habuerunt, remanſere, primo ſenſu ſaltem ipſis Superioritas Territorialis tribui poteſt, eaque ſemper eſt libera, utut juxta alterum reſpectum, Superiorem illi habeant. Inprimis vero (4) *in-*

depen-

dependentiæ obeſſe videtur, quod Proceres Germaniæ, in Tribunalibus imperii, conveniri queant. Verum Majeſtas non impedit, quo minus Imperans, in caſu neglecti officii, judicem habere queat, id quod, ob vulgare præjudicium, ſpecialius nonnihil probandum erit.

§. 62. Illud equidem certum eſt, quod Majeſtas, imperium aliud humanum non admittat, cum contradictionem utique involvat: *eſſe ſimul independens & dependens*, ſeu *alieno imperio ſubjectum.* Porro cum Majeſtas, in abſtracto ſpectata, non detur, ſed illa, ad ſui exiſtentiam, habile ſubjectum requirat, inde conſequitur, quod *ipſum etiam Subjectum, Majeſtate præditum, ab imperio humano immune eſſe debeat*, ſed ſaltem *quoad actiones, quæ ex Majeſtate fluunt, ac ad promovendam conſervandamque Reipublicæ utilitatem pertinent:* Cum enim Maieſtatis titulus, ſit nomen legitimum, nec adeo notet ius quævis flagitia patrandi, è contrario autem certum ſit, quod Imperans ſæpe officii ſui, quod ei, tam ut homini, quam Imperanti, incumbit, limites tranſiliat, multasque adeo actiones, non ex imperio civili, ſed pravis affectibus, propullulantes, ſuſcipiat, imperitiſſima ſane foret illatio, ſi ex eo, quod Majeſtatem ille habeat, eum, quoad omnes actiones, ἀνυπεύθυνον

eſſe

eſſe debere, inferas. Eſt ſane plerumque talis, ſed quod Majeſtas hoc neceſſario requirat, quodque aliter ſe res habere non poſſit, id utique gratis dicitur.

§. 63. Cum igitur delicta ex Majeſtate non profluant, hæc ſane non obſtat, quo minus eorum reſpectu, ſummus alioquin Imperans, alieno Imperio ſubjiciatur, nam extra metas imperii ſui legitimi eſt conſtitutus, & non ut Imperans, ſed ut delinquens judicatur. De cætero diſtingvendum eſt, utrum officium erga *Exteros*, an *Subditos ſuos* negligat, illo caſu nihil vetat, quo minus, ob quemvis exceſſum, judicio alieno ſubiiciatur, cum iſti exceſſus facile cognoſci & oſtendi queant. Hoc autem, amplius diſtingvendum videtur, inter *delicta leviora ac dubia, & graviora ac evidentia.* Illorum reſpectu, Imperans judicem habere non poſſe videtur, nam hoc admiſſo, de omnibus actionibus dubiis ipſi ratio reddenda foret, atq; ita neceſſario ſummum imperium plane eluderetur; Licet igitur Majeſtas non involvat jus, etiam modice ſaltem delinquendi, attamen cum inter homines nihil ſit perfectum, ac lubrica actionum humanarum æſtimatio, hinc indoles rerum humanarum exigit, ut, ſub ejus velut clypeo, licentia modice delinquendi, tuta ſit, ac leviores adeo Imperantium exceſſus, extra reprehen-

ſionem & judicium coactivum ſint conſtituti.

§. 64. Quod ſi autem delicta graviora ſint, quæque à legitimis imperii civilis actibus facile diſcerni queant (neque enim iſta res ita involuta eſt, ut diſcrimen oſtendere, impoſſibile ſit) tum ſicut Imperanti bello reſiſti poteſt, ita Majeſtas non impedit, quo minus imperio & judicio alieno Idem ſubjiciatur. Et ut eo magis appareat, duo iſta inter ſe non pugnare, age, conſideremus judicium Imperantium, actu conſtitutum. Hujus vim, in infinitum, Imperans, recte agendo, elidere poteſt, quo caſu ſalvam eſſe Majeſtatem, in aprico eſt. Sed ponamus, Imperantem, ob aliquem officii exceſſum, alterius judicium pati, nihilominus poterit Idem Imperii civilis exercitium, in ſua Republica, continuare, ac, poſt pœnam exceptam, eodem etiam amplius frui, hinc hactenus ejus independentiæ nihil derogatum eſt. Quod ſi vero adeo graviter deliquiſſe videatur, ut imperio indignus reputetur, adeoque vel ſtatim à munere ſuſpendatur, vel etiam penitus per ſententiam excludatur, tum hoc quidem apparet, judicium ejusmodi coactivum efficere, ne Majeſtas in eodem ſemper Subjecto exiſtat, aſt Majeſtati ipſi, aut in aliquo ſubjecto ſpectatæ, idem obeſſe, inde non conſequitur, breviter: judicium

cium non contrariatur Majeſtati, ſed certo Majeſtatis Subjecto.

§. 65. Interim fatendum eſt, quod, utut Maieſtas iudicium illud admittat, tamen in Rebuspublicis *plane liberis* ac *præcipue potentibus*, Judex talis cum effectu conſtitui non poſſit, nam ut Populo ipſi id munus deferatur, illud indoli ingenii humani repugnat, quæ iſtam imperandi parendique viciſſitudinem ferre nequit. Neque, morali æſtimatione, Extraneo id deferri poteſt, hic enim, ſi minus potens ſit, eius autoritas impune ſpernetur, ſi autem viribus polleat, quis ei tantam moderationem, à natura obtigiſſe, crediderit, ut munus delatum, intra ſuos ſemper limites, ſit exerciturus, nec potius eodem, ad alterum ſibi ſubjiciendum, eundemque omni imperio legitimo privandum, abuſurus? ut taceam, tali judici plerumque exceptionem inhabilitatis eſſe obſtituram, dum in aliis ea delicta velit vindicare, quorum ipſe, domi ſuæ, reus ſit.

§. 66. Alia ratio eſt *Rerumpublicarum Sociarum*, nam in his plurium corporum libertas civilis temperataque potentia, ut & horum omnium, perpetuo fœdere, libratæ non minus, quam reſtrictæ vires, efficiunt, ut totum Corpus, ratione ſingulorum membrorum, Judicis autocratici perſonam

Digitized by Google

ſuſtinere queat, eo effectu, ut ſi non perinde expedite, ac in privatos, attamen non plane inefficaciter in Eadem, ſententiam dicere queat. Breviter: Majeſtas non impedit, quo minus in Imperantes excedentes Judicium conſtituatur, ſed in liberis Rebuspublicis, ob alias cauſas, judicium tale non occurrit, aſt in ſociis occurrere poteſt & ſolet, ex quibus quomodo Superioritatis Territorialis independentia, cum Summis Imperii Tribunalibus, in Germania conciliari queat, facile liquet. Interim cum, ut diximus, in liberis Civitatibus Judex non adſit, exinde contumax præjudicium enatum eſt, quaſi verum ſummumque imperium, tale judicium haut admittat, ſed illud, libidine peccandi, tantum non æſtimandum ſit.

§. 67. Alii via magis compendioſa, Juris Territorialis independentiam deſtructuri, contendunt. (5) *Status imperii eſſe veros ſubditos*, quam ſententiam, poſt alios, firmiſſimis rationibus, à *juramento ſubjectionis, formulis legum publicarum imperioſis, modo procedendi in ſummis Tribunalibus uſitato, crimine læſæ Majeſtatis, quod Status in Cæſarem, ac Imperium committere queant, propria Ordinum confeſſione*, ac denique *à nexu feudali ligio* deſumtis, probari poſſe cenſet Itter *de Feud. imper. c. 19. §. 9. ſeqq.* ſed iis nihil roboris ineſſe,

eſſe, certum eſt, ac ex hactenus dictis fere intelligi poteſt, ut, ea quidem ſigillatim refellere, opus non ſit, ſed potius concludi debeat: Falſam, ac ad Procerum Germanicorum injuriam, compoſitam, eſſe ſententiam, quæ eos, vel Cæſaris, vel Cæſaris & Imperii ſubditos, ſimpliciter pronunciat.

§. 68. Atque ex his omnibus, Habitus Territoriorum Germanicorum, nunc plenius oſtendi poteſt. Sunt ſcilicet *Corpora libera, imperio proprio ac independente, velut animata, toti tamen Reipublicæ, nexu ſociali, ac, in caſibus nonnullis, vinculo ſubjectionis conjuncta.* Quæ omnia, compendioſo loquendi genere ſub *jure Status*, comprehenduntur, ceu §. 3. diximus.

§. 69. De *origine* Territoriorum, communis, nec improbabilis eſt ſententia: Olim Proceres Germaniæ tam Seculares, quam Eccleſiaſticos, jure Magiſtratus dependente, Provinciis præfuiſſe, *vid.* CONRING. *de Duc. & Comit.* § 11. 12. *de negot. convent. imper.* §. 23. ſed ſucceſſu temporis, ac turbis in Republica exortis, proprium imperium ſibi acquiſiviſſe, quod per Capitulationes Cæſareas potiſſimum, & Inſtrumentum pacis Weſtphalicæ ſit confirmatum, *vid.* KULPIS. *ad Monzamb. c. 2.* §. 10. *de Legat. Stat. imper. c. 7.* §. 8. *ſeqq.* *add.* CONRING. *ad Lampad. p. 3. c. 5.* §. 26.

Quæ ſententia ut eo magis fiat probabilis, quoad priſtinam conditionem obſervandum eſt, illum etiam pro Magiſtratu habendum eſſe, cui cum antea ſui juris eſſet, ſub lege ſubjectionis, provincia relinquitur: deinde, ad Magiſtratum non præciſe requiri, ut nuda poteſtate adminiſtratoria, eaque temporaria, fungatur, ſed potius illum etiam Magiſtratuum claſſe cenſendum eſſe, qui jure proprio ac perpetuo quidem, ſed tamen dependente, ditioni præeſt. Præterea haut exiſtimandum eſt, quaſi eadem, quoad omnes, libertatis ſint initia, aut quaſi Proceres Germaniæ, unitis velut viribus, in libertatem contenderint, ſumma potius eo redit: Gentes liberas, a Francis utcunque in unam Rempublicam coactas, in priſtinam libertatem ſæpe eſſe relapſas, ſtudiis contrariis imminutas & fractas, adeo ut unius corruptio, alterius fuerit generatio, ac plura illa corpora varie nunc colliſa, nunc conciliata, turbidis Reip. temporibus fluctuaſſe, donec uſurpata libertas, per leges fundamentales, plenius confirmaretur.

§. 70. Equidem Monzamb. *de ſtatu Imper. German. c. 3. §. 4.* exiſtimat, poſt extinctam ſtirpem Carolinam, Proceres Germaniæ majores, in plenam libertatem evaſiſſe, ac ſua Territoria, Cæſari velut feuda obtuliſſe, quam ſententiam probat Dn. Thomas. *diſ-*

ſert.

Digitized by Google

ſert. de feud. oblat. §. 24. exiſtimans: *non alia conditione, novo Regi regnum detuliſſe, quam ut poſſeſſionem ampliſſimorum Territoriorum ipſis confirmaret.* Juxta hæc igitur, jam olim ſublime Territorii jus, Proceres Germaniæ ſunt conſecuti! Verum uti tanta parandæ libertatis accuratio, iſtis temporibus, vix tribui poteſt, ita hiſtoriam etiam refragari, vel unicum *Conradi Cæſaris*, Carolingis proximi, exemplum videtur oſtendere. Diſerte de Eo WITICHINDUS *l. 1.* CONRINGIO *de Duc. & Comit. §. 20.* adductus: *Igitur Patre Patriæ & magno Duce Ottone defuncto, illuſtri & magnifico filio, Henrico totius Saxoniæ ipſe reliquit Ducatum: Rex autem Conradus, cum ſæpe expertus eſſet, virtutem novi Ducis,* veritus eſt, ei tradere omnem poteſtatem Patris. *Quo factum eſt, ut indignationem incurreret totius exercitus Saxonici. Ficte tamen pro laude & gloria optimi Ducis, plura locutus, promiſit, ſe majora ſibi daturum, & honore magno glorificaturum. Saxones vero hujusmodi ſimulationibus non attendebant, ſed ſuadebant Duci ſuo, ut ſi honore paterno eum nollet* ſponte *honorare*, Rege invito, *quæ vellet, obtinere poſſet*, quæ relatio pactum, libertatis cauſa iniri ſolitum, omnino excludit.

§. 71. Ulterius progreſſus eſt perſonatus CÆSARINUS FURSTENERIUS *de Jur. Suprem.*

c.14.ſeqq. quando Status imperii, non ex *Magiſtratibus*, ſed vetuſtiſſimis devictarum Gentium *Regulis* ortos eſſe, adeoque eorum *libertatem*, ſerie non interrupta, obtinuiſſe contendit, ac communem ſententiam valde improbat. Sed uti ipſe parum ſibi conſtat, ita a *Kulpisio de Legat. Stat. imper. c. 7. §. 14. ſeqq.* prolixe refutatur. In ſumma ſi quid dicendum, videtur ille triplici falſo præſuppoſito niti (1) quod ex exiguo Gentium liberarum, quæ, ante imperium Francorum, forte fuerunt, numero, tot Statuum origo poſſit reperiti (2) quod ad Magiſtratum requiratur, ut nihil, niſi poteſtatem adminiſtratoriam temporariamque, habeat, ac adeo (3) is, qui proprio jure, dependente tamen, provinciæ præeſt, pro ſui juris Regulo haberi poſſit.

§. 72. Cæterum quando Proceres Germaniæ, ad ſublimiorem ſortem, aſcendiſſe perhibentur, non ea hujus aſſertionis eſt ſententia, quaſi omnibus illa contigerit; nam uti hodie multi Principes, Comites & Barones, ex ſola dignitate ſua, ſic audiunt, ita ex antiquioribus, Comites & Barones non pauci, Statibus imperii, annumerari omnino non poſſunt, ſed alium, velut Dominum Territorialem, agnoſcere coguntur. In dubio igitur, in terris *mediatis*, eos plerumque mediatos, in *immediatis* vero, immediatos cenſendos

dos eſſe putat *Dn.* COCCEJ. *I. P. P. c. 15.* §. *40. 41.* ſed iſto fundamento vix niti licet, ob Terrarum mediatarum & immediatarum inconſtantiam, hinc potius dicerem, quod, ſi major aliqua poteſtas in Territorio aliquo occurrat, tum Comites & Barones, imo etiam Epiſcopi aliique Prælati, Ei ſubjecti, ſi vero deficiat, liberi & immediati in dubio cenſeri debeant.

CAP. II.

De Forma totius Reipublicæ Germanicæ.

§. 73.

ID igitur ex præcedenti tractatu ſatis liquet, in Germania Status imperii, jure quodam autocratico & independente, Territoria ſua regere, ac generali amicitiæ vinculo conjunctos, cum Cæſare, velut Capite, ac peculiaria quædam jura, tam quoad ſingula Territoria Eorumque Dominos, quam negotia Rempublicam concernentia, habente, de negotiis, ſalutem communem reſpicientibus, deliberare, eademque voto deciſivo, velut Coimperantes, expedire, non minus eos, ad onera imperii ferenda obſtrictos, ac, certo modo

Summis Imperii Judicis ſubjectos eſſe, ac illam denique conditionem ſublimiorem, ſenſim invaluiſſe, legibusque fundamentalibus tandem eſſe confirmatam.

§. 74. Quodſi autem iſte Reipublicæ habitus, ad generales regulas politicas exigatur, tum non ſatis expeditum eſt, quæ *Civitatis forma*, quam vocant, Germaniæ ſit tribuenda. Poteſt quidem tota illa diſquiſitio, Scholaſtica & nullius uſus videri, nec dubitem, quin Empiricis revera ita videatur, ſed, hoc non obſtante, uti illa ſua non caret difficultate, ita nec utilitate omni deſtitui exiſtimanda eſt, nam vis legum germanicarum, juriumque hinc dependentium natura, ſolidius intelligitur, ſi cum principiis generalibus conferantur, cum e contrario leges & jura publica, ſine reſpectu ad hanc normam, conſiderantibus, rei imago ac externa ſpecies facile imponat. Non immerito igitur diſquiſitionem de forma Imperii Germanici, *quæſtionem juris publici capitalem* dixit *Bœclerus*, teſte *Kulpisio ad Monzamb. c. 6. § 3.* qui & Ipſe in Eadem, *univerſum juris publici argumentum, velut in centro, confluere* contendit *d. c. 6. §. 1.*

§. 75. Quæ autem, diſquiſitioni huic rite peragendæ, generalia de formis Rerumpublicarum principia, præſupponenda ſint, tum, quomodo ea, ad quodvis Reipublicæ individuum,

duum, applicari, denique quæ præjudicia, circa faciendam applicationem, ſeponi debeant, illud ſatis traditum eſt a Dn. PRÆSIDE *in Specim. Jur. Public. Romano-german. l. 6. c. 7.* ut ea huc transſcribere non attineat. Id ſolum breviter referimus, quod vulgo, & recte quidem, dicatur: *Propoſitionem Majorem* eſſe deſumendam ex generalibus principiis politicis, *Minorem* ex legibus civitati propriis, hoc legitime peracto, in *Concluſione*, formam Reipublicæ comparere.

§. 76. Quodſi adeo, ex ſolidis Jurisprudentiæ naturalis principiis, majoris Propoſitionis loco, genuinam *Reipublicæ compoſitæ*, ſeu *Civitatum Syſtematis* definitionem præſupponas; in hunc fere modum: *Eſt corpus civile, ex pluribus corporibus ita conſociatum, ut unumquodque ſummum, ac plerumque etiam plenum imperium civile habeat, eoque etiam res ſuas ſeorſim gubernet, ſed ita limitatum, cæterisque conjunctum, ut quædam ejus partes conjunctim ab omnibus ſint exercendæ*, tum, quoad Germaniam, valide ſubſumi, Minoremque propoſitionem, ex legibus fundamentalibus probari poſſe, attenta Superioritatis Territorialis, nexusque, quo Territoria inter ſe conjunguntur, conſideratio, facile perſvadebit, ſecundum ea, quæ *cap. præc.* pluribus diximus, hinc maxime probabilis erit Con-

Concluſio, quæ Germaniam, *plurium corporum Sociorum Syſtema*, dicit.

§. 77. Neque tamen ideo exiſtimandum, quaſi Germania, cum aliis Syſtematibus, expreſſo fœdere conjunctis, exacte conveniat. Convenit ſane cum illis, quoad *eſſentialia*, dum in ea, plura Corpora libera, ac res ſuas, ſeparatis rationibus, expedientia, occurrunt, quæ tamen, quoad negotia, totam Rempublicam concernentia, in commune deliberare ac decernere, nec non onera communia conjunctim ferre debent: Sed in aliis, quæ *Accidentium* rationem habent, ab illis differt. In Summa; diſcrimen occurrit (1) ratione *Originis*: Syſtemata expreſſo fœdere conſtituta, ſeu Ordinaria, deliberato conſilio, a Corporibus liberis ſeparatisque, iniri ſolent, ſed in Germania, Corporum Sociorum Syſtema, ex Monarchia, nunquam ſatis valide adſtricta, ac temporis ſucceſſu magis magisque laxata, membris ejus, mutationem fere non ſentientibus, exortum, adeoque velut fortuitum eſt (2) *conſtitutionis*. In Syſtematibus Ordinariis, diverſa corpora libera, expreſſo fœdere, ad defenſionem communem, coaleſcunt, ſed in Germania, & libertas ſingulorum Corporum, & communis Eorum conjunctio, per electiones Imperatorum, iisque ſurrogatas Capitulationes, nec non illas ſecuta Statuum homa-

homagia, vel fidelitatis juramenta, producitur, id quod fieri poſſe, nemo negaverit, niſi qui indolem actuum humanorum, mutationumque politicarum vim, vel non intelligit, vel ſerio non expendit (3) *libertatis ſingulorum Corporum.* In ordinariis Syſtematibus, ſingula membra Syſtematica, pleno imperio, ad regimen territorii neceſſario, gaudere, præterea toti Syſtemati, nullo in caſu, ſubjecta eſſe ſolent. Sed in Germania Status minores, nonnunquam aliqua imperii civilis parte deſtituuntur, præterea, in caſu neglecti officii, ſingula membra toti Corpori ſubſunt (4) *nexus communis.* Ordinaria Syſtemata nexu ſociali conjunguntur, ac ſingulorum membrorum officia, expreſſo pacto, accurate & adæquate determinantur, ſed commune Germaniæ vinculum, uti nonnullas priſtinæ Reipublicæ reliquias adhuc continet, quod Reſervata Cæſarea & Summa Imperii judicia oſtendunt, ita, maximam partem, ſociale quidem eſt, ſed nec adæquate ſatis efformatum, nec arcte ſatis adſtrictum, cujus rei cauſa in univerſum, à peculiari conſtituendi ratione, Corporum conjunctorum conditione, diverſisque, quæ hic dominari ſolent, ſtudiis & affectibus, dependet (5) *membrorum conjunctorum:* Syſtemata ordinaria, ex membris non adeo multis, quoad vires ac conditionem civi-

civilem, fere æqualibus conſtare ſolent, ſed omnia illa ſecus ſe habere in Germania, quivis facile intelligit: magnus incertusque ibi eſt Statuum numerus, vires maxime diſpares, conditio civilis & hinc orta exiſtimatio, plane diverſa, præterea omnibus, cum quadam prærogativa, Caput præeſt.

§. 78. Cum autem omnia illa diſcrimina, ſint ſaltem accidentalia, nec id, in quo Syſtematum eſſentia poſita eſt, deſtruant, hinc imperite à nonnullis, negandæ conditioni ſyſtematicæ, allegantur, cum ſolum inde ſequatur, Germaniam eſſe *Syſtema Extraordinarium, ex conſvetis regulis, per omnia, non æſtimandum.* Hæc igitur ſi probe notentur, non tantum omnibus, quæ opponi à Diſſentientibus ſolent, facile occurri, ſed & in ſpecie, ad macilentas illas quæſtiones, quas Pacif. à Lapide *in not. ad Monzamb. Diſcurſ. 12. §. 10.* non ſine proprio applauſu, propoſuit, ſine hæſitatione reſponderi poterit. De cætero, memoratam Germaniæ ſtructuram, graves comitari morbos, negari non poteſt, & utinam res ipſa eos non palam oſtenderet! ſed de his diſſerere, animus jam non eſt.

§. 79. Sententiam hactenus defenſam, plus vice ſimplici probavit Conring. *vid. diſſert. de Duc. & Comit. §. 23. 31. 41. Not. ad Lampad. ad lib. tit. pag. 5. 6. ad præfat. pag. 10.*

part.

part. 1. pag. 12. in fin. part. 2. §. 12. pag. 93. de negot. convent. imper. §. 24. add. KULPIS *diſſert. de unitat. Reipubl. in S. R. I. c. 3. §. 3.* Sed velut in transcurſu & nunquam ſtudio ſatis profeſſo. Data autem opera eam excoluit MONZAMBANO *de ſtat. imper. german. c. 6.* quem ex aſſe ſequitur RACHEL *in diſſert. de Capitulat. Imper. c. 6. §. 7.* ut & in *Otio Noviomagenſi c. 18.* Nos ad eam amplectendam, non autoritatis cujusdam præiudicio, multo minus aliquo partium ſtudio, ſed veritatis evidentia, ſumus permoti, ſperamusque qualibuscunque noſtris obſervationibus eam ita ad liquidum eſſe deductam, ut ſolido alicui dubio amplius locus non ſit.

§. 80. Sed non minus ſententia illa multos quoque nacta eſt adverſarios, quibus ex parte reſpondit PUFENDORF. *in diſſert de Republ. irregul.* Inprimis etiam graviter, ut ſibi videtur, contra eam declamat BOECLER. *N. I. l. 22. c. 2.* cujus veſtigiis inhæret KULPIS. *in diſſert. de unitate Reip. in S. R. I.* Enimvero, ſi ſtructuram Germaniæ civilem, aliqua comitantur incommoda, tum morbus agnoſcendus eſt, nihil vero Scriptoribus, bonis rationibus eam probantibus, imputari debet, niſi adulationem veritatis ſtudio præferendam eſſe, quis dicere velit, id quod ſane, ut alibi, ita inprimis in Juris Publici diſciplina, à non-

nonnullis, pro Primo Principio haberi ſolet. Quodſi vero ſententia, ſtructuram parum concinnam defendens, à veritate abeat, tum ſolidis rationibus falſitas oſtendenda, non anticipatis declamationibus agendum eſt.

§. 81. Sicut autem juxta principium §. 75. laudatum, veritas noſtræ ſententiæ oſtenditur, ita non minus ſententiarum oppoſitarum falſitas, ex eodem demonſtrari poteſt & debet. Si quis enim genuinam definitionem vel *Reipublicæ unius in genere*, vel *in ſpecie*, *Monarchiæ*, *Ariſtocratiæ*, *Democratiæ* aut *Reipublicæ mixtæ*, quatenus hæc unius Civitatis ſpeciebus accenſetur, *Majoris propoſitionis* loco, præſupponat, tum quoad Germaniam ſubſumi, ac *Minor* ex legibus fundamentalibus probari non poterit, nam in Republica una, qualiscunque illa alias ſit, requiritur, ut tota Majeſtas uni Subiecto inhæreat, ab eoq; per veram poteſtatum ſubordinationem, in eundem populum, quoad omnes partes, exerceatur, qualem Reipublicæ habitum, cum libertate Territoriorum germanicorum, jurisque Territorialis independentia, legibus fundamentalibus probata, ac à nobis antea ſatis demonſtrata, nunquam aliquis conciliaverit utut verbis ſpecioſis, at inanibus, fucum hic fieri poſſe, non negemus: Hinc etiam *Concluſio*, aliquam, ex memoratis formis, Germaniæ

niæ tributura, deficiet, vel allata non ſubſi-
ſtet: quibus ita ſe habentibus, amplius etiam non erit inquirendum, qualis v. gr. ſit Monarchia, abſoluta an limitata? aut utrum præponderet Monarchia, an Ariſtocratia? aut ſi quæ aliæ hujus generis ſunt quæſtiones, nam illæ omnes, ſubducto fundamento, ludicræ inanesque cenſeri debent.

§. 82. Interim multi formas illas in Germania non tantum quærunt, ſed & ſe reperiſſe arbitrantur, imo illarum defenſione, officium boni Civis, vana omnino hæreſi metiuntur. Videtur lubrica illa ac à vero plane abludens philoſophandi ratio, ex triplici fonte ſummatim oriri: Multa dicuntur ſtudio adulandi, qui autem bona fide diſputant, in illis ſæpe ſolidior principiorum politicorum cognitio deficit, dum ex paupertinæ philoſophiæ peripateticæ fundamentis, quasvis Respublicas æſtimant, ac confuſos falſosque conceptus mixtæ cujusdam, vel alius parum exaſciatæ formæ, involucro obvolvunt: Alios denique in transverſum agit, ambiguus Germaniæ habitus, cum enim externa Schemata titulorumque ſplendor, Monarchiam inſinuent, præterea etiam quædam priſtinæ ſubjectionis reliquiæ ſuperſint, hinc multi, ſe rem hanc egregie explicare, arbitrantur, ſi ab externis argumenta ducant, aut à particulari, ad

(X) uni-

univerſale inferant, atque ita formam aliquam, in ſolo cerebro natam, invitæ Germaniæ aſſignent.

§. 83. Ut ſpecialius nonnihil illa perſequamur, in genere pro *Unitate Reipublicæ, uno ſcilicet imperio civili animatæ* (nam alias etiam corpus fœderatum, ſuo modo, unum corpus, ſeu una Reſpublica eſt) in *diſſert. de Forma ſive ſtatu S. R. Imperii Jen.* 1686. *ſub præſ. Dn.* Lynckeri *habita ac nihil, niſi notas quasdam in tradita Bœcleri N. J. lib. 22. exhibente, hæc. pag. 31.* afferuntur: *Habet Romano-germanicum imperium unius Civitatis requiſita, habet una & omnia jura Majeſtatica, quæ ſemel & ſimul in univerſo exercentur; habet leges unas, communes univerſales, ad ſubditos quoque Statuum horumque politiam & beatitudinem omnigenam civium, porrectas: habet Comitia una, de Imperii ſalute communi: ad quam unice tendunt etiam conventus & comitia particularia, habet cenſus & collectarum rationem unam.* Verum quis non videt, hæc de quovis corpore fœderato dici poſſe? quis enim dubitet, quin plura corpora libera etiam conjunctim imperium civile habeant? Imo hæc eſt indoles Syſtematum, ut nonnulla, collato velut imperio, expedienda ſint, ex quibus tamen unitas Reipublicæ, imperite elicitur. Hoc ergo probandum erat, quod

per

per unum idemque imperium civile, omnia in Germania expediantur, quod non temere fiet. Si ſinguli ſtatus, in ſuis Territoriis leges condunt, milites conſcribunt, tributa imponunt, ſacra ordinant, legatos mittunt, fœdera ineunt, ac plura alia, jure proprio & libero, faciunt, ubinam eſt principium aliquod commune, ex quo illa omnia profluant? hoc ſane non, niſi per calumniam oſtendi poteſt.

§. 84. Multa deinde, pro deſtruenda Territoriorum libertate & Independentia, accumulantur *d. p. 31. 32.* ſed quæ ex iis, quæ *cap. præc.* diximus, facile dilui poſſunt. Urgetur (1) *Vaſallagium & homagium*, ſed hæc vel nullam, vel ſaltem particularem ſubjectionem involvere, adeoque independentiam non deſtruere, ſed quodammodo ſaltem limitare §. 60. 61. oſtenſum eſt. (2) *Immedietatis gloriam, à Statibus ipſis, in ſubjectione, ad Cæſarem & Imperium relata, poni*, ſed quis Philoſophiæ hujus ceremonialis ſit ſenſus, ex Statuum libertate intelligitur, ut fruſtra verbis maior efficacia, quam rei ipſi tribuatur, atque hæc reſponſio ſimul oſtendit, quare (3) *ſubditorum & domini nomina*, nullo cum effectu allegari queant, quod autem (4) *Status à Cæſare dignitates accipiant*, id vel nullam, vel ſaltem particularem, ac cum independentia

facile conciliandam, ſubjectionem arguit, & quis dubitet quin Corpus fœderatum, membro ſocio, dignitates impertiri queat; omnia vero (5.) *jura, libertates & privilegia Status à Cæſare agnoſcere*, ambigue vel falſo dicitur, cum illa legibus fundamentalibus nitantur, quemadmodum etiam probari nequit, quod (6.) *legibus poſitivis, ex aliquo Cæſaris imperio profectis, ſimpliciter teneantur*, denique (7.) *appellationes & judicia imperii* libertatem ac independentiam non deſtruunt, ſeu §. *61. ſeqq.* ſatis probatum.

§. 85. Non melioribus rationibus, unitatem defendit Kulpis. *in diſſert. de Unitat. Reipubl. in S. R. I.* nam uti tota illa Philoſophia, ex fundamentis generalibus, & ex quibus facile, cuivis Corpori fœderato, habitum unius Reipublicæ circumponeres, adornata eſt, ita rationes unitatem perſvaſuræ, oppido ſunt invalidæ. Urgentur ſcilicet (1) *Sanctionum publicarum, iisque innixi ſtyli Curialis, locutiones*, ſed nec illæ unitatem, exquiſite ſuppoſitam, adſtruunt, nec etiam in iis, intentio quæſtionem hanc definiendi, occurrit, ut nunc taceamus, ſolis ejusmodi locutionibus captatis, ac ab habitu Reipublicæ abſtractis, rem iſtam definiri omnino non poſſe (2) *exercitium imperii Civilis à toto Corpore ſuſcepti*, ſed de hoc nemo dubitat, quod autem ab illo

illo principio univerſum imperium civile diſpenſetur, id probandum erat, verum qui probari poſſet, cum ſingula Territoria proprium aliquod principium inſuper in ſe contineant? (3.) *Judicia imperii*, ad quæ jam antea ſatis reſponſum.

§. 86. In ſpecie a nonnullis defenditur *Monarchia abſoluta*, quæ ſententia *Reinkingio*, *Wizendorffio*, *Schüzio*, *Stamlero & Schockio* tribuitur a KULPISIO *ad Monzamb. p. 2. c. 6. §. 6.* ſed eſt ſententia, Eodem Judice, diu exploſa, ac in aula quoque Cæſarea minus grata: Aſſertores rationes in diſputando adhibuere infirmas, longe petitas, alienas aut prorſus falſas, dum ſcilicet ex viſione Danielis, libris Juris Romani, aut ex eo, quod Cæſar Superiorem non habeat, vel titulis Imperatoriis, enorme aſſertum elicuerunt.

§. 87. Sententia de *Monarchia quadam limitata*, probabilior videri poteſt, ſed ſi quis ejus habitum, cum Republica Germanica, propius contendat, ejus inconcinnitas facile quoque apparet. In Monarchia limitata, omne imperium eſt penes Imperantem, ab Eoque, quoad omnes partes, in omnes & ſingulos ſubditos, per veram poteſtatum ſubordinationem, exercetur, Proceres vero ad ejus exercitium, nonnunquam ſaltem, velut Conſiliarii, voto ſcilicet conſultativo, concur-

runt, præterea in ditionibus, quas poſſident, vel quibus præfecti ſunt, proprio quodam jure non gaudent. Aſt in Germania Status Imperii, cum Cæſare in Comitiis congregati, non voto conſultativo, ſed deciſivo, velut Coimperantes, negotia expediunt, ſed ea ſaltem, quæ totius Reipublicæ ſalutem concernunt, cætera vero in Territoriis ſuis, proprio jure ſinguli determinant, ex quo Regni limitati & Germaniæ differentia, eſt maniſeſtiſſima.

§. 88. Atque ex his obſcuræ, nec facile, ab ipſis Autoribus, ad liquidum, per omnia, deducendæ Philoſophiæ, quæ in *Diſſertatione Lynckeriana* antea allegata *pag. 55. ſeqq.* extat quæque itidem Monarchiam limitatam inculcat, occurri etiam poterit, nam quod *Status Imperii, de ſumma Reipublicæ tantum conſultare, eorumque conſenſum Cæſar, dum præcipua Majeſtatis ſuæ jura exercet, tanquam conditionem ſine qua non adhibere, ex pacto teneri, perhibeantur*, id rem non conficit, nam quæ Cæſar cum Statibus agit, particularia ſaltem ſunt, qualia etiam in corpore fœderato, communibus ſuffragiis, expediri ſolent, ad negotia autem Territorialia, iſta tractandi ratio non porrigitur, ſed in his peculiari imperio, res territoriales definiuntur. Præterea manifeſta in Status injuria eſt, quando de Sum-

Summa Reipublicæ ſaltem *conſultare* dicuntur, ac eorum conſenſus *tanquam conditio ſine qua non*, requiri perhibetur. Rectius hac in parte KULPIS. *ad Monzamb. c. 6. §. 7. Germaniam*, inquiens, *non eſſe regnum limitatum, pro explorato habeo, quia jura ſummæ poteſtatis plurima poſitive communicata ſunt cum Ordinibus, ita ut ad conſtitutionem Subjecti accidentalis* (hoc prædicatum ex falſa reſultat hypotheſi) *cui Majeſtas Reipublicæ inhæret, Illi cum Imperatore concurrant, eoque reſpectu* (etiam alio, licet id haut putet KULPIS.) *conſortes ſummi imperii haberi debeant, nam in regno limitato, ſaltim reſtrictio fit poteſtatis, in Rege, & ille ſolus Majeſtatis Subjectum adhuc efficit, qualescunque leges eidem ſint præſcriptæ, ſed ubi iſtius cum aliis communicatio inſtituitur, formalis ratio regni tollitur, ut ne pro limitato quidem amplius haberi poſſit, ſed ad mixtam Reipublicæ formam fit progreſſus*, qua tamen imperii mixtura, Germaniæ formam non oſtendi, mox oſtendam.

§. 89. Ut *Ariſtocratiam* nonnulli in Germania aſſererent, inter quos *Bodinus & Hippolytus a lapide*, præcipue numerantur, negligentior Comitiorum Germanicorum conſideratio, facile efficere potuit, nam ſicut in Ariſtocratiis concilium Procerum exiſtit, in eoque Optimates imperii civilis parti-

ticipes ſunt, ita in Germania quocque, & Procerum concilia, & hos, imperio civili inſtructos, deprehendere licet. Verum ſi attentius libertatem Territoriorum Germanicorum expendamus, Ariſtocratiæ ſimulacrum ſtatim diſparet; nam Status imperii in Territoriis ſuis, proprio ac independente, imperio gaudent, ditionesque ſuo nomine gubernant, ſed Optimates Ariſtocratici, domi ſuæ privatam agunt vitam, ac extra Comitia, omni imperio civili deſtituuntur, & non minus addicte ſinguli Concilio Ariſtocratico parent, quam cæteri ſubditi. Atque ex eo, notabile etiam Conciliorum Ariſtocraticorum & Comitiorum Germanicorum diſcrimen emergit: In illis omnia Reipublicæ negotia expediuntur, in his ea ſaltem, quæ totius Corporis rationes attingunt, in illis, totius imperii civilis, in his nonnullarum ſaltem partium exercitium occurrit, pleraque vero in Territoriis, proprio imperio expediuntur.

§. 29. Multa quidem, in favorem Ariſtocratiæ, etiam diſſeruit *Kulpis. ad Monzamb. c. 6. §. 4.* ſed vel ad rem nihil faciunt, vel falſitatis ſunt manifeſta, Contendit (1) *in Germania, perinde ac in Ariſtocratiis, dari ſenatum perpetuum*, de hoc non valde litigandum puto, cum iſta Senatus perpetuitas, etiam

etiam in Syſtemate locum habere queat (2) *Comitia Germaniæ non peculiares duntaxat ob cauſas convocari, ſed in illis, de omnibus negotiis, totam Rempublicam concernentibus diſponi.* Verum inter hæc duo, vel non eſt juſta oppoſitio, vel hac admiſſa, doctrina evidenter falſa eſt, an enim ſingulorum Territoriorum negotia in Comitiis expediuntur? & circa illa tamen, maxima imperii civilis Germanici pars, occurrit! (3) *in Comitiis Germaniæ vota majora valere*, eſto? idem quoque in Conciliis Syſtematicis obtinere poteſt (4) *ſingulos Status non minus addicte toti Imperio ſubeſſe, quam Senatores Ariſtocraticos, univerſo Senatui*, hoc utique etiam a veritate abit, quis enim credat, homines privatos & Imperantes, eodem ſubjectionis genere obſtringi? Callide autem nonnulla immiſcentur, de ſubjectione ſtatuum particulari, quæ in caſu neglecti officii, obtinet, hanc enim, nec æqualitatem civium Ariſtocraticorum, & Procerum Germaniæ, evincere, ac cum horum independentia, conciliari poſſe § 55. *ſeqq.* ſatis demonſtratum eſt, hinc a veritate quoque abludit quod (5) *ſtatuum bona eodem modo toti imperio ſubjiciantur, quo Civium Ariſtocraticorum bona concilio optimatum*, nam in Territoria Germaniæ, toti Reipublicæ aliquid juris competere, negari quidem non

poteſt, cum etiam ſyſtematibus, in bona Sociorum, neceſſario aliquod jus aſſerendum ſit, ſed, illud cum imperio, cui in Ariſtocratiis, ſingulorum Civium bona generaliter ſubſunt, comparari poſſe, gratis utique dicitur.

§. 91. Plerique *mixtura* delectantur, adeoque in Germania cenſent eſſe *Rempublicam ex Monarchia & Ariſtocratia mixtam*, imo parum abeſt, quin in aſſertione & defenſione hujus formæ, ſalutem Germaniæ, poſitam eſſe exiſtiment. In ſpecie eandem ſententiam propugnat Kulpis. *ad Monzamb. c. 6. §. 7. p. 224.* qui, poſt inſtitutam, de mixtura Rerumpublicarum, Philoſophiam generalem: *quare*, inquit, *in hanc ſententiam concludo, cum Majeſtatis jura dividi poſſint, ac in Imperio noſtro, ita quoque diviſa reperiantur, ut quædam Imperatori ſoli, alia Eidem, cum Ordinibus communicata, competant, Reipublicæ formam, utique ex Monarchia & Ariſtocratia mixtam, eſſe ſtatuendam, quod fecerunt Strauchius, Bœclerus, Arumæus, Limnæus, Carpzovius ac plures optimorum publici juris Doctorum alii.* Poſita autem illa ſententia, amplius diſceptari ſolet, *utrum in mixtura illa Monarchia, vel Ariſtocratia prævaleat?* vid. Limn. *I. P. l. 1. cap. 10. num. 12.* Boecler. *N. I. l. 22. c. 3.* Lyncker. *diſſert. de form. S. R. I. p. 50. ſeqq.*

§. 92.

§. 92. Enim vero non difficile fuerit, illam etiam mixturam elidere. Ad hoc autem non opus eſt, ut eam in genere plane negemus, poſſumus gloriam vel inventæ, vel magis illuſtratæ & defenſæ mixturæ, Autoribus ſuis relinquere. Id ſaltem conſiderandum eſt, quod laudata illa Reipublicæ, in Germania mixtæ, forma, ex falſa hypotheſi, quaſi, in *Reſervatis Cæſareis & Communicatis*, quæ vocant, univerſum imperium civile germanicum conſiſtat, oriatur, cum tamen, quod ſine calumnia negari nequit, maxima ejus pars, in regimine Territoriorum ſingulari, occurrat. Jam eſto, quod circa Reſervata & Communicata, mixtum aliquod regimen detur, liceat etiam inventi hujus Autoribus, ſenſu ſuo abundare, ac, prout viſum fuerit, vel Monarchiæ, vel Ariſtocratiæ, prærogativam decernere, attamen hoc omne pertinet ſaltem ad commune totius Corporis Germanici regimen, ad adminiſtrationem vero Territoriorum ſingulorum non pertingit, nec adeo totius imperii civilis germanici habitum exhaurit, & ex hoc tamen, de forma Reipublicæ, ferendum eſſe judicium, quis non videt? Imperite igitur vel callide, in iſto mixturæ invento, particulariter ſolum forma Reipublicæ Germanicæ exprimitur, & eo quidem reſpectu, quo quævis

Sy-

Syſtemata, unam Rempublicam imitantur, habitus vero Territoriorum ſingulorum, ex quo Civitatis noſtræ forma potiſſimum dependet, omittitur.

§. 93. Qui Germaniæ *formam democraticam* attribuerit, ſe non vidiſſe dicit Monzamb. *de ſtat. imper. German. c. 6. §. 3.* quædam tamen, ſed vaga admodum & ipſi Autori mox refutata, eam in rem diſputaſſe *Relfendſo*, ſive *Roſenfeldium, Heldeburgenſem Francum*, refert Kulpis. *ad Monzamb. d. c. 6. §. 3.* Nobis operæ pretium non videtur, in iſta inquirere, aut ipſius formæ, ad Germaniam applicatæ, abſurditatem oſtendere, cum hæc omnium oculis jam ſit expoſita.

Tantum.

INDEX.

INDEX

Rerum, quæ in hoc Specimine, Vindiciis caſtigatis & Diſſertatione continentur. Prior numerus, *paginam*, poſterior, *paragraphum* indicat. Litera V. ad *Vindicias*, D. ad *Diſſertationem* remittit.

A.

ABBATES.

EOrum conditio primæva & mutatio 92.10. *ſeqq. varietas quoad tempora præſentia* 275.25. *ſeqq. olim ſubfuerunt Epiſcopis* 689. 35.

ACADEMIA.

A Statibus imperii inſtitui poteſt 316.56. *quo ſenſu ejus inſtituendæ jus ſit penes Cæſarem,* 538. 44. *ſeqq. Academiæ inſtituendæ jus, Statibus competit D.* 284. 40.

ACTIONES FORENSES.

Inter Status imperii quoque occurrunt, earum indoles, denominatio & proceſſus 726.1. *ſeqq. nomina Romana, iis deſignandis, non ſunt neceſſaria V.*244.306. *ſeqq.*

ALBERGARIA.

Jus Albergariæ in quo conſiſtat, & quomodo

acqui-

acquiratur 389. 12. ſeqq. an ad Reſervata Cæſarea pertineat 546. 74.

APPELLATIO.

Circa jus Sacrorum locum non habet 345. 101. nec circa Superioritatem territorialem in genere 372. 3. jura de non appellando plenius exhibita 616. 41. ſeqq. appellatio olim apud Germanos uſitata 682. 10. à Rothwilenſi judicio, ad tribunalia imperii appellatur 694. 12. quod etiam obtinet quoad Auſtregas 703. 24. 705. 23. appellatio an deſtruat Majeſtatem Superioritatis territorialis 765. 21. 22.

ARCHIOFFICIA.

Pertinent ad Electores; Eorum indoles, varietas, uſus & origo explicatur 397. 22. ſeqq. non ſunt confundenda cum officiis Bambergenſibus 403. 45. controverſia circa Archibanneresiatum 404. 47. ſeqq.

AUGUSTA.

Exercet aliquando jus primariarum precum 534. 33. ſubeſt legibus privatis, ac adeo ad Jurisprudentiam privatam pertinet 571. 1. ſeqq.

AUREA BULLA.

Prolixius explicatur 186. 1. ſeqq. Aurea bulla Brabantina, quid 367. 51. ſeqq. Vicarii per Auream bullam ſunt conſtituti 585. 3. an definitio ætatis, in illa facta, omnibus Principibus applicari queat V. 134. 163. ſeqq.

B. BAN-

Digitized by Google

B.

Bannum.

Declaratio in bannum ad Comitia pertinet 609. 16. metu banni ad ſolvendas collectas Status adiguntur 615. 37. pœna banni 622. 64. ſeqq. judicii aulici poteſtas, circa bannum dubia 688. 33.

Baro.

Quidnam hoc nomen involvat 77. 14.

Bellum.

Jus belli gerendi Statuum imperii 316. 53. ſeqq. in bello occurrunt etiam actus pacifici 356. 4. jus belli in exteros 361. 23. ſeqq. an ob exiſtimationem læſam bellum recte geratur 384. 57. jus belli in alieno Territorio 389. 12. belli inſtruendi & gerendi ratio antiqua & præſens 495. 33. ſeqq. bello Cæſar aliquando exauctorari poteſt 568. 28. Bellum Turcicum non eſt cauſa imperii germanici 613. 29. Bellum totius Reipublicæ germanicæ 676. 10. ſeqq. jus milites conſcribendi quomodo Status exercere debeant V. 161. 197. ſeqq. belli geſtio quæ requirat 170. 203. ſeqq. jus belli unde Status habeant 175. 210. ſeqq. Statuum jus belli explicatum D. 284. 41. ſeqq.

Beneficium à Latere.

A Canonicis impetrari ſolet 341. 86.

C.

Camera Imperialis.

Ejus matricula & Album 293. 35. conventus

runt, præterea in ditionibus, quas poſſident, vel quibus præfecti ſunt, proprio quodam jure non gaudent. Aſt in Germania Status Imperii, cum Cæſare in Comitiis congregati, non voto conſultativo, ſed deciſivo, velut Coimperantes, negotia expediunt, ſed ea ſaltem, quæ totius Reipublicæ ſalutem concernunt, cætera vero in Territoriis ſuis, proprio jure ſinguli determinant, ex quo Regni limitati & Germaniæ differentia, eſt maniſeſtiſſima.

§. 88. Atque ex his obſcuræ, nec facile, ab ipſis Autoribus, ad liquidum, per omnia, deducendæ Philoſophiæ, quæ in *Diſſertatione Lynckeriana* antea allegata *pag. 55. ſeqq.* extat quæque itidem Monarchiam limitatam inculcat, occurri etiam poterit, nam quod *Status Imperii, de ſumma Reipublicæ tantum conſultare, eorumque conſenſum Cæſar, dum præcipua Majeſtatis ſuæ jura exercet, tanquam conditionem ſine qua non adhibere, ex pacto teneri, perhibeantur*, id rem non conficit, nam quæ Cæſar cum Statibus agit, particularia ſaltem ſunt, qualia etiam in corpore fœderato, communibus ſuffragiis, expediri ſolent, ad negotia autem Territorialia, iſta tractandi ratio non porrigitur, ſed in his peculiari imperio, res territoriales definiuntur. Præterea manifeſta in Status injuria eſt, quando de

Sum-

Summa Reipublicæ ſaltem *conſultare* dicuntur, ac eorum conſenſus *tanquam conditio ſine qua non*, requiri perhibetur. Rectius hac in parte KULPIS. *ad Monzamb. c. 6. §. 7. Germaniam*, inquiens, *non eſſe regnum limitatum, pro explorato habeo, quia jura ſummæ poteſtatis plurima poſitive communicata ſunt cum Ordinibus, ita ut ad conſtitutionem Subjecti accidentalis* (hoc prædicatum ex falſa reſultat hypotheſi) *cui Majeſtas Reipublicæ inhæret, Illi cum Imperatore concurrant, eoque reſpectu* (etiam alio, licet id haut putet KULPIS.) *conſortes ſummi imperii haberi debeant, nam in regno limitato, ſaltim reſtrictio fit poteſtatis, in Rege, & ille ſolus Majeſtatis Subjectum adhuc efficit, qualeſcunque leges eidem ſint præſcriptæ, ſed ubi iſtius cum aliis communicatio inſtituitur, formalis ratio regni tollitur, ut ne pro limitato quidem amplius haberi poſſit, ſed ad mixtam Reipublicæ formam fit progreſſus*, qua tamen imperii mixtura, Germaniæ formam non oſtendi, mox oſtendam.

§. 89. Ut *Ariſtocratiam* nonnulli in Germania aſſererent, inter quos *Bodinus & Hippolytus a lapide*, præcipue numerantur, negligentior Comitiorum Germanicorum conſideratio, facile efficere potuit, nam ſicut in Ariſtocratiis concilium Procerum exiſtit, in eoque Optimates imperii civilis partici-

(X) 4

ticipes ſunt, ita in Germania quocque, & Procerum concilia, & hos, imperio civili inſtructos, deprehendere licet. Verum ſi attentius libertatem Territoriorum Germanicorum expendamus, Ariſtocratiæ ſimulacrum ſtatim diſparet; nam Status imperii in Territoriis ſuis, proprio ac independente, imperio gaudent, ditionesque ſuo nomine gubernant, ſed Optimates Ariſtocratici, domi ſuæ privatam agunt vitam, ac extra Comitia, omni imperio civili deſtituuntur, & non minus addictè ſinguli Concilio Ariſtocratico parent, quam cæteri ſubditi. Atque ex eo, notabile etiam Conciliorum Ariſtocraticorum & Comitiorum Germanicorum diſcrimen emergit: In illis omnia Reipublicæ negotia expediuntur, in his ea ſaltem, quæ totius Corporis rationes attingunt, in illis, totius imperii civilis, in his nonnullarum ſaltem partium exercitium occurrit, pleraque vero in Territoriis, proprio imperio expediuntur.

§. 29. Multa quidem, in favorem Ariſtocratiæ, etiam diſſeruit *Kulpis. ad Monzamb. c. 6. §. 4.* ſed vel ad rem nihil faciunt, vel falſitatis ſunt manifeſta, Contendit (1) *in Germania, perinde ac in Ariſtocratiis, dari ſenatum perpetuum*, de hoc non valde litigandum puto, cum iſta Senatus perpetuitas, etiam

etiam in Syſtemate locum habere queat (2) *Comitia Germaniæ non peculiares duntaxat ob cauſas convocari, ſed in illis, de omnibus negotiis, totam Rempublicam concernentibus diſponi.* Verum inter hæc duo, vel non eſt juſta oppoſitio, vel hac admiſſa, doctrina evidenter falſa eſt, an enim ſingulorum Territoriorum negotia in Comitiis expediuntur? & circa illa tamen, maxima imperii civilis Germanici pars, occurrit! (3) *in Comitiis Germaniæ vota majora valere*, eſto? idem quoque in Conciliis Syſtematicis obtinere poteſt (4) *ſingulos Status non minus addicte toti Imperio ſubeſſe, quam Senatores Ariſtocraticos, univerſo Senatui*, hoc utique etiam a veritate abit, quis enim credat, homines privatos & Imperantes, eodem ſubjectionis genere obſtringi? Callide autem nonnulla immiſcentur, de ſubjectione ſtatuum particulari, quæ in caſu neglecti officii, obtinet, hanc enim, nec æqualitatem civium Ariſtocraticorum, & Procerum Germaniæ, evincere, ac cum horum independentia, conciliari poſſe § 55. *ſeqq.* ſatis demonſtratum eſt, hinc a veritate quoque abludit quod (5) *Statuum bona eodem modo toti imperio ſubjiciantur, quo Civium Ariſtocraticorum bona concilio optimatum*, nam in Territoria Germaniæ, toti Reipublicæ aliquid juris competere, negari quidem non

poteſt, cum etiam ſyſtematibus, in bona Sociorum, neceſſario aliquod jus aſſerendum ſit, ſed, illud cum imperio, cui in Ariſtocratiis, ſingulorum Civium bona generaliter ſubſunt, comparari poſſe, gratis utique dicitur.

§. 91. Plerique *mixtura* delectantur, adeoque in Germania cenſent eſſe *Rempublicam ex Monarchia & Ariſtocratia mixtam*, imo parum abeſt, quin in aſſertione & defenſione hujus formæ, ſalutem Germaniæ, poſitam eſſe exiſtiment. In ſpecie eandem ſententiam propugnat Kulpis. *ad Monzamb. c. 6. §. 7. p. 224.* qui, poſt inſtitutam, de mixtura Rerumpublicarum, Philoſophiam generalem: *quare*, inquit, *in hanc ſententiam concludo, cum Majeſtatis jura dividi poſſint, ac in Imperio noſtro, ita quoque diviſa reperiantur, ut quædam Imperatori ſoli, alia Eidem, cum Ordinibus communicata, competant, Reipublicæ formam, utique ex Monarchia & Ariſtocratia mixtam, eſſe ſtatuendam, quod fecerunt Strauchius, Bœclerus, Arumæus, Limnæus, Carpzovius ac plures optimorum publici juris Doctorum alii.* Poſita autem illa ſententia, amplius diſceptari ſolet, *utrum in mixtura illa Monarchia vel Ariſtocratia prævaleat?* *vid.* Limn. *I. P. l. 1. cap. 10. num. 12.* Boecler. *N. I. l. 22. c. 3.* Lyncker. *diſſert. de form. S. R. I. p. 50. ſeqq.*

§. 92.

§. 92. Enim vero non difficile fuerit, illam etiam mixturam elidere. Ad hoc autem non opus eſt, ut eam in genere plane negemus, poſſumus gloriam vel inventæ, vel magis illuſtratæ & defenſæ mixturæ, Autoribus ſuis relinquere. Id ſaltem conſiderandum eſt, quod laudata illa Reipublicæ, in Germania mixtæ, forma, ex falſa hypotheſi, quaſi, in *Reſervatis Cæſareis & Communicatis*, quæ vocant, univerſum imperium civile germanicum conſiſtat, oriatur, cum tamen, quod ſine calumnia negari nequit, maxima ejus pars, in regimine Territoriorum ſingulari, occurrat. Jam eſto, quod circa Reſervata & Communicata, mixtum aliquod regimen detur, liceat etiam inventi hujus Autoribus, ſenſu ſuo abundare, ac, prout viſum fuerit, vel Monarchiæ, vel Ariſtocratiæ, prærogativam decernere, attamen hoc omne pertinet ſaltem ad commune totius Corporis Germanici regimen, ad adminiſtrationem vero Territoriorum ſingulorum non pertingit, nec adeo totius imperii civilis germanici habitum exhaurit, & ex hoc tamen, de forma Reipublicæ, ferendum eſſe judicium, quis non videt? Imperite igitur vel callide, in iſto mixturæ invento, particulariter ſolum forma Reipublicæ Germanicæ exprimitur, & eo quidem reſpectu, quo quævis

Sy-

Syſtemata, unam Rempublicam imitantur, habitus vero Territoriorum ſingulorum, ex quo Civitatis noſtræ forma potiſſimum dependet, omittitur.

§. 93. Qui Germaniæ *formam democraticam* attribuerit, ſe non vidiſſe dicit MONZAMB. *de ſtat. imper. German. c. 6. §. 3.* quædam tamen, ſed vaga admodum & ipſi Autori mox refutata, eam in rem diſputaſſe *Relfendſo*, ſive *Roſenfeldium, Heldeburgenſem Francum*, refert KULPIS. *ad Monzamb. d. c. 6. §. 3.* Nobis operæ pretium non videtur, in iſta inquirere, aut ipſius formæ, ad Germaniam applicatæ, abſurditatem oſtendere, cum hæc omnium oculis jam ſit expoſita.

Tantum.

INDEX.

INDEX

Rerum, quæ in hoc Specimine, Vindiciis caſtigatis & Diſſertatione continentur. Prior numerus, *paginam*, poſterior, *paragraphum* indicat. Litera V. ad *Vindicias*, D. ad *Diſſertationem* remittit.

A.

ABBATES.

Eorum conditio primæva & mutatio 92.10. ſeqq. varietas quoad tempora præſentia 275.25. ſeqq. olim ſubfuerunt Epiſcopis 689. 35.

ACADEMIA.

A Statibus imperii inſtitui poteſt 316.56. quo ſenſu ejus inſtituendæ jus ſit penes Cæſarem, 538. 44. ſeqq. Academiæ inſtituendæ jus, Statibus competit D. 284. 40.

ACTIONES FORENSES.

Inter Status imperii quoque occurrunt, earum indoles, denominatio & proceſſus 726.1. ſeqq. nomina Romana, iis deſignandis, non ſunt neceſſaria V. 244. 306. ſeqq.

ALBERGARIA.

Jus Albergariæ in quo conſiſtat, & quomodo acqui-

acquiratur 389. 12. ſeqq. an ad Reſervata Cæſarea pertineat 546. 74.

APPELLATIO.

Circa jus Sacrorum locum non habet 345. 101. nec circa Superioritatem territorialem in genere 372. 3. jura de non appellando plenius exhibita 616. 41. ſeqq. appellatio olim apud Germanos uſitata 682. 10. à Rothwilenſi judicio, ad tribunalia imperii appellatur 694. 12. quod etiam obtinet quoad Auſtregas 703. 24. 705. 23. appellatio an deſtruat Majeſtatem Superioritatis territorialis 765. 21. 22.

ARCHIOFFICIA.

Pertinent ad Electores; Eorum indoles, varietas, uſus & origo explicatur 397. 22. ſeqq. non ſunt confundenda cum officiis Bambergenſibus 403. 45. controverſia circa Archibanneresiatum 404. 47. ſeqq.

AUGUSTA.

Exercet aliquando jus primariarum precum 534. 33. ſubeſt legibus privatis, ac adeo ad Jurisprudentiam privatam pertinet 571. 1. ſeqq.

AUREA BULLA.

Prolixius explicatur 186. 1. ſeqq. Aurea bulla Brabantina, quid 367. 51. ſeqq. Vicarii per Auream bullam ſunt conſtituti 585. 3. an definitio ætatis, in illa facta, omnibus Principibus applicari queat V. 134. 163. ſeqq.

Google

B.

BANNUM.

Declaratio in bannum ad Comitia pertinet 609. 16. metu banni ad ſolvendas collectas Status adiguntur 615. 37. pœna banni 622. 64. ſeqq. judicii aulici poteſtas, circa bannum dubia. 688. 33.

BARO.

Quidnam hoc nomen involvat 77. 14.

BELLUM.

Jus belli gerendi Statuum imperii 316. 53. ſeqq. in bello occurrunt etiam actus pacifici 356. 4. jus belli in exteros 361. 23. ſeqq. an ob exiſtimationem læſam bellum recte geratur 384. 57. jus belli in alieno Territorio 389. 12. belli inſtruendi & gerendi ratio antiqua & præſens 495. 33. ſeqq. bello Cæſar aliquando exauctorari poteſt 568. 28. Bellum Turcicum non eſt cauſa imperii germanici 613. 29. Bellum totius Reipublicæ germanicæ 676. 10. ſeqq. jus milites conſcribendi quomodo Status exercere debeant V. 161. 197. ſeqq. belli geſtio quæ requirat 170. 203. ſeqq. jus belli unde Status habeant 175. 210. ſeqq. Statuum jus belli explicatum D. 284. 41. ſeqq.

BENEFICIUM à LATERE.

A Canonicis impetrari ſolet 341. 86.

C.

CAMERA IMPERIALIS.

Ejus matricula & Album 293. 35. conventus

Viſi-

Viſitatorum Cameræ 663. 16. ſeqq. Aſſeſſores Cameræ à Circulis ex parte præſentantur 668. 11. judicium Camerale prolixius expoſitum 707. 1. ſeqq.

CAPITULA.

An à Statibus imperii tolli queant 342. 91. ſeqq.

CAPITULATIO CÆSAREA.

Prolixior ejus explicatio 219. 1. ſeqq. capitulatio perpetua quid, & an ejus conceptio ſperanda 229. 38. ſeqq. an Capitulatio Cæſaris Majeſtatem imminuat 529. 14. ſeqq. controverſia capitulationis perpetuæ, inſtrumento pacis non eſt deciſa V. 81. 96. ſeqq. capitulatio ad titulos finium recuperandorum non pertinet V. 100. 114. ſeqq.

CIRCULI.

Circulorum imperii prolixior explicatio 627. 1. ſeqq. ut & conventuum circularium 665. 1. ſeqq. toti circulo in ſingula membra non competit imperium 675. 5. quinam circuli judicio Rothwilenſi ſubſint 692. 5. an Circulis executio præciſe à Cæſare committenda 725. 35.

COLLECTÆ.

Earum prolixior conſideratio 611. 24. ſeqq. collectas circuli deprecantur 668. 12.

COMES.

An apud Germanos antiquos Comites fuerint 73. 4. ſub dominis continentur 76. 13. Duci-

bus ſubfuerunt 78. 16. Comites Palatini, Marchiones, Burggravii &c. 269. 6. ſeqq. Comites judicia exercuerunt 681. 7. ſeqq.

COMITIA.

Jus voti comitiale ex jure Territoriali profluit, quibus illud competat 392. 3. ſeqq. quotuplicia ſint ſuffragia 394. 9. ſeqq. quomodo jus illud acquiratur 395. 14. ſeqq. jus Cæſareum quoad Comitia 544. 68. 69. jus religioſum ad comitia pertinet 546. 76. an in Comitiis ſententia Cæſaris, Statuum votum ullo caſu vincat 547. 78. Obligatio Cæſaris quoad negotia Comitialia 559. 14. ſeqq. quænam negotia, ad Comitia pertineant 607. 9. ſeqq. Comitiorum univerſalium prolixior expoſitio 637. 1. ſeqq. Comitia repræſentatitia 659. 1. in ſpecie Regimentum 660. 3. deputationes ordinariæ d. l. 6. conventus Viſitatorum Cameræ 663. 16. ſeqq. Comitia particularia, ut circularia 665. 1. ſeqq. Statuum imperii 669. 1. ſeqq. decretorum comitialium executio 674. 1. ſeqq. jus ſuffragii an nobilius jure Territoriali 762. 8. ſeqq. eſt jus majeſtaticum 763. 12. an ad Comitia admittatur, qui domi non eſt ſui juris V. 111. 128. ſeqq. 155. 189. negotia comitialia ad Reſervata Cæſaris male referuntur V. 204. 251. An Comitiorum indictio omnium Electorum conſenſu fieri debeat V. 227. 286. ſeqq. jus ſuffragii ſine jure Territoriali ægre

conceditur D. 271. 20. jure ſuffragii non omnes Germaniæ Proceres gaudent D. 295. 53. ſeqq.

CONDITIO STATUUM IMPERII PRIVATA.

Status imperii cum privatis habent communia matrimonia, patriam poteſtatem, adoptiones, emancipationes, tutelas, teſtamenta, jura rerum, contractus, ludos, præſcriptionem, delicta, & lites forenſes 470. 1. ſeqq.

CORONATIO.

Imperatoris prolixius expoſita 520. 1. ſeqq. coronatio Imperatricis 5[illegible]. 20.

D.

DELICTUM.

Omnia ſubditorum delicta, Superioritati Territoriali ſubſunt 308. 22. ſeqq. quousque circa ea Princeps diſpenſare poſſit 313. 41. Exempla delictorum in Reginis punitorum 572. 6. delinquentium deductio & remiſſio V. 143. 173.

DOMINI.

Quinam ſub hoc titulo comprehendantur 76. 13. ſeqq. inprimis quoad tempora præſentia 272. 15. ſeqq. an à Baronibus differant 377. 24.

DOMI-

DOMINIUM PUBLICUM.

Ab imperio debet diſcerni, quæ ejus indoles & objectum 347. 1. ſeqq. probatio ſpecialior quoad exempla controverſa 350. 16. ſeqq.

DUX.

Quid fuerit apud Romanos & Germanos antiquos 73. 3. ſeqq. Duces & Ducatus Germaniæ 269. 4. 5.

E.

ELECTORES.

Eorum exiſtimatio 376. 19. ſeqq. prærogativa præ Principibus controverſa 377. 27. ſeqq. funguntur Archiofficiis imperialibus 397. 22. ſeqq. Electoratus aperti omnium Statuum conſenſu à Cæſare denuo ſunt conferendi 408. 7. ſeqq. dignitas Electoralis à quibus conferri queat 409. 12. Electorum origo 504. 9. ſeqq. octavi & noni Electoratus moralitas 508. 23. ſeqq. An Regem Romanum eligere queant Electores 576. 7. ſeqq. ſine eorum conſenſu Comitia indici nequeunt 639. 6. ſeqq. conventus Electorales 670. 2. ſeqq. an Comitiorum indictio omnium Electorum conſenſum requirat V. 227. 286. ſeqq.

EPISCOPI.

Eorum prima conditio & mutatio 90. 2. ſeqq.

conditio & varietas quoad tempora præſentia 274. 21. ſeqq. ratio conſtituendi antiqua & nova 415. 32. ſeqq. judicia ab Epiſcopis exercita 681. 7. ſeqq. in Principibus Proteſtantibus, perſona Epiſcopi male aſſeritur D. 288. 45. ſeqq.

EQUITES ECCLESIASTICI.

Eorum varietas & habitus in ordine ad vitam civilem 93. 15. ſeqq. eorum capita 276. 25. ſubſunt dominis Territorialibus 345. 100.

EXISTIMATIO.

Statuum imperii prolixe expoſita 374. 12. ſeqq. controverſiarum de præcedentia moralitas, fundamenta & judex 381. 41. ſeqq. Exiſtimatio Cæſaris pluribus tradita 550. 9. ſeqq. præcedentia controverſa quoad Circulos 634. 27. Cæſaris prærogativa an ab imperio Romano dependeat V. 206. 252. ſeqq.

EXPEDITIO ROMANA.

Ejus origo 521. 7. modus colligendi onera juxta expeditionem Romanam 613. 32. ſeqq.

F.

FINES GERMANIÆ.

Eorum jura prolixius paulo recenſentur 146. 1. ſeqq. an in regiones exemtas Cæſari imperium monar-

monarchicum competat 548. 80. fines Germaniæ reſtituti vel amiſſi 678. 15. Hiſpaniæ Galliæque conſideratio male huc trahitur V. 97. 110. ſeqq.

FOEMINÆ.

Earum ſucceſſio in feuda 426. 11. alia jura quæ ipſis intuitu ſucceſſorum illuſtrium competunt 438. 49. ſeqq. fœminæ illuſtres privatorum jure cenſendæ 471. 3. jura conjugum illuſtrium 472. 6.

FORMA REIPUBLICÆ GERMANICÆ.

Generalia principia, ad jura Statuum Imperii, habitum Territoriorum ac totius Reipublicæ formam, dijudicanda, neceſſaria prolixius proponuntur 729. 1. ſeqq. in Germania eſt ſyſtema plurium corporum ſociorum 769. 1. ſeqq. non Reſpublica una 774. 15. ſeqq. non Monarchia 775. 20. ſeqq. nec Ariſtocratia 776. 23. ſeqq. nec Reſpublica mixta 777. 26. ſeqq. multo minus Democratia 778. 30. an in ſtructura Germaniæ civili, morbi reperiantur 783. 19. ſeqq. quo loco de forma Reipublicæ agendum V. 96. 109. variæ, circa Reipublicæ Germaniæ formam, ſententiæ excuſſæ D. 313. 73. ſeqq.

FRANCI.

Eorum origo 45. 18. ſeqq. 64. 17. tributa non cenſentur ſolviſſe 612. 26.

G.

GERMANIA.

Ejus origo 40. 1. ſeqq. Status antiquus 58. 1. ſeqq. partes mediatæ & immediatæ 66. 24. ſeqq. mutatio triplex 70. 34. ſeqq. fines 146. 1. ſeqq. titulus ſolennis 166. 1. ſeqq. metallurgia olim in Germania neglecta 349. 12. an ſucceſſio vel electio olim in ea obtinuerit 503. 4. ſeqq. Germaniæ cum regionibus vicinis comparatio 552. 15. ſeqq. totius Reipublicæ Germanicæ jura, ſummatim exhibita 597. 1. ſeqq. ejus nexus prolixius explicatus 605. 1. ſeqq. principia, ad ejus formam dijudicandam, neceſſaria 729. 1. ſeqq. forma ejus plenius expoſita 769. 1. ſeqq. ratio Status exhibita 783. 18. ſeqq. Germania nulli Regioni Europææ cedit D. 260. 1. ejus nexus communis plenius explicatus D. 297. 55. ſeqq. forma expoſita D. 313. 73. ſeqq.

H.

HOMAGIUM.

A Statibus imperii præſtitum quo loco haberi debeat 459. 11. 20. ſubditi Statuum, homagium do-

dominis ſuis præſtant, cujus indoles prolixius exhibetur 480. 5. *ſeqq.* *homagium Statuum, ſalvis juribus, intelligendum* 528. 9. *ſeqq. fruſtra ex vulgaribus regulis æſtimatur* 625. 74. *an homagium obſit Majeſtati* 753. 102. *ſeqq.* 765. 20. *Homagium omne afficit perſonam* V. 188. 234.

I.

JCti.

Titulus 6. 11. *ad eos potiſſimum ſpectat jus publicum* 15. 35. *eorum libertas in tradendo jure publico* 17. 39. *ſeqq.* *an theologica recte illi tractent* 29. 70.

Imperantes.

Duplicem ſuſtinent perſonam, publicam & privatam 19. 45. *ſeqq.* *ſunt legibus privatis ſuperiores* 24. 59. *ſeqq. non recte in Imperantibus perſona Principis & Epiſcopi effingitur* 345. 101. *Imperantes, ſalva Majeſtate, ob delictum judiciis ſubjici poſſunt* 373. 4. *privata Imperantium conditio vel perſona, plenius repræſentata* 470. 1. *ſeqq.* *Imperantes omnes aliqua obligatione obſtringuntur* 556. 1. *an eorum exauctoratio licita* 566. 21. *ſeqq.* *Imperantes, in caſu delicti, judicem habere poſſunt* 756. 116. 117. D. 304. 61. *ſeqq.*

Imperator.

Poteſt decidere controverſias præcedentiæ Statuum imperii 385. 61. feuda aperta Illi ſervanda ſunt 410. 14. ſeqq. an territoria Germaniæ queat alienare 412. 21. ſeqq. in feudis ſibi ſervatis habet Majeſtatem 464. 8. Imperatoris prolixior conſideratio 502. 1. ſeqq. ejus electio 504. 7. ſeqq. coronatio 520. 1. ſeqq. Majeſtas ſeu jus ratione totius Imperii 526. 1. ſeqq. ejus partes, Reſervata audiunt ac ſpecialiter recenſentur 530. 19. ſeqq. Majeſtatis Imperatoriæ affectiones 548. 1. ſeqq. Imperatoris obligatio 556. 1. ſeqq. tribus modis ille deſinit, morte 561. 1. ſeqq. reſignatione 562. 4. ſeqq. & exauctoratione 566. 20. ſeqq. aliquando etiam inhabilitate 570. 34. Imperatoris ſuſtentatio 613. 30. Imperator non habet judicem imperantem 680. 4. ſeqq. ejus jura ſunt Majeſtatica 760. 3. Cur religio chriſtiana in Imperatore requiratur V. 192. 235. ſeqq. quibusnam Imperator imperium reſignare debeat V. 210. 259. ſeqq.

Imperium Romanum.

Antiqui imperii Romani origo variaque mutatio 47. 25. ſeqq. an ejus translatio exiſtimationem Cæſaris augeat 581. 13. ſeqq. V. 206. 252. ſeqq.

Incor-

INCORPORATIO.

Ejus indoles, intuitu Territoriorum Germanicorum, delineata 467. 18. ſeqq.

INSIGNIA.

In propria diſciplina non jure publico explicanda ſunt 375. 14. inſignia Imperatoris 555. 32.

INVESTITURA.

Quoad feuda illuſtria latius expoſita 456. 1. ſeqq. inveſtitura de feudis illuſtribus ad Reſervata Cæſaris pertinet 543. 65. quoad domum Auſtriacam eadem Imperio conſervanda 559. 11. inveſtitura & nexus feudalis non obſunt Majeſtati 752. 98. ſeqq. an inveſtitura mediate poſſit accipi V. 141. 170. ſeqq.

JUDICIUM.

Cæſar nulli Judicio eſt ſubjectus. 549. 2. 5. 7. 8. obligatio Cæſaris quoad Judicia imperii 560. 18. ſeqq. ne in actu quidem exauctorationis, Imperium Cæſare eſt ſuperius 568. 28. regula: uxor ſequitur forum mariti; in Imperantium uxoribus non obtinet 573. 7. Status imperii Judiciis Reipublicæ ſubjecti ſunt 619. 51. ſeqq. judiciorum germanicorum hiſtoria 679. 1. ſeqq. judicium Weſtphalicum 682. 11. ſeqq. judicia Procerum in cauſis gravioribus 685. 21. ſeqq. judicii auli-

ci Cæſarei autoritas crevit 687. 27. ſeqq. judicium Rothwilenſe 691. 1. ſeqq. Auſtregarum 697. 1. ſeqq. Camerale 707. 1. ſeqq. aulicum, prolixius expoſitum 716. 1. ſeqq. judicium an obſit Majeſtati 753. 105. 756. 116. ſeqq.

Jurisprudentia Publica Romano-Germanica.

Ejus indoles late exponitur 3. ſeqq. quo ordine ejus placita proponenda 251. 1. quid circa Statuum imperii explicationem obſervandum 280. 40. 41. nec non quid circa Superioritatem Territorialem 304. 8. & ſubditos Statuum imperii 486. 29. reſervata Cæſarea 538. 46. ſeqq. judicia Germaniæ 690. 39. ſeqq. proceſſum 728. 9. formam Reipublicæ 730. 5. 6. de methodo Jurisprudentiæ publicæ prolixa diſquiſitio V. 16. 12. ſeqq. ejus limites ſæpe turbantur V. 202. 247. ſeqq.

Jus Gentium.

Sumitur aliquando pro conventione, quæ non exiſtit 365. 41. ejus ambiguitas circa legationes 488. 6. ſeqq. 494. 26.

L.

Legatio.

Jus Legationum Statuum imperii 357. 5. ſeqq.

ſeqq. legatorum indoles & varietas 357. 8. ſeqq. Legati a repreſſaliis ſunt immunes 366. 44. cedunt principalis ſui æqualibus 376. 20. controverſia Electorum & Principum quoad Legatos 378. 28. ſeqq. Legationes Statuum imperii plenius exhibitæ 487. 2. ſeqq. jus Cæſaris quoad legationes imperii 545. 69. controverſiæ Legatorum in Comitiis 643. 22. ſeqq. 651. 52. jus Legationum totius Germaniæ 676. 8. 9.

LEGES PRIVATÆ.

Iis non ſubſunt Imperantes 24. 59. ſeqq. an leges germanicæ privatæ, in controverſiis Jurispublici, autoritatem habeant 238. 1. ſeqq. quid dicendum de jure Romano 239. 4. ſeqq. Canonico 248. 43. ſeqq. & feudali longobardico 249. 50 ſeqq. aliquando jus Germanicum cum extraneo velut luctatur 352. 24. ſeqq. legibus privatis Status imperii non ſubſunt 373. 5. ſeqq. hinc in teſtamentis eas obſervare non debent 436. 44. earum uſus quoad tutelam illuſtrem 450. 5. ſeqq. in genere quoad conditionem Imperantium privatam 471. 4. ſeqq. Legationes 488. 3. 494. 28. Cæſar legibus humanis privatis non ſubeſt 549. 2. leges civiles cedunt rationi ſtatus 782. 15. non habent autoritatem in præſcriptionibus Statuum imperii V. 127. 150. ſeqq. nec in deductionibus delinquentium V. 143. 173. ſeqq.

Leges Publicæ.

Earum diverſitas 6. 12. *natura* 18. 42. *ſeqq. plenius oſtenſa* 172. 1. *ſeqq. ſunt conventiones* 175. 9. *ſeqq. Cæſarem & Status eodem modo obligant* 176. 12. *ſeqq. quo ordine illarum argumentum proponendum* 251. 1.

M.

Majestas.

An in Status delictum majeſtatis committatur 373. 8. *ſeqq. quousque in Cæſarem committi queat* 549. 4. *an in Auguſtam* 572. 6. *An Rex Romanus habeat Majeſtatem* 581. 21. *ſeqq. An Vicarii* 586. 4. *ſeqq. an Status imperii crimen læſæ Majeſtatis committere queant* 621. 59. *Majeſtatis indoles generaliter expoſita* 751. 94. *ſeqq. ei opponitur jus dependens* 757. 123. *ſeqq. Majeſtas an ſine multiplicatione, in pluribus eſſe queat* V. 118. 140. *crimen Majeſtatis quo ſenſu in Status committatur* V. 183. 224. *ſeqq. ſpecimen philoſophiæ ineptæ de Majeſtate* V. 211. 259.

Majora.

An in Comitiis germaniæ majora valeant 64[illegible] 44. *ſeqq.* 652. 55. *ſeqq. obtinent in conventibu[s] circularibus* 667. 9. *an valeant circa ind[i]cti*[illegible]

ctionem Comitiorum V. 227. 286. ſeqq. an in votis Statuum curiatis V. 236. 299. ſeqq.

MATRICULÆ IMPERII.

Earum prolixior explicatio rejecta communi ſententia quæ eas pro indice Statuum habet 281. 1. ſeqq. collectæ ſolvuntur juxta præſcriptum matricularum 613. 31. emendatio matriculæ, ad circulos non pertinet 668. 13. ex matriculis eſſentia vel probatio Status fruſta repetitur D. 275. 26. ſeqq.

MATRIMONIUM.

Cauſæ matrimoniales non ſubſunt Auſtregis 701. 15. nec judicio Camerali 713. 28. nec aulico 721. 17. ſeqq.

MONARCHIA.

Regulæ Monarchicæ ad Germaniam incongrue applicantur 635. 632. Monarchicæ in ſyſtema degenerantis morbi & remedia 785. 26. ſeqq.

MONETA.

Rei monetariæ abuſus 311. 32. ſeqq. Monetarii & Zygoſtatæ Circulorum 633. 26. probatio monetæ circulis injuncta 668. 12. jus cudendi monetam, an ſit pars Superioritatis Territorialis V. 148. 181. ſeqq.

Mu-

MUNUS.

Munerum venditio morbum Reipublicæ arguit 309. 25. an munera legatis accipere liceat 495. 29.

N.

NEUTRALITAS.

Ejus indoles & cætera capita 368. 55. ſeqq.

NOBILES IMMEDIATI.

Eorum origo 88. 53. ſeqq. & varietas 273. 19. 20. habent illi Superioritatem Territorialem 299. 16. in ſpecie jus ſacrorum 322. 16. litigant cum civitatibus ſuper præcedentia 377. 26. carent voto comitiali 392. 5. an ab oneribus imperii immunes 612. 28. non habent jus Comitiorum 641. 15. ſeqq. bene tamen Auſtregarum 700. 9. Nobiles an unquam ad Comitia vocati D. 295. 53.

NOTITIA SCRIPTORUM JURIS PUBLICI.

Ejus diverſitas 33. 83. ſeqq.

NUNDINÆ.

Privilegium nundinarum Civitati Liſienſi competit 390. 16.

O.

Observantia Imperialis.

Eſt tacita conventio cum cæteris capitibus 232. 1. ſeqq. definit requiſita Cæſaris 512. 39. ſeqq. V. 196. 238.

P.

Papatus.

Varie accipitur & dupliciter conſideratur 99. 2. 3. imprimis ſumitur pro imperio Italiæ, cujus origo habitus & moralitas latius exponitur 99. 4. ſeqq. accipitur quoque pro imperio univerſali cujus indoles, adminicula media, cæteraque capita prolixius traduntur 113. 1. ſeqq. à Papa, jus Sacrorum Statuum imperii, male repetitur 321. 10. ſeqq. 335. 63. ſeqq. Papa ad ſe traxit conſtitutionem Epiſcoporum 416. 35. ſeqq. Pontificis imperium nullo titulo nititur 419. 50. ſeqq. ſenſum Imperatoriæ coronationis Papa pervertit 521. 5. ſeqq. primarias preces Cæſari conceſſiſſe videri vult 532. 26. 27. facultatem judicandi ſibi arrogat 686. 26. 27. 689. 37.

Pax Profana.

Ejus indoles & cætera capita 190. 1. ſeqq.

Digitized by Google

PAX RELIGIOSA.

Ejus origo, indoles & cætera capita 194. 1. ſeqq. pax Weſtphalica, juxta conſvetas partes expoſita 209. 1. ſeqq. pacificationes religioſæ quo ſenſu jus Sacrorum Statibus imperii conciliarunt 322. 14. ſtylus earum opinioni Pontificiorum nonnunquam attemperatur 336. 67. ſeqq. Securitati Proteſtantium proſpiciunt 418. 43. jurisdictio Eccleſiaſtica à pacificationibus religioſis quodammodo dependet 685. 20.

PFALBURGERI.

Quid, & quomodo differant ab Usburgeris & Glevenburgeris 306. 13. ſeqq.

POENA.

An pœna banni & ultimi ſupplicii hodie, quoad Status imperii, obtineat 623. 67. ſeqq. quæ pœnæ ſint diſpenſabiles V. 158. 196.

PRÆSCRIPTIO.

Ad religionem non pertinet 324. 23. facit aliquando Statum imperii 411. 17. an jus primogenituræ introducat 430. 24. transfert ſuperioritatem Territorialem 464. 6. aliquando extinguit 465. 11 468. 22. quandoque in plenam Majeſtatem transformat 466. 16. 17. an præſcriptio

inter

inter Gentes locum habeat V.104. 120. an in præſcriptionibus Statuum imperii leges civiles obſervandæ V. 127. 150. ſeqq.

PRÆTENSIO.

Hoc nomine intelligitur omne jus controverſum 405. 51. quavis occaſione jus controverſum defendendum 667. 7.

PRIMARIÆ PRECES.

Jus primariarum precum Statuum imperii 338. 75. ſeqq. Cæſaris 532. 25. ſeqq. ratio nominis 535. 35. ſeqq. Vicariis quoque jus illud competit 590. 18. ſeqq.

PRIMOGENITURA.

Ejus indoles 427. 15. ſeqq. illam conſequitur apanagium 431. 27.

PRINCEPS.

Titulus Principis quid involvat 74. 6. ſeqq. quinam ſub hoc nomine contineantur 75. 10. ſeqq. an Ducibus ſubfuerint 78. 17. ſeqq. quinam hodie Principum appellatione veniant 269. 4. ſeqq. Principum controverſiæ de præcedentia 376. 22. ſeqq. In Principibus Proteſtantibus perſona Principis & Epiſcopi male aſſeritur D. 288. 45. ſeqq.

Protectio.

Jus protectionis in quo conſiſtat, eſt illud vel eccleſiaſticum, vel ſeculare, perſonale vel hereditarium: ejus extenſio & abuſus: modi conſtituendi, quousque Status imperii, aliis ſe in protectionem dare queant, & an ſubditis hoc liceat? 387. 3. ſeqq. Jus Protectionis, quoad buccinatores & fabros cuprarios, Electori Saxoniæ & Palatino competit 389. 9.

R.

Ratio Status.

Ex ea fluxit ceremonialis philoſophia quoad Legatos 492. 17. Cæſaris eligendi requiſita, inde quoque ex parte dependent 514. 45. ſeqq. Ratio Status tam in genere, quam in ſpecie, ratione Germaniæ, plenius expoſita, disquirit illa de morbis, quæ circa ſtructuram Reipublicæ occurrunt, ut & remediis horumque impedimentis: Præterea varia inculcat, quæ tam circa civitatem in genere, quam ſingula Territoria, obſervari debent. 780. 1. ſeqq.

Recessus Imperii.

Eorum prolixior explicatio 177. 1. ſeqq. an iis derogare queant Status imperii 307. 16. ſunt effectus Comitiorum 656. 68. ſeqq. Receſſus eo-

Digitized by Google

dem modo Cæſarem & Status imperii obligant omnes ſcilicet exinde, velut ex pacto, obligantur, minime vero Cæſar, tanquam ex conventione Status vero velut ex lege proprie dicta V. 66. 80. ſeqq.

RELIGIO.

Quousque ad conditiones habendi ſuperioritatem Territorialem pertineat 300. 81. ſeqq. imperio humano non ſubeſt 323. 19. ſeqq. quid juris ejus intuitu Imperantibus competat, legitimum ſcilicet imperium, ſummatim verſatur, vel circa externum religionis exercitium, vel amicitiam humanam & civilem, religionis intuitu, conſervandam, quæ duæ partes generales, ſpecialius declarantur 324. 21. ſeqq. in ſpecie an ejus reſpectu recte juramentum exigatur 327. 34. quousque impietas puniri queat 328. 37. religionum tolerantia 328. 39. ſeqq. amicitia civilis 331. 49. conciliatio 332. 50. ſeqq. abuſus 333. 56. ſeqq. an cujus eſt regio, ejus quoque religio 346. 103. ſeqq. Cauſas religioſas A. C. dirigit Elector Saxoniæ 403. 45. jura religioſa ad Comitia pertinent 546. 76. religio ad civitatem relata 789. 42. 790. 48. jus circa religionem Statibus competit D. 286. 43. ſeqq.

RESERVATA CÆSAREA.

Eorum prolixior explicatio. In ſpecie dis-

quiritur de Juris Cæſarei norma, qualitate, quantitate ac denominatione: Ejus partes, Reſervata audiunt, quorum numerus an definiri queat? Sunt, in ſenſu latiori, triplicis generis, vel enim reſpiciunt Statuum Territoria & Subditos, vel Status ipſos, vel negotia totius Imperii. Primi generis ſunt jus primararium precum, inſtituendi Academias ſimiliaque; ſecundi, v. gr. jus inveſtiendi de feudis, augendi territoriorum titulos, tertii generis, jus proponendi in Comitiis aliaque 526. 1. ſeqq. an Statibus imperii quoque ea competant 541. 56. ſeqq. Reſervata dubia 545. 72. ſeqq. Reipublicæ germanicæ nexus quoad Reſervata 607. 7. 8.

RESERVATUM ECCLESIASTICUM.

Non eſt obligatorium 207. 37. ſeqq. neque in pace Weſtphalica confirmatum, licet vulgo hoc credant 216. 23. ſeqq. quoad Status Pontificios, mera eſt injuſtitia, ſed, quoad Proteſtantes, juſta talio 300. 18. 19. 463. 4.

RESTAURATOR.

Titulus Reſtauratoris præſtat titulo imitatoris V. 16. 11.

RETORSIO.

Contra delinquentem ipſum recte ſaltem in-

Digitized by Google

inſtituitur 331. 47. *ſeqq.* *comprehendit ſub ſe aliquando repreſſalias, quarum indoles exponitur* 365. 38. *ſeqq.*

REX ROMANORUM.

Ejus plenior conſideratio, quid ſit, eligitur ab Electoribus, etiam ſine conſenſu Cæſaris, Status tamen cæteri electionibus illis contradicunt, ſed Electorum jus fundamento non videtur deſtitui: Requiſita perſonæ eligendæ, electi coronatio 575. 1. *ſeqq.* *jura* 579. 16. *ſeqq.* *inſignia & tituli* 583. 31. *comparatio cum Imperatore* ibid. 32. *modi quibus deſinat* 584. 33. *de qualitate imperii, Regis Romanorum fruſtra quæritur* 761. 4.

S.

SCRIPTORES JURIS PUBLICI.

Eorum varietas ſunt vel præparatorii, vel adjuvantes, vel principales, hi iterum Syſtematici; Singulares & Subſidiarii 32. 81. *ſeqq.* *in iis æſtimandis valet præjudicium autoritatis* V. 9. 1. *ſeqq.* *eorum officium* V. 73. 87. *ſeqq.* *an Scriptor, qui ab aliis diſſentit, juventuti noxius ſit* V. 250. 314. *quid de litigiis Scriptorum dicendum* V. 251. 316.

Digitized by Google

Status Imperii

Secularium Statuum varietas 72. 1. ſeq origo 79. 19. ſeqq. Eccleſiaſticorum diverſit & origo 89. 1. ſeqq. temperamentum quoa originem 97. 30. Statuum imperii indoles, e ſententia communi, & noſtra ſcilicet non c ſolo jure ſuffragii, ut vulgo volunt: ſed potiu ex jure Territoriali, ſuffragii & obligatione qua Proceres toti Reipublicæ obſtringuntur, eſ ſentia Status adæquate ſuppoſiti, æſtimanda eſ 252. 2. ſeqq. varietas quoad tempora præſentia 268. 1. ſeqq. Status Eccleſiaſtici quotuplices 274. 21. ſeqq. in quantum ſinguli Status peculiari definitione explicandi 276. 28. ſeqq. numerus Statuum eſt incertus 279. 38. ſeqq. jurium Statibus competentium varietas, ſummatim vel reſpiciunt Territorium, vel alios extra illud, vel Imperatorem qua talem, vel totum imperium 295. 1. An erga Status delictum Majeſtatis committatur 373. 8. ſeqq. Statuum exiſtimatio quoad Exteros 379. 35. ſeqq. Statuum conditio privata plenius exhibita 470. 1. ſeqq. Status imperii ſuis ſubditis non jurant 480. 4. Statuum officia 619. 51. ſeq. delicta 620. 55. ſeqq. pœnæ 621. 60. ſeqq. convocatio ad Comitia 641. 13. ſeqq. Conventus Statuum 670. 1. ſeqq. quomodo judicia Imperii ad ſe tranſtulerint 684. 15. ſeqq. judicia Statuum imperii

685.

Google

685. 21. ſeqq. Statuum jus ſuffragii & territoriale, eſt Majeſtaticum, exercent enim utrumque proprio nomine, ac in exercitio, a nemine, velut Superiore dependent, eſt tamen poſterius, aliquando ſatis exiguum, non valde ſplendidum, nec per omnia integrum 761. 6. ſeqq. Status plerumque ſunt Imperantes & ſocii, aliquando etiam ſubditi 766. 24. ſeqq. an ſinguli Status peculiariter definiri debeant V. 119. 142. ſeqq. Statuum imperii indoles pluribus expoſita D. 263. 6. ſeqq. Status imperii pro ſubditis male habentur D. 308. 67. in dubio, an quis, pro Statu imperii, habendus nec ne D. 312. 72.

SUBDITI

Habent aliquid juris circa Sacra 345. 102. Statuum ſubditi feuda ſua Cæſari offerre nequeunt 413. 25. in alienationibus provinciarum, eorum conſenſus requiritur 413. 27. 436. 43. Subditi conſtituendi ad jus publicum ſpectant 479. 1. ſeqq. præſtant dominis ſuis homagium 480. 5. ſeqq. præter ſubjectionem, in iis alia vincula occurrunt 484. 20. ſeqq. ſubditi conſtituti, dicuntur Landſaſſii, & pertinent ad jus privatum, quod plura, de iis, tradere debebat, quam in Jure Romano habentur, & quæ hujus rei cauſa 485. 26. ſeqq. quousque ſubditis Statuum, Cæſar privilegia concedere queat 539. 40. ſeqq.

Digitized by Google

quibus judiciis olim ſubfuerint 681. 6. ſeqq. an ſubſint Cameræ 712. 24. 25. Status imperii, pro ſubditis male habentur 766. 25. quid circa ſubditos exigat ratio ſtatus 791. 53. ſeqq.

SUCCESSIO.

Quid? ejusque cum electione comparatio 421. 55. ſeqq. ſucceſſio in Electoratus 423. 1. ſeqq. & reliqua Territoria prolixius expoſita 424. 4. ſeqq. ſucceſſio conventionalis 437. 45. ſeqq. Succeſſoris illuſtris obligatio latius expoſita: Vulgo diſtinguunt, utrum quis jure hæreditario, an proprio ſuccedat, illum facta defuncti præſtare debere, non vero regulariter hunc, exiſtimantes. Prior aſſertio bene ſe habet, aſt poſterior ad Imperantes & Status imperii applicari nequit, hi potius facta anteceſſoris præſtare debent, licet jure proprio ſuccedant. In ſpecie igitur debet ſervare expectantias ab anteceſſore conceſſas, feuda conſtituta, jurisdictionem aliaque privilegia data, tenentur implere contractus, ac debita tam feudalia quam hæreditaria exſolvere 441. 1. ſeqq. ſucceſſio an præſtet electione 503. 3.

SUPERIORITAS TERRITORIALIS.

Ejus indoles prolixius expoſita 296. 1. ſeqq. eſt illa, vel immanens vel tranſiens 303. 1. ſeqq.

im-

immanens libertate & imperio abſolvitur 304. 4. ſeqq. ac eſt vel ſacra vel profana, cujus ſpecies prolixe recenſentur 305. 9. ſeqq. Jus ſacrorum, cum ſuis ſpeciebus, fuſe ſatis exponitur 318. 1. ſeqq. ejus origo 320. 7. ſeqq. fundamenta 323. 18. partes 324. 21. ſeqq. jus Papale Principum Evangelicorum 335. 61. ſeqq. monita generalia quoad jus Sacrorum 344. 98. ſeqq. Superioritas Territorialis tranſiens, tantum libertas eſt, ac in pacificam & bellicam non male diſtinguitur 356. 2. ſeqq. pacificæ conſideratio generalis, dicitur etiam jus Legationum: Legatorum indoles & varietas expoſita: quousque Statibus, jus mittendi Legatos, competat 357. 5. ſeqq. ſpecialis quoad ſtatum pacis: comprehenduntur ſub jure Legationum ſex partes generaliores, nempe jus Cæſaris electionem reſpiciens, jus ſuffragii in Comitiis, petendi inveſtituram, jus civilitatis publicæ, mediationis & fœderum 359. 17. ſeqq. Superioritas bellica 361. 23. ſeqq. pacifica quoad ſtatum belli 368. 54. ſeqq. Superioritatis Territorialis affectiones; eſt independens, legibus poſitivis ſoluta, eminentiori quodam modo ſancta & inviolabilis, ac fundamentum inſignis cujusdam exiſtimationis 372. 1. ſeqq. modi acquirendi 406. 1. ſeqq. originarii 407. 5. ſeqq. & derivativi 411. 19. ſeqq. quoad Territoria Eccleſiaſtica 415. 32. ſeqq. & ſecularia 420. 53. ſeqq. acquiſitionem Territorio-

rum velut conſummat inveſtitura Cæſarea 456. 1. ſeqq. modi quibus Superioritas amittitur vel extinguitur. 462. 1. ſeqq. Superioritas T. eſt norma juris Cæſarei, nam, juxta libertatem Statuum, jus Cæſareum per capitulationes, reſtringitur, hinc etiam Superioritas, eſt norma juramenti fidelitatis, quod Cæſari præſtatur, licet alio reſpectu, juramentum illud, ſuperioritatis territorialis exercitium reſtringat 527. 7. ſeqq. eſt jus majeſtaticum 763. 13. ſeqq. an ex jure Territoriali, jus ſuffragii profluat V. 106. 121. ſeqq. Superioritatis Territorialis inepta definitio V. 118. 140. Superioritas Territorialis expoſita D. 281. 36. ſeqq. eſt jus Majeſtaticum D. 301. 59. ſeqq.

SYSTEMA CIVITATUM.

Nexus ſyſtematicus aut ſocialis, etiam, ſine expreſſo fœdere, produci poteſt 625. 73. ſeqq. imminuit quodammodo Majeſtatem 755. 112. 113. in Germania eſt ſyſtema plurium corporum ſociorum ſed extraordinarium 769. 1. ſeqq. quod plenius, cum refutatione ſententiarum oppoſitarum, deducitur, adeoque ſigillatim argumenta, quæ pro Republica una in genere, vel ſpeciatim pro Monarchia abſoluta aut limitata, pro Ariſtocratia, Republica mixta vel Democratia, adduci ſolent, refutantur D. 313. 73. ſeqq.

T.

TERRITORIA.

Germaniæ quomodo alienari queant 412. 21. ſeqq. eorum indoli magis convenit ſucceſſio ſanguinis, quam ſimultaneæ inveſtituræ 425. 8. ſeqq. quoad reſtitutionem bonorum Eccleſiaſticorum obſervatur annus 1624. ejusque prima dies 464. 7. Territoriorum nexus conſiſtit in imperio & ſubjectione 479. 1. ſeqq. Territoria cum aliis agunt amice vel hoſtiliter 487. 1. ſeqq. Territoriorum tituli a Cæſare augeri poſſunt 544. 66. principia, ad dijudicandum Territoriorum habitum, neceſſaria 729. 1. ſeqq. Territoria germanica, ſunt corpora libera 768. 30. quid ratio Status eorum intuitu exigat 789. 46. ſeqq. Territorii nomen & definitio D. 261. 2. ſeqq. territoriorum germanicorum libertas & origo 309. 68. ſeqq.

TESTAMENTA

Circa Territoria germanica, uſum non indiſtincte habent; Ceſſant enim quoad Electoratus aliaque Territoria, juri primogenituræ obnoxia, in feudis diviſibilibus, non niſi ex conſenſu agnatorum valent: Inter liberos tamen, & quoad feuda hæreditaria, liberior eſt teſtandi poteſtas: Ultimus poſſeſſor, non, niſi cum conſenſu totius Imperii, Territorium, in extraneum

Digitized by Google

neum transferre poteſt, de cætero teſtatores illuſtres, ad ſolennia juris civilis, haut ſunt adſtricti 435. 41. ſeqq.

TITULI.

Titulorum philoſophia eſt incerta 374. 13. ſeqq. titulus: Nos Dei gratia 375. 16. ſeqq. Statuum tituli in ordine ad Cæſarem 378. 31. ſeqq. Titulus territorii, per incorporationem, neceſſario non tollitur 469. 24. titulus Excellentiæ, quoad Legatos, ex errore invaluit 491. 15. Titulus Imperatoris, a quibusdam, ante coronationem Pontificiam, omiſſus 521. 6. Titulorum Imperatoriorum plenior recenſio 553. 20. ſeqq.

TUTELA ILLUSTRIS.

Plenius expoſita, in ſpecie ejus definitio adducta, defertur illa teſtamento, etiam in Electoratibus, lege & per judicia Imperii, poſt delationem ſequitur acceptatio; tutela illuſtris eundem fere habet effectum, quem plebeja, finitur illa juxta præſcriptum juris Gentium & legum germanicarum, aliquando etiam obtinent, modi juris poſitivi: Tutores illuſtres, rationem adminiſtratæ tutelæ reddere non ſolent 448. 1. ſeqq. quis terminus ætatis, in tutela illuſtri merito obſervari debeat V. 134. 163. ſeqq. an circa eam ordo juris Romani obtineat V. 140. 169.

Digitized by Google

V.

Vasalli.

Vaſallus ſocius 459. 11. Vaſallus qua talis, non eſt ſubditus, ſæpe tamen ſubjectio accedit & regulariter quidem Statuum Imperii Vaſalli, ſunt etiam ſubditi, ſive in Territorio habitent, ſive in eodem bona ſaltem poſſideant 484. 20. ſeqq. Vaſallagium non obeſt Majeſtati 765. 19. Vaſalli nomen, Statuum conditionem civilem non ſatis exprimit 767. 27.

Vectigal.

Nova vectigalia an Status inſtituere queant 315. 50. legati à Vectigalibus ſolent eſſe immunes 493. 24. quale negotium ſit conceſſio vectigalis 609. 15.

Vicarii Imperatores.

Eorum prolixior explicatio, in ſpecie definitio, conſtituti ſunt aurea Bulla, & gaudent poteſtate independente. Vicariatu funguntur non Pontifex, ſed Elector Saxoniæ & Palatinus, huic tamen, eo nomine, controverſia, cum Electore Bavariæ, intercedit: Poteſtas Vicariorum tam in genere, quam per partes explicata 585. 1. ſeqq. ac inprimis vera denominatio evoluta 592. 25. ſeqq. ab iis differunt Vicarii Imperatoris 593. 31. ſeqq. nec non Vicarii regionum exemtarum 594. 35. ſeqq. Vicarii indicunt Comitia 639. 6. gaudent jure Majeſtatico 761. 5. V. 215. 265. ſeqq.

VICINITAS.

Jura occaſione vicinitatis Statibus competentia qualia ſunt jus protectionis conſcribendi milites in alieno Territorio, Albergariæ, aperturæ, venandi, percipiendi reditus ex fundationibus eccleſiaſticis, jura Ganerbica, jus nundinarum & Stapulæ 387. 1. *ſeqq.*

URBES IMPERIALES.

Earum origo 85. 38. *ſeqq.* & *varietas* 272. 16. *ſeqq. habent illæ Superioritatem Territorialem,* 299. 15. *cum Nobilibus, de præcedentia, litigant* 377. 26. *Cæſari homagium præſtant* 412. 19. 461. 20. *ac ſingulis annis, à civibus ſuis, nonnullæ illud exigere ſolent* 483. 17. *convocantur ad Comitia* 641. 15 *gaudent in iis voto deciſivo* 650. 46. *duo vota, in Comitiis habere dicuntur, quæ ſententia ex commento illo quo, ſub ratione aſſis, Comitiorum deliberationes repræſentantur, originem habere, vel eatenus admittenda videtur, quatenus deliberationes Totius Imperii, ſine trium Collegiorum, conſideratione, ſpectantur* 653. 58. *conventus Urbium imperialium* 672. 13. 16. *Auſtregæ* 705. 31.

W.

WILDFANGIUS.

Jus Wildfangiatus Electori Palatino in ditionibus vicinis competit 389. 11. *cauſa Wildfangiatus arbitrorum laudo deciſa* 706. 34.

❧ (o) ❧

AUT 1316296

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

9327

Digitized by Google

Digitized by Google